UNIVERSITY OF TORONTO DUPL
3 1761 00004189 7

IN MEMORIAM JOHANNIS Mc CAUL

UNIVERSITATIS COLLEGII APUD TORONTONENSES PRAESIDIS PRIMI

AB AN: DOM: MDCCCXL AD AN: DOM: MDCCCLXXX:

ET OB DOLOREM COLLEGII CUM BIBLIOTHECA SUA

A: D: XV KAL: MART: AN: DOM: MDCCCXC

INCENDIO COMBUSTI:

HUNC CUM CAETERIS LIBRIS QUI JOHANNIS Mc CAUL QUONDAM

ERANT UNIVERSITATIS COLLEGIO DONO DEDERUNT HEREDES EJUS:

SCILICET UT BIBLIOTHECAM,

QUAM MAGNA EX PARTE IPSE OLIM VIVUS INSTITUISSET,

EANDEM ETIAM MORTUUS ALIQUA TAMEN EX PARTE RESTITUERET.

JUVENALIS

ET

PERSIUS.

D. JUNII JUVENALIS

AQUINATIS

SATIRÆ XVI.

AD

OPTIMORUM EXEMPLARIUM FIDEM RECENSITÆ

VARIETATE LECTIONUM

PERPETUOQUE COMMENTARIO ILLUSTRATÆ

ET INDICE UBERRIMO INSTRUCTÆ

A

GE. ALEX. RUPERTI.

QUIBUS ADJECTÆ SUNT

A. PERSII FLACCI SATIRÆ

EX RECENSIONE ET CUM NOTIS

G. L. KŒNIG.

VOLUMEN SECUNDUM.

GLASGUÆ:
EXCUDEBANT ANDREAS ET JOANNES M. DUNCAN,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI;
IMPENSIS RICARDI PRIESTLEY, LONDINI.

1825.

PA
6446
A2
1825
v.2

11291
9/12/00 w

6

COMMENTARIUS

IN

JUVENALIS SATIRAS.

IN

SATIRAM I.

1 seq. Romæ olim poetæ, historici et oratores, quæcumque scripserant, ante quam ea in vulgus ederent, amicis recitare solebant. Quod institutum initio præclarum fuit et excolendis ingeniis librisque emendandis utilissimum: pauci enim iique subacti judicii viri invitabantur, ut libere, quid sentirent quæque sibi parum probanda viderentur, expromerent. Verum consuetudo ista mox ita immutabatur, ut recitatores non precibus tantum vel gratia et auctoritate sua, sed præmiis quoque propositis, pretio vestis, cœnæ, sportularum cet., clientes vel aliorum hominum magnam et imperitam turbam ad audiendum elicerent et quasi emerent eo consilio, ut singula ab iis ore pleniore laudarentur, (unde non inurbane hi Σοφοκλεῖς vocabantur et *Laudicæni*) vel incondito exciperentur clamore ac plausu: (vid. inpr. Plin. Ep. II, 14.) ex quo inani laudis studio mox insana scribendi et in primis poetandi manavit libido, quæ ingentem hominum multitudinem tamquam pestilenti sidere afflavit et mirum in modum aucta est cum astutia Imperatorum, qui cives ad otium a militari studio publicisque

negotiis traducebant, tum exemplis Neronis et Domitiani, qui famam poetarum ipsi affectabant. (v. VII, 36—52. et Horat. Epist. II, 1, 108—118.) Sapientiores, qui aderant, et doctiores ne animum quidem et aures ad ejusmodi recitationes vel prælectiones et ἐπιδείξεις advertebant, vel audiendi fastidio conficiebantur; unde h. l. *vexatus toties.*[1] Quum itaque illis temporibus non modo, ut nostris, tot jejuni libelli quotidie lumbricorum vermiculorumve instar pullularent, sed omnia quoque fora, ambulacra et auditoria eorum recitationibus personarent: poetæ animum tacita et indignatio subit et miratio, cur tam diu patienter nec sine summa molestia aliorum scripta legerit et audiverit, nec jam ipse aliquid et scripserit, et recitaverit, ut certe *reponeret*, h. e. aliis idem legendi audiendique fastidium crearet, quod ipse ex illorum libris et recitationibus perceperit, ne patientiam suam hi *impune* insultasse videri possent; nam *reponere* est rependere, par pari referre, reddere beneficium vel debitum.[2] Primis verbis et in his maxime illo *reponere* non lepidæ tantum, quas poeta arripuit, scribendi causæ, summa scilicet indignatio, ex audiendi tædio concepta, et vindictæ cupido, sed modestum quoque ejus de scriptis suis judicium continentur. Abrupta autem oratio convenit affectui, quem poetæ satirici in ipsis carminum principiis sequi et exprimere solent. Cf. Sat. IV, 1. — 2 seq. Annotatio Heinr. est hæc: " Triplex in his commemoratur recitationum genus: epica, tum tragœdiæ et elegi. Tragœdias omninoque fabulas ad agendum compositas recitari seu prælegi, Athenis Atticis florente re scenica inauditum fuit, nisi quum poeta διδάσκαλος singulas dramatis partes discentibus histrionibus docta vocis modulatione præibat, vel Antiphanes aliquis comœdiam ad aures Alexandri regis intra domesticos parietes recitabat; quam rem tradit Athen. lib. XIII. pr. Contra Romæ poetarum tragicorum studia in ἐπιδείξεσι continebantur plerumque, inprimis sub Cæsaribus;

[1] V. ad VII, 40 seq. (ubi insignem locum Tac. de orat. c. 9. adscripsi) et XIII, 32. 33. Martial. II, 27. Horat. Epist. I, 19, 35 seq. et A. P. 419 seq. 474 seq. Pers. Sat. I, 15 seq. 53. et ad eum Kœnig et Casaub. p. 55 seq. 68 seq. Plin. Ep. I, 5, 4. 13, 1 seq. II, 14. V, 3, 7 seq. 13, 1 seq. VI, 17. VII, 17. VIII, 12. Lips. Epist. ad Belgas Cent. II, 48. Opp. T. II. p. 893 seq. Plutarch. περὶ τοῦ ἀκούειν, Casaub. ad Theophr. Char. cap. II, 3. p. 170.

[2] Conf. Turnebi Adv. XX, 8. et Parrhas. Epist. XXIII. p. 40. qui metaphoram desumtam putabat a conviviis, non a creditoribus. Barthius (Adversar. I, 21.) notat, verbum hoc ex schola declamatoria τεχνικὸν dici de eo, qui respondeat themati et ad clepsydram pari attentione, quam præstiterit congregi suo, audiendus vicissim orationem *reponat*. Nota Hein. est: " *Reponere* esse id. qd. *rependere*, clarum fiet ex Sen. de ira I, 3. *Aristotelis finitio non a nostra abest; ait enim: iram esse cupiditatem doloris reponendi;* et ex Lactant. de ira dei c. 17. ubi eadem verba affert, sed *rependendi* habet pro *reponendi.*"

rarius tragœdiæ, apud auditores recitatæ a poetis, in scenam producebantur agebanturque gestu histrionum: quæ res pertinet ad decantatam illam scenæ tragicæ neglectionem apud Romanos. v. Bœttigeri Prolus. a. 1798. de quatuor ætatibus rei scenicæ apud veteres p. 19. not. Serioris ætatis quid isthac in re proprium fuerit, quando ne posteris quidem seculis tragœdias comœdiasque per ludorum solemnitatem in scena edere plane cessatum est, singulari diligentia ostendit vir doctiss. Petr. Er. Müllerus, Prof. Hafniensis, comment. de ævo Theodos. P. II. p. 134 seq. Qui post tragœdias porro commemorantur *elegi*, hos nota Plinii epistola VII, 17. omittit in recensu operum, quorum recitatio tum usu recepta fuit; etsi hi quoque, non minus, quam lyrica, quæ profert, causam, in qua tuenda istic versatur, quodammodo juvare poterant. Sed *elegidia*, ut lectitata, expresse nominat Persius Sat. I, 51." — *Codri* hujus non alibi fit mentio, nisi forte inf. III, 203 seq. (ubi tamen non de malo poeta, ut h. l., sed de paupere homine, ut forsan ap. Martial. II, 57, 4. V, 24. 8. V, 27. agi videtur) et ap. Martial. IV, 29, 8. ubi a Scaligero (in Scaligeran. p. 77.) pro *Marso*, qui egregius poeta fuit et ipsi Martiali passim laudatur, *Codrus* substituitur, prob. Henninio ad h. l. ubi *Theseidem* dicit et *Amazonidem* unum forte idemque opus fuisse, et rationem, cur Amazonidis nomen Theseidi potuerit convenire, ex ipsa Thesei historia liquere. Cf. Var. Lect. *rauci* recitando et clamando, ut VI, 515. Martial. IV, 8, 2. X, 5, 4. Carminis longitudo significari videtur; sed judice Hein. tumor carminis, qui effecerit, ut vocem valde intenderet; quo sensu dixerit Martialis VIII, 3, 15. *Prælegat ut tumidus rauca te voce magister*, et Pers. I, 14. *Scribimus grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet*, ad quæ verba v. Casaub. *Theseide*, recitatione Theseidis, tragœdiæ vel carminis epici de rebus a Theseo gestis, qualia olim plures poetæ scripsere, de quo v. Heyne Not. ad Apollod. II, 5, 12. et III, 16, 1. *Impune*, sine pœna, non, ut alii exponunt, sine effectu. *togatas* fabulas, in quibus Romanorum facta et mores exhibebantur, ut Græcorum in *palliatis:* nam toga Romanis fuit propria, ut pallium Græcis. Fabulæ Rom. argumenti, in quibus magistratus inducebantur, *prætextatæ* dicebantur vel *prætextæ*. — 4. *Telephus*, tragœdia de Telepho et hæc pro recitatione ejus, ut mox *Orestes*. Fabulæ Telephi et Orestis a multis olim poetis tractatæ.[3] Epitheton *ingens* spectat tum ad longitudinem carminis

[3] v. Heyne ad Apollod. II, 7, 4. et c. 16. 17. 18. et Bibl. Lat. L. IV. c. 1. III, 9, 1. Fabricii Biblioth. Gr. L. II. § 4.

orationisque prolixitatem, tum ad ampullas et sesquipedalia verba. cf. Horat. A. P. 96. 97. Tragœdiam de *Oreste* poeta tam prolixam fuisse dicit, ut non in interiore tantum et adversa parte, more veterum, membrana fuerit perscripta, sed etiam *in tergo*, in aversa vel inversa charta, *ὀπισθόγραφος*.[4] Huc spectant verba Sidonii Apoll. VIII, 16. a Grang. et Heinr. laudata: " *Jam venitur ad margines umbilicorum, jam tempus est, ut Satiricus ait, Orestem nostrum vel super terga finiri.*" Idem Sidon. Epist. II, 9. extr. dixit *epistolæ tergum madidis sordidare calamis.* Poetæ autem illius ævi inopiam et ingenii et rerum prodebant argumentis jam notissimis tractatis et ad fastidium dilatatis.

7—14. Tam diu jam et tot poetis recitantibus operam dedi, tamque vulgaria sunt tum argumenta, quæ ab iis tantum non omnibus pertractantur, tum descriptiones atque imagines ex antiquis poetis desumtæ, quæ carminibus ubivis ab illis intexuntur et a quibus potissimum petere solent colores artis, tamquam hujus summa et cardo in iis vertatur; (quod etiam notat Horat. A. P. 15 seq. et Lessing. Laocoon p. 174.) ut illa mihi non minus *nota* inde facta sint, quam *ulli domus sua.* Fuere qui inpr. taxari putarent Valerium Flaccum, Juvenalis imitatorem. v. Burm. ad Valer. Fl. I, 145 seq. et V, 642. Similiter Martial. IV, 37, 7. *ieneo melius ista, quam meum nomen. Lucus,* quales a poetis adumbrari solent, et *lucus Martis,* (qualis non modo Romæ, sed in Ponto quoque, ubi aureum vellus servabatur, et Albæ aliisque locis fuit) ut *lucus Dianæ* ap. Horat. l. l.[5] — 8. Poeta Hieram, Vulcani sedem, juxta Æoliam Liparen, et locum Virg. Æn. VIII, 416. in animo habuisse videri potest. Cf. ibi Heyne in not. et in Excursu I. ad Æn. I. Sed quoniam Hiera quoque una ex septem insulis *Æoliis*, quæ et Vulcaniæ et Liparææ dicuntur, non vero iis *vicina* est, *antrum Vulcani et Cyclopum* h. l. Ætna potius vocatur, quæ illis insulis imminet et de qua poetæ multa fabulantur. Cf. inf. ad

[4] Cf. Schwarz. Diss. de ornam. librr. Lips. 1756. Salmas. ad Vopisci Firm. c. III. p. 701 seq. Intpp. Plin. Ep. III. 5, 17. Potteri Archæol. Gr. T. III. p. 296 seq. edit. Germ. Martial. IV, 87, 11. VIII, 62. Nota Joh. Winckelmanni in Spec. Comment. in Juvenal. edito a S. V. Gurlitto in Animadv. ad Auct. vett. Spec. II. Magdeb. 1801. p. 51. 52. est: " *Plena jam margine*, plena etiam exteriore parte paginæ, quæ solet ad ornamentum libri relinqui vacua; *in tergo*: nam antiqui ex parte carnis tantum scribebant, non ex parte pilorum, ex qua imagines depingebant ad honores principum."

[5] Nonnulli hæc verba accipiunt de historia Romuli et Remi, quos Rhea Silvia in luco Martis peperit; alii de historia integra Martis, amplissima poetarum materia; Schol. vetus de luco Martis, qui Romæ fuerit in Appia, in quo recitaverint poetæ.

XIII, 45. et Heyne l. l. *rupibus Æ.* ut *Æolium saxum* dixit Lucan. V, 609. *quid agant* terra marique *venti,* nubes, tempestates et prœlia inter se cientes, vel homines, ut Boreas Orithyiam et Chloridem, rapientes, vel mergentes naves e. s. p. *quas umbras torqueat,* examinet et torquendas judicet, *Æacus,* judex apud inferos, h. e. nota mihi sunt, quæ de inferis eorumque pœnis poetæ fabulentur. [6] — 10. Nota mihi sunt Argonautica, ut e Colchis Jason furtim, inscio Æeta et dolis Medeæ, aureum vellus Phryxi, τὸ χρυσόμαλλον δέρας, subripuerit. — 11. Novi pugnam Centaurorum cum Lapithis in Thessalia et robur *Monychi* Centauri, quem arbores cum radicibus evulsisse et torsisse fabulantur poetæ. V. Ovid. Met. XII, 499 seq. Lucan. VI, 388. et Valer. Fl. I, 145 seq. ubi v. Burm.

12. 13. Ædes nobilium et ditiorum quotidie resonant recitationibus repetitionibusque earumdem vulgarium rerum ac fabularum, quas varii poetæ tractarunt quæque adeo cuivis ita innotescunt vel jam innotuere. Romæ enim vel domi paucis amicis convocatis, vel in ædibus et quidem in atriis porticibusve earum laxis magnisque, quæ tenuioribus, quibus ea non erant, a divite aliquo et nobili viro, ut h. l. a *Frontone,* (a Stella Mart. IV, 6, 5.) commodabantur, vel denique publicis locis, in quanta maxima fieri poterat hominum corona, recitabatur. Cf. ad VII, 40. Horat. Sat. I, 3, 88 seq. I, 4, 74 seq. Plin.

[6] Alii non male ad id potissimum respici putant, quod Plato in extremo Gorgia et Minoe tradit, ab Æaco Europæo umbras Europæas, a Minoe et Rhadamantho Asiaticis judicari Asiaticas: *quas,* scil. Europæas. In toto autem h. l. vulgaria carminum argumenta, a multis poetis, tam summis quam minimis, (v. 14.) pertractata et quotidie recitata, (v. 12. 13.) recensentur. Hinc quoque sententiam suam mihi non persuasit Wernsdorf, qui in Poet. Lat. Min. T. IV. p. 23. ita disputavit: " Juvenalis videtur omnino vs. 7. 8. duo poetas aut duorum poematum argumenta tangere, unum, quod de expeditione Argonautica, alterum, et quidem Lucilii Junioris, quod de Ætna monte agit. Ea vs. 9. 10. propius notare pergit: nam verbis, *unde alius furtivæ — pelliculæ,* redit ad alterum poetam, quem ante dixerat *lucum Martis* descripsisse; verba autem *quid agant venti* omnino videntur Ætnam amplius signare et de ventis, Ætnæum incendium excitantibus, intelligenda esse. His quum statim subjungatur *quas torqueat umbras Æacus,* non videtur hoc ad ventos ante memoratos ullo modo pertinere, nisi mutatis paulum verbis legamus, *quas torqueat undas,* vel *quos torqueat æstus Æolus.* Ita vero clarius respicit Ætnam Lucilii, qui in præcipuis causis Ætnæi incendii ventos subterraneos, partim etiam undas maris, antra Ætnæ subeuntes, ponit et in principio carminis verbis fere a Juvenale repetitis utitur: *quæ tam fortes volvant incendia causæ, Quod fremat imperium, quid raucos torqueat æstus.*" A vs. 7. et toto h. l. consilioque poetæ aliena est hæc ratio, qua ad duorum modo carminum argumenta referuntur omnia; et sic non modo verbis, *quas torqueat umbras Æacus,* sed et illis, *quantas jaculetur Monychus ornos,* alia substituenda sunt. Nota Hein. est: " Fortasse perstringuntur versificatores, qui se ad imitationem Æn. Virg. composuerant, ubi sermo est de tumultibus ventorum et de Æaco inferorum judice." Eadem in aliorum quoque poetarum carminibus memorantur, in Æneide autem Virg. neque *lucus Martis,* neque *Jason, Argonautæ* et *Monychus.*

Ep. VIII, 12. Theophr. Char. V. extr. ibique Casaub. *Frontonis* nomine vel quilibet designatur vir nobilis doctorumque hominum fautor, vel M. Fronto ille, qui ter et cum Trajano consul fuit, de quo v. Dio LXVIII, 1. Martial. I, 56, 2. *(Clarum militiæ Fronto togæque decus)* et Plin. Paneg. c. 60.[7] Eum Plutarchi nepotem fuisse tradit Joh. Salisbur. in Policratico VIII, 13. *platani,* porticus, quas platani obumbrant. Cf. Martial. III, 19, 2. III, 58, 3. Petron. 131. Prop. II, 32, 11 seq. Misc. Obss. Crit. Vol. V. T. III. p. 21.' Nota Heinr. est hæc: " *Platanus,* ut omnino jucunda et dilecta antiquis arbor fuit, (v. Gron. Obss. I, 5. et Burm. Sec. ad Anthol. Lat. T. II. p. 355.) ita perraro abest, ubi dulcis et opacæ sedis amœnitas adumbratur. Facile hic succurrit ex Phædro Platonis (ad quem v. not. Heindorfii) platanus Socratica, magis etiam illustrata mentione Tulliana. Atque huc spectat elegiacum fragm. Philetæ Coi ap. Athen. V. p. 192. E. quod olim sic emendavimus: Θεήσασθαι πλατάνῳ λασίῃ ὕπο. Quis inter plures *Frontones* intelligi debeat, est sterilis quæstiuncula. Ceterum præter alios vid. Dio LXVIII, 1. ibique Reim., et idem Dio LXIX, 18. tum Gatak. ad Antonin. I, 11. p. 19 seq. et Sirmond. ad Sidon. Apoll. Not. p. 7. Is igitur *Fronto,* seu Consul fere obscurus, sive princeps ista ætate advocatus, (v. Dio l. post.) privatam domum et porticus *platanis* umbrosas recitantibus liberaliter præbebat; quod tum quidem necessarium fuit, quum neque in theatro fierent Romæ recitationes, (v. Heyne ad Donati vit. Virg. Vol. I. p. LXXIX. 41.) necdum Athenæa publice exstructa essent, quorum postea satis est frequens memoria, inpr. ap. Scriptt. Hist. Aug. Vide saltem Sirmond. ad Sidon. p. 31. et 44. atque Juret. ad Symmach. Ep. I, 9. p. 9." — *marmora,* parietes crustis marmoreis obtecti; aut *convulsa marmora* non differunt a *ruptis columnis* marmoreis porticus. Verbis *convulsa, clamant et ruptæ* δεινῶς et ὑπερβολικῶς exprimuntur et recitatorum clamores, et auditorum frequentia, plausus ac putidæ illæ acclamationes (*clamor vagus et voces inanes* ap. Tac. de orat. c. 9.) ὀρθῶς, καλῶς, σοφῶς, θείως, εὖ, εὖγε, ὑπέρευ, *Euge, Bene, Pulchre, Belle, Recte!* (de quibus v. Ramir. ad Martial. I, 4. et Böttigeri Sabina p. 325. ed. pr.) Res enim *rumpi* vel *convelli* et *frangi* dicuntur, quæ magno strepitu et

[7] Hunc saltem intelligere malim, quam cum Dodwello (in vit. Juven.) extr. M. Corn. Frontonem, oratorem celeberrimum et Antoninorum magistrum. De his aliisque *Frontonibus* v. Onuphrii Fastos et intpp. Gell. II, 26. XIX, 8. et 10. Plin. Ep. II, 11. IV, 9. V, 13. et Paneg. c. 60. Tac. Ann. II, 33. 68. et Dodwell. l. c.

clamore impelluntur ac resonant.[8] *clamant*, resonant, ut *latrare*, *plangere*, *anhelare*, *βοᾶν*, *βρέμειν*, *ἰάχειν* de ventis, fluctibus cet. (v. ad Sil. III, 471. IV, 524. et Burm. ad Valer. Fl. I, 590.) *assiduo lectore*, continua atque frequentissima recitatione hominis, clara voce legentis.

14—18. *Exspectes eadem a summo minimoque poeta*, scil. ut carmina et scribant et recitent! (quale est illud Horat. Epist. II, 1, 117. *Scribimus indocti doctique poemata passim!*) *Ergo*, ut eadem a me exspectes, ut carmina aliquando scribere possem atque recitare, et quia *insanabile scribendi* carmina, poetandi, nunc tenet tot homines, (v. VII, 36 seq. 50 seq. et sup. ad v. 1.) etiam ego *(et nos*, quæ verba δεινῶς repetuntur) tam Grammaticorum quam Rhetorum scholas frequentavi adspirans ad facultatem laudemque poeticam. Neque est, quod hujus consilii conatusque me pœniteat, quod *chartæ* parcam vel aliquis ei parcendum dicat, quum illa, quamvis ipse non scribam, *peritura* sit manibus aliorum poetarum, quorum tantus est numerus, ut ubivis in eos incidas; quare nihil refert, utrum horum, an mea manu pereat. Sic omnia bene cohærent et non minus modestæ, quam lepidæ rationes a Juvenale memorantur, quibus impellatur ad carmina scribenda. Neque rectius mentem poetæ cepisse videtur Heinecke, cujus interpretatio est: Quæ quum ita sint, *(ergo, hanc ob causam)* i. e. quum sæpissime vexatus et cruciatus sim a poetis carmina sua recitantibus, *et ego* Grammaticorum scholas frequentavi, *et ego* declamavi, scil. eo consilio, ut aliquando scribere illosque, qui mihi tantum fastidium creaverunt, vicissim vexare possem. Ut alia taceam, hæc et languent, quoniam eadem poeta jam v. 1—3. dixerat, et haud conveniunt verbis proximis v. 14. non enim a *summo poeta* exspectes, ut carminum recitatione te vexet et cruciet, sed eo, quo dixi, sensu *eadem* exspectes a summo minimoque poeta. *Manum ferulæ*, qua pueri percutiuntur, *subducere*, locutio proverbialis, ut multi putant,

[8] Sic forte *concha frangit aquas* Claudian. X, 133. *fregit subsellia versu Statius* inf. VII, 86. *peroranlem et rhetorica sedilia plausibili oratione frangentem* Sidon. Apollin. Epist. V, 10. *dignus, quo recitante crepitantis Athenæi subsellia curvata* (al. *cuneata*) *quaterentur* ibid. IX, 16. κατερρήγνυτο πᾶς ὁ τόπος ὑπὸ τοῦ κρότου καὶ τῆς κραυγῆς Polyb. XV, 32. τηλικοῦτος κατερράγη κρότος ibid. XVIII, 29, 9. ἄγνυτο ὄλυμπος et ἠχὼ Hesiod. Scut. Herc. v. 203. 279. 348. Conf. Barth. ad Claud. laud. Stilic. II, 69. Heyne ad Virg. Ge. I, 49. III, 328. Græv. Lect. Hesiod. c. 18. Lips. Epist. ad Belgas Cent. II. Ep. 48. et inf. ad XI, 195. sed et Kœnig ad Claudian. X, 133. ubi bene adnotavit, jungenda potius esse ibi *Triton frangit* nando *aquas*, et illo sensu res quidem καταρρήγνυσθαι dici et *rumpi*, non vero *frangi*, verborum autem Juven. VII, 86. atque Sidon. l. l. explicationem aliam, a me infra propositam, videri præferendam.

(non modo Grang. et Brit., sed etiam Savar. ad Sidon. p. 153. 324. Erasm. in Adag. et Gesner. in Thes. L. L.) de iis, qui scholæ valedixerunt et Grammaticorum disciplina ac potestate exemti sunt. Sed præstat, cum Wernsdorf. ad Colum. de cultu hort. v. 21. in Poet. Min. T. VI. P. I. p. 36. ita h. l. interpretari: et nos in disciplina ludimagistri fuimus et, manum ferulæ præbere coacti, illam metuentes sæpe subduximus. Id facete dictum pro: scholas frequentavi. Hanc interpretandi rationem unice veram esse, Hein. et Heinr. probarunt coll. Macrob. III, 10. Sidon. Ep. II, 10. et Hieron. in Apol. ad Domnionem Ep. LI. p. 400. A. Tom. I. ed. Paris., adv. Rufin. I, 4. p. 495. G. et in Ep. CI. ad Pammach. p. 665. C. — 16. Artem quoque oratoriam edoctus sum, et in scholis Rhetorum vel *suasorias* (sc. orationes) vel *controversias* fictas tractare et declamare didici. (cf. Auctor Dial. de Orator. c. 35.) Ejusmodi olim suasoria vel exercitatione aliqua et declamatione (*μελέτῃ, ἐπιδείξει*) Sullæ suasi, ut, perpetua dictatura omnique reipubl. cura deposita, reliquum vitæ tempus in otio transigeret; h. e. thema illud tractavi, et ostendi, Sullam ita prudenter egisse. Sic ap. Quintil. Inst. Or. III, 8, 46. *Ciceroni dabimus consilium, ut Antonium roget vel Philippicas exurat.* Cf. inf. ad VII, 151. et similia themata ap. Senec. Suasor. III. V. VI. VII. — *ut altum* somnum *dormiret*, non interruptum curis ac vigiliis, quas summa secum trahit potestas, Gall. *dormir d'un profond sommeil;* Ach.[9] — *perituræ parcere chartæ*, cf. Gierig ad Plin. Ep. VII, 2. *(impetrare aliquid perituri temporis)* et Gron. Obss. II, 22. quos laudavit Hein.

19—150. His versibus poeta docet, quare, consilio carminum componendorum capto, satiras scribere in animum induxerit: tot scilicet et tam varia nunc vigere vitia, ut *difficile sit satiram non scribere*, et, *si natura neget, faciat indignatio versum. hoc decurrere campo et per eum equos flectere*, h. e. hoc carminum genus tractare: nota metaphora, a circo et stadio petita, ut ap. Ovid. Fast. II, 360. IV, 10. VI, 586. et al. " Petita præsertim a ludi genere, quod *ludus Trojanus*, vel ab exercitio, quod *decursio* dicebatur;" Ach. " *Flectere* præcipue usitatum est de ludis Circensibus;" Hein. qui conferri jubet Markl. ad Stat. p.

[9] Verba *ut altum dormiret* quidam referunt ad Sullæ morbum (phthiriasin), quem somno dissimulaverit, coll. Plin. VII, 43. et Sereno Sammon. c. 6. p. 128. Sed in illo loco leg. *supremo somnio*, non *somno;* in hoc *languor* est morbus ille. Rigaltius turpem ignaviam putabat exprobrari Romanis, per quos licuerit Sullæ a dictatura se abdicare et in Urbe privato vivere ac feiici.

273. et Burm. ad Prop. I, 3, 46. *Auruncæ alumnus,* Lucilius, qui primus Romanorum Satiras et quidem triginta earum libros scripsit et Suessæ natus est, quæ urbs *Suessa Aurunca* dicebatur ab Auruncis, qui, bello inter ipsos et Sidicinos orto, profugi cum conjugibus et liberis Suessam commigrabant. Cf. Scaliger Auson. Lect. II, 11. p. 115. Veteris Schol. nota h. l. est: " *Turnum* dicit, Scævæ Memoris, Tragici poetæ, fratrem, qui libertini generis ad honores ambitione provectus est, potens in aula Vespasianorum Titi et Domitiani; vel *Lenium* dicit, qui et ipse Satiras scripsit; vel *Silium,* et ipsum sui temporis Satiricum, qui omnes ex Aurunca fuerunt." De his poetis v. Wernsdorf. Poet. Min. T. III. p. XVI. et LIX. — *placidi,* benigne.

22 seq. Quum omnia contra naturam, et viri fiant mulieres, mulieres autem viri. *spado,* castratus, eunuchus, *tener,* mollis et effeminatus, (ut VI, 383. et XII, 39.) *ducat uxorem,* ut ap. Martial. VI, 45. 3. *Nubit Lectoria Ligdo* cet. Cf. VI, 366 seq.[10] *Mœvia* quo quacumque muliere impudica. — 23. Mulieres et puellas inde a Domitiani temporibus descendisse in arenam amphitheatri ibique partes gladiatorum egisse, vel inter venatores s. bestiarios cum feris pugnasse, donec a Severo id vetitum, nota res est. Cf. VI, 246 seq.[11] *Aper Tuscus,* epith. ornans, ut *a. Marsus* Horat. Od. I, 1, 28. *nuda mamma,* habitu mulieris, non tam irritantis spectatorum libidinem, quam ritum imitantis *Amazonum,* (quibus læva papilla fuit nudata, et quibus Romanas mulieres comparat Statius Silv. I, 6, 53 seq.) vel potius more venatricum, quarum humerus pectusque dextrum in numis et statuis nudatum conspicitur;[12] nisi malis cum Britan. habitu procumbentis in vulnera feræ, quo mammæ e sinu exseruntur. Historia mythica de *Amazonibus* exponitur in *Creuzer's* Symbolik T. II. 111 seq. 161 seq. — 24. 25. Alii intelligunt *Licinium,* Augusti libertum et tonsorem, alii *Cinnamum* tonsorem, qui mulieris cujusdam muneribus ad equestrem dignitatem pervenit et postremo in Sicilia exsulavit, de quo v. Martial. VII, 63. Ad eumdem certe refer eadem

[10] Brit. et Ach. putant, libidinem simul mulierum notari, quæ, lege Julia in adulteros a Domitiano revocata, mœchis suis, inter quos fuerint et spadones, nupserint, ne supplicio afficerentur. Conf. Martial. V, 76. VI, 2. 7. et 22.

[11] Conf. et Lips. ad Tac. Ann. XV, 32. et Saturn. Scrm. II, 4. Intpp. Suet. Domit. 4. et Ner. 11. Scriver. ad Martial. de Spect. Ep. VI. et VII. et alios, quos laudavit Barth. ad Stat. Silv. I, 6, 53 seq.

[12] v. ad Sil. II, 78. 79. et XII, 714. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 212. 213. Heyne ad Virg. Æ. I, 494. et XI, 649.

verba X, 225. 226. Cf. ad VI, 105. Perperam autem Crispinum innui putabat Dodwell. in Annal. Quintil. p. 180. Ad eum sequentia spectant. *provocet*, cum iis certet. *Provocare* est potius certare cum certissima vincendi spe; Hein. Cf. Gierig. ad Plin. Pan. 51. et Bentl. ad Horat. Sat. I, 4, 14. *Barba gravis*, epith. orn., qualia poetis solennia sunt, pro magna et horrida; unde *sonabat*, quod verbum gravius est, quam *tondenti barba cadebat* ap. Virg. Ecl. I, 29.[13] *Sonabat* non barba, sed culter tonsorius; H. Vales.

26—29. *Crispinus*, a servo forte cujusdam ex infima fæce plebis *Niliacæ* h. e. Ægyptiæ genitus, saltem humili loco natus in Ægypto, sed Domitiano gratissimus et ex servili conditione ad dignitatem censumque equestrem provectus. Si scholiis vett. fides habenda, Ægyptiacum habuit patrem matremque Arabicam, et fuit Ægyptius Alexandrinus, chartapola et unus de Liciniæ consulibus, h. e. comitibus vel consiliariis. Crispinus cartapola (forte χαρτοπάλης) fuit et Ægyptius ex Alexandria, ea præpositura, quam papyri venditores habitabant; Schol. in cod. Schurzfl. Cf. inf. IV, 1—33. 108. 109. et Schott. Obss. V, 35. *Canopus*, opp. Ægypti, ad Canopicum Nili ostium, non longe ab Alexandria, situm, et libidinibus olim luxuque tam feminarum, quam virorum infame.[14] *Tyrias*, purpureas, *humero*

[13] *barba gravis*, molesta et minime grata, qualis solet esse juvenibus; *Brit.* fastidiosa, eo quod imberbes magno in pretio Romæ; *Grang.* qui et verbo *sonabat* alludi credebat ad τρίχας Græcorum παρὰ τὸ τρίζειν dictas, quod inter tondendum stridorem quemdam edant. Grangæo adstipulatur Hein. qui tamen in verbo *sonabat* non argutandum putat.

[14] v. inf. VI, 84. XV, 46. Strab. XVII. p. 800. 1. Senec. Epist. LI. Vlit. ad Grat. Cyneg. v. 43. Ammian. Marcell. XXII. 16. et 41. nos ad Sil. XI, 431. et inpr. Heins. ad Ovid. Amor. II, 13, 7. — Ad verba seqq. hæc notavit Plathnerus: "Indignatur poeta, Crispinum, Ægyptiacum mancipium, turpibus officiis e Virgarum colonia ad equestrem evolasse dignitatem, cujus peculiare ornamentum *annulus aureus*. Servis enim ferreus, plebi vero argenteus. v. Budæus ad L. fin. ff. de senator. Rosin. Antt. Rom. I, 17. Lips. Elect. III, 8. Cuiac. Obss. VII, 14. Illud tamen notes, Libertos, qualis hic Crispinus, impetrato jure aureorum annulorum, non statim equites factos, sed quasi equites, ut loquitur Tac. Ann. XV. Dabatur enim jus annuli aurei *libertis*, ut inquit Godofr. in Rubr. ff. de jure aur. ann., *ditioribus*, i. e. habentibus XL millia in censu. Sed, ut dixi, nec erant perfecti equites, nec ingenui. Liberti enim imaginem tantum ingenuitatis, non vero statum isto capiebant privilegio; quod patet ex L. unica C. ad L. Vissell. et L. II. C. de jure aur. ann. ubi sic: *Diocl. et Maxim. aureorum usus annulorum, principali beneficio tributus libertis, quoad vivunt, imaginem, non statum ingenuitatis præstat.* Cum Impp. sentit Marc. JCtus, qui et ipse l. 33. § 11. de cond. et demonstr. istud beneficium non mutationem induxisse status, sed augmentum honoris saltem attulisse contestatur. Totam autem rem paucis complectitur Ulpianus de Bon. Lib. L. III., quando æmulatos hujusmodi vixisse ut ingenuos, mortuos esse ut libertos adserit." — Ex emendatione Grævii et Scriver. in Crenii Anim. p. 14. *ventilet* (lacernas et assidue sublevet, ut annulos et sardonychatam manum ostendat) *æstivo digitis sudantibus auro* sensum utique aptiorem ad mollitiem Crispini increpandam prodire censet Gurlitt. l. l. in nota 4.

revocante lacernas docte dictum videri potest de Crispino, humeris delapsas iterum colligente lacernas, more hominis novi, qui his vestibus uti nescit: nisi exponere malis cum Gron. Obss. II, 19. humero lacernas adstrictas et religatas fibulis habente. Id arridere potest coll. Sidon. II. 396. *(Fibula mordaci refugas a pectore vestes Dente capit)* et inpr. Claudian. in Rufin. II, 79. *(revocat fulvas in pectore pelles)*, ubi Kœnig hæc adnotavit: " Imaginem euntis potest exprimere, cui pellis, quæ in pectore fibula seu nodo continetur, circum humeros et a tergo pendet: is enim, dum progreditur, pellem quasi *revocat*, trahit post se, præcipue autem, quum equo vehitur. cf. Juven. I, 27." Similiter Claudian. in Eutrop. II, 183. *Post terga reductas Uberibus propior mordebat fibula vestes,* et Prudent. Psychom. 186 seq. *Carbasea ex humeris summo collecta coibat Palla sinu, teretem nectens a pectore nodum* cet. Sed propter seqq. præferenda forte explicatio Ferrarii, qui de Re Vest. IV, 13. monuit, vernulæ objectari *lacernas* sive pænulas *Tyrias,* forte dibaphas, easque leviores et tenuiores, quæ per æstatem delicatulis gestarentur, et quod præterea plures ejusmodi lacernas *revocaverit,* h. e. sæpius mutaverit, ut Zoilus et ipse Crispinus ap. Martial. V, 80, 2. et VIII, 48, 2. *Revocare* tamen hoc sensu dici posse vix crediderim, ceterisque veriora et h. l. aptiora videntur, quæ adnotavit Heinecke: " Mollis humerus, qui lacernas tenuiores levioresque jam proxima æstate et sæpius gestaverat, sed incipiente hyeme deposuerat, nunc, quum rursus æstas est, *revocat* i. e. resumit æstivas. *Revocari* enim dicitur, quod aliquamdiu intermissum ad pristinum morem et usum reducitur. Cf. Ducker ad Suet. Vesp. c. 16." De *lacernis* v. ad IX. 28 seq. — *Ventilet aurum,* annulos aureos (Equitum insigne) de digito detractos in sublime jactet et ita quasi refrigeret. Ita Brit. et alii. Sed *ventilare* forsan h. l. est ultro citroque movere, jactare et ostentare in digitis, quibuscum ita luditur, ut cernantur annuli. *aurum æstivum,* annulos leviores tenuisque bracteæ, quos vir mollis et delicatus sibi faciendos curavit, per æstatem gestandos, (quo sensu *leves annulos* dixit Martial. V, 62, 5.) quoniam ei tum nimis gravia et molesta *majoris pondera gemmæ,* h. e. annuli, (ut inf. v. 68.) cui gemma prægrandis inserta, unde a delicatulis per hyemem gestabatur. Sic *annulus ingens* VII, 140. et contra *levitas æstiva* vestium sericarum dicitur Plinio XXI, 3. vel *æstive viaticatus* Plaut. Men. II, 1, 30. Cf. Barth. Advers. XIII, 13. Kœnig ad Pers. I, 16. Gorlæi Dactyl. p. 10. et 12. Kirchmann. de Ann. c. 17. Turneb. Advers. XX, 2. Græv. Syll. Burm. T. IV. p. 184. et

Böttigeri Sabina p. 292. 293. 412. ed. pr. Vix est quod moneam, singulis fere verbis novum inauditæ mollitiei genus vividisque coloribus adumbrari. Cf. VI, 259 seq. et Ovid. Am. II, 15. 22.

30. Cf. Casaub. ad Pers. I, 12. p. 53. *Scribere me satyram, qui culpat, maxime Princeps, Hanc rogo decernas, aut probet, aut timeat,* Sidon. Ep. I, 12. Conf. Horat. Sat. II, 1. *iniquæ,* flagitiosæ. *ferreus,* sine sensu et affectibus, *gefühllos,* χαλκεοκάρδιος, σιδηρόφρων, cui est ἦτορ χάλκεον et σιδήρειον vel ψυχὴ λιθίνη. Conf. inf. VII, 150. intpp. Horat. Od. I, 3, 9. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 172. — *teneat se,* temperet sibi, quo minus satiras scribat. — 32. *Matho* s. *Mathon, causidicus,* et quidem tam ventosus, quam ventriosus. Olim pauper et mediocris, (v. XI, 34.) propter plurima vitia amicus Neroni factus, si fides habenda Schol. vet. ap. Barth. Advers. XIII, 13. De eo v. inf. VII, 129. XI, 34. Martial. IV, 80. et 81. VII, 9, 3. 4. VIII, 42. X, 46. XI, 69. Illum ex causidico delatorem et hinc divitem factum esse monent Intpp. quod unde habeant, neque ipsi dicunt, neque ego reperire potui. Infra VII, 129. pauperibus causidicis adnumeratur, et quidem iis, qui, ut se plebi, hominum ingenia ac doctrinam ex cultu eorum et magnificentia æstimanti, commendent, simulant se divites esse, et vana opum luxusque ostentatione in magnum æs alienum incidunt. Hinc potius *novam* h. l. *lecticam* stultamque ostentationem talis hominis et imitationem ditiorum non sine bile notari crediderim. *lectica nova,* nuper comparata, cum sale, ut qui antea pedes ambularet, Grang. simpl. *nova,* namque et hinc splendor, Farnab. coll. Martial. II, 57, 6. *Recens sella linteisque lorisque.* 33. *Plena ipso,* propter obesitatem corporis. *delator magni amici,* Imperatoris, ad quem multos, more illorum temporum satis noto, deferebat; (ut *magnæ amicitiæ* IV, 74. et *magnus civis* VI, 559.) nisi malis, qui magnum aliquem amicum sive Cæsaris sive suum, dignitate conspicuum, detulit. Conf. ad VI, 313. Quis vero fuerit delator hic famosus, ignoramus. Quidam designari putant *Heliodorum,* philosophum Stoicum, a quo delati L. Junius Silanus, Massa et Carus, si vet. Schol. fides habenda; alii *Egnatium Celerem* philosophum, qui Baream Soranum, discipulum suum *magnumque amicum,* falso testimonio oppressit, sed ipse postea Vespasiani temporibus, accusante Musonio Rufo, damnatus est; (de quo v. ad III, 116 seq.) alii rectius *M. Regulum,* qui tum temporis omnium bipedum fuit nequissimus, multosque nobiles sub Nerone ac Domitiano accusavit, de quo v. Tac. Hist. IV, 42. Plin. Ep. I, 5. et 20. II, 11. et 20. IV, 2.

et 7. VI, 2. Forte tamen poeta non ad unum aliquem respexit delatorem, sed ad plures, quorum numerus tum in dies fere crescebat, quique non modo ab aliis, sed alter quoque ab altero, timebantur; unde v. 35. *quem Massa timet* cet. et Sidonius Epist. V, 7. *Hi sunt, quos timent etiam qui timentur. — nobilitate comesa,* bonis suis spoliata. *rapturus;* in gratiam Imperatorum, et sui quoque commodi causa: nam delatores in partem prædæ veniebant. *Massa* Bebius vel Bæbius, delator, notissimus ex Tac. Hist. IV, 50. et vita Agric. c. 45. Plin. Ep. III, 4. VI, 29. VII, 33. *Carus,* Metius s. Mettius Carus, eorumdem temporum delator, de quo v. Plin. Ep. I, 5. VII, 19. et 27. Tac. vit. Agric. c. 45. Martial. XII, 25, 5. *quem munere palpat,* delinire conatur, cui blanditur muneribus missis; locutio desumta ab equis, qui *palpari, plaudi* et *mulceri* manibus amant. v. Drak. et nos ad Sil. IV, 264. Hinc et Horat. Serm. II, 1, 20. dixit: *Cui* (Augusto) *male si palpere, recalcitret undique tutus.* Cf. ad VI, 584. — 36. *Latinus,* mimus, gratissimus Domitiano, et *Thymele,* spectatissima mima et saltatrix; de quibus v. VI, 66. VIII, 197. Sueton. Domit. 15. et Martial. I, 5. IX, 29. Mulieri nomen ab arte scenica inditum putant: nam Θυμέλη dicitur pulpitum s. ara theatri, vel hujus pars ad scenam, ubi forte cani et saltari solebat, unde *thymelicum* id. qd. scenicum, de quo v. Sidon. Ep. IX, 13, 2. et Vitruv. V, 8. *submissa,* missa, ut alii putant, ad coitum, ut alii, ut muneribus eum placaret vel facundia vel blanditiis. — Ex docta autem Heinrichii commentatione excerpimus ea, quibus et hic et alii poetæ loci ad mimos scenamque spectantes illustrantur: " Peracuta est Turnebi Advers. XX, 8. observatio. [*Thymele* mima, quæ cum *Latino* sæpe gestum agebat. Mimi igitur argumentum egit cum ea Latinus, in quo cum ea, ut aliena uxore, mœchus pæne deprehendebatur, vel marito de adulterio aliquorum delatione suspectus erat; sed dolosam et astutam mœcham ad maritum allegavit, quæ ei os sublineret et periculo Latinum et crimine eximeret. Id igitur facete Juvenalis ad extremum jacit ex argumento notissimi illa tempestate mimi: quemadmodum Latinus deprecatrice mœcha est usus, sic pro se quosdam ad delatorem placandum deprecatores mittere.] Hæc ille optima cum ratione nec sine elegantia. Sed, quod ejus aciem effugit et necessarium est ad perfectionem sententiæ, h. l. legendum: *ut a trepido Thymele submissa Latino.* Dicit delatorem potentem ac sævum, qui ab aliis delatoribus timetur, quemque ipsum muneribus palpat alius, peræque humiliter et abjecte, quam facit in mimo notissimo adultera, missa ab

adultero, fortasse ad maritum zelotypum. Hunc ipsum vero appellare et adeo enuntiare, ad quem *submitteretur* Mima, non opus erat apud auditores vel lectores, quibus vix verbo commonefactis in re nemini non obvia et præsente nihil ultra dicendum erat. Zelotypum suppono maritum ex re ipsoque mimo et ex variis Satirarum locis. Scilicet lascivia mimorum, quasi legitimo more, in exprimendis adulterorum flagitiis versabatur inprimis. Prodibat ab altera parte *cultus adulter* cum *callida nupta*, ab altera *stultus vir*, qui ludibrio esset adulteræ uxori et quavis ejus astutia deceptus populo cachinnos moveret. v. loc. class. Ovid. Trist. II, 497 seq. Personam mœchi Latinus sustinuit imperatore Domitiano. v. Suet. Dom. c. 15. et Martial. I, 5. Quo pertinet altera mentio *Latini* apud Nostrum Sat. VI, 41—44. *Quid fieri non posse putes — mœchorum notissimus — Quem toties texit perituri cista Latini?* Constat, in his item ad mimum alludi. Addo, ad mimicam eandem actionem, tum maxime conspicuam, quando Latinum, partes adulteri agentem, Thymele sub persona uxoris, marito zelotypo superveniente, in arca inclusum abscondebat. At cista Latini *perituri*, etsi ad sensum apte explicari scio, sic tamen minus grammatice dictum videri debet. Lego itaque: *Quem toties texit perjuri cista Latini.* Scilicet poeta, pro eo more, quo Satiras Virgilianis verbis ac dictionibus, parodiæ instar inversis, sæpe condire solet, Maronianam versus clausulam Æn. II, 195. et V, 811. *(perjurique arte Sinonis* et *perjuræ mœnia Trojæ)* suam fecit. Conf. inf. ad v. 169. Jam igitur ut *mœchum perjurum* egit Latinus, sic aliquando Roscius *improbissimum et perjurissimum lenonem* repræsentaverat in scena teste Cic. pro Rosc. Com. c. 7. Quod genus hominum, turpitudinis vinculo inter se junctum, recte etiam jungitur eadem nota epitheti; et ibidem orator *perjuro castum* opponit, ut appareat, qua illum significatione dictum voluerit intelligi. Quemadmodum autem h. l. Juvenali ludus scenicus obversabatur, ita Horatius idem ludibrium mimi respexit Serm. II, 7, 59—61. Nimirum hoc ipse quoque spectaverat in theatro, et non minus spectatum Romanis sic velut alludendo poterat commemorare. — Adultera, secunda persona, callida mulier atque in technis ac dolis struendis artifex: quæ quum timeret, ne maritus, certior factus, flagitiosam perfidiam acerbe ulciscerctur, illum aggrediebatur blandiendo, ut placaret; aut, si mavis, missa ab adultero ad delatorem, servum vel alium quemcunque, quem blanditiis, donis, gratia, commitigaret. Ceterum ea omnibus modis verba dat miserando capiti, *quumque fefellit amans aliqua novi-*

tate maritum, Plaudilur. Sic Ovid. l. c. — Tertia persona, ridicula præter omnes, zelotypi mariti. Is a Juvenale significatur Sat. VIII, 197. *Zelotypus Thymeles, stupidi collega Corinthi.* Ex quo versu *Corinthum* Mimum, nescio quem, arripiunt interpretes omnes. Imo vero scribendum *Corinthi.* Nam id duntaxat credas, fuisse histrionem haud ignobilem *Corinthium,* gentili nomine. Istis enim ludionibus, ut servis, sæpe nomina a gente indebantur. Sic *Latinus* fuit, sic *Corinthius,* alii. Jam quoniam stupiditatem, fere ut colorem, inducere solebant zelotypiæ, hinc factum, ut in mimo maritus a stupore tanquam proprio nomine appellaretur *stupidus,* Ovidio l. l. *stultus.* Cujus personæ proprium erat *caput rasum,* calvities morionum solemnis. Conf. Arnob. adv. Gentes lib. VII. p. 300. *(delectantur stupidorum capitibus rasis,* ubi v. Des. Herald. p. 416.) et Cyprian. de Spectac. Opp. ed. Amst. p. 4. *(scenæ sales invercundos, agentium strophas, adulterorum fallacias — ipsos quoque patresfamilias togatos, modo stupidos, modo obscœnos.)* Alia multa hanc in rem docta manu collegit Müllerus de ævo Theodos. P. II. c. 9. Hinc et originem traxit antiquum verbum *calvere* et *calvi,* docente Nonio Marc. p. 6. Verbum e vita communi in Jus assumtum. v. Menag. in Juris civ. amœnitatt. p. 264. Duker. de latinit. JCtorum p. 163. et Vales. ad Ammian. XXX, 4. extr. Sed *calvus* morio, μωρὸς φαλακρὸς, quum tantopere in deliciis fuerit, (nam leno quoque in scena φαλακρὸς producebatur et servus; v. Pollux IV, 145. et 150.) scire interest rationem inventi et originem, quam prætermisit Salmas. ad Scriptt. hist. Aug. p. 385. Nimirum res ducta ex fabulis Satyricis Græcorum ac translata a Silenis, quorum in istis conspicua calvities, (v. vel Xenoph. Sympos. IV, 19. ibique Schneid.) ad quoscunque moriones senes et ridicula capita. Conf. Juvenal. V, 171. 172. Stultus ne simul κεφασφόρος prodire in conspectum deberet, et ipsi Sileni effecerunt, utpote plane expertes talis vel oneris vel ornatus: quanquam in vita communi istius generis κέρατα jam apud veteres vigebant. v. Artemid. Oneirocr. II, 12. p. 155. Reiff. Jacobs ad Lucilii Epigr. IX. Animadv. II, 2. pag. 444. Huschke in Anal. crit. p. 168. et Henelius Otii Vratislav. c. 47. Colaphorum alaparumque injuriis nihil frequentius in mimo, atque istarum omnino valde consuetus in ludis mimicis abusus fuit. Cf. Juvenal. Sat. VIII, 192. Hac scurrilitate multis variisque modis utebantur planipedes ad populi spectantis delectationem. Nonnulla ad rem apte notavit Müller. l. c. p. 92. Discernenda autem hujus ignominiæ duplex ratio, una κονδύλους ἐντρίψαι, altera κατὰ κόρρης πατάξαι. De illa

v. Toll. ad Longin. pag. 232. de hac. Harpocrat. Lex. Oratt. sub ἐπὶ κόρρης et Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 493. Bip. Genus utrumque in scena frequentatum effusissimos in subselliis risus ciebat, quando aut stultus alapis os præbebat, aut ipsa Mima colaphis indigne pertundebatur. Recens exemplum rei vetustæ ap. Procop. Anecdot. Alemann. p. 42. de Theodora, ista famosa Imperatrice, antea inter Mimos turpissima prostibula, neque tamen minus egregie in scena faceta: καὶ τοιαύτη τις ἦν, οἵα ῥαπιζομένη μέν τε καὶ κατὰ κόρρης παταγουμένη χαριεντίζειν τε καὶ μέγιστα ἀνακαγχάζειν. Notanda Mimæ festivitas, alapas salse jocando, interdum et fuse ridendo, excipientis. — Sed mimicæ actionis, qualem mente informamus, restat quarta denique persona, servus, flagitiorum, puto, conscius ac promptum sese dominæ ministrum præbens. Colligere id licet ex Capitol. in M. Anton. sub fin. p. 34. D. Salmas." Hæc Heinr., probabiliora, quam quæ h. l. disputarunt interpretes.[15] Vir autem doctus in Jen. Allg. Lit. Zeit. a. 1810. N. 285. p. 480. suspicatur, *Thymelen* fuisse nomen usitatum in familiis artificum theatralium, vel curatorum apum fictorumve cerearіorum, a θύμον, odora apum herba, et ἑλεῖν, *capere*, deducendum, quum certe *Frutina Thymele* (qu. *fruens thymo* vel *in thymo delicians)* in Inscr. ap. Gruter. T. II. p. 1010. n. 2. ed. Græv. aram dicasse dicatur *M. D. M.* (forsan *Mellonæ Divæ Matri) Cerariæ*, quam Augustinus de civ. Dei apum deam fuisse tradat.

37. *submoveant* justa hereditate. Cf. Lucian. in Timone c. 22. *noctibus*, nocturno coitu, concubitu; unde *noctem orare, promittere, negare, pacisci.*[16] *evehit in cœlum,* ad summam opulentiam, dignitatem et felicitatem. *optima summi nunc via processus,* nunc optima vel facillima, brevissima et tutissima via ad summam felicitatem, nisi malis, ad consulatum, summum honorem, *vesica vetulæ beatæ,* amor anus vel viduarum divitum; quas lucri causa sectabantur multi. Cf. ad IV, 4. *Processus,* felix eventus, fortuna: sed *procedere* etiam proprie dicitur solennis Consulum pompa, qua primo initi magistratus die ex ædibus suis in Capitolium deducebantur.[17] Census autem, ut

[15] Vulgo putant, poetam ostendere, ne homines quidem gratos Imperatori, qualis Latinus fuerit mimus, tutos fuisse a delationibus, et ab eo clam fuisse missam mulierem aut uxorem ad delatorem placandum vel muneribus, vel facundia, (unde *Thymele*) vel stupro. Ita quoque Ziegler de mimis Rom. p. 73.

[16] Cf. Drak. et nos ad Sil. II, 503. III, 429. XI, 183.

[17] Cf. Drakenb. et nos ad Sil. VI, 444. et inpr. Eckhel doctrin. numorum vett. P. II. Vol. VIII. p. 335 seq. ubi de *processibus consulum* doctissime agitur. Eo sensu vocem hanc cepit præter me Gurlitt in Animadv. ad Auct. vett. Spec.

Ovidii verbis utar, dat honores. *vesica,* pudenda mulierum, cunnus, ut κύστις et κύστη, v. c. ap. Aristoph. Lysistr. 956. *beatæ,* divitis, ut εὐδαίμων, μακάριος, μάκαρ. Hesiod. Ἔργ. 549. al.[18] — 40—44. Cf. Var. Lect. Assis partes sunt *uncia, sextans, quadrans, triens, quincunx, semis, septunx, bessis, dodrans, dextans, deunx,* et, quum percommoda esset in computationibus totius in XII partes distributio, etiam aliæ res, inpr. hereditates, ad assis modum dividebantur; unde *heres ex asse,* cui tota hereditas, *ex uncia,* cui duodecima ejus pars, *ex unciola,* cui ne hæc quidem tota, *ex deunce,* cui undecim ejus partes obveniebant. *Proculeius* male et *Gillo* bene mentulatus; adulteri, sed ignoti. Proculeius certe non est idem, cujus VII, 94. mentio fit, neque etiam, quod Almelov. putabat, ille, ad quem exstant Cic. Epist. ad Div. XIII, 30 seq. *mercedem sanguinis,* pretium delationis capitalis *accipiat* a Domitiano; H. Vales. Immo *mercedem sanguinis,* coitu exhausti, vel (ut jam notarunt Gurlitt loco laud. sup. in nota 4. et Barth. ad Grat. Cyneg. 166. et ad Nemes. Cyneg. 127. 260.) seminis, quod ex digestione sanguinis gignitur, profusi et amissi, roborisque adeo corporis debilitati. 43. *Palleat,* debilitatus intemperato coitu et decoloratus, *ut nudis — anguem,* pallet metu ictus, et *rhetor L. d. ad aram* metu ignominiæ et pœnæ, si displicuisset Caligulæ; de quo v. mox ad v. 44. *ut nudis pressit qui calcibus anguem,* imitatio Virg. Æn. II, 379 seq. et Ovid. Fast. II, 341. vel potius Homeri Il. III, 33 seq. — 44. Commentarii instar sunt verba Suet. Calig. c. 20. *Caligula instituit in Gallia, Lugduni, certamen Græcæ Latinæque facundiæ, quo ferunt victoribus præmia victos contulisse, eorumdem et laudes componere coactos: eos autem, qui maxime displicuissent, scripta sua spongia linguave delere jussos, nisi ferulis objurgari aut flumine proximo mergi maluissent.* Lugduni etiam *ara* fuit, ad confluentem Araris et Rhodani, (ubi nunc est abbatia Asnay) Augusto dedicata. v. Dio LIV. Epit. Liv. 137. Strab. IV. Suet. Claud. c. 2. et quos Gurlitt l. c. laudavit, Scalig. Poet. I, 34. Lips. Epist. Quæst. II, 21. et Goltz. numism. Jul. Cæs. p. 74. *rhetor* h. l. orator, ut passim.

45 seq. Quis non indignatione ad satiras scribendas excitetur, quum tot improbos grassari, tot vitia et scelera vigere videat? Ex illis me-

II. Magdeb. 1801. p. 68. qui error jocularis videtur Heineckio, quia toto h. l. sermo sit de hereditatibus et consulatum jure hereditatis accipere non liceat. Id quidem nemo vel contendet, vel ex hac interpretatione colliget. Hereditatibus vero facillime acquiruntur divitiæ et his via ad summos panditur honores.

[18] Cf. inf. v. 67. et VI, 204. Heins. ad Ovid. Amor. I, 15, 34. Cuperi Obss. III, 1. Drak. et nos ad Sil. I. 609.

morantur primum expilatores et singulorum hominum et oppidorum provinciarumque. *Jecur ira* vel *bile ardere, fervere, uri, tumere,* dicitur: nam gravi ira acerrimus excitatur motus ebullientis sanguinis et potissimum oleosarum ejus partium, a quibus bilis in jecinore secernitur, quo fit, ut jecur extendatur et bilis largius ex eo effluat. Hinc et ortæ loquendi formulæ: *rabie corda tument, iram coquere, esse in fermento,* חמי, οἰδάνεται κραδίη χόλῳ, πέπτειν s. πέσσειν χόλον et κήδεα, φλεγμαίνειν ὑπὸ χολῆς. Cuivis vero affectui propria fere sedes adsignabatur, iracundiæ in felle aut corde et pectore, (v. ad XIII, 181.) gaudio in splene, amori in hepate, libidini in lumbis, omnibus, at præcipue libidini et *iræ,* in *jecinore,* sanguinis officina.[19] — 46. Tutor *pupillum* aut *potius pupillam* (cf. Var. Lect.) omnibus exuit bonis, quo fit, ut hæc *prostet,* (v. ad VI, 123.) corpore quæstum facere paupertate cogatur, ille vero, alienis pecuniis locupletatus, tanta per urbem pompa incedat totque clientibus vel servis stipatus lectica gestetur, ut populum *premat* et urgeat. *gregibus comitum,* ut *grex togatus* ap. Martial. II, 57. 5. *Comites* h. l. non tam servi, quam, ut inf. v. 119., clientes, qui officium patronis præstabant non tantum salutando et occurrendo, sed etiam deducendo et comitando, unde et præcedere et lateri hærere et subsequi solebant.[20]

47—50. *Marius* Priscus, Proconsul Africæ, provinciam expilaverat et ob innocentes tam condemnandos, quam interficiendos, a solo Martiano septingenta millia acceperat. Quum itaque ab Afris, quorum causam agebat Plinius junior, a. U. c. 853. repetundarum accusaretur; Cornutus Tertullus Cos. designatus, in cujus sententiam plerique senatores discedebant, hanc pecuniam ærario inferendam et Mario Urbe Italiaque interdicendum censebat. Cf. VIII, 95 seq. 120 seq. et inpr. Plin. Ep. II, 11. et 12. *Judicium* igitur hoc non modo iniquum fuit, sed etiam *inane,* quod neque provincialibus quidquam profuit, quoniam pecunia repetita ipsis non reddita est, sed in ærarium delata; (unde mox *victrix provincia ploras*) neque Mario multum nocuit pœnamque, quam meruerat, irrogavit: is enim *infamiam,* damnatione et exsilio sibi adspersam, nihil curabat, quia non omnem, qua spoliaverat provinciales, pecuniam iis restituere

[19] Cf. ad III, 188. VI, 314. 648. VII, 117. XIII, 14. 181. 182. Jani et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 13, 4. Kœppen ad Hom. Il. A, 81. I, 550. Kœnig ad Pers. I, 12. II, 13. V, 129. et ad Claudian. VIII, 249. et nos ad Sil. II, 327. 626.

[20] Cf. VV. DD. ad Plin. Paneg. c. 76. et Wernsdorf Poet. Lat. Min. Vol. IV. p. 257. et 259.

coactus erat, sed tantam ejus retinuerat summam, ut nunc lautius in exsilio, quam olim Romæ, vivere posset. 49. *ab octava* hora *bibit:* nam Romæ heluones, non homines frugi et laboriosi, jam ante nonam horam cœnare solebant. Cf. Martial. IV, 8, 6. Horat. Epist. I, 7, 70. 71. et inf. ad VI, 418. et XI, 204 seq. *fruitur diis iratis,* gaudet ira deorum, h. e. damnatione, qua scilicet a rebus gerendis negotiisque publicis remotus, et tantum otii nactus est, ut genio suo magis quam antea indulgere possit. Bene comparant verba Junonis de Hercule ap. Senec. in Herc. Fur. 34. *Superat et crescit malis iraque nostra fruitur, in laudes suas mea vertit odia.*[21] Similiter Persius II, 68. dixit: *peccat: vitio tamen utitur.* Iræ autem deorum tribui et ab ea repeti, quidquid mali atque adversi contingat hominibus, ut bona a *diis propitiis,* vix est quod moneam.[22] *victrix,* verbum forense, ut *victor, vincere judicio, vincere causam;* Grang. 51. *lucerna Venusina,* satira, quales Horatius composuit, vel satiris Horatianis, studio et lucubrationibus Horatii, qui satiras scripsit cujusque patria fuit *Venusia* s. *Venusium,* opp. in confinio Lucaniæ et Apuliæ situm. 52. *agitem,* insecter, perstringam, notem; vel simpl. persequar, pertractem. *Sed quid,* cur, (ut τί pro διατί) scil. agitem, *magis Heracleas,* Ἡρακλείας fabulas, *aut Diomedeas* cet., quomodo magis conveniat scribere fabulas de Hercule, Diomede cet., quæ satis notæ sunt, et a poetis, tam optimis quam pessimis, pertractari solent? Nonne multo utilius est, satiras scribere, quam hæc fabulosa persequi et repetere? Cf. sup. v. 7—14. *mugitum Labyrinthi,* fabulam de Theseo et Minotauro, in labyrintho incluso et mugiente; de quo v. Heyne ad Apollod. III, 1, 4. 15, 8. et 9. De *labyrintho* tam Ægyptiaco quam Cretensi v. Creuzer's Symbolik T. I. p. 320 seq. IV, 115 seq. *marc percussum puero,* fabulam de Icaro, Dædali filio, altius volante et in mare Icarium decidente, quæ vel tironibus nota est ex Ovid. Met. VIII, 195 seq. ubi et de *fabro volante,* h. e. Dædalo, summo artifice, agitur, qui proprie non alarum, sed velorum usu, quem primus invenit, per mediam Minois classem incolumis aufugit. De ejus artibus operibusque v. Heyne ad Apollodor. III, 15, 9.

55—57. En summam morum turpitudinem! *Leno* est ipse mari-

[21] Cf. ibi Gronov. (qui verba nostra sic interpretatur: mollius et lautius vivit, quia deos habuit iratos, quum damnaretur) et, quos Hein. laudavit, Schwarz et Gierig ad Plin. Paneg. c. 34.

[22] Grangæus comma post *bibit* delendum putabat jungebatque: *bibit et fruitur,* h. e. edit, *diis iratis,* non sine deorum indignatione. Donatus, ab eo laudatus, ad Terent. Eunuch. IV, 7. extr. *Frui,* ait, *proprie est vesci, a fruimne, quæ est summa pars gulæ.*

tus, qui cupidus pecuniæ pudicitiam uxoris suæ vendit et, mœcho cum ea concumbente, vel sursum spectat, vel vigilans stertit, velut ebrius *ad calicem*, h. e. altum somnum simulat, ut Cipius vel Cepius ille παραβέγχων, de quo v. Erasm. et Fest. in proverbio, *non omnibus dormio*. *Doctus spectare lacunar*, ut fere *tectum intuentes* ap. Quintil. II, 11, 4. ubi Spalding hæc notavit: " Nihil aliud significari puto, quam desidem nihil agentis, neque in certam rem animum intendentis, gestum, qualis solet esse eorum, qui, quum acriter videntur aliquid intueri, ne cogitant quidem de eo, quod cummaxime spectant. Eodem redeunt Juvenalis verba. Simulat enim jucundus iste maritus et uxori commodus, se, nescio quid nugarum agitantem totumque in illis, quæ fiant, non adtendere; quamquam id quoque, quod *sursum* spectat, magis eum avertit ab iis, quæ *humi* peraguntur." Cf. ad VI, 140. 141. Jacobs ad Anthol. Gr. T. II. P. II. p. 350. Ovid. Amor. II, 5, 13. 14. Alciat. Parerg. jur. IV, 26. Sueton. Aug. 69. et Horat. Od. III, 6, 29 seq. ubi ab Acrone laudantur Parmenionis verba: Αὐτῷ τις γήμας πιθανὴν τῷ γείτονι ἐγγχει, Καὶ τρέφεται· τοῦτ' ἦν εὔκολος ἐργασία. Μὴ πλεῖν, μὴ σκάπτειν, ἀλλ' εὐστομάχως ἀποβέγχειν, Ἀλλοτρίῳ δαπάνῃ πλούσια βοσκόμενον. Henninius putabat, Plutarchum nobis explicare, quis sit ille leno maritus, ex cujus Erotico p. m. 1352. (ed. Reisk. T. IX. p. 45.) hæc excerpsit: Πολλοὶ Ἀφροδισίων ἑτέροις ἐκοινώνησαν, οὐ μόνον ἑταίρας, ἀλλὰ καὶ γαμετὰς προσαγωγεύοντες· ὥσπερ καὶ ὁ Ῥωμαῖος ἐκεῖνος, ὦ ἑταῖρε, Κάλβας (al. Κάββας, ut inf. V, 4. Schol. *Gabba* pro *Galba*) εἰστία Μαικήναν, ὡς ἔοικεν, εἶτα ὁρῶν διαπληκτιζόμενον ἀπὸ νευμάτων πρὸς τὸ γύναιον, ἀπέκλινεν ἡσυχῇ τὴν κεφαλήν, ὡς δὴ καθεύδων· ἐν τούτῳ δὲ τῶν οἰκετῶν τινὸς προσδραμόντος ἔξωθεν τῇ τραπέζῃ, καὶ τὸν οἶνον ὑφαιρουμένου διαβλέψας, Κακόδαιμον, εἶπεν, οὐκ οἶσθα, ὅτι μόνῳ Μαικήνᾳ καθεύδω; Τοῦτο μὲν οὖν ἴσως οὐ δεινόν ἐστιν· ἦν γὰρ ὁ Κάλβας γελωτοποιός. *Leno accipit mœchi bona*: si uxor ejus jure impediatur adultero succedere, ipse maritus leno succedit adultero heres, ut per fideicommissum res adulteri ad adulteram veniant; Schol. Ita fraudem legi factam putant, quia Domitianus, teste Sueton. c. 8., *probrosis feminis lecticæ usum ademerit jusque capiendi legata hereditatesque*; quo referunt h. l. verba *mœchi bona capiendi jus nullum uxori*. Sed hac interpretatione Jus ipsum et sententiam poetæ vanis erroribus implicari, docet Heinrich, qui, adjutus commoda admonitione Crameri, JCti eruditissimi, ita disputat: " Probrosa igitur hæc uxor, indeque illi *capiendi jus nullum*. Quasi vero omnis femina statim de jure legitimo probrosa esset, quæ probrum meruit turpitudine! Quin potius, quum de occultis rebus

Prætor judicet non magis, quam ecclesia, uxor legitime probrosa non est, quæ peccat clam judice, conscio marito, et adeo istud turpe uxorum vulgus, quod hic Satiræ aculeis poeta insectatur, edicto Imperatoris haudquaquam esse poterat obnoxium. Neque omnino verius isto est alterum, quod Scholiastes narrat de fideicommisso, per quod nempe bona adulteri hereditate venissent ad adulteram. Nam postea-quam Augustus primus in fideicommissis jusserat, Consules auctoritatem suam interponere, conversumque id paulatim erat in assiduam jurisdictionem, ut Prætor etiam proprius crearetur, qui de fideicommissis jus diceret, fideicommissarius appellatus : (v. Institutt. l. II. tit. 23. § 1.) nec fideicommisso uxor heres poterat institui, nisi quam directe licebat instituere. Si talis uxor fuit, quæ non jure hereditatem posset capere, frustra plane fuisset, quæ de fideicommisso voluisset postulare maritum, si forsan, facto posthac divortio, negaret, redditurum se hereditatem. Contra ea longe est alia Juris ratio atque diversa mens Satirici. *Bona accipere* est, heredem ex asse fieri : neque sine vi singulari et delectu positum videtur *accipere*, quod mox *capere*, ea aliqua differentia, ut qualicunque modo *accipiamus*, quod honeste *capere* non possumus. v. Gesner. ad Plin. Pan. LXI, 5. Jam vero, quæ ex lege testamentaria Voconia ab omni hereditate exclusæ erant, mulieres non magis scribi ex asse secundum Papiam Poppæam poterant, nisi jus liberorum haberent ; sed mariti scribi poterant, vel solitarii. v. Heinecc. ad leg. Pap.-Popp. p. 291. 293. Maritus igitur leno, solidæ avidus hereditatis, nunc lubens indulget adulterio, ut, quum uxor bona mœchi capiendi jus non habeat eaque heres scribi non possit, scribatur ipse, quippe concessa adultero licentia, qui ipsum solitarium faceret. Propter rem conf. Schulting. in Jurisprud. Ante-Justin. p. 606. ad Ulpiani Tit. XIII. Quin optime Juvenalis suum ipse sensum illustrat Sat. IX, 82. seq., inpr. verbis mœchi ad virum, cujus uxorem fecerat gravidam, v. 87. 88. Nihil autem refert in omni hoc negotio, ut per fideicommissum ad solam uxorem veniat hereditas ; quandoquidem id tantum agit nobile par conjugum, ut parta communiter præda communiter etiam perfruatur." 56. *Lacunar*, tectum triclinii cælatum aut pictum, e tabulis ligneis ; de quo v. Ernesti clav. Cicer.

58 seq. *curam*, præfecturam, *cohortis*, cohortium prætorianarum ; munus præfecti prætorio. Scholiastes vetus accipiebat de tribunatu militum, de quo v. Lips. de Mil. Rom. II, 9. ubi non male suspicatur, post Polybium, sociis jam admissis in legiones, numerum Tribu-

norum militarium auctum esse, et decem legionis cohortibus totidem præfuisse tribunos. *Tribuni* certe *cohortium* memorantur a Cæs. B. C. II, 20. et Plin. Epist. III, 9, 18. Cf. inf. X, 94. *bona donavit,* insumsit, impendit, *præsepibus,* equis alendis. (lupanaribus, judice Plathnero.) *caret omni majorum censu,* quia eum dilapidavit. Alii Tigellinum, alii vero Cornelium Fuscum intelligi, et alterutrum quoque ficto *Damasippi* nomine VIII, 185. designari suspicantur. De Tigellino v. inf. ad v. 155. de Fusco ad IV, 112. In gratiam Neronis multos nobilium aurigandi studio captos fuisse, haud ignoro: sed Fuscum puerum ei aurigæ officium præstitisse, *(lora tenuisse* v. 61.) quod Britann. et alii monent, nullibi legere memini.[23] 60. Nota Hein. est: " Verba *dum pervolat axe c. F.* refert Brit. ad proxime antecedentia, ut hoc dicatur: consumpsit bona sua, dum in gratiam Neronis aurigat. Sed vix puto, Tigellinum, aut quisquis intelligendus est, si Neroni officium aurigæ præstitit, id suo ære fecisse. Suspicor potius, sensum h. l. esse: Quum is, *qui bona censu,* i. e. qui bona omnia dilapidavit, præfecturam Prætorianorum speret, *dum pervolat* cet., quia Imperatoris auriga est. Talem constructionem non inauditam esse, docent intpp. ad Tac. Ann. I, 7." *pervolat axe,* curru, *citato,* ut fere ap. Virg. Ge. III, 107. *Flaminiam* viam, omnium antiquissimam et celeberrimam, Roma per Etruriam Arimino tenus a C. Flaminio Censore A. U. DXXXIII. perductam, (Strab. V. p. 333.) et ab Augusto munitam: (Sueton. c. 30.) a qua diversa est alia, quam C. Flaminius Consul a Bononia ad Arretium stravit, teste Liv. XXXIX, 2. *puer Automedon,* Fuscus, vel alius (nescio quis?) auriga Neronis, ut Automedon ἡνίοχος Achillis, de quo v. Homer. Il. π, 145 seq. ϱ, 429 seq. 459—537. τ, 395 seq. Virg. Æn. II, 477. et al. Pro quovis etiam auriga *Automedontis* nomine utitur Cic. pro Rosc. Am. c. 35. 62. *Ipse* Nero: nam *ipse,* ut *ille* v. 97. et αὐτὸς et ἐκεῖνος, sæpe auctoritatis, honoris et reverentiæ significationem habet, et hinc exquisite ita *magister* dicitur, quum discipulus, (unde illud Pythagoreorum αὐτὸς ἔφα) *dominus,* quum servus, *imperator,* quum miles loquitur, *patronus,* si de clientibus, *animus,* si de corpore agitur, *Imperator* e. s. p. ubi ex oppositione intelligi potest, ad quod referatur.[24] *Jactare se*

[23] Plathnerus putabat, poetam h. l. in ambiguo ludere, et *præsepia* esse lupanaria, ut ap. Cic. in Pis. 18. et Claud. in Eutrop. I, 68. Sic etiam φάτνη ap. Ælian. et *stabula* ap. Claud. l. c. v. 61. Cic. Phil. II, 28. et Plaut. Pœn. I, 2, 56. Eodem referebat Plathner. *bipedem asellum* inf. IX, 92. Idem arrisit Dousæ (in Præcid. ad Petron. III, 8.) et Hein.

[24] Cf. ad V, 30. Ernesti ad Cic. N. D. I, 5. et Tac. Ann. XV, 71. Schol. ad

amicæ, quod jam Casaub. ad Pers. IV, 15. monuit, est fere Græcorum ὡραΐζεσθαι et καλλωπίζεσθαι, vel translatum a pavonibus, qui, quum picta pandunt spectacula cauda collumque incurvant, creduntur jactare se feminis easque voce sua ad Venerem tum illicere. Conf. ad Liv. III, 1. not. 3. Britann. et alii *jactare se alicui* dici putant pro, se ipsum illi dare, ingerere, insinuare, adeoque h. l. per multa lasciviæ blandimenta comitari amicam et sæpe osculari vel amplecti. *Lacerna*, habitus virilis, non muliebris; unde *amica lacernata* per ludibrium dicitur puer vel vir, qui amicæ loco habetur, ac si quis *amicam masculam* sive *bracatam* vocaret; ut fere *sponsæ turpes* inf. v. 78. Significatur enim Sporus, quem puerum Nero, teste Suet. c. 28., *exsectis testibus, etiam in muliebrem naturam transfigurare conatus est, atque cum dote et flameo, nuptiarum celeberrimo officio, deductum ad se, pro uxore habuit: quemque, Augustarum ornamentis excultum lecticaque vectum, et circa conventus mercatusque Græciæ ac mox Romæ circa Sigillaria comitatus est identidem exosculans.* Cf. ad v. 78.

63. *Nonne libet*, impetus mihi sit scribendi et prurigo, nonne cupiam, *ceras*, tabulas ceratas, *capaces*, quæ multa capiant, h. e. amplas, *implere* versibus, carmine satirico, in *medio quadrivio*, in ipsa via, ubi hujus carminis materia occurrit, et quidem in quadrivio, ubi quatuor viæ concurrunt adeoque plura eo carmine digna, et ab omni parte, sub adspectum veniunt. Ibi itaque summus etiam scribendi impetus oboritur summaque ira et indignatio, quæ defervescunt domi, ubi memoria repetimus, quæ oculi viderunt, et ex tam multis jam quædam animo effluxerunt. Grangæus verba *in quadrivio* exponit: palam, sine ullo timore edicti Domitiani, quo scripta famosa abolevit. Rectissima hæc videntur Heineckio, illa vero aliena. Judicent acutiores!

64. 65. Lecticam et sellam, et quidem laxiorem, ditiorum ac potentiorum, ferebant servi (lecticarii) plerumque *sex*, nonnumquam octo: unde illa *hexaphoros*, (Mart. II, 81. IV, 51, 2.) hæc *octophoros* dicebatur. Minutam et arctam, tenuiorum, vel duo servi portabant; de quo v. IX, 142 seq. Cf. Lips. Elector. I, 19. et Böttigeri Sabina c. 8. p. 427. 428. 443 seq. ed. pr. *Hinc atque inde patens signator,*

Arist. Nub. 195. Casaub. ad Theophr. Char. II. Fischer Ind. Theophr. v. αὐτὸς, Bach. ad Xenoph. Œcon. p. 14. Menag. ad Diogen. Laert. VIII, 46. Alberti Pericul. Crit. p. 2. Westerhov. ad Terent. Andr. II, 2, 23. Valkenar. ad Theocrit. III, 38. Kuster. ad Aristoph. Plut. 195. 219. Burm. ad Val. Fl. III. 150. et Ovid. Trist. V, 1, 45. Wernsdorf ad Calpurn. I, 46.

proprie sella vel lectica, quoniam aperta est, non tecta. Britannicus hominem, qui ab utraque parte conspici possit, quum solus sit in lectica, designari, idque delicati esse et luxuriosi, putabat. *Cathedra,* ut *καθέδρα,* h. l. simpl. sella, et delicatorum; nam proprie sella erat mulierum, et quidem sublimior, (species θρόνου, quæ δίφρακ dicitur Theocr. XIV, 41. ubi v. scholia) in qua sedebant et nonnumquam gestabantur, dorsum acclinantes fulcris affabre factis et brachia cubitosve reponentes in aliis fulcris, quæ etiam scribentibus pulpitorum instar erant. Conf. ad VI, 91. IX, 52. Martial. III, 62, 7. IV, 79. Plin. XVI, 37. s. 68. Burm. et Schwabe ad Phædr. III, 8, 4. Passerat. ad Prop. IV, 5, 37. Scheffer de re vehic. II, 4. p. 64 seq. et Böttiger in Sabina p. 4. 29. 30. 66. ed. pr. Lecticis sellisque vehebantur nobiliores Romani, pilentis et carpentis solæ Vestales et Augustæ. *Lecticas* et *sellas* earumque *pluteos,* quibus capita acclinabantur, *(lehne)* quatuor *pedes* et *cervicalia* (non *asseres* immissos, quibus gestabantur) expressa vide in Böttigeri Sabina Sc. VIII. Tab. XII. Sellam a lectica *(tragesessel, tragbarem lotterbett, palankin)* ita diversam fuisse suspicabatur Lipsius l. l., ut illa ad sedendum, hæc ad jacendum aptior et in illa *cervical* tantum, ad caput reclinandum, (v. ad VI, 353.) in hac vero lectus fuerit.[25] Idem monet, ante Claudium Imp. semper lecticæ, et post eum plerumque sellæ mentionem fieri. *nuda,* non tecta, sed aperta; quod h. l. non civilitatis, (ut ap. Sueton. Aug. c. 53. et al.) sed superbiæ et impudentiæ indicium est. *Clausa sella* memoratur inf. v. 124. Sellæ vel lecticæ apertæ forma (ut verbis Lipsii l. l. utar) simplex, asseres aliquot compacti, qui capere pulvinum oblongum possent, in quo homo porrectus jaceret, (cf. ad III, 245. et VII, 132. ubi *asser* pro ipsa lectica) et pedes quidam breviores, quibus lectica deposita insisteret: eadem omnia in lectica tecta, nisi quod hæc majorum deliciarum fuit contraque adspectum hominum sive injurias aëris clausa undique ac munita, et quidem pellibus atque velis, (s. plagulis, quæ dimoveri poterant) ad fenestras oppansis.[26] — 66. *multum referens,* exprimens, imitans, *de Mæcenate,* h. e. ei simillimus; ut fere ap. Virg. Æn. IV, 329. X, 766. Tac. Germ. 43. et al. *Supinus* et *resupinus* dicitur, qui vel supine jacet

[25] Cf. Wernsdorf. ad Calpurn. Ecl. VII, 27. in Poet. Lat. min. T. II. p. 166. Scheffer de re veh. II, 4. p. 75. intpp. Phædr. III, 8, 4. Böttigeri Sabina l. l. et not. seq.

[26] Cf. III, 242. et IV, 21. Drak. ad Liv. XXXIX, 6. Ernesti ad Suet. Tib. 64. Lips. Elect. I, 19. Scheffer de re veh. II, 4. p. 77. II, 5. p. 89. Gruter. Inscriptt. CCCVI, 1. et DCCCCLIV, 8. et Böttiger l. l.

aut in lecto jacere amat, adeoque tum socors, otiosus et negligens, (ut ap. Quinctil. V, 12, 10. X, 2, 17. XI, 3. al.) tum delicatus et mollis, vel qui supinus incedit, erecto corpore et oculis cœlum intuentibus, adeoque superbus. *Supina cathedra* Plin. XVI, 37. *deliciæ supiniores* Martial. II, 6, 13. *Supinus Mœcenas* h. l. dicitur, ut XII, 39. *tener M.* et ap. Vellei. I, 88. *Mœcenas otio et mollitiis pæne ultra feminam fluens.* De mollitie ejus in habitu, oratione et tota vita v. Senec. Ep. XIX. CI. CXIV. et CXX. Quintil. X, 4. Plin. XIV, 6.[27] *Signatores* testamentis aut causis signacula imponebant, aut subscribebant; et illos septem esse oportebat, qui tamen omnes, ut tradit Justinianus, poterant uno annulo signare testamentum; Brit. *falso* h. l. non est adverb. sed *falsum* in jure Rom. dicebatur corruptio, inpr. testamenti, et notissima lex Cornelia de *falsis*, adversus *falsarios* lata. Cf. Var. Lect. *Lautus*, qui laute, delicate et magnifice vivit. *Beatus*, dives. v. ad v. 39. *Exiguis tabulis*, compendiosa et brevi opera falsas testamentorum tabulas condendi; vel potius, paucis verbis scriptis, quum falsarius se heredem ex asse scripserit; Farnab. Sic inf. XII, 125. *omnia soli Forsan Pacuvio breviter dabit.* *gemma uda*, annulo signatorio, cui gemma est inserta, et qui saliva humectatus imprimitur ceræ, ne eam ad se trahat.[28] Nota H. Valesii est: Ex Festo Paullus docet, adulterina signa dici alienis annulis facta; ergo *gemmâ udâ*, ut obliterato hujus signo alterius annuli gemma tabulæ suppositivæ obsignarentur. — 69. *Calenum* vinum Campanum, a *Caleno* s. *Calibus*, Campaniæ oppido, sic dictum, pro quovis generoso. Conf. Athen. I, 21. (48) p. 27. et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 20, 9. Ei tamen, ut et Cæcubo, sua ætate nullum amplius honorem fuisse dicit Plin. XIV, 6. *molle*, scil. vetustate, vetustum, vel quod vini novitii acritudinem exuit, mite, lene, ut *durum*

[27] *Supini* et *resupini*, quod Casaub. ad Pers. I, 129. observavit, vocantur arrogantes, qui superbia inflati ingrediuntur adeo erecto corpore atque ὑψαύχενες, ut in cœlos oculi eorum ferantur non multo secus ac resupinatorum, quod Gr. σοβεῖν, ὑψαυχεῖν et ἐξυπτιάζειν dicitur. Cf. Martial. V, 8, 10. et Sen. de Ben. II, 13. Ovid. Met. VI, 275. Sen. Ep. 80. Henninius monet, forte et hoc vitium, seu naturale, seu adscititium, Mæcenati fuisse. Sed mollities ejus et minus dubia, et huic loco aptior est. Gurlitt (v. not. 4.) hæc adnotavit: "*Supinus jacere* solet ignavus, negligens, *supinus incedere* amat vel mollis et delicatus, vel superbus. Hinc factum, ut illud vocabulum ad tres notiones per se diversas, *ignaviæ* dico, *mollitiei delicatulæ* et *superbiæ*, exprimendas adhiberetur. Catull. XVII, 25. *animus supinus* est ignavus et negligens. Recte quoque Casaub. ad Suet. Aug. 16. Antonium Octavio *ignaviam* exprobrasse monuit, quum diceret *supinum*, cœlum intuentem, stupidum cubuisse."

[28] Cf. inf. ad XIII, 139. XIV, 132. et, quem Grang. laudavit Ovid. Amor. II, 15, 15 seq. Trist. V, 4. 5. 6. et ex Ponto II, 9, 69.

vinum dicitur acre vel austerum. Sic et οἶνος μαλακὸς et contra σκληρὸς ap. Athen. et Theophr. [29] *rubetam,* ranam, a rubis et vepribus, in quibus degit, ita dictam et venenatam; unde h. l. et inf. VI, 659. pro veneno ponitur. Conf. III, 44. Plin. VIII, 31. XXV, 10. et de veneno rubetarum tam sumto, quam afflatu indito, Ælian. hist. anim. XVII, 12. et Plin. VIII, 31. XXV, 10. XXXII, 5. 6. *matrona,* venefica quæcumque; sed, quia *potens* dicitur, Agrippina potius, Neronis mater et Claudii Imp. uxor, cui tam a marito, quam a filio, summa rerum permissa, (v. Tac. Ann. XII, 7. 22. 25—27. 42. XIII, 5. 12. Suet. Ner. 9.) quæque Claudium veneno necavit, quod notum ex Tac. Ann. XII, 67. Suet. Claud. 44. et al. Verba autem h. l. sic jungenda: *matrona potens, quæ viro sitiente miscet rubetam, porrectura* ei *molle Calenum.* — 71. *et Locusta melior,* veneficii peritior, *instituit,* docet, *propinquas rudes,* imperitiores veneficii, *efferre* cet. nisi malis: *matrona, quæ miscet rubetam et propinquas instituit* tamquam *Locusta melior* h. e. venefica peritior, ut ἀμείνων et κρείττων. *Locusta* venefica notissima ex Tac. Ann. XII, 66. XIII, 15. et Suet. Ner. 33. 47. *efferre* domo mortuos, et quidem h. l. veneno necatos, sepelire, ut VI, 175. 567. et XIV, 220. Hinc h. l. conseq. pro anteced. et *efferre* pro necare veneno. *nigros,* veneno sublatos, ab effectu et colore lurido lividoque, quem venenum efficit iisque inducit; quo sensu *pocula nigra* dixit Prop. II, 27, 10. Meursius de Fun. c. 1. *nigros* referebat ad efferendi ritum in toga nigra, ut contra Græci in albis vestibus elati sint, teste Artemid. II, 2. *Per famam,* ne clam quidem, sed palam, fama rei vulgata. *per famam et populum,* per confertam multitudinem populi, de hoc scelere ac funere confabulantis. [30]

73. 74. Poeta animo commotus et indignatione incensus civibus suis consilium dat, accommodatum moribus illius ævi ac civitatis. Cf. Plin. Ep. II, 20. extr. et inf. VI, 557—564. *Gyaros,* Gyarus s. Gyara et Gyari, *brevis* insula, h. e. parva, quæ et fuit admodum sterilis, immitis, sine cultu hominum, egena aquæ asperrimaque fere insularum Cycladum in mari Ægæo, (hod. *Calairo* s. *Caloiera,* vel

[29] Quod jam monuere Grang. ad h. l. Heyne ad Virg. Ge. I, 341. IV, 102. et intpp. Hor. Od. I, 7, 19.

[30] *Per famam et populum,* per famam populi; Grang. susque deque habens *amæ popularis* susurros, qua vulgo jactentur veneno *nigri* mariti esse elati; Hennin. ut carpantur judiciorum et legum neglectus atque despectus scelerumque impunitas, nec non pompa et ostentatio exsequiarum: nam cadavera mortuorum olim elata mane et ante lucem, minore sumtu et strepitu, ad faces et cereos.

potius *Jura,* inter Andrum et Ceam ins. de qua v. Tournefort Voy. au Levant Lettre VIII.) in quam damnati Imperatorum temporibus relegari ac deportari solebant; (v. VI, 563. 564. X, 170. Tac. Ann. III, 68. 69. IV, 30. Plin. IV, 12. VIII, 29. 57.) ut alii in *Scriphum,* (VI, 564. X, 170. Tac. Ann. II, 85. IV, 21.) Amorgum, (Tac. Ann. IV, 13. 30.) Donusam, (Tac. Ann. IV, 30.) Pandatariam, (Tac. Ann. I, 53. XIV, 63.) Oasin, (v. Kœnig ad Claud. XVIII, 178.) Planasiam aliasque steriles et saxosas insulas, ubi fame enecabantur. *Gyari* itaque h. l. pro quavis ejusmodi insula et pro pœna relegationis atque deportationis; de qua v. Heynii Progr. in Opuscul. Academ. Vol. IV. p. 268 seq. s. Neues Magazin für Schullehrer, Vol. I. P. I. *Si vis esse aliquis,* h. e. in honore et pretio, ut ap. Cic. ad Att. III, 15. et Pers. I, 129. Nam *aliquis* est *magnus, eximius, insignis quis,* qui ceteris præstat et eximiæ est dignitatis, ut τὶς id. qd. μέγας; v. c. δοκῶν μὲν τὶς εἶναι, ὢν δ' οὐδείς ap. Arrian. Epict. II, 24. Cf. Hoogeven. ad Viger. p. 149. Schleusneri Lexic. N. T. voc. τὶς p. 866. et Var. Lect. *Probitas,* virtus, *laudatur* ab omnibus, etiam a malis, quia tam pulcra est, sed nihilo secius *alget,* frigore, h. e. fame urgetur, eget, non magnum fructum affert, nec meritis afficitur præmiis.

75. 76. Per scelera vero divitiæ parantur, ea nunc opes afferunt et honores. *debent,* accepta referunt nunc homines, qui ea possident. *hortos* amplissimos et magnificos, in quibus sunt villæ aliaque ædificia, ambulationes, piscinæ, lacus, fontes salientes, nymphæa, statuæ cet. Nam hi proprie *horti* dicebantur, ut minores *viridaria* et *nemora. Prætoria* sunt villæ, vel quævis ædificia magnifica, palatia, ut X, 161. [31] *mensas* marmoreas, eburneas et inpr. citreas, (e ligno odorato citri, arboris in Africa nascentis) quas Romani insano pretio emebant. [32] — 76. *Argentum vetus,* vasa argentea, a vetere quodam artifice elaborata. Cf. simil. loc. Martial. XI, 71, 8. *stantem extra pocula,* exstantem, in cælatura prominentem, *caprum,* ejus signum, h. e. pocula, in quibus sunt *emblemata,* sigilla περιφανῆ s. eminentia, statuis similia et extrinsecus alligata, ut in aliis *crustæ,* πρόστυπα, quæ non, ut illa, totam ex omni parte rem, sed unum modo ejus latus ostendunt, neque admodum eminent; de quibus v. Ernesti clav. Cic. v.

[31] Cf. Perizon. Diss. de prætorio VIII, 15. Ernesti ad Suet. Aug. c. 72. ad Tiber. c. 39. et clav. Cic.

[32] v. inf. ad v. 137. Sen. de Ben. VII, 9. Plin. XIII, 15. (ubi cf. Harduin.) Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 1, 20. Intpp. Petron. Sat. c. 119. Meurs. de luxu Rom. c. 9. Kobierz. de luxu Rom. II, 10. Kœnig ad Pers. I, 53. et Böttigeri Sabina p. 305 seq.

crusta et *emblema,* inpr. vero Salmas. ad Solin. p. 735 seq. Conf. Martial. VIII, 51, 9. *Stat caper Æolio* (al. *in phiala) Thebani vellere Phrixi Cultus,* Ovid. Met. V, 81. *altis exstantem signis cratera,* et ejusd. Met. XII, 235. *Forte fuit juxta signis exstantibus asper Antiquus crater.* — 77. *dormire,* silere, neque ad satiram scribendam impelli. *corruptor,* stuprator, *nurus,* ipse socer. *avaræ,* quæ pecuniæ cupida se corrumpi et pudicitiam suam muneribus expugnari ab adultero (qui inde propr. *corruptor* dicitur) passa est. Sunt qui hæc referant ad Silanum et Juniam Calvinam: sed ille frater, non socer Juniæ fuit neque eam vitiavit. v. Tac. Ann. XII, 4. et ibi Lips. — 78. *sponsæ turpes,* viri viris nubentes.[33] *prætextatus adulter,* vel puer nobilis, qui nondum egressus annum XV. et in prætexta adhuc, didicit adulterum agere ac pædicatur; vel magistratu sive sacerdotio præditus, quem omnium maxime hæc flagitia vitare oportebat; Gronov. *Prætextati* vocabantur, quicumque *prætexta,* toga alba, cui *prætextus* limbus purpureus, utebantur, inpr. magistratus, sacerdotes et pueri ingenui ac nobiles, qui quidem pueri eam forte gestabant, ut generis nobilitas manifesta esset, sed, si Macrobio Sat. I, 6. et Quintil. declam. 340. fides habenda, ut ab omni injuria essent tuti, quique eam ineunte anno vitæ XV. cum toga virili permutabant; de quo v. ad Tac. Ann. 12, 41 pr.

79. *Si natura negat* versuum faciendorum facultatem: nam, ut verba Cic. pro Arch. c. 8. mea faciam, *ceterarum rerum studia et doctrina et præceptis et arte constant; poeta natura ipsa valet et mentis viribus excitatur et quasi divino quodam spiritu inflatur. indignatio,* quam tot tamque varia flagitia, ubivis visa, vel comperta et vulgata, movent. *versus, quales ego, vel Cluvienus* facit: illud modeste dictum, hoc σκωπτικῶς. *Cluvienus* vel fictum vel verum nomen mali poetæ, cujus non alibi fit mentio; nisi forsan ap. Ennod. Ep. V, 8. et in præf. carm. ad Faustum pro *Glovidenus* et *Glubidenus* leg. *Cluvienus,* quæ conjecturæ Gron. in Obss. II, 22. maxime probantur Heineckio. " Satirice h. l. Juvenalis meritum suum extenuat, ut licentius Cluvienum carpat: solent autem poetæ satirici breviter et urbaniter per transitum homines notare, et in medio discursu obliquo aliquem dissecare ictu;" Brit. et Grang.

81—86. His versibus, procœmii loco scriptis, continetur argumen-

[33] Cf. sup. ad v. 62. inf. II, 117. 154. Martial. XII, 42. Suet. Ner. 29. Gell. VII, 12. Ovid. A. A. I, 524. (ubi v. Heins.) Tac. Ann. XV, 37. (ubi v. Lips.) et Kœnig ad Claudian. XVIII, 223.

tum et summa omnium, quæ poeta in carminibus suis dicere atque pertractare constituit. Cf. Casaub. ad Pers. I, 1. *Quidquid agunt* et egerunt *homines, ex quo* tempore *Deucalion* cet. h. e. inde ab ultima hominum memoria, a veræ et certioris historiæ initiis usque ad hæc tempora. Cf. Virg. Ge. I, 61 seq. Sic inf. XV, 30. *a Pyrrha.* 81—84. Cf. Ovid. Met. I, 260 seq. et Heyne ad Apollod. I, 7, 1—3. *nimbis,* imbribus, *æquor tollentibus,* augentibus aquarum copiam. *Navigio* rudi, quod auctores Græci κιβωτὸν et λάρναχα, (Moses Gen. VI, 14 seq. תֵּבָה) Ovidius *parvam ratem* adpellat, qualis in Apamensium numis conspicitur, de quo vid. Falconerius; Hennin. *montem,* Lycoream Parnassi. v. Heyne l. c. et Muncker. ad Hygin. fab. 153. *sortes,* responsa oraculi Delphici, quod, ut alia, olim etiam edebatur per *sortes* h. e. per fabas nigras et candidas, vel glebulas, vel pumices, sed inpr. per tesseras s. talos et calculos, (κλήρους, ψήφους, κύβους, ἀστραγάλους, πεσσοὺς) vel tabellas, versibus aliisve notis inscriptas, quæ in urnam s. situlam conjiciebantur, ex qua sortes ducebat vates; de qua κληρομαντείᾳ s. ψηφομαντείᾳ v. Potter. Archæol. II, 16. et Spanhem. ad Callim. H. in Apoll. 45. *Oracula verius dicuntur, quæ vaticinatione funduntur, sed et sortes, quæ ducuntur,* Cic. de div. II, 33. Romani *sortes* appellabant quævis oracula eorumque responsa, tam per sortes, quam ore edita, quoniam illa oraculorum genera iis sola fere nota et vicina erant, v. c. sortes Prænestinæ, Antiatinæ et al. Sed h. l. *sortes* etiam proprio sensu accipere licet. *poposcit sortes,* ut *poscere oracula* ap. Virg. Æn. III, 456. et Sil. I, 121. Ceterum alii Apollinem, alii Themidem, (quæ post Tellurem et ante Apollinem responsa Delphis dedisse traditur) alii ipsum Jovem a Deucalione consultum memorant. v. Muncker. ad Hygin. fab. 140. et 153. *anima,* cujus naturam multi olim philosophi igneam esse putabant, *caluerunt mollia saxa;* quæ fabula, ut aliæ, ex inepta etymologia orta, quum vetus quidam poeta λαοὺς ex λάας duxisset. v. Heyne ad Apollod. I, 7, 2. et Herrmanni Mythol. T. II. p. 305. — 84. Rigaltius in Diss. de Sat. Juven. notat, his verbis subtiliter innui, futile esse ac perabsurdum, quod poetæ fabulentur de sanctitate morum, ob quam Deucalion et Pyrrha servati sint tamquam exempla reparandæ posteritati, neque castam fuisse Pyrrham, sed potius magam et lenam, quæ projectis post terga sua saxis nudas puellas ediderit, quas maribus conciliaret. At Hein. " Veror, inquit, ne hoc Rigaltii commentum venerit per portam eburneam: nam ut vel maxime Juvenalis obscure notet homines sui temporis, tamen in

cascis illis hoc perabsurdum esset." — 86. Vocem *discursus* Brit. non ad corpus refert, sed ad animum, ut significet affectus et perturbationes ejus, quibus quasi quibusdam furiis mens hominis nunc huc, nunc illuc agitur; vel ad quotidianum salutandi officium, ut ap. Martial. VII, 38, 1. *Discursus vărios vagumque mane Et fastus et Ave potentiorum* cet. Cf. ad V, 21 seq. Potest etiam proprie accipi de discursu et studiis hominum, qui ad divitias vel honores et gloriam nituntur, multisque propterea et variis occupationibus distinentur. *farrago*, argumentum varium et mixtum; proprie pabulum quadrupedum, e tritici genere, de quo v. Casaub. ad Pers. V, 77. Cf. sup. Vol. I. p. XCVIII.

89. Grangæus comparat verba Senecæ in Octavia: *Collecta vitia post tot ætates diu In nos redundant, sæculo premimur gravi.* Non falsus vates fuerat Horatius Od. III, 6, 17 seq. et 45 seq. Cf. inf. v. 147 seq. Henninius observat, uberiorem semper esse vitiorum copiam, quando sæcula sint erudita cum longa pace et rebus prosperis conjuncta, quum adversa et calamitates homines reddant paulo magis pios; inde poetam VI, 292. queri, Romanos *pati longæ pacis mala. Quando major avaritiæ patuit sinus*, metaphorica dictio, quam alii putant desumtam esse a sinu togæ, in quo pecunia sive marsupium e collo pendens aliæque res condebantur et in quem, quo laxior erat toga majorque sinus, eo plura demitti poterant; alii vero a navigantibus, quorum vela, quo majorem explicant sinum, eo majorem ventorum vim excipiunt. *quando aleu hos*, tot, *animos* sc. cepit, occupavit? Abrupta oratio affectui consentanea est. *neque enim*, neque etiam (v. ad XI, 30.) vel neque vero (v. ad VII, 124. in Var. Lect.) *loculis comitantibus* cet. Ita his verbis magnitudo jacturæ et insania ludentium, illis vero horum multitudo adumbraretur: utrumque autem poeta designare voluisse videtur. Heinecke hæc adnotavit: " *Alea* tam nude, ubi requiritur comparativus, me semper offendit. Britannicus subaudiendum esse ait *magis vexavit* vel aliud quid. Ellipsis verbi satis usitata, non vero cum *magis*. Vel ex anteced. *major* assume comparativum, qui huc conveniat, et *hos* δεικτικῶς accipe, hos Romanos; (v. Oudend. ad Lucan. I, 363.) vel potius corrige: *alea quando Hæc animos*, quando alea *hæc* i. e. talis, ut nunc est, talis aleæ cupiditas *animos*, homines, sc. cepit. Corruptus est locus ab imperitis librariis, qui putarent, *hæc* referendum esse ad *animos*." Quæ si ego adnotassem, ille dixisset fortasse, inutilem esse hanc conjecturam, ineptam vero interpretationem illam. *Alea* (quo voc. omnis de-

signatur ludus, qui fortuna magis quam arte regitur nobisque *Hazardspiel* dici solet) Romæ et turpis erat et legibus vetita:[34] sed ipsi quoque Imperatores nullo lusus genere magis, quam hoc, oblectabantur exemplumque dabant.[35] *Loculi*, capsula vel crumena, quæ aliquam pecuniæ summam continet. 90. *Ad casum*, fortuitum ludum, fortunam, *tabulæ*, aleæ, in quo lusu tali vel tesseræ in abacum seu *tabulam* lusoriam mittuntur. Cf. ad XIV, 5. *posita*, apposita in ludo, ut nos: *aufs Spiel setzen*. *arca*, theca numaria, in qua, quidquid pecuniæ numeratæ aliquis habet, reconditur. 91. *Dispensator* et curator rei familiaris, *οἰκονόμος*, post actorem princeps servorum, qui domino est a rationibus accepti et expensi, pecuniamque *dispensat*. Cf. VII, 219. *dispensatore armigero*, domino ludenti *arma*, non tam talos, (ut XIV, 5.) ludi instrumenta, quam potius pecuniam, subministrante: (nam sunt ablat. absol.) metaphora a bello petita; unde et *prælia*, quæ dicta putant pro rixis, jurgiis, et quidem vel collusorum, vel dominorum cum dispensatoribus. Ita H. Vales. "*quanta prælia*, quantas rixas pugnasque, *videbis dispensatore*, qui dominum secutus est et arcam attulit, *armigero*, arma, arcam, gerente et clamante, quoties de arca domini promendum est." Sed præferenda forte interpretatio Grangæi: "Quantas nummorum summas ludere videbis? Ludus enim aleæ quodammodo *prœliis* comparatur: hinc jocus Romanorum in Cæsarem Augustum aleatorum permaximum ap. Suet. Aug. c. 70." Optime hæc ita explicari dicit Hein. qui multa perperam adversus me disputavit. 92. *Simplexne furor* est, num parva tantum vel una insania est? Sic *simplices* cogitationes *magnis* opponit Tac. Germ. c. 22. Hæc autem non verba dispensatoris, dominum perdentem objurgantis, ut quidam putant, (v. Hennin. ed. p. 762.) sed ipsius poetæ, ut reliqua, esse crediderim. *horrenti* frigore, ut ap. Ovid. Art. Am. II, 213. ubi v. Heins. *reddere*, h. l. simpl. dare, non, ut quidam putant, restituere, quasi aliquis servorum tunicam suam commodaverit domino, qui suam perdiderit alea et nunc servilem reddere non possit.

94. *Quis avus*, quis e majoribus nostris. *totidem villas*, quot nunc multi exstruxerunt.[36] *secreto*, privatim, solus, sine hospitibus,

[34] v. Heubach de politia Roman. Gœtt. 1791. § 41. intpr. Horat. Od. III, 24, 58.

[35] v. Sueton. Aug. c. 70. et 71. Calig. c. 41. Claud. c. 33. et Domit. c. 21. Cf. inf. VIII, 10. XIV, 4. 5.

[36] Villarum Rom. multitudinem, magnificentiam et amplitudinem descripserunt Lipsius de magnitud. Rom. III, 14. Castell. Lond. 1728. Zuggeri Ven. 1746. Adam Lond. 1764. Contini, Felibien et alii. Cf. inf. XIV, 88 seq.

fercula septem cœnavit: nam, quod Servius ad Virg. Æn. I, 637. e Catone notavit, *in atrio et duobus ferculis epulabantur antiqui.* Conf. Val. Max. II, 5, 5. et Lips. Antiq. Lectt. Lib. III. *Ferculum*, vel quodvis ciborum genus et quævis patina; vel patinæ, quæ simul apponuntur in mensa, missus ciborum carniumve, quam propriam vocis vim esse docet Nonius. Cf. VII, 184. et XI, 64. *Cœnare fercula* dicitur, ut *c. patinas* ap. Horat. Epist. I, 15, 34. Nota Ramiresii ad Martial. de spect. Ep. 6. est hæc: "Juvenalis non notat sui temporis luxuriam eo nomine, quod *septem fercula secreto cœnarent:* id enim, si ejus temporis mores inspicias, sobrium esset; sed acutum est argumentum a majori, ut aiunt. Avi nostri, quando secreto cœnabant, quo hominum oculos vitarent, ne luxuriosi audirent, numquam ita splendidi fuerunt, ut septem cœnarent: vos non secreto, sed publice innumera fercula cœnatis." Hæc ingeniose disputata esse putat Hein., sed fortasse vulgarem interpretandi rationem præstare propter v. 136.

95 seq. Nobiles Romani non aliquando, ut olim, pauperiores clientes ad justam s. rectam cœnam invitabant, sed propter quotidiana salutationum officia *sportulam* dabant s. sportellam, h. e. corbulam, quæ vel cibaria, (et quidem, ut putant, qualia nos vulgo *kalte Küche* vocamus) vel centum quadrantes continebat.[37] Dabatur etiam publica sportula et cœna recta. v. Suet. Ner. 16. et Dom. 7. *primo limine*, in prima ejus parte, ante fores ædium et atrium, in vestibulo. Cf. Virg. Æn. II, 469. VI, 427. *parva*, nam sportula in dies imminuebatur. *sedet*, stat, apponitur. Cf. ad II, 120. *rapienda* a famelicis, qui eam non distribui patiuntur, sed alter alteri præripiunt. *Turbam togatam* eo sensu accipere possis, quo Virgilius Æn. I, 282. (ubi v. Heyne) *Romanos rerum dominos gentemque togatam* dixit, ut res Romano cive indigna significetur. Cf. mox v. 100. et Prop. IV, 2, 56. Sed h. l. contemtim potius poeta loquutus videtur. Nam Cæsarum temporibus toga non amplius vulgo in usu erat, neque fere gestabatur nisi a pauperibus et plebeii vel tenuioris ordinis hominibus, clientibus, servis, causidicis et meretricibus, qui inde passim *togati* et *togatuli* vel poetis *toga* vocantur.[38] — 97. *Ille*, non servus, opi-

[37] Conf. inf. v. 120. III, 127 seq. 249 seq. Martial. I, 60, 1. III, 7. et 14, 3. VIII, 50, 10. X, 27, 3. 75, 11. Suet. Ner. 16. et Domit. 4. et 7. Potteri Archæol. Gr. T. II. L. IV. c. 17. p. 627. 628. vers. Germ. Casaub. ad Athen. VIII, 17.

[38] Cf. ad II, 70. III, 127. VII, 136. 142. VIII, 49. Horat. Sat. I, 2, 63. 82. Martial. II, 57, 5. III, 46, 1. X, 18, 4. 47, 5. 74, 3. XI, 25, 11. Ernesti clav. Cic. et Ferrar. R. Vest. I, 33.

nor, qui sportulam distribuit, *(balneator* ap. Martial. III, 7.) sed dominus patronusque sordidus, ad quem etiam *trepidat*, certe *jubet* v. 99. referendum est. Cf. ad v. 62. Nomenclatorem designari putabat Plathnerus, qui et mox v. 99. *præco* dicatur, et cujus officium fuerit, nominibus ciere salutatores, illos ordinare in vestibulis sportulamque dividere. v. Sen. Ep. 19. et de Ben. VI, 3. inpr. Ammian. Marcell. XIV, 6. (16.) Sed durior est hujus quam illius subjecti ellipsis, quippe quæ latet in v. 94. 95. Illo tamen sensu *præconem* accipio. *Suppositus*, qui, inter clientes non receptus, in eorum numerum irrepere conatur. 99. *Agnosci* dicitur, qui olim notus fuit, *cognosci* ignotus. 100. *Trojugenas*, ut *Troïades* ap. Pers. I, 4., nobilissimos viros, qui a Trojanis adeoque omnium antiquissimis familiis originem ducunt, vel potius se ducere gloriantur: nam homines veteris prosapiæ multarumque imaginum, ut a novis hominibus et a fæce civium, qui, lege a L. Julio Cæsare, de civitate cum sociis et Latinis communicanda, bello Sociali A. U. DCLXIII. lata, civitatem et tribum acceperant, discernerentur, Trojanam originem affectabant. Posteriores quoque gentes patriciæ (Patres minorum gentium) contemnebantur ab antiquissimis, quæ a Trojanis oriundæ vel ex Albanis certe principibus in Patres lectæ vulgo credebantur, ut v. c. Æmilia, Antonia, Attia, Clœlia, Cluentia, Fabia, Gegania, Julia, Junia, Nautia, Quinctia, Sergia, Servilia. Conf. VIII, 41 seq. 46. 56. 181. XI, 95. *Limen vexare*, ὀιωῦς pro frequentare, ut *l. terere* ap. Martial. X, 10, 2. *nobiscum* pauperibus clientibus et plebeiis. *et ipsi*, nobilissimi, quos hujus rei pudere debebat: sed multi eorum ad incitas erant redacti. Conf. III, 128 seq. Martial. X, 10, 1 seq. *da* primam sportulam *Prætori, da deinde*, alteram, *Tribuno:* verba non dispensatoris, sed quæ ei vel dominus dicit et patronus, vel Prætor et Tribunus, manum porrigentes: *da* scil. mihi. 102. *Sed libertinus prior est*, vobis præferendus est: verba dispensatoris. *adsum*, adfui, ad limen veni. *inquit* libertinus, cujus verba sunt v. 102—109. Ceterum tirones caveant, ne *libertinos* putent esse libertorum filios, quum potius iidem sint qui liberti et adjecto patroni nomine *liberti* dicantur: de quo v. Ernesti ad Suet. Claud. 24. — 104. *Natus ad Euphraten*, in Oriente, in Armenia vel Cappadocia vel Mesopotamia vel Syria, ex quibus regionibus multi servi Romam ducebantur. *quamvis natus ad E.* etsi olim servus fui. *Fenestra* propr. dicitur quodvis foramen, apertura, fissura. *Fenestras* h. l. putant esse inaures vel annulos aureos, quos in Oriente non solum mulieres, sed

etiam viri, vel ornamenti causa, vel amuletorum instar, ad mala averruncanda, gestare solebant.[39] Sed recte notavit vet. Schol. h. l. *argui homines, qui, quum propter libidinem libertatem meruissent,* (unde *molles*) *et in libertinorum corpus et tribus relati essent, pertusis auribus signa libertinorum celare non potuerint.* Aurium enim perforatio servitutis signum fuit apud multos Orientis populos, v. c. apud Israelitas,[40] Arabas,[41] Indos, Persas, Turcas et Tartaros, qui pueris etiam, Deorum cultui et ministerio, ut tamquam illorum mancipia essent, consecrandis, aures perforabant.[42] *molles fenestræ* pro molli aure, qua nihil mollius,[43] vel quod hominem mollem ostendunt; Grang. *Aurem foratu effeminatus* dixit Tertull. de Pall. 4.[44] *arguerint,* probent, indicent. 105. *Tabernæ quinque* mihi sunt, quæ a me locantur et quotannis mihi *parant,* reddunt, fenerant, ut statum reditum præstant (ut v. 118. *referat et rationibus addat*) *quadringenta* sestertia, censum equestrem, de quo v. inf. ad XIV, 323 seq. *Tabernæ* ædificia vilia, inpr. circa forum, in quibus *tabernarii,* opifices aliique de infima plebe homines vel faciebant venalesque exponebant merces, vel artes exercebant; unde *tabernæ librariæ, unguentariæ, tonsoriæ, cauponiæ, argentariæ, medicæ, sutrinæ, literariæ,* (Liv. III, 44.) *novæ ac veteres* argentariæ in foro Rom., (Liv. III, 44. 48. XLIV, 16.) *lanienæ.* (Liv. III, 48.) Conf. Nardin. Rom. vet. V, 8. Harduin. ad Plin. XXXV. s. 8. et 37. Adleri Beschr. d. St. Rom. p. 257. *Quinque* argentariæ *tabernæ,* pars fori, argentariis et feneratoribus reservata, (v. Liv. XXVI, 27. et XXVII, 11.) *quadringenta,* reditum annuum, *parant* ex fenere et negotiis, in *quinque tabernis* (à la bourse) inter argentarios peragendis; Dusaulx et Ach. 106. *purpura major,* consulatus, ut *toga major* ap. Claud. in IV. Consul. Honor. v. 656. vel tunica laticlavia, h. e. dignitas senatoria, ut *purpura latior* dicitur Plinio, *p. felix* Martiali VIII, 8, 4. *latus clavus* Plin. Ep. II, 9. *major clavus* Stat. Silv. III, 2, 124. et contra *pauper*

[39] v. Intpp. Genes. XXXV, 4. et Exod. XXXII, 2. 3. Plin. XI, 37. s. 50. Harmari Beobachtungen über den Orient. T. III. p. 309—315. Michaelis Jus Mos. T. III. § 127.

[40] v. Rosenmülleri Schol. ad Exod. XXI, 6. et Michaelis l. l.

[41] Petron. Sat. LXIII. al. CII.

[42] v. Plut. Sympos. II, 1. Xenoph. de Exped. Cyri III, 1. § 21. Cotovici Itiner. Hierosol. et Syr. IV, 9. Rogerius in aperta porta ad occlusum ethnicismum P. I. c. 7. Olearii Itiner. Pers. L. V. c. 41. Straus in Relat. Itiner. III, 12.

[43] unde proverb. *auricula mollior,* de quo v. Cic. ad Qu. Fr. II, 15. Erasm. in proverb. et Scalig: ad Catull. epigr. XXV.

[44] Henninius: " forte ideo *molles,* quod ex iis dependerent jam inaures, divitiarum argumentum." Cf. Sen. de Ben. XII, 9.

et *angustus clavus* pro ordine equestri Stat. Silv. V, 2, 18. et Vellei. II, 88. Latus enim clavus insigne erat senatorum, etsi sub Cæsaribus Equites etiam illustres, (v. Suet. Aug. 38. et Ner. 26. ad quæ loca cf. Ernesti) immo tribunos (Suet. Domit. 10.) et præcones (Plin. XXXIII, 1.) eum gestasse legimus. — 107. *custodit*, pascit, *oves conductas*, alienas, vel potius in agro, quem conduxit. *Corvinus* pro quovis nobilissimo ad inopiam redacto. Cf. ad VIII, 5. Britann. tamen suspicabatur, poetam respexisse ad M. Valerium Corvinum, qui exacta jam ætate agros coluerit. 109. *Pallas*, Claudii libertus, cujus potentia et divitiæ satis notæ.[45] In gente *Licinia* familiæ erant ditissimæ, inpr. Licinii s. Licini Calvi Stolones, pater ac filius, (v. Liv. VII, 16.) et Crassi, cognomine etiam *Divites* dicti, de quibus v. Cicero, Plut., Dio, et quæ dixi in Tabulis geneal. gentt. Rom. Sed prædives etiam fuit *Licinius*, Augusti libertus, de quo v. ad XIV, 306. Hunc potissimum h. l. intelligendum putant intpp. nec male, quoniam libertinus loquitur et cum Pallante eum conjungit.

109 seq. Verba poetæ indignantis impudentem arrogantiam hominis, qui servus quondam fuerit, et temporum suorum conditionem, quibus divitiæ dent honorem et plus meritis valeant. 110. *sacro honori*, tribuno, homini sacrosancto, quod vel tironibus notum ex Liv. II, 33. III, 19. 55. Dionys. VI, 89. — 111. *pedibus albis*, h. e. cretatis vel gypsatis, quod signum erat et indicium servorum trans mare ex barbaris terris advectorum, qui vilissimo pretio vendebantur.[46] — 113 seq. *Pecunia* a Romanis quidem in Deos relata, sed neque ara, neque templum ei exstructum;[47] non culta, ut *Pax*, *Fides*, *Victoria*, *Virtus* et *Concordia*.[48] *funesta*, exitiabilis. *salutato nido*, σκωπτικῶς pro inviso; nam proprie *templum*, *Dii*, *numen*, *augurium salutari* dicuntur, ut ap. Cic. Rosc. Am. 20. Ovid. Pont. II, 8, 15. Virg. Æn. XII, 257. *Concordia, quæ crepitat*, satirice pro Concordia, in

[45] v. Suet. Claud. 28. Tac. Ann. XII, 53. (ubi cf. intpp.) XIV, 65. Plin. H. N. XXXIII, 10. Plin. Ep. VII, 29. VIII, 6.

[46] Conf. ad V, 53. et VII, 16. 120. Heyne ad Tibull. II, 3, 60. Casaub. ad Suet. Octav. c. 69. Plin. XXXV, 17, 18. Dig. I, 21. t. 1. l. 1.

[47] Cf. Sen. de Prov. c. 5. Turneb. Advers. XI, 22. Augustin. de Civ. D. IV, 21. et 29. Arnob. III.

[48] De templis *Pacis* v. Suet. Vesp. 9. Plin. XXXIII, 8. XXXVI, 15. Herodian. I, 14. *Fidei* Dionys. II. c. ult. Cic. de N. D. II, 23. Plin. XXXV, 10. *Victoriæ* Nardini Roma ant. V, 8. VII, 11. Panvin. ap. Rosin. Antiq. Rom. I, 13. Liv. XXII, 37. XXVI, 23. XXXV, 9. *Virtutis* Liv. XXVII, 11. XXIX, 11. Nardin. l. c. III, 2. Rosin. l. c. II, 18. Plin. XXXV, 10. Gyrald. de Diis Gent. Synt. 1. *Concordiæ* Rufus et Victor Descr. U. R. Reg. III. IV. et VI. Plut. in Camillo c. 21. Ovid. Fast. I, 647. Sallust. B. C. 46. Plin. LXXXI, 1. Nardin. l. c. V, 6. Donat. de Urbe Roma II, 14. Gyrald. l. l.

cujus templi fastigio ciconia nidum posuit et, ubi pullos revisit, rostro crepitat. *Crepitare* propr. voc. de ciconia, ut ap. Ovid. Met. VI, 97. ad quem locum poetam respexisse suspicabatur Farnab.

117 seq. Si vel *summus honor*, h. e. summi magistratus (cf. sup. v. 101.) tam sordide et sine omni pudore sportulam petunt, quia id non minus quæstuosum quam commodum est; *quid facient comites* h. e. cur sportulam petere erubescant pauperes clientes, *quibus hinc est*, paratur, emitur, *toga* cet., i. e. quibus sola sportula et cultum et victum suppeditat? Conf. Martial. III, 30. et X, 10. *rationibus* accepti. 119. *comites*, clientes, ut v. 46. ubi v. not. 120. *fumus domi*, ligna, et quidem, qualia pauperibus emenda sunt, non ea, quæ Martiali XIII, 15. *acapna* et JCtis *recocta* vocantur, sed viridia, quibus magna vis fumi excitatur; Grang. et Brit. Alii intelligunt domum fumo fuscam. Cf. Martial. III, 30. 3. *densissima lectica*, plurimi nobiles et summi magistratus, lecticis vecti. *centum quadrantes*, sportulam. v. ad v. 95 seq. *languida*, ægrota. *prægnans*, gravida. 123. *absenti* uxori, quam in sella jacere dicit. *arte*, quæ nunc *jam* satis *nota* est. Ea festive h. l. adumbratur. 124. *sellam*, *clausam*, v. ad v. 65. *vacuam*, ut contra *plena* v. 33. *Galla* fictum uxoris nomen, ut passim ap. Martial. *inquit*, maritus dicit servo, qui sportulas distribuit. 126. *Profer* e sella *caput*, verba dispensatoris, et *noli v. q.* mariti. *quiescit*, dormit.

127. De vulgari negotiorum diurnorum ordine ac serie v. Martial. IV, 8. *pulcro*, εἰρωνικῶς. *Sportula* petitur prima et secunda hora, qua clientes salutant patronos. v. Martial. l. l. *Deinde forum* petitur, causarum ibi agendarum patronorumque illuc deducendorum causa, et potissimum quidem Augusti, in quo statua eburnea *Apollinis*, (v. Plin. VII, 53. coll. Horat. Sat. I, 9, 78.) et *triumphales* statuæ summorum ducum, quas Augustus in utraque fori sui porticu dedicaverat, teste Suet. Octav. 31. Ita Grang. qui etiam recte vidit, Apollinem facete *juris peritum* vocari, ut *Marsyan caussidicum* Martial. II, 64, 8. quod utriusque statuæ in foro fuerint et quotidie illi lites quasi audiverint. Facetius dixit Horat. Sat. I, 6, 119 seq. *non sollicitus, mihi quod cras Surgendum sit mane, obeundus Marsya, qui se Vultum ferre negat Noviorum posse minoris.* — 130. *Nescio quis*, contemtim de vilissimo homine. *titulos*, imagines cum titulis. De verbis *Ægyptius atque Arabarches* v. Varr. Lectt. et Excurs. I. *cujus ad effigiem*, statuam, *fas est non tantum meiere*, (quod tamen insignis contumeliæ loco aut rei illatæ indicium est, ut VI, 309 seq. et

Pers. I, 113. *pueri, sacer est locus : extra meiite,* qualia etiam in titulis tumulorum leguntur, adjectis sæpe diris ; v. Anthol. Lat. Burm. T. II. p. 145.) sed etiam alvum exonerare. Ita Brit. et alii.[49] — 132. *Vestibulis,* ad quæ deduxerant ex foro patronos, non ulterius admissi ; Grang. Ibidem potius sportula iis apponebatur, *primo limine* sup. v. 95. 96. *lassi,* et quidem non tantum salutando, occurrendo, deducendo, sectando, sed etiam *longissima cœnæ* rectæ *spe,* quam per maximam diei partem frustra aluerant. *veteres clientes ;* etiam hoc ad indignitatem rei augendam valet. 133. *Vota deponunt,* spem cœnæ rectæ abjiciunt, *quamquam longissima cœnæ spes homini,* hominibus, clientibus est, hæc cœnæ spes diutissime ab hominibus clientibusque ali solet. Heinecke hæc adnotavit : " Ego sic construo : *votaque deponunt (cœnæ), quamquam longissima cœnæ spes homini.* Ad verba priora vox *cœnæ* assumenda est ex *cœnæ* sequenti. Cf. Ern. ad Tac. Ann. II, 71. Jam sensus verborum hic : Clientes omnem cœnæ spem abjiciunt, quamvis homines, ubi comedendi spes adest et aliquid cibi accipiendum, quia hoc vita sustentatur, longissimum tempus exspectando trahere, maxime animum durare possint ad longissimam exspectationem, id quod in aliis rebus non ita est. Germanice vertam : *Ermüdet gehen die clienten weg und geben alle hoffnung der mahlzeit auf, und doch kann der mensch, wo es etwas zu essen giebt, recht lange warten, wenn ihm nur die mahlzeit nicht entgeht.*" Eodem sensu ego semper cepi hæc verba ; illa tamen constructio eorum mihi non in mentem venit : quæ enim *vota* h. l. intelligenda essent, per se patere arbitrabar. Comparanda autem h. l. verba Luciani *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων* § 7. et 8. ubi clientes dicit *δι' ἡδονῆς ἐλπίδα μόνον πολλὰς ἀηδίας ὑπομένειν* et *πέπρακται αὐτοῖς οὐδὲν ἐν ἅπαντι τῷ βίῳ πέρα τῆς ἐλ-*

[49] Grangæus ita contra mentem poetæ explicari credebat, qui tam sanctam potius Ægyptii hujus statuam a Romanis dicat habitam, ut ne quidem ad eam, tamquam si fuisset Principis statua, meiere auderent. Cf. Casaub. ad Pers. I, 113. ubi monet, simulacris statuisque Principum non minorem reverentiam fuisse exhibitam, quam locis sacris, in quibus urinam facere summæ impietati tribuerint veteres, etsi per lasciviam a multis id fieri solitum legamus apud Juvenalem, (inf. VI, 309 seq.) Aristoph. et alios. Enimvero h. l. omnino de homine, loco humili nato, *(nescio quis)* agi videtur, et quis umquam *non tantum* pro *ne quidem* dixit ? Præstiterit *non tantum* dictum accipere pro vulg. *tantum non,* vel, quia hoc sensu non occurrit, ita legere, ut dictum sit pro pæne, propemodum, hoc tantum excepto, ut Gr. *μόνον οὐ* s. *οὐκ.* Exempla laudata vide a Drak. ad Liv. IV, 2. et Schellero in Lex. Vulgarem interpretationem firmat Hein. laudato loco Plin. Ep. III, 14. *rem atrocem, nec tantum epistola dignam,* h. e. non modo dignam, quæ epistola narretur, sed quæ vel carmine lugubri, tragœdia tractetur. (Conf. ibi Gesner. et Gierig.) Ipse etiam hanc explicandi rationem secutus sum et aliam dixi præferendam saltem esse ei, quam Grang. ingressus sit. Aliena itaque sunt, quæ Hein. adversus me, falsa autem, quæ de dictione *tantum non* disputavit.

πίδος. Conf. et inf. ad V, 166. et h. l. Var. Lect. *Caulis* s. *caules* pro quovis vilioris cibi genere. — 135. *interea*, dum illi caulem emunt et cœnant. *vorabit*, δεινῶς, tamquam heluo, qualis mox describitur v. 137. 138. *Reges*, βασιλεῖς, (ut passim ap. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων) ut et *domini*, patroni, amici divites ac potentes, eorumque patrocinia *regna*, appellabantur, potissimum a parasitis, qui sæpe ab iis convivio excipiebantur: poetæ etiam specialem notionem generali substituere solent.[50] — 136. *ipse tantum*, solus, (v. ad VI, 373.) *jacebit* in *vacuis toris*, lectis. Cf. Mart. VII, 55. In conviviis viri *jacebant* in lectis, uxores in sellis sedebant. v. Böttigeri Sabina Sc. VIII. Tab. XII. et inf. ad II, 120.

137. 138. *Orbes* dicuntur vel patinæ, vel, ut h. l. et XI, 122. 173., mensæ, quæ primum quadratæ erant, postea rotundæ, teste Varr. L. L. IV, 25.[51] *una mensa*, unica cœna, vel adeo lance, (ut τράπεζα, de quo v. Polluc. Onomast. VI, 12.) *comedunt patrimonia* vel sua, vel ampla, exemplo Æsopi, Cleopatræ aliorumque, de quibus v. Plin. IX, 35. X, 51. Suet. Cal. 37. et Vitell. 13. al. De prima mensa, qua carnes piscesque appositi, accipiebat Græv. coll. Virg. Æn. I, 216. ubi v. Heyne. Digna omnino est, quæ h. l. legatur, docta Henninii nota: " Servius ad Virg. Æn. I, 740. notat, apud majores ipsas mensas appositas fuisse cum lancibus, non vero lances in mensam; habuisse autem illos duas tantum mensas, unam carnis, alteram pomorum, unde *prima* et *secunda mensa*. (Sic et πρώτη, δευτέρα τράπεζα, quod tamen ad missus etiam ciborum referri potest.) Scilicet postquam prima mensa saturati essent, illa removebatur, et secunda mensa admovebatur, non, ut hodie et Servii ætate, novus missus eidem mensæ inferebatur, sed una cum missu mensa mutabatur. (Conf. Athenæi L. IX. c. 2.) Mensæ autem illæ, quamdiu triclinia duraruntur, in longum quadratæ ad lectorum mensuram erant: postea rotundæ mensæ invectæ sunt seu *orbes*, quum *stibadia* sive *accubita* (*sigmata* Martial. X, 48, 6. XIV, 87. *semirotunda* Apul. Met. V. p. 160.) in usum inducerentur, quæ quum semirotunda essent, necesse erat mensas rotundari. Invalescente demum luxu non duabus, sed pluribus utebantur mensis, et aliquando ad singulos missus singulas mensas variebant; et vel loco eodem recumbentes novos missus mensasque exspectabant, vel locum mutantes aliis mensis accumbebant, unde

[50] Cf. inf. V, 14. 81. 92. 137. 147. VIII, 161. al. Horat. Epist. I, 17, 43. Mart. III, 7, 5. V, 23, 14. Plaut. Stich. III, 2, 2. et Asinar. V, 2, 69. ubi v. Gronov., et Casaub. ad Theophr. Char. II.

[51] Cf. ad IV, 132. V, 2. inpr. XI, 122.

ambulans cœna festive dicitur Martial. VI. ubi Annii luxum taxat, qui ducentis fere mensis epulabatur. Mensæ autem seu *orbes* illi apud delicatos erant citrei, quorum adeo immane pretium, ut aurum vincerent. v. Martial. XIV, 89. Sen. de ben. VII, 9. Plin. XIII, 15. ubi cf. Harduin. Jam h. l. *de tot,* notanter, quum luxuriarent copia citrearum mensarum; *latis,* quo enim latiores, eo pretiosiores erant, quandoquidem tanta solum erat earum amplitudo, quantum arbor ipsa pateretur: *et pulcris;* pulcriores censebantur orbes citrei, quo plures nodos et maculas haberent. (v. Sen. l. l. et de tranq. p. 677.) Petronius ideo queritur in bello civ. *citrearum mensarum Africa erutarum maculas mutari auro viliori, et censum ita turbari.* Cur eos *orbes* vocet Juven., patet ex superioribus. *et tam antiquis,* h. e. per multas elegantium dominorum successiones civitati notis, ut loquitur Seneca. *(a Cethegis descendens* Plin. l. c. ubi v. Hard.) *Una mensa* i. e. ne variatis quidem orbibus, ne tota quidem cœna, ne uno quidem missu, sed vel una lance. Speciatim videtur tangi patina Clodii Æsopi histrionis, ejusque filii, de qua v. Plin. IX, 35. X, 51. Horat. Sat. II, 3, 239 seq." Ita Henninius. Cf. Lips. de ritu conviviorum ap. Rom. et Antiq. Lectt. III, 1. ac de citreis mensis sup. ad v. 75. Alia prodigiosæ luxuriæ exempla, ad quæ poeta respicere potuit, alii memorant.[52] — 139. *Nullus jam parasitus erit,* qui oblectationis causa convivio adhibeatur, si divites porro soli cœnaverint. 140. *Sordes,* sordidam avaritiam *luxuriæ,* cum luxuria conjunctam: nam divites pauperibus amicis et clientibus nihil dant, sed soli saginantur et genio suo indulgent. *gula,* ut alibi *gurges,* et II, 114. *guttur,* voracitas, et hinc homo gulosus et edax, heluo et polyphagus. *O quanta est gula, centies comesse!* Martial. V, 71, 5. *sibi ponit,* apponit, et hoc pro apponi jubet. 141. *Totos,* integros, *apros* in conviviis, et quidem in magnis quadratisque lancibus, apponere solebant Romani; idque caput cœnæ nonnumquam erat. Solidum aprum primus in epulis Servilius Rullus, (Plin. VIII, 51. s. 78.) octo apros Antonius, (v. Plut.) singulos singulis convivis Caranus quidam, (teste Athenæo IV, 1. s. 3. p. 129.) binos ternosque in ipso cœnæ principio alii (v. Plin. l. c.) apposuerunt. Cf. V, 115. Macrob. Sat. III, 13. Lips. Poliorc. IV, 1. Mart. VII, 58.

173. Martial. II, 43. 9. IX, 60, 7. Athenæi IX, 12. XI, 12.

[52] Plut. Lucull. p. 318. 319. et Anton. V. p. 149. Plin. IX, 35. (de Cleopatra, quæ una cœna centies HS. absumsit, de qua v. et Macrob. Sat. II, 13.) Suet. Calig. 37. et inpr. Vitell. 13. aliique.

Suet. Tiber. c. 34. et Athen. IV, 2. (6.) p. 131. *propter convivia*, ut pluribus in convivio, non uni, apponeretur et sufficeret. Id sumtum putant ex Varr. R. R. II, 4, 10. *Suillum pecus donatum ab natura dicunt ad epulandum.* Clemens Alex. Strom. II. memorat, philosophum quemdam existimasse, *τὴν ὗν θὸν εἶναι*, suem Græcis ὗν tamquam θὸν dictum esse, *ὡς εἰς θύσιν καὶ σφαγὴν μόνον ἐπιτήδειον*, quod epulis tantum aptus esset.

142—144. Pœna luxuriæ atque voracitatis morbi et mors sæpe repentina.[53] *Pœna* heluonis *præsens*, præsentanea ac subita est, confestim sequitur, ut ap. Cic. de Nat. D. II, 59. Britannicus bene comparabat similem locum Plin. XIV, 22. de ebrietate: *hinc pallor et genæ pendulæ, oculorum ulcera, tremulæ manus, effundentes plena vasa; et quam sit pœna præsens, furiales somni et inquies nocturna ostendunt.* Grangæus poetam respexisse putabat ad illud Horatii Od. IV, 5, 24. *Culpam pœna premit comes.* Cf. Hor. Od. III, 2, 31. 32. et ibi intpr. *deponis amictus* in balneo, (conf. ad VI, 418.) et quidem in apodyterio, ubi capsariis tradebantur. *Amictus* propr. genus vestimenti, quod superinjiciebatur, (*amiciebatur*, ueberwurf) ut *indumentum*, quod induebatur. v. Böttigeri Sabina p. 416. *Turgidus*, ut ap. Horat. Epist. I, 6, 61. *crudi tumidique lavemur*, et ap. Pers. III, 98. *Turgidus hic epulis atque albo* (distento) *ventre lavatur.* Causam tradit Columella Præf. § 16. *ut apti veniamus ad gaucas, quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus.* Cf. Cels. II, 17. al. *crudum*, indigestum, non concoctum. *Pavonem* Romanis in deliciis habitum, (v. Cic. ad Div. IX, 18. et 20. al.) sed omnium difficillimæ digestionis esse, cujus mortui caro numquam putrescat, (v. Augustin. Civ. Dei XXI, 4.) monuit Ascens. Pavonem Romæ primus apposuit Hortensius orator, et saginavit M. Aufidius Lurco.[54] 144. *Hinc*, ex nimia ciborum copia et indigestione. *intestata senectus*, mors repentina senis, qui idcirco intestato moritur. 145. *fabula*, fama et rumor de morte talis senis, *it*, divulgatur, *per cunctas cœnas*, ubi scil. ne novis rebus sermones seruntur. *nec tristis fabula:* quoniam enim clientibus amicisque nec bene fecit vivus, nec quidquam legavit, ab intestato mortuus, nemo quoque ejus mortem luget; unde *plaudendum funus* et *iratis amicis. Fabula* etiam h. l. dici potest ipse senex, quatenus multi de eo loquuntur. Cf. Var. Lect.

[53] Cf. Martial. XII, 48, 10 seq. Pers. III, 98 seq. Senec. Natur. Quæst. V, 4. et Columell. Præf. § 16.

[54] v. Plin. X, 20. Varr. R. R. III, 6. Macrob. Sat. II, 9. Ælian. H. A. V. 21.

147—149. Cf. ad v. 87 seq. *Nil* vitii flagitiique. *minores* scil. natu, posteri, ut inf. II, 146. VIII, 234. XIV, 189. ubi *veteribus* opponuntur, ut *majoribus* ap. Ovid. Trist. IV, 10, 55.[55] 149. *Omne vitium* jam *stetit in præcipiti*, in summo quasi fastigio, ultra quod adscendere nequeat. — Verbis, *utere* igitur *velis ; totos pande sinus*, poeta se ipsum ad scribendum exhortatur, quum tam larga ad id suppetat materies. Metaphora passim obvia et petita a navigantibus, qui, secundum nacti ventum, sinus velorum pandunt, vento inflandos.[56]

150. *unde priorum*, veterum poetarum, iisque fuerit *ingenium par materiæ*, et *illa simplicitas scribendi*, vel potius: unde mihi sit vis et facultas ingenii, argumento tam difficili et copioso, operi periculosæ pleno aleæ, pro dignitate pertractando par atque idonea? Huic tamen objectioni h. l. non respondet poeta: diluerat eam jam v. 15 seq. 30. 79. 80. *Ingenium* itaque *par materiæ*, ni fallor, est libertas judicii, qualem talis materies ejusque tractatio requirit, *illa priorum*, veterum poetarum, Lucilii, Catonis Censorini, Terentii Varronis, Horatii aliorumque, *scribendi simplicitas* h. e. libertas, παῤῥησία, quæ simpliciter et aperte, sine dissimulatione vel ambagibus, sine respectu periculi vel potentiæ ac gratiæ hominum, expromit quod sentit. Ea non modo legibus restricta erat,[57] sed et penitus oppressa metu delatorum judiciisque majestatis, a Tiberio institutis et reductis a Domitiano.[58] Illa tamen sublata atque denegata ipsum quoque *ingenium* hebetatur, poetarum inprimis satiricorum, qui hinc fictis nominibus ac sermone obscuro verbisque tecto uti solebant. 151. *priorum* sc. poetarum satiricorum. Juvenalis tamen, quod vel ex v. 154. intelligitur, h. l. potissimum Lucilii παῤῥησίαν respexit, de qua v. Horat. Sat. II, 1, 62 seq. et Pers. I, 114. *(Secuit Lucilius urbem, Te, Lupe, te, Muci, et genuinum fregit in illis.)* 152. *animo flagrante*, irato, propter scelera cujuscumque generis et ubivis obvia. Conf. v. 79. 153. *Simplicitas, cujus non audeo dicere nomen:* ita libertas scribendi (nec non cogitandi et loquendi) periit, ut ne audeam quidem eam nominare, quasi

[55] v. Heyne ad Virg. Æn. I, 532. Drakenb. ad Sil. XVI, 44. Bul. et Burm. ad Valer. Fl. III, 455.

[56] v. Cerda ad Virg. Ge. II, 41. IV, 116. Tollius ad Longin. περὶ ὕψους c. IX. n. 21. Jani et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 34, 4. II, 10, 23. IV, 15, 4. Intpp. Plin. Ep. II, 11, 3. IV, 20, 2. VIII, 4, 5. Ernesti clav. Cic. v. *velum*.

[57] v. XII Tabul. et quidem Tab. VII. Cic. Tusc. Qu. IV, 2. et de Republ. IV. in Fragm. ap. Augustin. de Civ. Dei II, 9. in ed. Ernest. Vol. IV, p. 1080. Hor. Sat. II, 1, 80 seq. et Epist. II, 1, 152 seq. coll. Suet. Domit. c. 8.

[58] De iis v. intpp. Tac. Ann. I, 72. 73. Plin. Paneg. c. 11. Senec. Benef. III, 26. 28. Suet. Tib. 58. et Domit. 12. ach. in Trajano p. 27 seq.

nefas sit; nam ea non audemus nominare, quæ fœda abominandaque sunt; Brit. Sed et periculosa. — 154. Verba hæc Bahrdt Lucilio tribuit et Grangæus poetæ, qui monitori respondeat. Sed bene, opinor, monuit Brit., et hæc et omnia illa a v. 150—157. esse occupationem vel præsumtionem, προλῆψιν poetæ occupantis, quæ objici possint. Similiter Heinecke: " Poeta inducit aliquem sibi objicientem: An tu eadem libertate, qua priores Satirici, homines vituperare poteris? Minime profecto. Vix audere possumus libertatem nominare, de ea loqui, timentes, ne pœnas demus. Apud avos nostros aliter res se habebat, et Lucilius non curabat Mucium, si vel maxime succenseret, sed nunc magna rerum mutatio, et gravissimas pœnas dabis, si Tigellinum læseris." *Refert* et *ignoscat* dixit recte et ἐμφατικῶς, quamvis in re præterita atque erepta, pro: aliquando sane, dum Lucilius viveret, impune licebat castigare Mucios ac Muciorum similes; Heinr.

155. *Pone* loco Mucii *Tigellinum*, propter similitudinem morum vitiorumque Neroni et Galbæ amicissimum; de quo v. vet. Schol. ad h. l. Tac. Ann. XIV, 48. 51. (ubi cf. Lips.) 57. XV, 37. 40. 50. 72. XVI, 17. 19. et Hist. I, 72. Suet. Galb. 15. Possis etiam *ponere* docte positum accipere pro effingere, describere; propr. fingere, formare, de pictoribus et statuariis, ut τιθέναι et *ponere* ap. Pers. I, 70. (ubi v. Kœnig) Hor. A. P. 34. al. — 157. 158. *Tœda lucebis in illa* scil. tunicæ molestæ, (de qua v. ad VIII, 235.) *qua ardent stantes*, ad palum deligati, *qui fumant fixo gutture*, stipite per guttur adacto, (cf. Sen. Ep. XIV.) *et latum sulcum* in *media arena diducis*, proprie *diduces*, defossus et igne circumdatus (ut ap. Sen. de ira III, 3 extr.) mediam arenam sulco divides, diffindes. Plura harum crudelitatum exempla memorarunt intpp. ad Sen. ll. ll. et Gell. III, 14. Diversa autem verborum tempora, ut h. l. *lucebis* et *diducis*, sæpissime jungi monent Hein. et, quos laudavit, Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 13. et Gron. ad Sen. de ira III, 3. Cf. Excurs. ad h. l.

158. 159. Responsio poetæ: patienterne ferendum est, sceleratissimos homines superbos et sublimes ferri in lecticis et nos despicere? — 158. Hæc verba proprie ad Tigellinum spectant, si fides habenda Probo Grammatico: (nam aliud testimonium desideratur) *Tigellinus, homo omnium nequissimus, tres patruos habuit, quos omnes, ut eorum hereditatibus potiretur, veneno absumsit, subtractisque annulis et falso tabulis signatis hereditates summo scelere consecutus est. Aconita,*

venenum; propr. herbæ genus, quod nobis dicitur *Wolfswurz, Eisenhütlein, Sturmhut, Mönchskappe.*[59] *plumis*, in lectica, in qua lectus est s. pulvinus, plumis fartus adeoque mollissimus, qui *pluma mollis* dicitur Pentadio de vita beata v. 5.[60] *Pensilibus*, in lectica, quæ sublimis s. sublime fertur a servis.

160—170. Verba et consilium admonitoris. *Quum venict* Tigellinus vel ejusmodi homo *contra*, obviam, (ut ap. Martial. V, 4, 5. XIV, 62.) *compesce labellum*, coerce linguam, *digito* indice s. salutari, vel digitis, manu, *(leg' die hand auf den mund)* h. e. tace, ut ne suspicio quidem ullius verbi prolati in te cadere possit.[61] — 161. *Accusator* enim erit, ut accusator ejus gravissimas pœnas luet, *qui verbum* hoc tantum *dixerit: hic est!* scil. nefarius ille; H. Vales. Sed recte sensum h. l. cepisse videtur Hein. qui hæc adnotavit: Responderat poeta monitori, se vix sibi temperare posse, quin eum, qui patruos tres veneno necasset et tamen summa pompa per urbem veheretur, acriter carminibus perstringeret. Huic monitor: cave facias; non modo satiram in eum ne scribas, sed si tibi forte occurrat, ne verbum quidem proferas, quod eum offendere possit, nam etiam accusator erit scil. *ejus* vel *ei*, (quæ ante *qui* sæpissime subintelligenda esse, docent Gron. ad Liv. XXIII, 15. Duck. ad Flor. I, 1. Cort. ad Sall. Cat. XIII, 2. et ad Cic. Ep. ad div. III, 6, 7.) i. e. accusabit eum, qui tantummodo hæc paucula dixerit: *hic est* sc. ille sceleratus homo. Sententia itaque est: Non solum, si satiram scripseris, maximas pœnas dabis, sed si vel, ubi ille tibi occurrit, alteri dicas: *hic est* ille sceleratus. Verba autem *hic est* cum contemptu pronuncianda sunt, plane ut nos: *das ist der*, ubi ex modulatione vocis intelligitur, laudemne et admirationem indicet, an vituperationem." Similiter jam Beckius: " Acclamatio *hic est* malo quodam prætereunte si audiatur, reus mox calumniæ eris et injuriæ illatæ: quam calamitatem ut subterfugias, melius est tacere, quam dicendo supplicium mereri." Grangæus: " *Hic est* fit per demonstrationem, quæ aut laudi aut vi-

[59] v. intpp. Ovid. Met. VII, 419. Plin. VI, 1. XXVII, 2. et 3. Eustath. ad Dionys. Perieg. v. 791. et ill. Voss ad Virg. Ge. II, 152.

[60] Cf. VI, 88. X, 362. Martial. XII, 17, 8. XIV, 146, 2. Plin. XXVI, 3. et Lips. Elect. I, 19.

[61] *compesce labellum*, comprime, coerce linguam, *digito* indice, qui alio nomine *salutaris* dicitur, quod eo protenso veteres salutarent, quodque silentium, quæ res maxime salutaris est, (!) eo indiceretur; unde et Martianus Capella *digito salutari silentium commovere* dixit: nec aliam ob causam Ægyptii Harpocratem, aut Romani Angeronam, Deos silentii, digito ora comprimere finxerunt; Grang. Cf. Scalig. Lect. Auson. I, 29. Turneb. ad Varr. L. L. lib. V. et Augustin. de civ. Dei XVIII, 5.

tio vertitur pro ratione digiti, quo facta fuit demonstratio: indici enim laus, medio vituperium: unde proverbium *medium ostendere digitum*, de quo v. inf. ad X, 53." In laudem passim *hic est* et Gr. οὗτος ἐκεῖνος dicitur de homine celebri, qui digitis prætereuntium monstratur. Conf. intpp. Hor. Od. IV, 3, 22. Pers. I, 28. Martial. V, 13. IX, 98, 4. Lucian. in Harmon. c. 1. et in Somnio c. 11.

162—164. Tutius ac sine periculo tragicum vel epicum scribes carmen mortuorumque vitam ac facta expones. Suspicor poetæ h. l. ante oculos fuisse Horat. Sat. II, 1, 10 seq. ubi Trebatius idem consilium dat Horatio. *licet — committas*, carmen scribere licet, quale Virgilius scripsit, de prœliis certaminibusque *Æneæ* et *Rutuli ferocis*, fortis, h. e. Turni. *Committere* ut *comparare* et *componere* par pari, vocab. propr. de gladiatoribus, athletis, histrionibus, pantomimis et certaminibus vel oratoriis vel poeticis.[62] *nulli gravis est*, timendus et periculosus; quia neminem offendit, *Achilles*, historia de Achille, (ut mox *Hylas) percussus*, a Paride per insidias sagittis transfixus, quare non amplius nocere potest. v. Hom. Il. χ, 359. et Odyss. ω, 36 seq. Virg. Æn. VI, 57. Hygin. Fab. CVII. ubi v. Muncker. Grangæus putabat, Juvenalem legisse et in animo habuisse locum Ovid. Trist. II, 411. 412. — *Hylas, multum*, diu, *quæsitus* ab Hercule *urnamque secutus*, una cum urna delapsus in Ascanium flumen et raptus a Nymphis: quæ fabula, a multis poetis (nam *cui non dictus Hylas puer?* Virg. Ge. III, 6.) variis modis est tractata.[63] 165—9. Si vero poeta satiricus, qualis fuit Lucilius, hominum, præcipue vivorum, vitia notat, hi *criminibus*, criminum conscientia, (ut mox *tacita culpa) frigidi*, exagitati, anxii, (quibus *formidine turpi frigida corda tremunt*, ut utar verbis Sil. II, 338. et *tacita sudant præcordia culpa) rubent*, rubore suffunduntur, et *inde iræ* sunt, ad vindictam inflammantur, in ultionem excandescunt. Verbis *ardens infremuit* sc. indignabundus, et *ense velut stricto* vis et acrimonia Lucilianæ satiræ exprimitur, de qua v. Pers. I, 114. 5. Horat. Sat. I, 4, 1—6. II, 1, 62 seq. Venuste autem h. l. verba a rebus corporeis ad animum transferuntur et simul opposita illa *frigere* et *sudare* de eadem fere adhibentur re. Conf. ad VI, 649 seq. et Huschkii Anal. crit. p. 32. 33. Grangæus suspicabatur, poetam memorem fuisse dicti Caligulæ, qui

[62] Cf. inf. ad VI, 378. et 436. ad Sil. I, 39. X, 70. XVI, 616. Casaub. et Ern. ad Suet. Octav. 89. et Calig. 53. Intpp. Plin. Ep. VII, 24. et Lucan. I, 97.

[63] v. Burm. Catal. Argon., Heyne ad Apollod. p. 185. Muncker. ad Hygin. Fab. XIV. et ad Anton. Lib. 26. Intpp. Propert. I, 20. et Theocr. Id. XIII. Schol. ad Apollon. I, 131. et 1207 seq. Barth. ad Stat. Theb. V. 445.

peroraturus, *stricturum se lucubrationis suæ telum,* minatus sit, teste Suet. Calig. 53. Possunt etiam jungi verba *ense velut stricto rubet auditor* et ad auditorem referri, qui sceleris conscientia et metu cruciatur, velut *destrictus ensis cui super impia cervice pendet,* ut poeta respexerit ad locum Horat. Od. III, 1, 17 seq. et ad historiam de Dionysio tyranno et Damocle, notissimam vel ex Cic. Tusc. V, 21. — *auditor rubet* non tam pudore suffusus, quam ira in poetam; et *tacita sudant præcordia* præ animi anxietate et labore, ob conscientiam scelus objicientem, et timore, ne satira tacitam detegat culpam; Ach.

166. 7. Mira metus sceleratorum et malæ conscientiæ descriptio, qua rei ac conscii modo frigore, modo calore alternis vicibus torquentur: illud fit propter metum, hoc ob pudorem; nam utrumque malæ conscientiæ inest; Lubin. 168. *Inde iræ* in te *et lacrimæ,* non pœnitentiæ, sed quales effundit rabies et ultionis ardens sitis; Ach. Poeta respexit locum Terent. Andr. I, 1, 99. *Hinc illæ lacrumæ.* — *Ergo tecum hæc,* quæ dixi et monui, ut caveres, pericula satiricis imminentia, invidiam, odium et pœnas, *voluta prius animo,* (ut ap. Virg. Æn. IV, 533. VI, 158. 185.) solertius perpende, *ante tubas,* antequam tuba classicum canatur et in hostem impetum facias, ante initium pugnæ, (ut et ap. Virg. Æn. XI, 424. et hinc ap. Sil. IX, 52. Claud. in Rufin. I, 333. et laud. Stilich. I, 192.) h. e. antequam scribas et satiris aliquem, inpr. potentiorem, lædas et perstringas. Pœnas illas minabantur etiam leges XII tabularum, si mala condidisset in quem quis carmina; quod facete interpretatur Horat. Sat. II, 1, 80 seq. *galeatum* militem, armatum, qui jam *galeam* armaque induit et prœlium iniit, unde pedem referre non possit, *duelli,* pugnæ, *pœnitet sero,* postquam victus et vulneratus est. Ita te consilii sero pœnitebit, si aliquem lacessiveris carmine et ad vindictam provocaveris. Adnotatio Heinr. est hæc: " Illud *ante tubas* suppeditavit Virgilius Æn. XI, 424. (unde et petiit Claudian. laud. Stilich. I, 192.) nisi vero, propter hunc ipsum, archetypa scriptura h. l. videatur *tubam.* Convenientissimum est loco ingenioque Juvenalis, qui sæpissime sumtas a Virgilio loquendi formas, bono cum effectu, in suam rem convertit. Vide saltem supra v. 61. coll. Virg. Æn. II, 477. (ubi tamen non *puer Automedon,* sed *equorum agitator Achillis Armiger Automedon)* Sat. II, 99. 100. VI, 44. (v. sup. ad v. 36.) XII, 94. etc. Nimirum Æneidi Virgilianæ plurimum ista ætas tribuit: cujus quum singuli pæne versus Romanis lectoribus promti essent, id commodum accidit

Juvenali et aliis scriptoribus, unde sibimet ipsi auditorum plausus colligerent. — *Galeatus* non est simpl. miles, ut fere VIII, 238. sed est, ut *mulier galeata* VI, 252., galea indutus, sive, qui capiti galeam imposuit, prœlium ingressus. Id enim fiebat ex more, ut milites, quemadmodum res oculis subjicitur in Columna Trajana, galeam ante pugnam ad humerum dextrum appensam gererent eaque caput obtegerent tum demum, quum prœlium inciperet. Cf. Hirt. de b. Afric. 12. Parum recte hac de re dubitat Fabrettus ad Column. Traj. pag. 213." Cf. Var. Lect.

170. 171. Poeta respondet monitori: Si vivos sine periculo carpere non possum, mortuorum vitia vocis libertate perstringam. Huic quidem promisso non satisfecit, et passim vitia sui ævi et hominum tunc temporis viventium notavit, sed numquam fere aliorum, quam ignobilium et qui minus gratia Imperatorum valebant adeoque minus ei nocere poterant; de potentibus autem vel ipsis adeo Cæsaribus mutatis tantum et fictis nominibus egit, vel ita, ut, quæ diceret, ad alios etiam referri possent. 171. Ad vias, præcipue *Flaminiam*, (vid. sup. ad v. 61.) *Latinam* et Appiam, Romani exstruere solebant sepulcra, quorum latebris sæpe latrones se occultasse notum est; unde multa exstant epigrammata in *viatores* et in inscriptt. passim fit mentio viatorum.[64] *Latina* via teste Strab. V. inter Appiam et Valeriam sita et lapidibus strata ab Urbe ad Sinuessam, opp. extremum Latii, per Algidum et Tusculanos colles ad Ferentum, Frusinonem aliasque civitates nobiles tendens: ad quam exstructa sepulchra, quoniam lege XII tab. sancitum erat, ne quis in Urbe sepeliretur; Ach.

[64] Cf. inf. V, 55. et VIII, 146. Martial. VI, 28, 5. XI, 14, 1. Kirchman. de fun. Rom. II, 22.

IN

SATIRAM II.

---

1. *Ultra Sauromatas*, ad extremum terræ terminum, ad barbaras et remotissimas orbis terrarum gentes, *fugere*.[1] *Sauromatæ* s. Sarmatæ, populus septemtr. in Sarmatia, quæ et Europæa et Asiatica est, ac dirimitur Tanai fluvio, qui terminus Europæ atque Asiæ a veteribus habebatur. *Oceanum glacialem*, septemtrionalem, borealem. *audent* sc. disputare s. præcipere.[2] — 3. *Simulant Curios* se esse, vel imitantur, scil. externo habitu, specie et vitæ ratione. Cf. Martial. I, 25, 3. VII, 57, 7. et IX, 28, 6 seq. Sic *simulare Catonem* dixit Horat. Epist. I, 19, 13. s. *nimbos* Virg. Æn. VI, 591. et al. M'. *Curius* Dentatus, perfectissimum virtutis ac frugalitatis vel continentiæ exemplum. v. inf. ad XI, 78 seq. *Bacchanalia* sc. sacra, in quibus sub prætextu religionis omnia scelerum genera exercebantur; de quo v. Liv. XXXIX, 8—18. Conf. inpr. Creuzer's Symbolik T. III. p. 374 seq. *vivunt Bacchanalia*, h. e. Bacchice, ritu eorum, qui hæc sacra celebrabant, vel Bacchanalium modo, ita ut ea vivendo exprimant.

4 seq. Hæc est descriptio horum hominum. *Primum* sunt *indocti;* deinde (v. 8 seq.) *fronti nulla fides* est; præterea (v. 11 seq.) *hispida membra quidem* cet.; denique (v. 14 seq.) *rarus sermo illis* cet. —

[1] Cf. ad XV, 171 seq. Prop. I, 6, 4. II, 30, 2. Hor. Od. II, 6, 1 seq.

[2] Delenda sunt tria verba in edit. min. his subjuncta, quæ ex pluribus margini primum adscriptis et deinde inductis infelici casu remanserant, mediis inter *leg.* et *docent* omissis. Dictio enim illa *aliquid de moribus audere* etiam nunc mihi haud sincera videtur, sed emendatio satis probabilis nondum succurrit.

omnia eorum musea s. bibliothecæ, (quas virorum doctorum imaginibus plerumque ornatas fuisse, docet Grang.)[3] vel omnes ædium partes, inpr. atrium ejusque parietes. *gypso,* statua s. imagine gypsea, ex gypso. Cf. Plin. XXXV, 12. s. 44. 45. XXXVI, 24. *Chrysippi* Stoici. 5. *perfectissimus horum est,* ipsorum scil. sententia, vel iis videtur. 6. *Si quis,* pro simpl. *qui.* *Aristotelem similem,* h. e. statuam s. imaginem Aristotelis, ei similem, quæ eum ad vivum referat; ut fere ap. Hesiod. Ἔργ. 71. Παρθένῳ αἰδοίῃ ἴκελον, scil. εἴδωλον, s. ἄγαλμα, ποίημα, πλάσμα.[4] *Pittacus,* Mitylenæus, unus ex septem Græciæ sapientibus. 7. *Et jubet, plutcum* (v. Excurs. ad h. l.) *servare,* in eo reponit, recondit, *Cleanthas,* Cleanthis Stoici imagines. *archetypos* adject. ut ap. Græcos et Martial. VII, 10. XII, 70. Ἀρχέτυπον, exemplar primum, ad quod alia effinguntur, (Germ. *original)* quodque maximi putatur. Sermo est de hominibus, quales etiam nunc reperiuntur, qui, quamvis sint indocti, ut fucum faciant imperitis utque docti doctorumque virorum et bonarum artium cultores videantur, ostentationis causa musea ornant magna picturarum copia et librorum, quos neque legunt neque intelligunt. Conf. Senec. de tranquill. an. c. 9.

8. *Fronti nulla fides* sc. est, vel habenda est, Sic *nolito fronti credere* ap. Martial. I, 25, 4. et *verissima frons* opponitur *mentienti* a Cic. ad Qu. Fr. I, 1, 11. et Rabir. Post. 2. *Frons* sedes pudoris, (v. VIII, 189. XIII, 242. Pers. V, 104.) severitatis (v. Cic. ad div. IX, 10. et Ern. clav. Cic.) et tristitiæ. Cf. ad XIV, 56. 109. 110. Sed h. l. est potius omnis externa species et forma; ut ap. Pers. V, 116. *fronte politus Astutam vapido servat sub pectore vulpem* simulator, qui probus homo esse videtur. Cf. mox v. 11 seq. 9. *Tristibus,* hominibus fronte severis ac gravibus, iisdemque *obscœnis,* vita moribusque turpissimis. Talis fuit *Sextus* inf. v. 21 seq. et ille, qui notatur a Lucillio Epigr. VI. in Brunck. Anal. T. II. p. 318. Conf. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 441. *Philosophos vultum et tristitiam et dissentientem a ceteris habitum pessimis moribus prætendere* dicit Quintil. lib. I. Procem. § 15. ubi Spalding: " *Tristitia,* inquit, propr. vocab. de affectata morum severitate, unde et Quintil. II, 1, 34. *barbam* et *tristitiam* jungit, agens iterum de ostentantibus ex professo philosophiam." — 9. 10. Cf. Martial. I, 25. VI, 64. IX, 28 et 48. *Fossa,*

[3] Laudavit Plin. XXXV, 2. Suet. Tib. 70. Euseb. hist. eccl. II, 18. Sen. de tranq. an. c. 9. Lips. de biblioth.

[4] Cf. Stat. Silv. I, 1, 101. II, 7, 129. Martial. IX, 103, 1.

cunnus, ut *βόθρος, scrobs* ap. Arnob. adv. Gent. IV. *caverna* ap. Auson. et *vesica* I, 39. (unde et *fodere* sensu obscœno dicitur, de quo v. ad IX, 45. hinc h. l. ὁ λακκόπρωκτος, qui Ausonio *fossor* vocatur; Grang. Cf. Pollux VI, 30.) *Cinædus* (κινῶν αἰδοῖα) id. qd. *pathicus* inf. v. 99. vel *draucus*, qui muliebria patitur. *Socraticos cinædos*, qui, quum turpissime vivant, de moribus tamen more Socratis disputant ejusque disciplinam et philosophiam profitentur. Conf. Var. Lect.

11—13. Exterior quidem, quam præ se ferunt, species horrida est et vere mascula videtur, sed clam muliebria patiuntur et fœdis libidinibus indulgent. Cf. inf. ad IX, 15. XIV, 194. Ovid. Met. XIII, 850. et inpr. loca simil. Martial. II, 36, 5. 6. et VI, 56. — 12. *Promittere*, ut *spondere* VII, 134. προσδοκίαν παραστῆσαι, excitare exspectationem, vel ἐπαγγέλλεσθαι et στεῦσθαι ap. Hom. Il. ε, 832. al. quod jam monuit Casaub. ad Theophr. Char. XXIII pr. Sic et *promittere* ap. Valer. Fl. I, 272. et Claudian. VIII, 521. *animum atrocem*, gravem et masculum. Cf. Hor. Od. II, 1, 24. *podice levi*, λείῳ, levigato, depilato; nam homines et elegantes delicatique et molles solebant olim aut cutem pumice levigare, κατακισσηρίζειν, aut barbam pilosque, pudendis, pedibus et aliis corporis partibus a natura obductos, radere et tondere, vel forcipe evellere, vel resina, pice, (πίσσῃ) dropace, (δρώπακι, emplastro piceo) et psilothro (ψιλώθρῳ, unguento, Rusma Turcorum) oblinere, ut exciderent: cujus ξυρήσεως, παρατιλμοῦ, πισσώσεως, πισσοκοπίης, δρωπακισμοῦ frequens fit mentio, v. c. VIII, 16. 114. 115. IX, 14. 95. locisque class. Perf. IV, 35 seq. Martial. III, 74. IX, 28. Plin. XIV, 20. XXXVI, 21. et ap. Athen. XII, 3. (14.) p. 518. ubi Theopompus de Etruscorum pueris juvenibusque hæc tradit: Γίνονται παῤ αὐτοῖς πάνυ καλοὶ τὰς ὄψεις ἅτε τρυφερῶς διαιτώμενοι καὶ λεαινόμενοι τὰ σώματα. Πάντες δὲ οἱ πρὸς ἑσπέραν οἰκοῦντες βάρβαροι πιττοῦνται καὶ ξυροῦνται τὰ σώματα· καὶ παρά γε τοῖς Τυρρηνοῖς ἐργαστήρια κατεσκεύασται πολλὰ καὶ τεχνῖται τούτου τοῦ πράγματός εἰσιν, ὥσπερ παῤ ἡμῖν οἱ κουρεῖς· παῤ οὓς ὅταν εἰσέλθωσι, παρέχουσιν ἑαυτοὺς πάντα τρόπον, οὐδὲν αἰσχυνόμενοι τοὺς ὁρῶντας, οὐδὲ τοὺς παριόντας. *Cæduntur*, ut eamdem turpitudinem repetere possint. *Marisca*, genus ficorum, h. l. pustulæ podicis, ulcus, quod et *ficus* ac *fungus* Græcisque σύκωσις dicitur. v. Cels. VI, 3. Martial. I, 66, 1. IV, 52, 2. VII, 70. XIV, 86. *medico ridente*, quoniam nota ei est causa turpis. — 14. Proprium esse hominibus, gravitatis opinionem inepte affectantibus, ut sint ἀπροσήγορι, jam monuit Casaub. ad Theophr. Char. XV. pr. Grangæus: ut

Pythagoricæ sectæ germani appareant imitatores, cujus auctor nihil prius discipulos suos docuit, quam *tacere,* vel linguam coercere ac meditari. Quæ tamen de Pythagora traduntur, quidam referunt ad discipulos ejus, qui aliquamdiu tacentes audire jussi sint, (v. Gell. I, 9.) rectius vero alii ad arcanam illius disciplinam, vel per symbola docentem nonnulla, vel potius non divulgandam, alios celandam. v. Menag. ad Diog. Laert. VIII, 15. et 17. Meiners de vero deo p. 286. et Kœnig ad Claudian. XVII, 90. Conf. potius Luciani verba in Hermotimo c. 18. Ἐώρων γὰρ αὐτοὺς κοσμίως βαδίζοντας, ἀναβεβλημένους εὐσταλῶς, φροντίζοντας ἀεὶ, (meditabundos semper) ἀξύνωπους, ἐν χρῷ κουρίας τοὺς πλείστους, οὐδὲν ἄβρὸν οὐδ' αὖ πάνυ ἐς τὸ ἀδιάφορον ὑπερεκπίπτον, ὡς ἔκπληκτον εἶναι καὶ κυνικὸν ἀτεχνῶς, ἀλλ' ἐπὶ τοῦ μέσου καταστήματος, ὃ δὴ ἄριστον ἅπαντες εἶναι φασίν. — ἢ τούτων ὀλίγον σοι μέλει, ἄχρις ἂν εὐσταλὴς ἡ ἀναβολὴ καὶ ὁ πώγων βαθὺς καὶ ἐν χρῷ ἡ κουρά; — καὶ χρὴ ἀπὸ σχημάτων καὶ βαδισμάτων καὶ κουρᾶς διαγιγνώσκειν τοὺς ἀρίστους· ὃς δ' ἂν μὴ ἔχῃ ταῦτα μηδὲ σκυθρωπὸς ᾖ καὶ φροντιστικὸς τὸ πρόσωπον, ἀποδοκιμαστέος καὶ ἀποβλητέος; — 15. *Coma* iis est *brevior supercilio,* ut Stoici videantur, quorum secta ac disciplina omnium rigidissima erat ac severissima. Cf. ad v. 64. 65. et IV, 76. Ita vulgo hæc verba et bene exponunt: nam Stoici non crinem barbamque promittere solebant, ut reliqui philosophi,[5] sed comam strictim ad cutem tondere, ἐν χρῷ κείρειν, qui mos fuit frugi hominibus et elegantiarum incuriosis; quod ex Phocylidis sententia, ἄρσεσιν οὐκ ἐπέοικε κόμη, factum monet Grang.[6] Hinc Stoici Luciano l. l. ἐν χρῷ κουρίαι dicuntur eorumque discipuli *detonsa juventus* Pers. III, 55. ubi v. Casaub. Quoniam vero *superciliorum* fit mentio, suspicari possis, salse perstringi simul philosophorum illius ævi singularem superbiam arrogantiamque, quam inpr. supercilio adducto et alte sublato (Sen. de Const. Sap. 3.) prodebant; unde dicebantur ἀνατείνειν, ἀνάγειν, ἐπαίρειν, ἀνασπᾶν, ὑπεραίρειν τὰς ὀφρῦς, de quo v. Heyne ad Epictet. c. 22. et, quos ibi laudat, Bergler. ad Alciphr. p. 140. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 373. et ad Aristoph. Plut. 756. it. Abresch. Lect. Aristæn. p. 336. Conf. Luciani Timon § 54 pr. et Dial. Mort. X, 6. et 9. Re itaque festive et σκωπτικῶς in majus aucta *coma* eorum dicitur *brevior* fuisse *supercilio* per fastum quasi extento et alte sublato. Hinc et *supercilium,* ut ὀφρῦς, simpl. de fastu adhibe-

[5] de quo v. Salmas. ad Tertull. de pallio p. 3 seq. Intpp. Gell. IX, 2. XIII, 3. Horat. Sat. II, 3, 35. et inf. ad XIV, 12. Stoici barbam alebant, sed caput cute tenus tondebant; Kœnig ad Pers. III, 54. coll. Luciano in vit. auct. c. 20. ubi cf. intpp.

[6] Cf. Casaub. ad Theophr. Char. X, 4. et ibid. Fischer. in Indice voc. ἐν et κείρεσθαι.

tur. v. ad V, 62. Hæc prorsus aliena esse contendit Hein., quoniam in omnibus, quæ poeta disputaverit, non sermo sit de superbia, sed de simulatione. Nonne vero hæc est *simulatio*, si homines, de quibus agitur, illo modo superbiam produnt, ut philosophi esse videantur? Nonne eamdem ob causam plura facere possunt? *Verius*, apertius et simplicius sc. facit, agit, qui vitia sua non dissimulat, sed palam profitetur. Sic *vere agere*, h. e. sine dissimulatione, dixit Cic. Or. II, 86. *Peribomius*, homo impudicus. v. Varr. LL.

16 seq. Ejusmodi homines non malitiose et repugnante intus ratione, vel scientes prudentesque peccant, sed vel inviti et tam cœco ad voluptates et flagitia rapiuntur *furore* h. e. impetu, vel motu furentis animi et affectuum, ut de virtute ne quidem cogitent, neque sciant se male agere, quasi penitus sit in iis exstincta ratio, unde poeta h. l. eorum *morbum* atque intemperantiam *fatis imputat*, quemadmodum Aristoteles eos Nicomach. II. natura sive naturæ vitio peccare, et Philo Judæus (in libro de herede rerum divinarum) ζῆν κατὰ γένεσιν dicit: *horum*, Peribomii et qui ei similes sunt, *simplicitas*, ignorantia virtutis et vitiorum, vel potius ingenua confessio morbi ac vitii, quod scil. facie et incessu produnt, (ut *vera*, non simulata, *simplicitate bonus* dicitur Mart. I, 40, 4.) *miserabilis*, commiseratione digna, (τούτους ἐλεεῖσθαι προσήκει Galen. de usu partium XI.) *et furor veniam* meretur, nam ὁ μηδὲν εἰδὼς μηδὲν ἐξαμαρτάνει, et οὐδεὶς ἑκὼν πονηρὸς, οὐδ' ἄκων μάκαρ. Conf. Pers. III, 31—34. (ubi v. Casaub.) et Luciani Ἀπολογία περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων cap. 9. ἆρά μοι κράτιστον, ἐθελοκακήσαντα καὶ τὰ νῶτα ἐπιστρέψαντα καὶ ἀδικεῖν οὐκ ἀρνούμενον ἐπὶ τὴν κοινὴν ἐκείνην ἀπολογίαν καταφυγεῖν (λέγω δὲ τὴν τύχην καὶ μοῖραν καὶ εἱμαρμένην) καὶ παραιτεῖσθαι συγγνώμην ἔχειν μοι τοὺς ἐπιτιμῶντας, εἰδότας, ὡς οὐδενὸς ἡμεῖς κύριοι, ἀλλ' ὑπό τινος κρείττονος, μᾶλλον δὲ μιᾶς τῶν προειρημένων ἀγόμεθα, οὐχ ἑκόντες, ἀλλ' ἀναίτιοι παντάπασιν ὄντες, ἃ ἂν λέγωμεν, ἢ ποιῶμεν. *hunc ego fatis imputo, qui* cet. vid. Var. Lect. Grangæus *fata* h. l. accipiebat de influxu astrorum ac nativitate, coll. Manil. V, 105 seq. quem locum a Juvenali expressum censebat. *incessu fatetur*, indicat, manifestat, ostendit, prodit, (ut X, 172. et XV, 132.) *morbum*, v. ad IX, 49.

19—21. *Pejores* his simplicibus sunt illi, qui *talia* vitia, quibus et ipsi contaminati sunt atque obruti, dissimulant et *verbis invadunt*, castigant, insectantur, increpant, reprehendunt;[7] *verbis Herculis*,

[7] Cf. Plin. Ep. VIII, 22, 1. Valer. Max. VIII, 6. Gruter. ad Aurel. Vict. Epit. c. 1.

grandibus ac magnificis, qualibus Hercules uteretur; vel gravissimis ac severissimis, qualibus Hercules ille Prodicius Voluptatem increpuit et a se repulit, quod vel tironibus notum e Xenoph. Memor. Socr. II, 1. Conf. omnino verba Hermeæ Curiensis, jam a Grang. laudata ad v. 64., quæ leguntur ap. Athen. XIII, 15. p. 563. (T. V. p. 34. et Schweigh.) Ἀκούσατ', ὦ Στώακες, (al. Στόακες) ἔμποροι λήρου, λόγων ὑποκριτῆρες, οἳ μόνοι πάντα Τὰ 'ν τοῖς πίναξι, πρὶν ἢ τῷ σοφῷ δοῦναι, Αὐτοὶ καταῤῥοφεῖτε· κἆθ' ἁλίσκεσθε Ἐναντία πράσσοντες οἷς τραγῳδεῖτε, (deprehendimini contraria his facere, quæ pompose, tragico sermone dicitis, ut h. l. *verbis Herculis*) Παιδοπίπαι ὄντες, (puerorum cupidi speculatores) — καὶ τοῦτο μόνον ἐζηλωκότες τὸν ἀρχηγὸν ὑμῶν τῆς σοφίας Ζήνωνα, ὃς οὐδέποτε γυναικὶ ἐχρήσατο, παιδικοῖς δ' ἀεί. Ὀρυλλεῖτε γάρ, ὅτι δεῖ μὴ τῶν σωμάτων, ἀλλὰ τῆς ψυχῆς ἐρᾶν· οἵτινες μέχρι ὀκτὼ καὶ εἴκοσι ἐτῶν δεῖν λέγοντες συνέχειν τοὺς ἐρωμένους. *Clunem agitare* id. qd. *cevere*, quod proprie significat σαίνειν κέρκῳ, de canibus hero adulantibus, deinde τὸν πρωκτὸν αἰσχρῶς κινεῖν, more lascivorum et libidine in coitu inflammatorum.[8] Græci explicant τὸν πρωκτὸν αἰσχρῶς κινεῖν vel uno verbo σαλακωνίζειν, a Salacone Antocli patre molliculo et deliciis diffluente; Grang.[9] *Ego te ceventem*, mollem et effeminatum, cinædum, *verebor*, reverear et colam? *Sextus* non Stoici pathici nomen, sed, quod vet. Schol. monet, Senatoris. *Infamis* stupro, libidine, flagitiis. *quo*, quanam re, quo modo, quam ob rem, *te deterior* sum? Cf. Hor. Sat. II, 7, 40 seq. — 23 seq. Quicumque alteri exprobrat naturæ vitia, iis ipse careat necesse est.[10] *Loripes*, ἱμαντόπους s. βλαισόπους, valgus, cui *pedes* vel crura distorta sunt in modum *lori*, ἱμάντος. Cf. Plin. V, 8. extr. et ibi intpp. *Rectus* opponitur *curvo*. 24. *Quis tulerit* patienter. *Gracchos*, Tiberium et Caium, tribunos pl. ac fratres, agrariis aliisque legibus rogatis multisque motis turbis trucidatos. 25. Similiter *cœlum ac terras miscere* dixit Liv. IV, 3. ut Lucian. in Prometh. c. 9. τῇ γῇ τὸν οὐρανὸν ἀναμεμίχθαι, ac nos: *himmel und erde bewegen*, h. e. magnos motus turbasque concitare, de homine, qui indignatione et iracundia furit, vel qui monstra vidit atque audivit, et tum clamando elementa ciere solet. Conf. inf. VI, 283. 284. et Virg. Æn. I, 133. V, 790. Sententia δεινῶς expressa! 26. *Verri*, cujus furta in Gallia, Cilicia et præcipue Sicilia nota e Cic. Verr. I, 17 seq.

[8] Cf. Hor. Sat. II, 7, 50. Passerat. ad Prop. II, 16, 27. Misc. Obss. Vol. V. T. I. p. 119. Sciopp. Comment. in Lus. c. 18. v. 4.

[9] Cf. inf. IX, 40. Martial. III, 95, 13. Pers. I, 87.

[10] Grangæus comparabat Plaut. Trucul. I, 2, 58. Terent. Phorm. V, 9.

36 seq. et Act. in Verr. Lib. III. IV. V. *Miloni,* qui Clodium interfecit. *Clodius* infamis incestu sororis suæ et adulterio Pompeiæ, uxoris Cæsaris. *C. Cethegus* socius *Catilinæ* in conjuratione. Cf. ad VIII, 231. et X, 287. *tres discipuli,* imitatores, *Sullæ,* qui idem, quod Sulla, fecerunt ejusque exemplum imitati sunt, Octavius, Antonius et Lepidus, triumviri, (quorum proscriptio propterea *Sullana* dicitur Floro V, 4.) non, quod alii putant, Cæsar, Pompeius et Crassus. *tabulam* proscriptionis. *Dicere in,* contra, *aliquid,* de judice, sententiam dicente, vel de accusatore.

29—33. v. Annotata ad Argum. *Qualis* rigidus aliorum censor fuit Domitianus, qui *Juliam,* Titi fratris filiam, adhuc virginem, oblatam in matrimonium sibi, quum, devinctus Domitiæ nuptiis, pertinacissime recusasset, non multo post alii collocatam ultro corrupit, et quidem vivo etiam tum Tito; mox patre ac viro orbatam ardentissime palamque dilexit, (v. Dio LXVII, 3.) ut etiam causa mortis exstiterit, coactæ conceptum a se abigere. Ita Sueton. Domit. c. 22. quocum conf. Plin. Epist. IV, 11, 6. Philostrat. de vita Apollonii VII, 7. et de iniqua Domitiani censura Spanhem. de U. et P. N. Diss. II. p. 106. *tragico,* horrendo, nefando. *Tragicum* proprie vocatur, quod a Tragicis describi solet, vel dignum, quod a tragico quodam poeta tractetur. Sed quis hanc rem tragici argumenti esse dixerit? Heinecke hæc adnotavit: " Sed *tragicum* non per se habet significationem *horrendi, nefandi,* sed hæc notio translata est a *tragœdiis,* quia in iis ejusmodi res tractatæ sunt. Ita concubitus *tragicus* h. l. qualis fuit Œdipi et Jocastæ, eorumque historia tamen sæpissime tractata est a Tragicis." Hæc ergo cum illa plane congruit? *Leges* de adulteriis, Juliam scil. et Scatiniam, *revocabat amaras omnibus* adulteris.[11] Idem Domitianus mares castrari vetuit; de qua ejus lege v. ad VI, 368 seq. 31. *Veneri Martique* facete, diis adulteris et a Vulcano etiam in concubitu deprehensis: nec minus salse *omnibus,* quo ingens adulterorum copia innuitur. *abortivis* scil. medicamentis. Cf. VI, 368. 595. 596. *Fecunda vulva* et plurativum *offas* ad partum tergeminum quadrigeminumve referri possunt, (cf. VI, 599.) nec tamen opus est. *offas,* massas deformes, fetus immaturos s. embryones, *patruo similes,* quia Domitianus, Juliæ patruus, eam incestaverat, gravidam fecerat; Brit. Grangæus et alii hac similitudine

Erasm. Prov. III, 2, 21. Cf. et Cato Dist. de mor. I, 30.

[11] v. Annotata ad Argum. Sueton. Domit. c. 7. et 8. ibique intpp. Zonar. Annal. T. II. Martial. I, 5. VI, 2. et 4. et 7.

non modo incestum Domitiani, auctoris et patris, significari putant, sed etiam deformitatem ejus, quoniam Domitianus deformis calvitie, obesitate ventris et crurum gracilitate fuerit, (v. Suet. Dom. c. 18.) et *offa* proprie sit massa carnis aliarumve rerum *deformis atque in tumorem crescens.* (v. ad XVI, 11.) — Dodwellus in Annal. Quintil. p. 127, ex verbis *tot abortivis* colligit, Juliam plures uno fecisse *abortus.* Sed unus tantum a Suet. et aliis, nedum permulti *(tot)* memorantur abortus Juliæ, a Lexicographis vero vix unicus laudatur locus, ubi *abortivum* omnino pro *abortu* dictum: aptior etiam videtur h. l. poetæ nostri vulgaris hujus vocis significatus probabiliusque, Juliam periisse sumtis *tot* abortivis, quum unum alterumve non suffecisset, (*abortivis erat opus*, non *abortivo*, ut VI, 368.) et ipsa, Suet. teste, conceptum abigere *coacta* esset, quam *tot* fecisse abortus.[12] 34. *ultima*, extrema, summa, maxima, *vitia*, h. e. vitiosissimi, flagitiosissimi homines, ut *labes ac cœnum* ap. Cic. *scelus, scelus viri, scelus hominis, stabulum nequitiæ* vel *flagitii* cet. passim ap. Plaut. vel *stabula* de equis stabulantibus ap. Sil. III, 383. ubi v. not. Conf. Var. Lect. inf. ad v. 120. *fictos Scauros*, h. e. homines improbos et simulatores, (ut ap. Horat. Sat. I, 3, 62.) qui vitia sua dissimulant et occultant, similes M. Æmilio Scauro, qui teste Sallust. Jug. 15. (al. 18.) *nobilis homo fuit, impiger, factiosus, avidus potentiæ, honoris, divitiarum, ceterum callide vitia occultans.* Possunt tamen ita quoque dici homines, qui, quum flagitiosi sint, veris moribus dissimulatis, speciem *Scaurorum*, h. e. bonorum graviumque hominum, (ut XI, 91.) vel morum sanctitatem gravitatemque præ se ferunt. *vitia castigata remordent*, h. e. improbi verbis castigati, similes canibus remordentibus, vicissim castigant et mordacibus verbis vel dente jocoque mordente lacessunt improbos censores suos, qui iisdem vel aliis vitiis dediti sunt. Cf. Horat. Epod. VI, 1—4. et Lucret. III, 839. IV, 1128.

36. *ex illis* simulatoribus. *Lauronia*, mulier impudica et dicax. Cf. Var. Lect. *quemdam torvum*, severum, qui semper temperantiam crepabat et virtutem: nisi malis jungere *clamantem torvum*, ut ap. Virg. Æn. VII, 399. et Sil. XI, 99. *lex Julia* de adulteriis s. pudicitia, ab Augusto, non a Julio Cæsare, lata, quod hodie satis notum est. *dormis*, nonne vim amplius habes et exerces? num im-

[12] Dodwello suffragatur Heinrich, neque ejus sententiam in dubium putat vocari posse a quoquam, qui oculos habeat et cernere queat expressa *tot abortiva* et *patruo similes offas*, quique ex Lexicis didicerit, minime inauditam esse Latinis *abortivi* significationem, qua ponatur pro *abortu.*

punita dimittis tot scelera? Similiter *ferulæ* et *pessuli dormiunt* ap. Martial. X, 62, 11. Plaut. Curc. I, 2, 66. et quæ propius huc spectant, laudata a Rigaltio, verba Appiani in Pun. c. 112. Οἱ Λακεδαιμόνιοι, λύοντες ἐν χρείᾳ τὴν ἀτιμίαν τῶν ἀλόντων περὶ Πύλον, ἔφασαν· Κοιμάσθων οἱ νόμοι τήμερον. 38. *Ad quem subridens* Lauronia dixit, non irata vel indignabunda, sed cavillans et ludibrio eum habens. Quæcumque enim respondet, εἰρωνικῶς dixit. Cf. Var. Lect. *te* tamquam exemplar virtutis *opponunt moribus* pravis. *habeat jam Roma pudorem*, pudeat jam Romanos peccasse, aut nunc peccare te præsente, vel quum tale probitatis exemplum habeant. 40. *Tertius e cœlo cecidit Cato* paulo liberius dictum, tanquam Urbs duo habuisset *Censorios*; Heinr. Nonne vero poeta, qui contrarium ignorare non poterat, si ad solum respexisset Censorium, pro *tertius* dixisset *alter* aut *secundus*? Malim itaque interpretari: tu *tertius* quasi *Cato* es, post Censorium illum et Uticensem, viros summa gravitate ac severitate conspicuos. Ita *Sappho Musarum decima* et *Stertinius sapientum octavus* ap. Horat. Sat. II, 3, 296. Similiter Euphron, comicus poeta, dixit ap. Athen. IX. 6. (24.) p. 379. Οὗτοι μετ' ἐκείνους τοὺς σοφιστὰς τοὺς πάλαι Γεγόνασιν ἡμῶν ἑπτὰ, δεύτεροι σοφοί. Seneca Epist. 120. *Quidam alternis Vatinii, alternis Catones sunt*; et alio loco, *Omne ævum Clodios fert*, (cf. inf. VI, 345.) *sed non omne tempus Catones producit. — e cœlo cecidit*, singulari deorum beneficio ac favore nobis datus est. *De cœlo venisse* vel *demissum* dicebatur ac putabatur olim, quodcumque vel repente ac præter omnium opinionem conspiciebatur ac potissimum hominibus insperantibus et in summo periculo versantibus saluti erat, (v. Liv. XXII, 29.) vel tam eximium, singulare et admirabile videbatur, ut prorsus divinum et a vi aliqua superiore profectum existimaretur: (cf. XI, 27.) populi enim, in rerum causis indagandis rudes, omnia insolita et quæ præter naturam fieri putant, vel bona vel mala, ab immediata deorum vi, ope et influxu repetere solent. Conferunt Ammian. Marcell. lib. XXII, 2, 4. Macrob. Somn. I, 9. et Muret. Varr. XIII, 7.

40 seq. Facile sentis vim interrogationis et sarcasmum, quo hypocrita mollitiei convincitur. Cf. Martial. XIV, 59. *opobalsama*, unguenta. De balsamo, opobalsamo, xylobalsamo et carpobalsamo v. Plin. XII, 25. *hirsuto collo*, cf. v. 11 seq. *tabernæ* unguentariæ, ubi opobalsama emisti. 43. *si leges vexantur*, vexandæ quasi in somno, ex eo excitandæ sunt, h. e. citandæ et in memoriam hominibus revocandæ, ut tu semper crepas legem Juliam: nam eas *dormire* v.

37. dixerat simulator. Alii: si negotium est legibus exhibendum et si advocandæ sunt contra vitia; qui enim vocantur, ut veniant, iis labor injungitur et *vexari* videntur. *Scatinia* vel *Scantinia* lex (v. Var. Lect.) in molles et effeminatos, qui nefanda Venere uterentur, h. e. aut ipsi muliebria paterentur aut vim pueris facerent, quibus pœnam decem millium nummorum statuit, lata a P. Scantinio Pont. (Liv. XXIII, 11.) vel a Scantinio trib. pl.; nam a Scantinio, qui ea damnatus sit, illam nomen accepisse, e Valer. Max. VI, 1, 7. judicio parum probabili colligitur.[13] — 45. *plura* reprehensione et pœnis digna. 46. Peccantium multitudo et consuetudinem et licentiam peccandi parit. Comparant Senec. de clem. I, 22. de benef. III, 16. Lucan. V, 259. 260. et al. Se invicem junctis viribus tuentur a legibus judicibusque, ut milites se ab hoste tutantur facta et densata *phalange*, (μάχῃ αὐτοσχεδίᾳ, συνασπισμῷ, testudine) qua impetus vel hostis excipitur vel in eum fit, et viris atque *umbonibus*, h. e. scutis, *junctis*.[14] — 47. Grang. conf. proverb. *Simile simili gaudet*, Catull. Epig. LVIII. *(Pulcre convenit improbis cinædis)*, Martial. VIII, 35. et al. — *molles*, pathicos, cinædos. 49. *lambit*, v. ad IX, 4. *Cluvia*, *Flora* et *Catulla* nomina ficta mulierum impudicarum, ut *Hispo* (al. *Hippo)* viri cujusdam infamis. *Catulla* forte eadem memoratur X, 322. et Martial. VIII, 53. *subit*, pædicat. Cf. Prop. III, 19, 14. *morbo utroque*, lambendo et patiendo, vel fellando et pædicando, vel quia cum utroque sexu rem habet. De voce *morbus* v. ad IX, 49.

51 seq. Nos non virilia agimus, ut vos muliebria. 52. *fora*, judicia, *non movemus*, turbamus, causas agimus. Sed v. VI, 242 seq. *Luctantur paucæ*, v. ad I, 22. 23. — 53. *Coliphia* dici aridam validamque carnem in coxis boum, alibilem athletarum cibum, (v. ad XI, 20.) Germ. *ziem*, docent Schneider ad Script. rei rust. T. IV. p. 104. et Böttiger in London und Paris V. Jahrg. No. III. a. 1802. p. 262. 263. Κωλῆ, κωλὴν et diminut. κωλήφιον s. κωλήπιον, femur, perna. Cf. Salmas. ad Tertull. pall. p. 262. et intpp. Martial. VII, 66, 12. *Lanam trahere*, ducere e filo, vel potius carere, carminare. Cf. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XIX, 49. Scalig. et Heyne ad Tibull. I, 6, 80. *peracta vellera*, lanam et stamina in filum deducta. *Calathus*, κάλαθος,

[13] v. Christii hist. legis Scatiniæ, Halæ 1727. 4. Ernesti clav. Cic. in Ind. legum, Bachii hist. jurispr. Rom. p. 146. et qui ab his laudantur.

[14] De hac phalange densata v. Polyb. XVIII, 12 seq. Clarke et Kœppen ad Hom. Il. Λ, 72 seq. N, 130 seq. Π, 212 seq. Klotz. ad Tyrt. II, 30. p. 101. Cerda et Guell. ad Virg. Æn. X, 361. Liv. XLIV, 9.

καλάθιον, καλαθίσκος, corbis vimineus, eleganter flexus, *(arbeits-blumen- und fächel-körbchen)* cui ancillæ, lanam facientes, pensa diurna *referebant*, h. e. in quo ea reponebant, τάλαρος εἰρυχαρής s. εἰρυκόμος. v. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. I. P. II. p. 68. Böttigeri Sabina p. 176. XIX. XXIV. ed. pr. et Spanhem. ad Callim. H. in Cer. v. 1. — 55. *fusum tenui stamine prægnantem*, plenum, repletum, *levius*, velocius, *torquetis*, ut *levi teretem versabat pollice fusum* Arachne ap. Ovid. Met. VI, 22. et Penelope λέπτ' ἠλάκατα στρωφῶσα ap. Hom. Od. ρ, 97. Ars *Penelopes* nota ex Hom. Od. τ, 137 seq. et *Arachnes* ex Ovid. Met. VI, 5—145. 57. *Codex*, ligneus stipes, quem alligati servi, qui deliquerant, trahebant, cuique *insidebant* vincti; (Germ. *der stock)* Turneb. Advers. XXIII, 21. Cf. Prop. IV, 7, 44. et Plaut. Pœn. V, 3, 34. *quale* stamen *facit horrida*, inculta, *pellex*, ancilla, cui hæc pœna infligitur ab uxòre viri, cujus pellex fuerat ante nuptias vel post eas adhuc est aut esse putatur. Cf. Böttigeri Sabina p. 426. 442. ed. pr.

58. *Hister* Pacuvius, homo infamis et captatione testamentorum ditatus. Cf. XII, 111 seq. *cur liberto* eodemque drauco s. pathico *solo tabulas* testamenti *impleverit*, h. e. eum heredem ex asse testamento reliquerit vel scripserit. Cf. VI, 601. — 59. *cur vivus multa* dona *dederit puellæ*, uxori, ut scil. pateretur draucum in eodem lecto secum *dormire*, cubare, (v. vs. seq.) et ut ejus maritique turpitudinem celaret; unde *arcana* cet. v. 61. *Puellæ* et *virgines* poetis Rom., ut παρθένος et νύμφη Græcis, dicuntur etiam uxores juvenes, recens nuptæ et dilectæ; quæ in flore ætatis sunt, etiam eæ, quæ jam alicui nuptæ sunt vel adeo pepererunt.[15] 60. *Dives erit*, multis donis a marito acceptis, *quæ tertia*, cum marito et pathico, *dormit*, cubat, ut ap. Martial. III, 73, 1. *magno* in *lecto*, qui tres capere potest. Aliis lectus divitis vel maritalis esse videtur. 61. *arcana*, silentium. Cf. ad v. 59. *Cylindri* lapilli pretiosi, teretes, oblongi instarque cylindri, quo in areis æquandis utimur, volubiles; Grang. coll. Plin. XXXVII, 5. et Tertull. de habitu mul. c. 7.

62. *De nobis* miseris mulieribus, scil. si in aliquam, etsi falsam, impudicitiæ suspicionem inciderimus, vel ex infirmitate et simplicitate forsan peccaverimus. *post hæc* flagitia vestra; h. e. quum vos contra impune feratis scelera. *tristis*, severa ac dura, *sententia fer-*

[15] v. ad 6, 258. 9, 74. intpp. Horat. Od. II, 8, 23. III, 11, 35. 14, 9. 22, 2. Kœppen ad Hom. Il. γ, 130. Heyne Obss. ad Tibull. III, 1, 21. Drakenb. et nos ad Sil. III, 435.

tur, a maritis, ædilibus, senatu vel Imperatoribus. Impudicitia matronarum severis utique legibus (inpr. Julia, cujus pœna fuit relegatio in insulam cum publicatione dimidiæ partis dotis et tertiæ bonorum) ac pœnis coercebatur.[16] — 63. Simili apophthegmate Democrates, Zaleucus et Anacharsis leges comparasse dicuntur aranearum telis, retinentibus infirmiora animalia, validiora transmittentibus. v. Stob. Serm. LXVI. et CLI. Plut. vit. Solonis Opp. T. I. p. 81. A. Valer. Max. VII, 2. ext. 11. Erasmi Adag. Chil. III. Cent. V, 73. Similiter nos dicimus: *Kleine diebe hängt man, grosse lässt man laufen.* Cf. Terent. Phorm. III, 2, 16 seq. *censura,* cognitio et judicium. *corvis,* h. e. iis, qui multa ac magna commiserunt delicta, h. l. viris malis et improbis. *vexat,* exagitat, castigat, punit. *columbas,* eos, qui minus vel nihil deliquerunt, innocentes; h. l. mulieres.

64. 65. *Stoicidæ* contemtim dicuntur homines libidinosi flagitiosique, sed Stoicorum speciem præ se ferentes eorumque more de virtute disputantes; ut Στώακες vel Στόακες diminutive et per contemtum pro Στωϊκοί in loco Athenæi sup. ad v. 19. adscripto. Cf. ad v. 15. Vetus Schol. et alii putabant, voc. *Stoicidæ* femineum esse et contumeliose dici, ut *Phrygiæ* ap. Virg. Æn. IX, 617. et *Troiades* ap. Pers. I, 4. *canentem vera* Laroniam, quæ pudorem iis incusserat. *Canere* significat clare dicere et indicare, (ut *cantare* passim ap. Plaut. v. c. Bacch. IV, 9, 61. Most. IV, 2, 64. et Rud. II, 5, 21.) vel simpl. loqui aut docere, quoniam antiquissimis temporibus omnia et dicta et præcepta versibus continebantur. *quid falsi* dixerat?

65 seq. Quid non facient alii, quum judices et cognitores vitiorum ipsi iis dediti ac molles sint? *Multicia* scil. vestimenta, ut v. 76. et XI, 186. vel *multicia synthesis* ap. Tertull. de Pall. 4. et *m. tunica* ap. Flav. Vopisc. in Aurel. 12. vestes subsericæ s. bombycinæ et Coæ, tenuissimæ et perlucidæ, (unde v. 78. *perluces;* de quo v. Heyne ad Tibull. IV, 6, 13. et Jacobs ad Anthol. Gr. T. II. P. II. p. 279.) quibus tunc temporis etiam viros uti non pudebat, quamvis ne feminas quidem decerent. Cf. ad VI, 259. 260. VIII, 101. Horat. Serm. I, 2, 131. Senec. Ep. 90. 115. 123. et de Ben. VII, 9. extr. Lucan. I, 163 seq. Petron. Sat. c. 119. Plin. XI, 22. extr. et 23. extr. Clemens Alex. Pædag. III, 3. Lips. Excurs. ad Tac. Ann. II, 33. Salmas. ad Tertull. de Pall. p. 226 seq. et Vopisc. l. l. Dicta autem *multicia* Salmasius putat a *multum* et *icio,* bene densata et radio percussa, ideoque

[16] v. Intpp. Suet. Tib. c. 35. Lips. not. et Excurs. ad Tac. Ann. II, 85.

tenuia et levia. Minus probabiles sunt aliorum conjecturæ. v. Voss. Etymol. p. 331. et Ferrar. de re vest. I, 20. *sumas,* induas, ut contra *ponere* et *deponere vestem* pro exuere; Grang. 67. *Creticus* nomen cujuslibet nobilis, ut VIII, 38. Cf. Annot. ad Argum. *in Proculas et Pollitas,* contra adulteras et meretrices, lege Julia damnandas. *Procula,* nomen Rom. ut III, 203. et ap. Gruter. passim. *Pollitas,* v. Var. Lect. — 70. *togam talem,* multicia. Interpretes h. l. monent, matronis stupri *damnatis* deponendas fuisse stolam, institam, vittam, *sumendamque togam* meretriciam.[17] Eo tamen non respexisse videtur poeta.[18] — *Sed Julius ardet, æstuo,* verba Cretici, causantis, se tam tenui veste uti propter nimium Julii mensis æstum. *Julius ardet,* ut *Tostam ferveus Julius coquit messem* ap. Martial. X, 62. 7.

71—76. Locus difficillimus, cujus sententia nunc, re solertius perpensa, sic mihi expedienda videtur: Respondet poeta v. 71. *agas* causam (ut *perores* v. 67.) *nudus,* sola vestitus tunica: (ut γυμνὸς et passim *nudus;* v. ad Liv. III, 19, 9.) *minus est insania turpis,* minus turpe est, insanum haberi, quam tam mollem et effeminatum. Quibus hæc reponit Creticus ridens v. 72—74. *En habitum, quo te* (nisi malis *me) leges* cet., habitus hic, quem sumere mihi suades, sane tam ridiculus est, ut, si sola indutus tunica *leges et jura ferres,* in tribunali sederes, vel *populus modo victor,* qui modo, vix rediit victor *vulneribus crudis,* recentibus, nondum sanatis, *et montanum vulgus positis aratris,* relicto opere rustico, *te audiret,* te videndi audiendique cupiditate accurreret. His poeta regerit ista v. 75. 76. Vere et recte; at *quid non proclames,* quanto magis stupeas necesse est, *si in corpore judicis videas ista* multicia, vestimenta ejusmodi perlucida, quæ ne *testes* quidem *decent,* nedum judices? Sic oratio magis nitebit, quam si omnia hæc tribueris poetæ et *habitum* v. 72. ad multicia spectare credideris; quam rationem et ipse olim sequutus sum, quaque admissa languent saltem vs. 75. et 76. — Editores, quotquot consului, vss. 72—74. hoc sensu ceperunt: O quam dignus habitus et judex, quem spectent prisci illi Romani militiæ et agriculturæ adsueti! Quæ interpretatio neque his, neque proximis verbis v. 75. 76. satis convenit, quamvis huc referantur, quæ de voc. *modo* notavi inf. ad v. 160. Dis-

[17] Cf. sup. ad I, 96. Porphyr. Acron. et Lambin. ad Horat. Sat. I, 2, 63. et 82. Heyne ad Tibull. I, 6, 67. IV, 10, 3. Lips. Excurs. ad Tac. Ann. II, 85. Martial. II, 39. X, 52.

[18] Plathnerus hæc verba eo referenda putabat, quod toga fuerit vestis mulierum in luctu, et damnati veste incesserint lugubri. Cf. Rittershus. Comm. ad XII Tab. I, 4. Godofr. ad L. XV. § 15. de Injur. et Schott. nod. Cic. lib. I.

plicuit etiam Heineckio, cui tamen mea, (antiquior illa, quæ omnia quidem tribuebat poetæ, non vero ad priscos referebat Romanos) videtur multo pejor. Audiatur itaque octavus sapientum, cujus verba sunt hæc: " Mecum sic interpunge et explica:

Nudus agas. Minus est insania turpis?
En habitum, quo te leges — aratris.
Quid? non proclames, in corpore *cet.*

i. e. tu potius nudus age causam tuam. His respondet Creticus: Ergo me insanum esse vis, atque hoc minus turpe putas. Profecto tali habitu me nemo hac tempestate audire sustineret; si coram priscis illis agerem, qui sæpius in forum ad causas audiendas ibant *modo victorcs* i. e. redeuntes ex pugna, ubi victores fuerant, (notissimum enim est, initio Romani imperii bella sæpius uno paucisve diebus finita esse, populusque igitur in forum ibat, ubi paulo ante, *modo victor* exstitit *vulneribus* adhuc *crudis)* si coram illis et præsente illo montano populo, (Sabinis tetrica sua disciplina) qui ab aratro ad negotia civilia vocabantur, Cic. de sen. 16., *nudus in Proculas et Pollitas perorarem*, non pro insano haberer, quod nostris temporibus secus est. Poeta Cretico respondet: *Quid?* ergo tali habitu te nunc insani speciem non evitaturum putas, at *non proclames*, nonne terram et cœlum moveas, si ea, quibus tu indutus es, *ista*, in corpore judicis videas? Significationem vocis *nudus* non urgendam esse puto, si quidem *nudus* sæpius dicitur, qui modo tunica indutus est. Conf. Burm. ad Petron. c. 92. Tunica vero ad dicendum procedere, nefas habebatur, et vel in toga rite componenda accurati erant dicturi. Cf. intp. ad Plin. Ep. II, 3." Ergo hoc est sapere! Mihi quidem et hæc, pæne omnia, et ea, quæ contra me disputavit vir doctus, multas ob causas, quas memorare nihil attinet, non minus absona videntur, quam illi mea, licebitque ei reponere idem, quod mihi dixit: Si Juvenalis hæc et dixisset et ita expressisset, quovis tirone pejus bulbutiret. Judicent nobis acutiores! 72. *En habitum,* amara irrisio, ut ap. Virg. Æn. IV, 597. XII, 359 seq. et al. Similiter *Ecce iterum Crispinus* inf. IV, 1. *Montani* s. *pagani* dicebantur cives Romani, ruri et in locis montanis habitantes. v. Ernesti clav. Cic. v. *montani* et *pagani*. 74. *positis,* depositis, relictis, *aratris.* — 75. *Quid non proclamcs?* Proclames forte, ut Tullius, *O tempora, O mores!* (cf. Mart. IX, 71.) vel, ut Plautus, *Mare, terra, cœlum, Dii vostram fidem!* Grang. Cf. ad v. 25.

77. *Creticus*, vir nobilis, etiam *Stoicida* (v. 65.) fuisse videtur, et tum sane aptissima hæc verba, quæ olim a me ad intemperantiam libidinum immoderatamque vivendi licentiam relata sunt, sed rectius a Grangæo ad philosophum Stoicum et quidem tam ad paradoxum Stoicorum, qui sapientem ἀπαθῆ et vel in tormentis beatum (v. Cic. Tusc. Qu. II, 7.) prædicabant, quam ad dogma ipsorum, ὅτι μόνος ὁ σοφὸς ἐλεύθερος καὶ πᾶς ἄφρων δοῦλος. *Acer*, nam Stoicorum disciplina omnium erat rigidissima; *indomitus*, ἀπαθής, immunis et ab affectibus animi et a corporis doloribus; *magister libertatis*, ἐλευθερίας, quam Stoici dicebant esse ἐξουσίαν αὐτοπραγίας, (v. Diog. Laert. VII, 121.) et Cicero (Parad. V, 1, 4.) *libertatem vivendi, ut velis.* Conf. præclara loca Horat. Sat. II, 7, 81—94. et Epist. I, 16, 63 seq. ad quæ loca v. Wieland. 78. *perluces*, h. e. veste perlucida indutus es. v. sup. ad v. 66. Sic *perlucidus homo* dicitur Sen. de constant. 18. et *perlucidus ostro* Martial. XII, 38, 3. — *hanc labem*, animi maculas et morbos, vitia, inpr. mollitiem, *dedit* tibi et aliis, vel potius vulgavit, diffudit, (ut mox *dabit*) *contagio*, commercium, consuetudo hominum malorum ac mollium. Comparant Sen. de Tranq. animi c. 7. et de ira III, 6. Ovid. Rem. Am. 613 seq. et al. Cf. ad v. 166.

79. 80. Cf. Colum. VII, 5. Virg. Ge. III, 441 seq. 468 seq. et qui ibi laudantur ab intpp. *Scabiem* describit Cels. V, 28. sect. 16. et *porriginem* hominum *(erbgrind)* pecorumque *(räude)* idem VI, 2. et Seren. Sammon. de Medic. III, 34. 35. (ubi cf. Keuchen.) Plin. XXVI, 6. 8. Cf. Var. Lect. — 81. Hoc ex vulgi opinione dictum, censentis, ubi livere et nigrescere cœperit unus uvæ acinus, protenus propinquum eo conspecto, velut invidia quadam, similem ab eo trahere vel *ducere* colorem; Turneb. Adv. XV, 17. Quæ opinio abiit in proverbium, quale ap. Suid. Βότρυς πρὸς βότρυν πεπαίνεται, et *Uva uvam videndo varia* (h. e. vario colore conspicua, dum maturescit, ut contra *uva unicolor*, quæ jam matura est) *fit;* Grang. *livorem*, nigrum colorem, quem *ducunt* uvæ maturescentes, βότρυες μέλανες s. μελανόχρωτες. Cf. Hom. Il. Σ, 562. Anacr. LII, 1. Horat. Od. II, 5, 10. Prop. IV, 2, 13. *conspecta*, etiam ab inanimatis, quæ prope adstant, et propinqua vel opposita sunt. v. Wernsdorf. Poet. Min. T. V. P. I. p. 163. ad Rutil. Itin. I, 489.

82 seq. Aliquando etiam, quod turpius est, vestes feminarum indues, earumque sacra, vitam, vultum, incessum ac mores imitaberis; ita paulatim, velut per gradus, ad majora turpioraque scelera progredieris. *amictu*, v. ad I, 142. — 83. *venit*, v. ad VII, 29. — *Acci-*

pient, recipient *te* in consortium. 84 seq. Quinam sint ii, de quibus h. l. agatur, non liquet. Interpretes tantum non omnes hæc referunt ad Albanos vel Flaviales sacerdotes, quorum collegium Domitianus Minervæ (quidam intpp. perperam dicunt Cereri, et alii Dianæ) in Albano prædio instituerit, (cf. ad IV, 61. 100. 145.) et a quibus Quinquatria non minore turpitudine celebrata sint, quam sacra Bonæ Deæ (*Bonam* v. 86. pro, Minervam, eo ritu, quo matronæ, *redimiculis monilibusque* ornatæ, Bonam Deam *placant*, hoc tantum discrimine, ut non mares, sed feminas excludant et arceant a sacris) et Orgia Græcorum vel potius Bacchanalia Romanorum. Sed de his illorum sacerdotum ritibus nihil alicubi legere memini. Videntur potius Romæ illis temporibus alii homines effeminati fuisse, qui clandestina sacra peragerent, imitati matronas Bonam Deam colentes, viri nubentes, qui mulieres vel matronas illas, habitu, vultu, incessu moribusque, quin etiam prostibula obscœnitate factorum verborumque (v. v. 95. 107. 110 seq.) referrent. [19] *Redimicula* fimbriæ s. fasciæ pendulæ, quæ subligabantur mento et vel pendebant de pectore, vel *frontem* ornabant. De hoc mulierum ornamento v. ad III, 66. et Winkelm. Monum. antt. ined. p. 155. et Gesch. der Kunst p. 308. De *monilibus* monolinis, dilinis et trilinis v. Böttigert Sabina p. 405. 406.

86 seq. Cf. VI, 314 seq. *abdomine porcæ et magno cratere*, obvoluta vini amphora, vel mellario vase. [20] *more sinistro*, perverso, contrario: nam ad sacra Bonæ Deæ feminæ tantúm admittebantur. [21] — 89. Nota est formula initiorum, qua *profani*, non initiati, *βέβηλοι, ἀτέλεστοι, ἀμύητοι*, voce præconis vel sacerdotis a sacris submovebantur: *ἐκὰς ἐκὰς, ὅστις ἀλιτρὸς*, vel *ἐκὰς, ἐκὰς ἐστὲ βέβηλοι, procul, O procul este profani.* [22] — 90. Sententia h. l. est, ab illo turpissimo cœtu semivirorum, sacra Bonæ Deæ celebrantium, feminas omnes, tamquam profanas,

[19] De quibus vide, quos Grangæus laudavit, Dionys. Gothofr. ad l. *cum vir nubit* π. ad L. Juliam de Adult., et Salvian. de Gubernat. Dei Lib. VII. cujus hæc sunt verba: *Quum muliebrem habitum viri sumerent et magis, quam mulieres, gradum fingerent, quum indicia quædam monstrosæ impuritatis sibi innecterent et femineis tegminum illigamentis* (ut v. 84. *longa redimicula*) *capita velarent, atque hoc publice in civitate Romana, urbe summa ac celeberrima: quid aliud quam Rom. imperii dedecus erat, ut in medio reip. sinu exsecrandissimum nefas palam liceret admitti?*

[20] v. Macrob. Sat. I, 12. Lactant. Inst. I, 22. Plut. vit. Cæs. c. 7. Gyrald. Synt. IV. p. 144. Dempster. ad Rosin. III, 19. et inpr. Heins. ad Ovid. A. A. III, 244. (ubi et de Bonæ Deæ sacris copiose disputat) et Fast. III, 418. De *Bona Dea* v. Creuzer's Symbolik T. II. p. 445.

[21] De quo v. Heins. l. l. Tibull. I, 6. 22. (ubi cf. Heyne) Plin. X, 56. Plut. Lactant. et Macrob. ll. cc. Cic. Parad. 4.

[22] v. Spanhem. ad Callim. H. in Apoll. v. 2. et in Cer. v. 3. Virg. Æn. VI, 258. Sil. XVII, 28. Suet. Ner. 34.

submotas fuisse, ita ut nulla ibi tibicina cornu inflaverit, ut in veris sacris Deæ illius aliorumque Deorum factum, sed omnia semivirorum ministerio sint peracta; Ferrar. Elect. II, 14. A *tibicina* non tibiam, sed *cornu* inflari, non est quod nos offendat: non enim omnes tibiæ rectæ, sed quædam incurvæ vel obliquæ erant, πλαγίαυλοι et γίγγρι s. γίγγραι dictæ, inpr. Phrygia, cujus frequens in sacris usus, et quæ inde *cornu* passim vocatur.[23] *Gemere* de quovis sono et strepitu. Cf. VII, 71. et ad Sil. I, 425. in Var. Lect. — 91. 92. *Talia,* non minus nefaria et obscœna, *Orgia,* sacra nocturna et enthusiastica, *coluerunt,* egerunt, *Baptæ,* Βάπται, molles effeminatique sacerdotes Cotyttus, quo titulo Eupolis comœdiam, quam alii Cratino tribuunt, (nisi hæc alia est) scripsit, in qua, teste vet. Schol., Athenienses induxit ad imitationem feminarum saltantes et præcipue perstrinxit Alcibiadem, quare ab hoc, vel ab illis necatus est. v. Schweigh. ad Athen. IV, 82. p. 678. Dicti forte Baptæ ἀπὸ τοῦ βάπτειν, *inficere, fucare;* non, quod sacris initiandi aqua calida *lavarentur,* vel quod omni vitiorum genere *tincti* essent, aut post illas nefandas pollutiones sola aquæ *tinctione* sese purgatos arbitrarentur, quæ Britan. et Grangæi conjecturæ mihi certe minus probabiles videntur. *Cotytto,* δαίμων φορτικὸς ap. Hesych. h. v. Dea nefandæ libidinis, cujus sacra Κοτύττια s. Κοτυττὶς ab Edonibus in Thracia primum culta et deinde in Phrygiam, inde vero Athenas translata; unde h. l. dea *Cecropia,* h. e. Atheniensis, vocatur. Ab ea forte non diversa, certe ei similis *Cotys,* Κότυς, s. Cotyto et *Cotytto,* libidinum Dea, a Corinthiis et Chiis culta; unde homo mollis et effeminatus Κότυος θιασώτης, *Cotyos sodalis,* dictus putatur: nisi forte et proverbium hoc et ipsa Dea originem debet Cotyi, libidinosissimo Thraciæ regi, de quo v. Athen. Deipnos. XII, 8.[24] *tæda secreta,* nocturna s. mystica, qualem gestabant δαδοῦχοι in Eleusiniis. *soliti lassare* ipsam *Cotytto,*

[23] v. c. ap. Horat. Od. I, 18, 14. Ovid. Met. III, 533. XI, 16. et Fast. IV, 181. ubi Neapolis observat, eam propterea *cornu* dici, quod, si fides habenda Polluci et Hesychio, κώδωνα habuerit s. amplius orificium, ex cornu adnexum, ejusque inferior pars incurvata fuerit. Cf. inf. ad III, 63. 64. et VI, 315. inpr. vero Spanhem. ad Callim. H. in Del. v. 253. et Gronov. Obss. I, 17. ubi et insulsissimi erroris arguitur Rigaltius, qui in Diss. de Sat. Juven. putabat, hæc verba ad Clodium spectare, qui vestitu cultuque psaltriæ seu tibicinæ sacris Bonæ Deæ affuerit et intulerit *cornu,* nempe virum patrando stupri flagitio paratissimum.

[24] Cf. loc. class. Strab. X. p. 470. al. 721. B. Mitscherl. ad Horat. Epod. XVII, 56. intpp. Ovid. ex Ponto II, 9. Heyne ad Virg. Catal. IV, 19. Synes. Epist. 44. Suidas v. Κότυς, Gyrald. de Diis Gent. Synt. VI. Politian. Miscell. c. 10. Jun. ap. Erasm. Adag. cent. I. p. 317 seq. Schweigh. ad Athen. IV, 77. p. 644. et IV, 82.

cujus tamen libido insatiabilis est. Poeta, opinor, fingit, homines istos in fœdas libidines adeo se mergere, ut ipsa Cotytto eorum adspectum velut refugiat, vel prius, quam ipsi, delassaretur atque satiaretur, si iisdem voluptatibus se dederet.

93—95. Similiter Pollux V, 16. τὰς ὀφρῦς μελαίνει, τοὺς ὀφθαλμοὺς ὑπογράφει. Alii ex illis, more mulierum, decoris studiosi, supercilia fuco illinunt, et *fuligine* denigrant: nam nigra supercilia olim et delicatis pulchra videbantur, de quo v. Junius de pictura III, 9. Fischer ad Anacr. XXVIII, 16. et Guys Voy. en Grece T. I. p. 106. De toto hoc *fuliginis* apparatu, quem Varro ap. Non. p. 607. et Plin. XXXIII, 6. *Calliblepharon* (schönauge) appellant, de *obliqua acu*, et de acu discriminali (schmucknadel) docte, ut solet, disputat Ill. Böttiger in Sabina p. 22 seq. 49. 50. et 148 seq. *Fuligo* pulvis fucusque subniger, (schminkschwärze) similis *fuligini*, (russ) aqua infectus (unde h. l. *madida*) et superciliis ulcerive infricatus, (Colum. VI, 32. extr.) Gr. στίβι (unde *stibium*) s. στίμμι et στίμμις, vel galena fossulata et plumbago, (feine schwärze von bleyerz, von gepulvertem, zerstossenen bleyglanz, Turc. surmé, Gall. galene de plomb) vel antimonium nigrum, (Gall. oxyde noir d'antimoine, Germ. spiessglas, spiessglaserz, Arab. cohel, chohol, alchohel) Hebr. כחל et פוך, (unde Lat. *fucus*) 4 Reg. IX, 30. Ies. LIV, 11. Jerem. IV, 30. Ezech. XXIII, 40. quibus locis LXX intpp., Aquila et Symm. vertunt στίβη, στίμις, στιβίζεσθαι et στιμμίζεσθαι. [25] *Ille*, hic, alter. *Tangere* docte dicitur pro tingere, imbuere, adspergere. [26] *Supercilium producit*, ut *s. proferre de pyxide* ap. Petron. c. 110. et Martial. IX, 38, 6. (quod tamen Böttiger facete dictum putat: *die Augenbraunen*, Augenbramen, *aus der schminkbüchse holen*) vel *medicamenta ex fuco, quibus lanæ* (leg. *malæ*) *colorantur, illum nigrum pulverem, quo oculo-*

[25] Cf. Dioscor. V, 99. Plin. XI, 37. s. 56. XXVIII, 11. et 17. XXX, 15. XXXIII, 6. XXXVIII, 8. inpr. Claudian. X, 268. (ubi v. Kœnig) Ovid. A. A. III, 201. (ubi v. Heins. et Burm.) Schneideri Lex. Gr. v. στίμμις, Grandi in Ep. ad Ludolf. p. 117. (in Ephemerid. Naturæ curiosorum Anni VI. Decur. II. p. 81 seq. Append.) Savary's Briefe I. p. 103. Forskol Flora Ægypt. p. XXIII. Sandy's Travels p. 67. Shaw's Travels p. 294. Rauwolfs Reisen I, 7. la Roque mœurs des Arabes c. 17. Thevenot Voy. de Levant I, 42. Lady Montague Briefe T. II. p. 21. Chardin. Voy. en Perse T. I. p. 156. Russel's natural history of Aleppo p. 102. Niebuhrs Reise nach Arabien T. I. p. 292. Hieron. Ep. ad Fur. 10. Spanhem. hist. Jobi c. 15. § 11. Casaub. ad Athen. XII, 2. extr. (cap. 10. ed. Schweigh.) et Lichtenstein prolusio philol. de luce, quam auctorum class. interpretatio ex hist. nat. lucratur, Hamb. 1782. p. 10 seq.

[26] v. Turneb. Advers. XV, 17. Gronov. Obss. III, 18. Heins. ad Ovid. A. A. III, 269. Broekhus. et Heyne in Obss. ad Tibull. I, 8, 52. Burm. ad Ovid. Epist. XIX, 41. et qui ab his laudantur.

rum exordia producuntur cet. ap. Tertull. de hab. mul. c. 2. Grang. Conf. loca class. Plin. XXXIII, 6. *Vis ejus,* (stibii) *adstringere ac refrigerare, principalis autem circa oculos; namque ideo etiam plerique Platyophthalmon id appellavere, quoniam in calliblepharis mulierum dilatat* (ut h. l. *producit*) *oculos; et fluxiones inhibet oculorum exulcerationesque:* et Mémoires d'Arvieux T. III. p. 297. " *Elles noircissent légèrement les bords de leurs paupières avec une poudre composée de tutie* (zinkkalk) *qu'on appelle kohel, kehel, et tirent une ligne de la même couleur au coin de l'ocil, pour les faire paroître plus grands et plus fendus; car la grande beauté des dames Arabes et de toutes les femmes de l'Orient est d'avoir de grands yeux noirs bien fendus et à fleur de tête.* — *Obliqua acu,* quæ Galeno dicitur *μήλη,* specillum, Germ. *sonde.* Eadem vel duobus potius graphiis, quorum superior pars aliquantum inflexa est, (unde h. l. *obliqua acus*) etiam nunc ita utuntur Turcarum feminæ. v. Böttiger's Sabina p. 23. ed. pr. *pingit,* fucat. *oculos trementes,* pætos, palpitantes, tremulos, ut solent esse scortatorum: *oculos udos ac tremulos ac prona libidine marcidos, jam jamque semiadopertulos,* Apul. Met. III. p. 135. ed. Elmenh. *Putres* dixit Horat. Od. I, 36, 17. Cf. VII, 241. Ovid. A. A. II, 721. Intpp. Virg. Ecl. III, 8. Douza Præcid. ad Petron. III, 7. Casaub. et Kœnig ad Pers. I, 18. *ille bibit* e *vitreo Priapo* h. e. pene; drillopota, vet. Schol. Designatur poculum, formam membri virilis vel ipsius Priapi referens; quemadmodum similis formæ penis Martiali XIV, 69. *Priapus siligineus* dicitur.[27] — 96. *Reticulum,* muliebre capitis tegmen, *κεκρύφαλος,* (Non. 14. n. 8. et 32. Varr. L. L. IV, 67.) *auratum,* ut *aureum* ap. Petron. 67. Cf. Varr. L. L. IV, 67. et Salmas. Obss. ad Jus Att. c. 5. p. 162. Henninius non male *auratum* putabat dictum, vel quod auro intextum esset, vel quod *comæ* illæ *ingentes,* quæ signum sint animi plane effeminati, auri pulvere essent respersi, quales in Othone delicias, nec non in Elagabalo notarunt auctores. — 97. Color *cæruleus* et *galbinus* sive *galbanus* (v. Var. Lect.) mulierum est, non virorum, unde *galbini mores* et *galbinati* pro mollibus Martial. I, 97, 9. III, 82, 5. et forte *Tetricus tunica galbina ornatus,* ut ignaviæ symbolo, ap. Vopisc. in Aurel. c. 34. ubi v. Casaub. Cf. Lips. Elect. I, 13. extr. Turneb. Advers. XVII, 8. et 15. Ferrar. de Re Vest. I, 17. III, 22. · Hi docent, *galbum* in Glossis exponi *χλωρὸν,* h. e. her-

[27] Ejus effigiem exhibent Rhodius de Acia Cels. c. 5. p. 59. 60. et Pignor. de Servis; Hennin. Cf. Plin. XIV, 2. 13. 22. XXXIII. Præf. et c. 1. Salmas. ad Hist. Aug. p. 552. Gonsalez ad Petron. p. 429. Rutgers. L. VI. p. 506.

baceum, viride, pallidum, flavum; et hinc quoque *galbeum, galbinum* et *galbineum* dici hunc colorem. Alii *galbanum* rectius scribi putant et galbani colorem designari. *Galbanus* s. *galbanum* gummi s. resina male olens et succus viscidus ferulæ, *νάρθηκος*, in Syria nascentis. Plantæ delineationem dedit Nic. Jos. Jacquin in *horti Vindobon.* T. III. tab. 36. descriptionem ejus et succi Celsius Hierobotan. T. I. p. 267. Intpp. Virg. Ge. III, 415. inpr. Jo. Andr. Murray adparat. medicam. T. I. p. 262—266. et intpp. Plin. XII, 25. s. 56. XXIV, 5. s. 13. Græcis dicitur *χαλβάνη*, et Hebr. חלבנה, Chald. et Syr. חלבניתא, unde *chalbanum* rectius forte scribitur. Color galbani exterior flavus est, et ipsa ferula, quæ initio albet, vetus flavescit, albicantibus tamen maculis distincta. Res hæc, ex oriente a Phœnicibus forte ad Græcos primum perlata, dicta videtur ab Hebr. חלב *lacte* (scil. arboris fruticisve) vel Syr. חלב *gummi*, et לבן *albus*: inde vero color albidus et flavus, qui galbano est, Lat. *galbus* et *galbanus* vel *galbinus*. — *scutulata* scil. vestimenta, forte non eadem quæ *virgata*, *ῥαβδωτὰ*, dicuntur, a *σκυτάλη*, virga, nobis *gestreift;* (de quibus v. ad Sil. IV, 155.) sed *πλίνθια*, texta in formam scutularum, h. e. quadrarum, quales in retibus vel tela aranearum cernimus; *Stoffe mit rauten oder würfeln, gewürfelte oder mit queerlinien durchschnittene kleider, à la quadrille.* v. Harduin. ad Plin. VIII, 48. s. 73. et Böttigers Vasengemälde T. I. Fasc. II. p. 77. *rasa* vestimenta, *ξεστὰς ἐσθῆτας*, sine villis vel pilis, ut *toga rasa* ap. Martial. II, 85, 4. et Plin. VIII, 48. s. 74. cui opponitur toga s. vestis *pexa*, *ἡ μαλλωτὴ ἐσθῆς*, eminentioribus villis. Ad illustrandum h. l. plurimum facit Plin. VIII, 48. s. 73. *Lana Istriæ Liburniæque pilo propior quam lanæ, pexis aliena vestibus, et quam Salacia scutulato textu commendat in Lusitania.* Cf. etiam Plin. XI, 24. s. 28. et ad hh. ll. Harduin. ac Scalig. it. Turneb. et Ferrar. ll. cc. — 98. Mulieres Romæ *per Junonem* vel aliam Deam, et servæ per Junonem ac Genium heræ, viri autem per Jovem, Herculem, Genium suum et Principis, ac servi per Genium heri jurare solebant. Cf. Heyne ad Tibull. III, 6, 48. En itaque novum mollitiei indicium! Virorum effeminatorum Genius est Juno, per quam jurant more mulierum, et quam maxime colunt: hinc et *ministri* h. e. servi, qui per Genium heri jurare solent, *per Junonem domini* jurant.

99—101. Aliud muliebris mollitiæ argumentum frequens speculi usus et vesanum tam formæ ad id explorandæ, quam comæ ad illud ornandæ studium; quod ne moratas quidem virgines ac matronas, nedum militem ac ducem decet. Quæ vero major insania fingi pot-

est, quam quod Imperator eo ipso temporis momento, quo ancipiti prœlio de salute, vita et imperio contendendum est, formam suam in speculo contemplatur ejusque elegantiam curat? Cf. Spanhem. ad Callim. H. in Pallad. v. 17. *Speculum* tale h. l. innui, quale describit Seneca Nat. Quæst. I, 16., suspicabatur Hennin.[28] *Speculum, gestamen Othonis,* non, quod Otho olim gestarat, quodque *ille,* de quo h. l. agitur, ei occiso abstulerat, sed potius, quale Otho gestare solebat; etsi illi explicationi favent loca Virgilii, e quibus hæc et seqq. verba facete huc translata sunt, Æn. III, 268. *(clipeus, magni gestamen Abantis)* et Æn. XII, 94. *Actoris Auruncì spolium,* h. e. quod speculum Otho non minori in pretio habebat, aut quo non minus gloriari solebat, quam Turnus hasta, qua Actora Auruncum spoliaverat: nam ita heroum arma ornantur a poetis et commendantur.[29] Conf. ad I, 169. *pathici,* παθικοῦ. cf. ad v. 10. De *Othonis* Imp. voluptatibus muliebribusque munditiis v. Suet. Oth. c. 2. et 12. Tac. Hist. I, 71. et al. — 100. *ille,* Otho. 101. In his verbis obscœni quid latere putabant Grang. et Turneb. Adv. IV. *Vexillum* tunica russa sive velum purpureum, signum futuræ pugnæ, quod a duce proponi, et in prætorii fastigio extendi in hasta āc *tolli* solebat, ut eo conspecto milites se et arma pararent dispersique convenirent. v. Lips. de Milit. Rom. IV, 12. — 102. Speculum inter sarcinas militum esse, tam stolidum est et inauditum, ut singulari historia dignum sit. Hæc δεινῶς magis, quam εἰρωνικῶς dicta. Cf. Tac. Hist. I, 88. *belli civilis,* inter Othonem et Vitellium, prœlio apud Bebriacum, vicum inter Veronam Cremonamque situm, confecti, quo Othoniani a Vitellianis victi: quod notum e Tac. Hist. II, 14—62. et Suet. Oth. 8. 9.

104—107. Suetonius in Oth. c. 9. et 12. memorat, multos, nec frustra, credidisse, Othonem, nuntio accepto de infelici pugnæ Bebriacensis eventu, magis pudore, ne tanto rerum hominumque periculo dominationem sibi asserere perseveraret, quam desperatione ulla aut diffidentia copiarum, necem sibi ipsum conscivisse, et magnam partem hominum, incolumem gravissime detestatam, mortuum laudibus tulisse, multos etiam militum *fortissimum virum, unicum Imperato-*

[28] Specula veterum non ex vitro erant facta, ut nostra, sed ex ære, stanno, argentoque polito, nonnumquam et auro. v. intpp. Plin. XXXIII, 9. Stat. Sylv. III, 4, 94. et Sen. Quæst. nat. I, 17. (qui *specula totis paria corporibus* memorat) Spanh. ad Callim. H. in Pall. v. 21. Beckmanns Beytr. z. Gesch. der Erf. T. III. p. 291. Böttigeri Sabina p. 400 seq. et 419.

[29] v. Heyne ad Virg. Æn. V, 260 seq. IX, 359 seq. X, 700. et nos ad Sil. V, 137 seq. 321 seq.

rem, prædicasse. Hinc Henninius ad h. l. recte ita commentatur: "Hoc iniquum vulgi judicium Juvenalis nequibat concoquere, atque hinc σκωπτικῶς satirica antithesi exclamat: scilicet id vero *summi ducis* fuit, *occidere Galbam,* (v. Suet. Galb. 19. et Tac. Hist. I, 41 seq.) virum nihil minus, quam id, de se meritum; (senem præterea, manibus pedibusque articulari morbo distortissimis; Suet. Galb. 21. 23.) et ea fuit Othonis in asserenda libertate Romana *constantia, ut cutem curaret!* Monstrum potius fuit hominis, qui *Bebriaci in campo* de imperio decertare ausus vir muliere corruptior insano formæ studio marcescebat. Cœcus vero sit oportet, qui hic non advertit reconditum, quo Romanorum inertiam pungit, aculeum; qui sibi patiebantur ita ab hoc semiviro illudi." *Nimirum εἰρωνικῶς* et amare dicitur, ut *scilicet* v. 122. V, 76. VI, 239. VII, 159. XIV, 156. et nostrum *freilich, traun.* Sic illa negant cum et sine interrogatione. Cf. XIV, 54. ad Sil. V, 114. Bentl. ad Hor. Sat. II, 2, 106. *Curare cutem,* ut *pinguem et nitidum bene curata cute* ap. Horat. Epist. I, 4, 15. nam pinguium cutis nitet. Sic et *curare pelliculam, genium, corpus. Cutis* quoque pro toto corpore ponitur, ut Gr. χρώς passim, de quo v. Spanhem. ad Callim. H. in Jov. v. 17. Sed hæc verba referenda potius ad mollitiem, levorem nitoremque cutis vel corporis, inpr. faciei, quam Otho in speculo assidue contemplabatur. Molles homines amabant *cutem lotam* (VI, 464.) lacte asinino (v. ad v. 107.) aquisque suaviter olentibus, mollem, nitidam et levigatam smegmate, σμήγματι s. σμήματι. Cf. Athen. IX, 77. Salmas. ad Scriptt. hist. Aug. T. I. p. 42. et Böttigeri Sabina p. 19 seq. ed. pr. *summi civis,* Imperatoris. — 106. Cf. ad v. 103. *Bebriacum* aliis *Bedriacum,* Plut. in Othone p. 1070. Βηδριακόν, et Josepho B. Jud. IV, 23. Φρηγδιακόν dicitur.[30] *spolium affectare Palatii,* ad summum imperium adspirare: nam imperium quidem Otho jam susceperat, sed eodem tempore Germaniciani exercitus jurarant in Vitellii verba, et pugna Bebriacensi decernendum erat, quisnam ex illis regnaret, adeoque *Palatium,* domum sedemque Augustam, obtineret. *Spolium Palatii* δεινῶς de imperio, quod illis temporibus vi rapiebatur. — 107. *Otho fuisse traditur munditiarum pæne muliebrium; vulso corpore: quin et faciem quotidie rasitare, ac pane madido linere consuetum: idque instituisse a prima lanugine, ne barbatus unquam esset;* Suet. Oth. c. 12. *pressum panem,*

[30] Cf. Lips. et Broter. ad Tac. Hist. X, 49. Cluver. Ital. ant. lib. I. p. 11, 23. Intpp. Suet. Oth. c. 9. et Plin. 261.

madidum lacte asinino, quod psilothri loco erat, cujusque illitu splendor genis conciliabatur, facie siligineo hoc tectorio inducta, vel cute hoc smegmate attrita: (v. Heyne et Scalig. Obss. in Tibull. I, 8, 11.) nam molles Romani *cutem in faciem crugari* (vel extendi) *et tenerescere, et candorem custodiri lacte asinino putabant; unde Poppæa uxor Neronis, quocumque ire contigisset, secum sexcentas asellas ducebat,* si fides habenda Plinio XXVIII, 12. Apud eumdem lib. XI. c. 41. s. 96. hæc leguntur: *Lac crassissimum asinæ, quod conferre aliquid et candori in mulierum cute existimatur. Poppæa certe quingentas secum per omnia trahens fetas, balnearum etiam solio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens.* Idem de Poppæa memorat Dio Cass. LXII. p. 714. ubi v. Reimar. T. II. p. 1024. 146. Cf. inf. ad VI, 461—473. ex quo loco recte, opinor, Casaubonus (ad hist. Aug. p. 22.) collegit, *panem* istum non modo ex oryza et fabis, ut apud Medicos in compositione psilothrorum legimus, sed etiam ex farina siliginea factum esse. 108. 109. Tantum formæ explorandæ ornandæque studium in ipsis castris et acie ne impudicissimis quidem luxuriosissimisque mulieribus fuit. *Quod nec fecit* scil. in castris et acie. *Semiramis, Assyriæ* regina, non magis animi magnitudine ac rebus gestis, quam mollitie et libidinibus famosa, unde et A. Gabinius Cic. Prov. Cons. 4. *Semiramis* appellatur. De ea v. Creuzers Symbolik T. II. p. 67—80. T. IV. p. 254. *Orbis Assyrius,* ut *orbis Romanus.* Cf. Var. Lect. Epitheton *pharetrata* ad virtutem spectat. Eam ex monimentis Ægyptiis Kircherus in *Turre Babel* cum arcu et sagitta ut jaculatricem exhibet; Hennin. *Cleopatra,* regina Ægypti, cujus mollities notissima.[31] *Mœsta,* victa navali prœlio ad *Actium* prom.[32] Ipsa vehebatur aurea navi cum velis purpureis. v. Flor. IV, 11. Plin. XIX, 1. — 110. *Hic,* in consortio conventibusque turpissimorum horum hominum, de quibus inde a v. 84. agitur, inter eos vel iis est. Romæ; Grang. *reverentia mensæ,* quæ veteribus sacra erat: τράπεζα μὲν ἱερὸν χρῆμα, δι' ἧς ὁ θεὸς τιμᾶται φίλιός τε καὶ ξένιος, Synes. Epist. LVII.[33] — 111. *Hic est turpis libertas Cybeles,* h. e. quali in Megalesiis aliisque enthusiasticis Cybeles sacris utebantur ejus sacerdotes, Corybantes vel Curetes, Idæi et Galli, semiviri ob-

[31] v. Suet. Cæs. 55. 52. Horat. Od. I, 37, 9 seq. Plut. vit. Anton. Dio XLVIII, 24. XLIX, 33. L, 4 seq. Appian. B. C. V, 4 seq.

[32] v. Vellei. II, 84—86. Dio L, 14—LI, 3. Plut. Ant. et al.

[33] Cf. Barth. ad Claudian. in Rufin. I, 229. Meurs. ad Lycophr. Cassandr. v. 156. et Potteri Archæol. Græca Lib. IV. cap. 20. pag. 665. 666. edit. German.

scœni et furentibus similes. De Cybeles cultu et sacerdotibus v. Creuzer's Symbolik T. II. p. 33—68. 318. Cf. Var. Lect. *fracta*, delicata, molli et feminea: nam *frangere* significat vigore et vi sua aliquid privare, imminuere, mollire, effeminare; unde et Gr. θρύψις ac κεκλασμένοι. Cf. Hennin. ad h. l. Casaub. ad Pers. I, 18. et 34. Burm. et Petron. 128. et intpr. Claudiani in Eutrop. I, 262.

112 seq. Quod indignationem auget, inter hos nuptos, qui ritu et more sinistro *sacra* Bonæ Deæ celebrant, (v. ad v. 84 seq.) reperiuntur decrepiti, quos ætas et experientia sapientes et continentes reddere debuerat, immo *antistes* eorum *senex* est et gulosus: tangit autem poeta aliquem sui temporis, nobis incognitum; Grang. Plathnerus putabat, toto h. l. non Cybelicos revera tangi, sed cinædicos illius sæculi homines, imitantes in omnibus fanaticos Cybeles sacerdotes, luxuriosissimum genus hominum, a sola autem absistentes eviratione. *crine albo*, cano. *senex fanaticus*, numine afflatus et ab eo in furorem actus, θεοφορούμενος, ἔνθεος, ἐνθουσιάζων. 114. *Gutturis*, ut *gula* I, 140. ubi v. not. *conducendus magister* ad erudiendos et instituendos gulosos; Grang. 115. 116. Quum tamen molles isti et effeminati homines habitu et moribus mulieres sacerdotesque Cybeles imitentur ac muliebria quoque patiantur, *quid*, τί h. e. διὰ τί, cur *exspectant*, cessant ac dubitant, (ut ap. Ovid. Ep. Her. III, 83.) *more Phrygio* h. e. sacerdotum Cybeles, Deæ Phrygiæ, *abrumpere cultris carnem supervacuam*, genitalia, quibus non opus est iis, (pondus inutile pathicis) ut per omnia Gallis mulieribusque similes sint, nec ullum virorum argumentum relinquatur? Sic fere *vilia membra* a Gallis cædi vel secari dixere Ovid. Fast. IV, 243. et Tibull. I, 4, 70. (ubi v. Heyne.) *Inguinis et reliquum Phrygiis abscindere cultris* Claudian. in Eutrop. I, 280. Cf. Var. Lect. et inf. ad VI, 513.

117 s. De aliis exemplis virorum viris nuptorum v. ad I, 62. et 78. *Gracchus* fictum nomen viri nobilis ac divitis, quem poeta notat. *dedit dotem*, pro dote, dotis nomine, *quadringenta sestertia*, h. e. ingentem vel maximam dotem, (v. inf. ad VI, 137.) *Cornicini, sive hic recto cantaverat ære*, h. e. aut tubicini. *Tuba directi, æris cornua flexi* Ovid. Met. I, 98. — *tabulæ* dotales s. dotis, s. nuptiales, de quibus v. Lips. ad Tac. Ann. XI, 30. *Feliciter!* vel *felix hoc sit! (glück zu!)* fausta et boni ominis acclamatio, præcipue in conditione nuptiarum aliisque pactis conventis. 120. *Ingens cœna sedet*, h. e. ingens convivarum multitudo, multi cœnantes sive convivæ accumbunt. *Cœna* pro cœnantibus, ut *convivia* pro convivis V, 82.

Cf. ad v. 34. Alii *sedet* dictum putant pro ponitur, apposita est, ut I, 96. et ap. Ovid. Trist. II, 481. ubi v. Heins. *nova nupta,* Gracchus, *jacuit gremio,* in sinu, *mariti,* cornicinis, more nuptiali, de quo v. Lips. ad Tac. Ann. XI, 27. Idem Lipsius ad Tac. Ann. XI, 2. monet, mulieres olim cubantibus viris sedisse, (v. ad I, 136.) postea etiam accubuisse, et quidem ita, ut uxores in virorum, amicæ puerique meritorii in amatorum sinu recubuerint, quod vocaverint *infra aliquem accubare,* vel *interiorem* (forte *inferiorem) jacere.* [34] — 121. Exclamatio cum indignatione ad primores civitatis, quod ii ejusmodi vitiis magna parte infecti; Grang. *Censore,* qui mores turpissimos corrigat et talem furorem pœnis legum comprimat. *haruspice,* qui inspectis extis futura prædicat et sacrificio portenta hæc iramque deorum expiet. *an,* v. Heins. ad Ovid. Fast. II, 394. — 122. 123. Quasi majus monstrum esset, si bos agnum vel mulier vitulum pareret, quam videre virum viro nubentem et mulieri habitu moribusque similem. *Monstra* appellantur omnes res insolitæ et portentosæ, vel quæ præter naturam fiunt, v. c. monstrosa scelera, phænomena, ostenta, prodigia, ut v. 143. IV, 2. 45. 115. VI, 286. 645. al. *Scilicet,* v. sup. ad v. 104.

123. Ejusmodi monstra ac prodigia (quorum vanitatem occulte poeta ridere videtur) ut et procuratio eorum vel tironibus e Livio nota. Cf. de ostentis, prodigiis et monstris eorumque generibus et causis Commentatt. II. in Heynii Opusc. Acad. Vol. III. p. 198 seq. p. 255 seq. — 124. *Segmenta,* qs. *secamenta,* a *secando* sic dicta, erant *laminæ,* quæ priscis temporibus, quibus nostra ars textoria picturaque auraria ignota erat, percuti, dissecari et tunicæ s. stolæ matronarum, et quidem ejus institæ (schleppe) aliisve rebus adsui solebant, Germ. *fein geschlagene, zerschnittene und aufgeheftete, aufgenähete goldbleche.* Conf. ad VI, 89. Valer. Max. V, 2, 1. Ferrar. R. V. III, 17. Salmas. ad Scriptt. H. A. T. II. p. 569 seq. Beckmanns Beitr. zur Gesch. d. Erfind. T. III. p. 63. et Böttigeri Sabina p. 360. 378. 379. ed. pr. *habitus longos,* muliebres, stolas et syrmata. *Flammeum* aut *flameum* velum, pannus bombycinus vel rica, tegmen capitis rutilum, lutei vel ignei coloris, (unde *flammeum,* non *flameum* scribendum videtur) quo

[34] Cf. Ovid. Amor. I, 4, 5. 6. 35. 36. Suet. Cæs. 49. et Calig. 24. pr. Liv. XXXIX, 43. Cic. ad Div. IX, 26. pr. Gell. VII, 12. extr. ubi v. intpp. Sic et ἀναπίπτειν et εἶναι ἐν τῷ κόλπῳ τινὸς Joh. XIII, 23. Luc. XVI, 22. 23. Sed illæ loquendi formulæ etiam ad proximum in lecto locum referri possunt: nam veteres in tricliniis ita accumbebant, ut capite alterius sinus quasi pectusque alterius sibi proximi tangeretur et expleretur. Cf. ad V, 17.

nupta, velata sponsa tradebatur sponso, unde orta loquendi formula *nubere alicui.* Conf. ad I, 62. X, 334. Fest. et Voss. Lex. Etymol., Ferrar. l. c. Sed ap. Plin. XXI, 8. flameo *luteus color* tribuitur, ut ap. Lucan. II, 361. et hæc laudantur Verrii Flacci verba: *Flameum nuptæ amiculum vocabant, non quidem a flammæ colore, sed quia Flaminica, cui divortium facere non licebat, eo perpetuo utebatur.* Eadem dicit Festus, et ex his verbis simul intelligitur, signate et acerbo cum aculeo dici VI, 225. *flamea* priora *conterit,* lacerat, vel quasi conculcat, quod contemtus signum est, h. e. priora connubia adspernatur et sæpius nubit. 125. 126. Gracchus, qui et nobilissimus nunc ditissimusque est, et olim Salius, sacerdos Martis, Dei bellicosi et animi maxime virilis, fuerat, nunc habitum sponsæ induit ac nubit. *sacra* scuta, *ancilia, nutantia,* huc illuc vergentia ac sursum deorsum jacta motu saltantis, *ferens* læva manu, *loro arcano,* occulto, quippe quod interius adnexum erat.[35] *clipeis ancilibus,* ut *arma ancilia* dixit Valer. Max. I, 1, 9. Nam *ancile* adject. est, ita dictum, non *quod ab omni parte ancisum vel recisum esset et omnis abesset angulus,* quæ Ovidii (Fast. III, 377.), Varronis, Festi aliorumque sententia est, sed quod περιφέρειαν sinuosam, passim incurvatam et in apices excurrentem, (non circuli vel peltæ formam) haberet, teste Plut. in Numa p. 69. unde ἀγκύλιον ab ἀγκύλος, *curvus,* appellatum, et *ancyle,* non *ancile,* scribendum est. *Sudavit* ferendo ancilia et saltando: nam Salii ὄρχησιν ὑπορχοῦνται διαπορευόμενοι τὴν πόλιν· κινοῦνται δὲ ἐπιτερπῶς, ἐλιγμούς τινας καὶ μεταβολὰς ἐν ἐυθμῷ τάχος ἔχοντι καὶ πυκότητα μετὰ ῥώμης καὶ κουφότητος ἀποδιδόντες, Plut. l. c.

126—132. Summa vis indignationis in hac expostulatione et compellatione Martis, inpr. in vss. 131. 132. Cf. Casaub. ad Pers. I, 87. *Pater Urbis* h. l. non Romulus, sed Mars; et exquisite pro ejus nomine. Poeta Deum quasi admonet paternorum officiorum, quæ negligat. 127. *Latiis pastoribus,* Romanis, oriundis a pastoribus, quorum majores fuere homines rudes et agrestes, omnium voluptatum ignari. Conf. III, 67. et ad VIII, 275. 128. *urtica,* quævis cupido, inpr. pruritus libidinis, ejusve stimulus, ut inf. XI, 166. ubi est synon. τοῦ *irritamentum Veneris.* Sic et κνίδη, κνίδωσις et κνισμός. v. Jacobs ad Anthol. Gr. T. II. P. I. p. 141. et 201. *nepotes,* posteros, ἀπογόνους. Cf. Hor. Od. I, 2, 35. *Traditur viro vir,* tamquam res

[35] Alii epith. *arcano* ad *sacra* referunt, vel ad cœleste ancile, pluribus ejusdem formæ immixtum, et Bahrdt ad balteum, cui ancile sub pallio annexum fuisse perperam tradit. Quod nulli, præter Salium liceret ferre: Britan.

emta, ritu nuptiali: vir viro nubit. Conf. ad v. 117. *vir*, amator, pædico. Conf. Heins. ad Ovid. A. A. I, 524. — 130. Hæc δεινῶς dicta pro: nec irasceris, nec ira ardes? Conf. XIII, 113 seq. ibique not. Mars iratus *quassat galeam* (ut ap. Virg. Æn. VII, 292. Valer. Fl. I, 528. VII, 577. al.) et caput, ut Ἐνοσίχθων κινήσας κάρη ap. Hom. Od. ε, 285. — 131. *Nec quereris Patri* tuo, Jovi, mollitiem ac scelera Romanorum, vel de iis apud patrem tuum? Martem sine patre fuisse, non nisi Romanorum poetarum commentum est. Summa vero vis indignationis in his et reliquis verbis; quasi Mars ipse talem ignominiam morumque pravitatem ulcisci et avertere nequeat. 131. 132. Curam gentis, cujus auctor es, et quam tu *negligere* videris, alii Deorum permitte! Cf. Hor. Od. I, 2, 35. 36. *cede*, discede a *jugeribus campi*, a campo, eum relinque. Omnia summum indignationis affectum spirant. *Campum* Martium exquisite poeta pro tota Urbe ejusque imperio posuit, quod is locus Marti potissimum consecratus erat et in eo comitia magistratibus creandis, ferendis legibus et judiciis quoque publicis extra ordinem exercendis habebantur; unde h. l. *severus* dicitur, quod epith. Grangæus ad ipsum Martem referebat.

132 seq. Satiricorum more aliquos repente colloquentes inducit poeta. *Officium* Romanis dicebatur, quidquid honoris aut studii et operæ, humanitatis ac benevolentiæ, vel patronis a clientibus, salutando, deducendo, sectando, occurrendo cet., vel amicis et cognatis, solenni aliqua occasione, significabatur et præstabatur, τὰ καθήκοντα, v. c. si quis, ut Plinii verbis Epist. I, 9. utar, officio togæ virilis interest, sponsalia aut nuptias frequentat, ad signandum testamentum, in advocationem, in consilium rogatur. 133. *primo sole*, p. solis ortu. *in valle Quirini*, collis Quirinalis. Sic Horat. Epist. II, 2, 68. de simili re dixit: *cubat hic in colle Quirini, Hic extremo in Aventino; visendus uterque.* Cf. Bentl. ad Horat. Od. I, 2, 46. 134. *quid quæris?* quasi id non facile divinare possis, quum his temporibus non raro eveniat. *nubit amicus*, cf. ad v. 117. et I, 62. 78. *Nec multos adhibet* testes, vel ad nuptiarum solennia et cœnam.

135. 136. Si modo paululum vixero, hæc, quæ Scatinia aliisque legibus vetita sunt, palam fieri videbo. Verbum *fient* δεινῶς repetitur. *Cupient* liberos habere eorumque nomina et *ista* matrimonia *et in Acta* publica s. populi *referri*, quibus res rationesque populi, judicia publica, supplicia, comitia, ædificia, nativitates, illustres mortes, matrimonia, divortia continebantur, de quo v. Lips. Excurs. ad Tac. Ann. V, 4. ubi etiam monuit, matrimonia divortiaque, propter præ

mia pœnasque legum, jam ante Juliam Papiamque, in Acta fuisse relata. C. IX, 84. Salmas. Exerc. Plin. p. 717. et de *actis* senatus ac populi ad VII, 104. Lips. l. l. et Ernesti Exc. ad Suet. Cæs. c. 20. — 137. *tormentum* animi, dolor, ægritudo, *nubentibus* viris *hæret*, eos perpetuo angit. 138. *partu retinere maritos*, maritorum amorem firmare: nam liberi amoris conjugiique vincula sunt ac pignera, steriles autem uxores sæpe minus amantur, nec raro etiam repudiabantur a Romanis. Conf. VI, 142 seq. et Claudian. XVIII, 72 seq. *Femina quum senuit, retinet connubia partu* cet.

139. 140. Bene consuluit hominibus natura, quæ prohibuit, mares concipere, etsi maxime id cupiant. *Lyde* nomen unguentariæ, promittentis ac venditantis medicamina, sterilitatem amoventia, qualia a medicis commendantur, et quibus *pyxis* ejus *condita* h. e. referta est. *Pyxis*, Gr. πυξίς, (schmuck- und toilettenkästchen) primum ex buxo, (πύξος) ligno facile poliendo, deinde ex auro argentove confecta. Cf. Böttigeri Sabina p. 69. et 87. ed. pr. *turgida*, epitheton anui conveniens; Beroald. turgentes et gravidas reddens matronas; Grang. 142. *Luperci*, Panis sacerdotes, nudi per urbem discurrebant, (unde h. l. *agili L.*) et scuticis vel ferulis, e caprino corio factis, terga vel humeros (h. l. *palmas* s. manus, ut ap. Plut. in Cæs.) cædebant obviorum, præcipue mulierum, quas inde fecundas reddi putabant: quod notum ex Ovid. Fast. II, 425 seq. et V, 102. ubi v. Heins.

143—148. Viros nubere turpissimum quidem est, sed turpius, quod nostris temporibus vidimus, viros nobilissimos arenæ operam edere et ad artes inhonestas gladiatorum, qui omnes infames habiti, (v. Leg. I. § 2. ss. de testibus) descendere. Cf. IV, 99 seq. et simil. loc. VIII, 192—194. et 198—210. ubi singula illustrata videbis. *Vicit*, superavit rei turpitudine, *hoc monstrum*, hanc rem inauditam ac fœdam, scil. quæ de viris nubentibus dixi. Cf. ad v. 122. *Tunica* et galerus habitus Retiarii, ut arma ejus *fuscina* et rete. v. ad VIII, 200 seq. *Lustravit*, percucurrit, *arenam fuga*, ut *fugit* VIII, 208. 145. *Generosior*, antiquiori ac nobiliori genere natus, Manliis *Capitolinis*, *Marcellis*, *Catulis* et Æmilii *Paulli minoribus*, h. e. posteris, ut I, 148. ubi v. not. *Generosior*, nobilior, ut VI, 124. VII, 191. (ubi tamen hæ voces vario sensu capiendæ) VIII, 30. 224. — 147. *Omnibus ad podium spectantibus*, h. e. nobilissimis aliis. *Podium* in circo et amphitheatro dicebatur projectura seu pars projectior et prominentior muri, arenam proxime cingentis, inter arenam et imum orchestræ gradum, in quo gradu primi e Patribus sedebant. v. Lips. de Am-

phith. c. XI. qui tamen non male suspicabatur, inter ipsum podium imumque orchestræ gradum planum aliquod et vacuum latioris spatii fuisse, et in eo spectasse magistratus curules, Prætores vel Editores munerum, in sellis curulibus ac tribunalibus, ipsosque deinde Principes in suggestu vel cubiculo, *(loge)* idque proprie dictum esse, *ad podium spectare;* in hoc enim plano commodissime sellas curules potuisse poni, non in ipsis gradibus. — 147. 148. *His* nobilissimis viris *licet* ut *admoveas,* h. e. addere poteris, etiam *ipsum,* qui *tunc* munus edidit, in quo Gracchus *retia misit,* Retiarii partes egit, h. e. Prætorem, munerarium, vel potius Imperatorem, Neronem aut Domitianum. Tum sensus est: ipsi quoque Imperatori antiquitate ac nobilitate generis antecellit Gracchus, quem non puduit, infames gladiatorum artes exercere.

149 seq. Quomodo hæc verba intelligenda sint, non perspexisse videntur interpretes, qui tantum non omnes hunc eorum esse sensum putarunt: hæc scelera inde oriuntur, quod inferos fabulas esse aniles credant omnes, nec quisquam ullo futurarum metu pœnarum vel religionis pietatisque sensu a peccando absterreatur; tu vero, qui virtuti convenienter vivere cupis, cave iis adsentiaris et puta inferos esse. Sed ipse poeta noster Manes et inferos tamquam vana nomina ac nugas irridet v. 150. exemplo Aristophanis in Ranis Act. I. Sc. 4. Petronii Sat. 121. extr. aliorumque, inpr. Stoicorum et Epicureorum.[36] Non magis probanda Bahrdtii explicatio: Manes et inferos esse, nemo quidem hodie credit præter perpusillos pueros; at tu certe id tibi persuasum habere debebas, quum tibi potissimum opus sit hac ratione, qua deterrearis a peccando. Planissima vero sunt omnia, si hoc sensu ea ceperis: Nemo quidem hodie, præter parvulos pueros, sibi persuadet, Manes et inferos *esse aliquid:* (v. Excurs. ad h. l.) quis enim non rideat certe, si in poetis legerit, in Styge *nigras* esse *ranas,* et a Charonte *cymbam conto* (conf. Excurs. ad h. l.) propelli, vel *tot millia* umbrarum *una cymba vadum,* h. e. fluvium vel aquam Stygis, (v. ad Sil. I, 52. et Gronov. Obss. I, 19.) *transire?* (cf. Virg. Æn. VI, 302 seq.) *sed tu* (Gracche, et vos, turpes mollesque homines) *puta,* fac, pone, *vera* esse, quæ tibi falsa et vana videntur; (ut V, 7. *hoc ipsum defecisse puta) quid* tum censes sensuros esse Curium aliosque viros

[36] Cf. inf. XIII, 51 seq. Prop. III, 5. Plin. VII, 55. Eurip. Alcest. 787 seq. Lucret. III. Ovid. Met. XV, 153. 154. (ubi Pythagoras loquitur) Cic. Tuscul. Qu. I, 3. 4 et 5. Senec. Epist. 24. et 83. Consol. ad Marc. c. 19. de Ira II, 35. et Troad. v. 369 seq. Lucian. dial. de luctu, al.

præclaros fortissimosque, qui patriam olim defenderunt ab hostibus et nunc in inferis sunt, perfectissima illa piæ simplicitatis, continentiæ, fortitudinis aliarumque virtutum exempla, *quoties talis umbra hinc ad illos veniret,* tam spurci effeminatique homines ex superis locis ad inferos descenderent? Conf. simil. loca XV, 172 seq. et Silii V, 595 seq. et inpr. XVII, 465 seq. ubi vid. quæ dixi in Var. Lect. 152. *pueri,* impuberes, nondum quadrimi, *qui nondum lavantur* in balneis vel thermis publicis *ære:* nam, qui lavabantur, quadrantem solvebant; unde *quadrantaria res* dicitur Senec. Epist. 86 med.[37] *Scipiadæ,* Scipiones, ut *Memmiades* pro Memmius dicitur Lucret. I, 27. ubi v. Lambin.[38] *ambo* Scipiones sunt vel duo fratres, pater et patruus Africani majoris, ut ap. Sil. VII, 107. vel potius Africanus major et minor, ut *gemini Scipiades* ap. Virg. Æn. VI, 843. qui κατ' ἐξοχήν ita appellantur. 155. *Cremeræ legio,* Fabii, ad Cremeram fl. a Veientibus cæsi, sex et trecenti milites, omnes patricii et unius gentis, qua non alia *legio,* h. e. exercitus, vel minor numero vel fama clarior fuit. Res nota ex Liv. II, 48 seq. Dionys. IX, 22. Sil. VII, 40 seq. et aliis. *Cannis,* ad Cannas, *consumta juventus,* ab Hannibale cæsa ac deleta. 156. *Tot animæ bellorum,* virorum, qui in bellis perierunt; vel *animæ bellorum* sunt a. bellatorum, et hinc simpl. bellatores, viri fortes, quo sensu Hom. Il. I, 3. πολλὰς ἰφθίμους ψυχὰς ἡρώων et Tac. Hist. IV, 32. servilia ingenia dixit *animas servientium.* 157. *Cuperent lustrari,* tamquam polluti talium umbrarum visu et contagione, *si qua darentur,* essent, scil. in inferis, *sulphura,* et *si laurus foret* ibi. Lustratio fiebat circumlatis circa aliquem *sulphure* vel *tædis.*[39] *Laurus humida,* laurea virga immersa in aquam, qua adspergi solebant, qui lustrabantur. Sic *uda laurus* ap. Ovid. Fast. V, 677.[40]

159. *Illuc heu! miseri traducimur,* eo turpitudinis flagitiorumque

[37] Cf. Heubach Comm. de politia Roman. Goett. 1791. § 78. 79. inf. VI, 447. Horat. Sat. I, 3, 137. Martial. III, 30, 4. XIV, 163.

[38] Conf. Heyne ad Virgilii Æneid. VI, 843. Drak. et nos ad Sil. VII, 107.

[39] Servius ad Virg. Æn. VI, 226. "*Circumtulit,* purgavit: antiquum verbum est, ut ap. Plaut. (Amph. II, 2, 143.) nam *lustratio* a *circumlatione* dicta est vel tædæ vel sulphuris." Hujus ritus graphica descriptio est ap. Claud. VI. Cons. Honor. v. 324 seq. Cf. Casaub. ad Theophr. Char. XVI, 3. De tali *sulphuris* usu v. Potteri Archæol. T. I. L. 2. c. 4. p. 528 seq. Germ. vers. et quos Grang. laudavit. Plin. XXXV, 15. Ovid. Fast. IV, 739. 740. Metam. VII, 261. et Art. Am. II, 329. 330. Tibull. I, 5, 11. Hom. Od. X, 481. (ubi conf. Clarke) Passer. ad Prop. IV, 9. De *tædis* v. Heyne ad Tibull. I, 2, 61. et Potter l. c. Cf. Burm. ad Val. Fl. V, 349.

[40] Cf. Potter l. l. p. 525. et Plin. XV, 30.

venimus, prolabimur et jam prolapsi redactique sumus: *arma quidem* cet. h. e. armis expugnavimus notum orbem terrarum; *sed quæ* turpia, fœda, scelera, monstra, *nunc populi fiunt* cet. Vulgo verba *illuc traducimur* exponunt: ad inferos post mortem venimus; quod languet et minus aptum est. Illam interpretationem, quam nova mihi meditatio suggesserat, a Cl. Achaintre jam propositam fuisse, nunc demum vidi. Ille tamen distinctionem lectionemque mutandas censet. v. Var. Lect. *Juvernæ* aut *Jubernæ*, Hiberniæ, quæ Romanis parum nota erat ante et post Agricolæ tempora, qui ejus occupandæ consilium propter aliarum gentium motus exsequi non poterat. v. Tac. vit. Agric. c. 24. Quomodo itaque poeta dicere potuit, *arma* a Romanis vel *ultra Hiberniæ litora* fuisse *promota?* Non ob ignorantiam, opinor, veritatis, sed ut magniloquentiam Romanorum, illo ævo viventium, vel nonnullorum, talia credentium, derideret, et sic verbis suis majus daret pondus. *Orcadas* insulas, supra Scotiam sitas, quæ nunc *Orkneys* dicuntur, et in quarum numero definiendo non consentiunt veteres geographi. v. Cellar. Geogr. et Harduin. ad Plin. IV, 16. *modo captas Orcadas*, nam Agricola has *incognitas ad id tempus insulas invenit domuitque*, quod refert Tac. in ejus vita c. 10. Eusebius tamen in Chronico tradit, Claudium Imp. jam de Britannis triumphasse et Orcadas insulas Rom. adjecisse imperio. Tum voc. *modo* de longiori tempore accipiendum, ut passim *modo* et *nuper*. Cf. IV, 77. Duk. ad Flor. I, 11. Gron. Obss. IV, 18. et Ernesti clav. Cic. hh. vv. *Britannia* Romana Cæsaris et Claudii adhuc temporibus exiguis finibus continebatur, qui prolati sunt sub Nerone ac Flaviis, virtute Suetonii Paullini et Agricolæ, ac deinde sub Hadriano et Antoninis. *minima contentos nocte Britannos;* conf. Plin. II, 75. (ubi v. Harduin.) Cæs. B. Gall. V, 10. et Tac. vit. Agric. c. 12. ubi v. Lips.

163—166. Qui tamen Romam veniunt, mox nostros induunt mores et in patriam suam referunt. Sed malim hunc locum διαλογικῶς explicare, ita ut verba adversarii sint *et tamen — Tribuno*, ad quæ poeta v. 166. respondeat. Sic pictura personis animatur, et in v. 166. major est sarcasmi vis. 164. 165. Caligula quosdam obsides dilexisse ferebatur commercio mutui stupri, teste Suet. c. 36. Eo respexisse h. l. poetam et Imperatorem ab eo *Tribunum* esse dictum, (v. ad XI, 7. in Var. Lect.) suspicari licet cum Ach. *Zalates* no-

men proprium obsidis. *Armenius* cum dilectu dicitur: nam ab Armeniis poetæ temporibus obsides Romanis fuisse traditos, memorat Tac. Ann. XIII, 9. et XV, 1 seq. *mollior cunctis ephebis,* quippe qui ad libidinem proniores sunt. *sese indulsisse,* tradidisse, exhibuisse, ad fœdum scil. obsequium. Conf. Stat. Silv. IV, 6, 37. *ardenti* amore acri ac libidinoso. *Adspice,* vide en. v. ad V, 67. *commercia* populorum, vel conversatio cum malis. Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί D. Pauli dictum 1 Cor. XV, 33. verissimum; Ach. Cf. ad v. 78.

167. *Hic,* Romæ, *homines fiunt,* præclare formantur, instituuntur; quod σκωπτικῶς dicitur. *Si mora longior Urbem Indulsit,* commorationem, præsentiam in urbe nostra concesserit *pueris* illis exterorum, qui vel inter obsides Romam missi sunt, vel alia occasione ad nos venerunt, h. e. si diutius Romæ commorati fuerint; *non umquam deerit amator* vel cinædus, qui eos corrumpat.

169. 170. *Mittentur* pueris ab amatore *bracæ, cultelli, frena, flagellum,* munera, quibus solent delectari etiam in patria sua et facilius, quam pecunia, capi; Brit. Sed aptior est aliorum interpretatio: *mittentur,* omittentur, abjicientur, *bracæ,* vestimenta, quibus in patria utebantur, et *cultelli* venatorii, (*cultelli,* quia de *pueris* agitur) *frena, flagellum,* arma patria et studia venationum exercendorumque equorum; et pro virilibus institutis patriisque moribus, simplicibus atque honestis, *mores prætextatos,* Romanos, qui perditissimi sunt ac profligatissimi, *Artaxata,* domum vel in patriam, *referent. Braccæ* s. *Bracæ* (v. Var. Lect.) non modo Gallis Narbonensibus, qui inde *Bracati* VIII, 234. dicuntur, in usu erant, sed et Dacis, Getis aliisque Ponti populis, Phrygibus, Lydis, Persis, Indis, Medis.[41] Laxa autem erant feminalia s. femoralia, ἀναξυρίδες; sed *Scythæ totum bracati corpus et, nisi qua vident, etiam ora vestiti,* teste Mela II, 1. Conf. et Ovid. Trist. III, 10, 19. 20. D. Hieron. ad Fabiolam *bracas* ait *fuisse ab umbilico ad genua usque porrectas, quibus verenda celantur. Artaxata,* caput Armeniæ, ad Araxem fl. *Prætextati mores,* ut *verba prætextata,* (quæ *puris honestisque* opponuntur junguntur*que impudicis* et *dicacitati sordidæ scurrilique* ap. Gell. IX, 10. Macrob. Sat. I, 1. med. et Suet. Vesp. 22.) dicuntur vel mores præ-

[41] v. Scalig. ad Prop. IV, 10, 43. Casaub. ad Suet. Aug. c. 82. Ovid. Trist. V, 10, 34. Brisson. de regno Pers. I. § 63. 64. Reland. Diss. miscell. P. II. Diss. 8. inpr. Perizon. ad Ælian. V. H. XII, 32.

textatorum, nobilium ac primorum civitatis et, qui iis sunt, filiorum, qui prætexta utuntur et perditis nunc moribus sunt; vel potius, quod alii putant, turpes, qui solent prætexi ac velari vel prætendi. Olim in usu fuisse videtur verbum *prætextare*, synon. vel frequentat. τοῦ *prætexere*, h. e. speciosa nomina vel verba et causas alicui rei prætendere, specioso verborum prætextu in ea exprimenda uti. Cf. Gron. ad Gell. IX, 10.

IN

SATIRAM III.

---

1. *Quamvis confusus,* perturbatus, commotus, tristis sum. Conf. Wernsdorf Poet. Lat. Min. T. IV. p. 696. *amici,* Umbricii, de quo v. ad v. 21. *veteris,* quod jacturam doloremque auget. *Cumæ,* urbs Campaniæ, unde *Sibylla Cumæa,* cujus ibi antrum fuit s. μαντεῖον. Cf. Virg. Æn. VI, 1 seq. et ibi Heyne. *vacuis,* infrequentibus et quietis vel otiosis, respectu Romæ, urbis celeberrimæ ac turbulentæ. Cf. X, 102. Virg. Ge. II, 225. Horat. Epist. I, 7, 45. et I, 2, 81 seq. — *unum civem donare,* addere, *Sibyllæ,* Cumis. Conf. Plaut. Pers, IV, 3, 6.

4. Laudatur consilium amici, quod amœnissimum petiit locum. Cumæ sunt quasi *janua Baiarum,* quæ Baias euntes excipiat atque emittat; h. e. Baias proficiscentibus Roma per Cumas iter est. Cf. ad VIII, 160. *Baias* autem Romani æstivo tempore, tam voluptatis, quam valetudinis, aquis calidis firmandæ, causa petebant. *gratum litus amœni secessus,* nam et Cumæ et Baiæ sitæ in ora maritima et amœnissima regione Campaniæ, ubi ditiores Romani passim non in continenti tantum, sed in ipso quoque mari, prospectus ac frigoris gratia, villas exstruxerant. 5. Quodsi vero amicus meus vel ad locum minus amœnum migrasset, non damnarem ejus consilium: ego certe in deserta insula mallem, quam Romæ commorari. Pro Roma exquisite ponitur *Subura,* vicus regionis secundæ, ad radices Cœlii montis, frequentissimus atque infamis, ubi fures et scorta habitare et cibaria aliæque res vendi solebant, (v. Adlers Beschreib. von. Rom. p. 145 seq. et Böttigeri Sabina p. 82. ed. pr.) unde *clamosa Subura*

dicitur Martiali XII, 18, 2.[1] *Prochyte* (hod. Procita) insula, in sinu Cumano s. Baiano, Cumis et Miseno prom. objecta.[2] Eam *asperam* vocavit Stat. Silv. II. 2, 76. ut *sterili locatas colle Pithecusas* Ovid. Met. XIV, 89. ubi tamen Inarime s. potius Ænaria (hod. Ischia) et Prochyte a Pithecusis distinguuntur, (si lectio sana est) quas geographi vulgo confundunt.

6—9. Quis enim locus est tam *miser*, inamœnus ac tristis, vel *solus*, h. e. solitarius ac desertus ab incolis, (de quo v. Drak. et nos ad Sil. III, 429.) ut non Romæ eum præferas, vel ibi malis esse, quam in hac urbe, ubi *adsidue* varia pericula *horreas*, metuas necesse est, quod multo *deterius* censendum, quam quod in locis desertis habites. Frequentissima fuisse Romæ et *incendia* et *ruinas* ædificiorum, quæque utriusque rei causæ fuerint, docent Sen. controv. IX, 2. Lips. ad Tac. Ann. XV, 43. et Heubach in Comm. de politia Roman. § 17. et 45. 8. *Urbis sævæ*, in qua tot sunt, quæ nos terrent, pericula; Grang. 9. Facete inter summa Urbis pericula atque incommoda recensetur importuna malorum poetarum recitatio, quasi ea non minus misera sit ac metuenda, præcipue *mense Augusto*, quo enecantur auditores et flagrantissimo æstu et recitatione poetarum, quorum et numerus et studium scribendi recitandique est tantum, ut eo quoque anni tempore, quo plerique a negotiis se subtrahunt, miseros homines vel precibus, vel auctoritate ac præmiis ad audiendum alliciant. Conf. ad I, 1 seq.

10. *tota domus*, familia et supellex Umbricii. *una reda*, quo tenuitas supellectilis denotatur. *Reda* vehiculum, quo utebantur itinera facientes, *(reisewagen)* et quod quatuor habebat rotas, ut *cisium (cabriolet)* duas. Vox Celtica et Saxon. (Germ. *reiten*, Angl. *to ride)*, ut *carruca* matronarum; unde *reda* scribendum, non *rheda*. v. Var. Lect. Quintil. I, 5, 57. et 69. Scheffer de re veh. II, 18. p. 237 seq. et Böttigeri Sabina p. 315. ed. pr. *Substitit*, Umbricius, cum poeta, pedibus redam prægressus, moratur, exspectans currum et extremum contemplaturus varias ac sæpius a se visitatas partes urbis, quam nunc relinquit, ut solent, qui aliquo emigrant. *Veteres arcus* forte aquæductuum. Ita et Hein. qui conferri jubet Burm. ad Petron. c. 44. Quidam intelligunt *arcus* tergeminorum Horatiorum, quibus

[1] Cf. inf. X, 156. XI, 51. 141. Martial. VI, 66, 2. VII, 30, 12. X, 94, 5. Pers. V. 32. et Burm. Anthol. Lat. II, 41. p. 514.

[2] v. Heyne in not. et Exc. II. ad Virgilii Æneid. IX, 715. Burm. ad Val. Fl. II, 24. et nos ad Sil. VIII, 540.

tamen non arcus, sed pila, *γωνιαία στυλὶς*, exstructa; (de qua v. Liv. I, 26. et Dionys. III, 21.) alii *arcus* Romuli, qui lateritii primum et postea marmorei fuerunt, quam sententiam propter epith. *veteres* ceteris præferrem, modo constaret, hos arcus ad portam Capenam fuisse. *Capenam* portam, per quam Capuam itur, ad viam Appiam, unde etiam *Appia* dicebatur, hod. *porta di S. Sebastiano.* *madidam*, quia supra eam aquæductus est, quem nunc appellant *Arcum stillantem*; vet. Schol. Alii portam rectius ita dictam putant a fontibus, qui ibi erant, unde et *Fontinalis* vocabatur, de quo v. Fest. et Liv. XXXV, 10. extr. Cf. Martial. III, 47, 1. seq. *(Capena grandi porta qua pluit gutta* cet.) et X, 35, 13. 14. *(Egeriæ jocos udo Numæ sub antro).*

12 seq. Lucus erat in valle Aricina, Dianæ sacer, et *Camenis* a *Numa* sacratus, quem medium ex opaco specu *fons* perenni rigabat aqua, et ubi rex ille simulabat sibi cum Dea *Egeria* (v. 17.) congressus *nocturnos* esse; unde h. l. *nocturnæ amicæ.*[3] — *Hic, ubi* cet. v. Var. Lect. *constituebat amicæ* horam tempusque congressus concubitusque: haud dubie enim poeta his verbis significat, Egeriam non Nympham vel Musam, sed *amicam* h. e. pellicem Numæ fuisse, quod etiam illis temporibus fama vulgaverat. *Constituere* dicuntur, qui de aliqua re paciscuntur, inter quos de ea convenit. Venuste h. l. de *nocturna amica.*[4] Similiter *ad constitutum* (scil. locum vel tempus) *venire* dixerunt Varro R. R. II, 5. et Hygin. fab. 148. — 13. *nemus,* lucus Camenarum, in quo *fons* et *delubra,* a Numa iis sacrata. De æde v. Plut. in Numa; de *fonte* Camenarum idem et Liv. I, 21. Ovid. Fast. III, 263 seq. et Lips. Synt. de Vesta c. 10. *sacri,* ut omnes fontes, fluvii, aquæ, propter *numen aquæ* inf. v. 19. v. Spanhem. ad Callim. H. in Apoll. v. 112. Numa lucum præterea campumque, quem fons irrigat, Camenis consecraverat et *ὕδωρ ἱερὸν ἀπέδειξε ταῖς Ἑστιάσι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθημέραν ἁγνίζωσι καὶ ξαίνωσι τὸ ἀνάκτορον*, teste Plut. in Numa p. 68. Cf. Lips. l. l.

14—16. Judæis primum Claudii, deinde Domitiani temporibus Roma pulsis, (quæ tamen urbs paulo post iis abundabat, de quo v. VI, 542 seqq. Walch in Comment. nov. Soc. Gott. class. philol. T. III. p. 8 seq. et de Bynkershœk de cultu religionis peregrinæ apud

[3] v. Livius I, 19. et 21. Dionysius II, 60 seq. Plutarch. in Numa, Ovidius Fast. III, 261 seq. et Metamorphos. XV, 482—491. 547 seq. Lactant. Inst. div. I, 22. Salmasius de mod. usur. c. 15.

[4] Cf. VI, 487. Gronov. Obss. I, 1. p. 14 seq. et Passerat. ad Prop. IV, 9.

vet. Rom. Opp. T. I. p. 341.) locatus erat lucus, Camenis olim sacer, (unde hæ δεινῶς *ejectæ* dicuntur) ita ut quotannis *mercedem*, pretium locationis s. tributum, *penderent*, quod acerbissime exactum a Domitiano dicit Suet. Dom. 12. ubi v. intpp. Hinc poeta perstringit avaritiam Imperatorum, qui cum loca religiosa profanarent et ex iis facerent lucrum, tum tributa a pauperrimis quoque hominibus exigerent, qui nihil haberent præter *cophinum fœnumque* et mane ex luco in Urbem *mendicatum* vaticinatumque venirent, similes hodiernis Ægyptiis et Bohemis s. Zigeunis. *Ordinis res est, ut Ægyptius Pharao incedat cum diademate, Israëlita cum cophino*, Sidon. Epist. VII, 6. Cf. inf. ad v. 296. VI, 542 seq. et Burm. de vectig. pop. Rom. c. 2. p. 15. ubi non male ab aliis hæc referri dicit ad Judæos sacra et περισυχὰς in sylvis et sub arboribus peragentes, adeoque ad opima templorum vectigalia, quibus sacrificia sacerdotesque aluerint; unde VI, 544. *magna sacerdos arboris.* — *Cophinus*, κόφινος, canistrum, corbis omneque vas vimineum. Judæi, itinera facientes per gentilium aut Samaritanorum terras, quod jam alii notarunt, cophinis secum ferebant et quisquilias suas, et edulia, ne gentilium cibis polluerentur.[5] *Fœnum*, quo jumenta sua alebant Judæi, vel potius durum cubile, quo in sylvis pernoctantes utebantur: unde VI, 542. *fœno relicto* Romam venire dicuntur mendicandi vaticinandique causa. — 16. *Omnis arbor* id. qd. *sylva*, h. e. omnes Judæi in sylva vel luco Camenarum habitantes. Malim tamen versum 15. referre ad verbum *locantur*, et v. 16. ad illa: *quorum cophinus fœnumque supellex*. Tum sensus est: Populus Rom. vel Imperatores tam avari sunt, ut quævis loca, etiam sacra, locent, vel ex *omni arbore*, ex omnibus, etiam levissimis rebus, lucrum capiant, et tributa exigant *a sylva*, h. e. a Judæis, in sylva s. luco Camenarum habitantibus; Judæi autem, quibus lucus est locatus, tam pauperes sunt, ut mendicare cogantur.

17. *descendimus* Umbricius et ego. *speluncas*, antra (*grotten*) *dissimiles veris*, naturalibus ac simplicibus, ut mox *ingenuum tophum*. 18 seq. v. ad XI, 116. *Quanto præstantius esset numen aquæ*, h. e. fons sacer, ut sup. v. 13. Bahrdt: *O wie weit göttlicher wär' diese quelle!* Cf. tamen Var. Lect. — 19. 20. Cf. Ovid. Met. III, 157—162. *viridi*, gramineo, *margine*, ut olim, non, ut nunc, muro marmoreo. *nec ingenuum*, naturalem, αὐτοφυῆ, non opere aut arte factum

[5] Cf. Intpp. Matth. XIV, 20. XVI, 7—10. Marc. VI, 43. VIII, 19. Luc. IX, 17. Joh. VI, 13.

atque expolitum, *tophum* (qui lapis ex aquis calci mixtis ac destillantibus oritur mirasque sæpe figuras effingit) *marmora,* arte posita, *violarent,* dedecorarent: nam ars naturam et adscititius color nativum φθείρει, corrumpit; unde μιαίνειν ἐλέφαντα φοίνικι dixit Hom. Il. IV, 141. et hinc *ebur ostro violare* Virg. Æn. XII, 67. (ubi v. Heyne) *Aretinæ violant crystallina testæ* Mart. I, 54, 6. *nullo violatus Jupiter auro* inf. XI, 116. ubi v. not. 21. *Hic tunc Umbricius* hæc mihi dixit. *Umbricius haruspicum in nostro ævo peritissimus,* Plin. X, 6. Cf. Tac. Hist. I, 27. et Plut. in Galba T. I. p. 1064.

21—25. Imitat. Plaut. Mercat. V, 1, 7 seq. Grang. *Res* familiaris proborum hominum *hodie minor est, here quam fuit:* nam artes laboresque honesti Romæ neque in honore ac pretio sunt, neque commoda ac præmia consequuntur. *here* ἀεχαϊκῶς et metri causa pro *heri.*[6] *Deteret,* minuet, imminuet. Proprie res familiaris deteritur, non deterit. 25. *Ire illuc, ubi Dædalus exuit alas,* h. e. Cumas. Cf. ad Sil. XII, 89 seq. et Heyne ad Virg. Æn. VI, 14—19. *Nova canities* est ejus, cui capillus canescere incipit. *Donec virenti canities abes Morosa,* Horat. Od. I, 9, 17. *Recta senectus* est ejus, qui erectus adhuc vadere potest necdum incurvus est, qui *pedibus se portat suis, nullo* cet. 27. Quamdiu vitæ quid mihi superest et per fata licet. *Dum res et ætas et Sororum Fila trium patiuntur atra,* Horat. Od. II, 3, 15. 16.[7] *superest* scil. filum, et quidem h. l. vitæ. *Torquere,* ut et *versare,* de fuso et de ipso stamine ac filo, pro nere. Cf. Heyne ad Tibull. II, 1, 64. 29. *Cedamus,* excedam, discedam, ut sup. II, 131. *Artorius et Catulus,* ignobiles et sordidi ac malis artibus viventes homines, qui ex sordidis rebus divites sunt facti; vet. Schol. Tales homines nunc Romæ gratiosi sunt et felices. *nigra in candida,* falsa in vera, vitia in virtutes *vertunt;* cf. Ovid. Met. XI, 313—315.

31 seq. Designantur homines sordidæ olim conditionis, qui redemturis auxerunt patrimonia, (Liv. XXIII, 48.) vel alia quacumque via ad tantas opes provecti sunt, ut nunc publicani aut certe redemtores esse possint. *conducere* h. l. id. qd. redimere, cui *locare* opponitur. Romæ non modo pleraque, quæ publico, sed et multa, quæ privato sumtu perficiebantur, opera et ædificia vel exstruenda vel resarcienda

[6] v. Priscian. p. 1011. Charis. Inst. Gramm. p. 180. ed. Putsch. et Spalding ad Quintil. Instit. Or. I, 4, 8.

[7] Notus est versus, *Clotho fert fusum, Lachesis rotat, Atropos occat,* vel *Clotho colum gestat, Lachesis net et Atropos occat.* Conf. loc. præclarus Catull. LXI. Epithal. Pel. et Thet. v. 312 seq.

locari h. e. redemtori minimum poscenti addici solebant, et quidem illa fere a Censoribus Ædilibusque, hæc a privatis hominibus; *conduci* vero vel *redimi* ab iis, qui ea curanda suscipiebant, et *redemtores, conductores, mancipes (entrepreneurs)* vocabantur. Publicani, homines ditissimi, qui plerumque Equites erant, publica vectigalia, scripturam, decimas et portorium, redimebant, unde scripturarii s. pecuarii et decumani dicebantur: sed iidem quoque sæpe redemtores erant ædificii alicujus aut operis publici. *Quîs*, quibus, *facile est* propter divitias, astutiam, blanditias et dona. *conducere ædem* vel sacram, vel publicam, vel etiam privatam, (v. Var. Lect.) scil. faciendam, exstruendam, vel reficiendam, ut *portus* et *flumina* sc. purganda. Censores sarta exigebant tecta et opera locata probabant. *flumina*, alveos fluminum, inpr. Tiberis, purgandos: nisi hæc vox spectat ad piscationem vel æs piscatorium, de quo v. Fest. Sic et lacus a Censoribus locari solebant propter piscationem, qui fructus eorum est. v. Burm. de vectig. pop. Rom. c. 1. p. 10. *portus* faciendos vel reficiendos vel purgandos: nisi capere malis de *portorio*, vectigali, quod ex portubus Italiæ et provinciarum exigebatur pro invehendis atque evehendis mercibus, quodque proprie *vectigal* appellabatur. v. Burm. l. l. c. 5. Cic. Verr. Act. II, 2, 70. 74. III, 7. — 32. *Siccandam eluviem conducere*, h. e. cloacas, quarum cura olim ad Censores, et postea sub Imperatoribus ad Curatores pertinebat, purgandas et reficiendas redimere. v. Burm. l. l. c. 11. p. 198. — Verba *portandum ad busta cadaver* recte referuntur ad redemtores funerum, *(designatores, libitinarios)* qui in templo Libitinæ apparatum exsequiarum vendebant: de quibus v. Kirchman. de fun. Rom. I, 9. p. 58 seq. — 33. Hunc versum multi referunt ad *capita* servorum, quæ venalia exposuerint Artorius et Catulus: quæ negotiatio venalitiaria admodum quæstuosa erat. Quum vero de hominibus ditioribus, qui vectigalia redemerint, h. l. sermo sit; crediderim his verbis non ipsos mangones s. venalitiarios designari, sed redemtores *vectigalis rerum venalium*, quod exigebatur pro rebus, quæ in foro (non quæ alibi) vel sub *hasta*, publice posita, venales erant, quo præcipue pertinebant mancipia s. servi, qui proprie *venales* s. *venalitii* vocabantur et coemebantur a venalitiariis, ut iterum eos venderent. Augustus quum pecunia egeret ad bella et nocturnos vigiles alendos, vectigal *quinquagesimæ mancipiorum venalium* instituit, teste Dione Cass. LV. extr. Quinta et vicesima mancipiorum venalium, cujus Tac. Ann. XIII, 31. mentionem

facit, postea, Caligulæ forte temporibus, exacta videtur.[8] *caput* h. l. vel proprie dicitur, vel, ut passim, de hominis statu, libertatis ac civitatis jure, atque adeo vita. *Hasta,* in foro posita, signum auctionis publicæ, (forte etiam privatæ, de quo v. Duker. ad Flor. p. 346.) unde *sub hasta vendere* ac *venire, ad hastam locare, subhastare* cet. *Præbere caput venale sub hasta,* ut, quod Hein. monet, *Principum sub civili hasta capita venalia* ap. Sen. de ira I, 2. *Hasta domina,* v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. III, 100. et Wagneri Obss., catalogo lectt. hiem. Marburg. a. 1815. præmissæ p. 4. 5. ubi hæc leguntur: "Auctio semper erat venditio publica, quæ hasta posita per præconem fiebat, ita ut res ei subjectæ plurimum licitantibus a magistratu addicerentur. Hæc addictio quum non nisi *imperii,* quo magistratus ille ornatus erat, vi fieret, Tibullus II, 4, 54. dixit: *ite sub imperium sub titulumque, Lares,* bona paterna, auctionis lege vendenda. Hasta autem quum in auctionibus poneretur eique venumdanda subjicerentur, propterea quod ipsa, quoties Romæ pars aliqua imperii aut jurisdictionis, adeo et potestatis summæ, exerceretur, signi adhiberetur loco, a Juvenale *domina* appellatur. Conf. Sigon. de ant. jur. pop. Rom. T. I. l. 1. c. 11. p. 149. (Jus auctionis earum rerum fuit, quæ publice per præconem sub hasta præsente et addicente magistratu venderentur: in auctionibus enim ei, qui plurimum auget, res addicitur; et quoniam ex auctione illa *dominium* sibi justum in eam rem comparant, hinc etiam *auctoritas* jus auctione quæsitum dicitur et *auctor* is appellatur, a quo quis auctoritatem i. e. jus dominii in quampiam rem accepit.) et T. II. l. 1. c. 7. p. 419."

34—36. Homines illi, qui *quondam* fuerant *cornicines* in ludis scenicis vel theatris, (non in muneribus gladiatoriis vel amphitheatris) et *perpetui comites municipalis arenæ,* operam locantes gladiatoribus et ne Romæ quidem, sed in municipiis, *notæque per oppida buccæ,* phonasci citharœdorum, (v. Marm. Arundel. n. III.) vel municipales vilesque causidici, (ut XI, 34.) vel potius præcones, qui buccas inflare solent, — hi itaque sordidi homines et peregrini malis artibus nunc Romæ tantas collegerunt opes, ut etiam munera edant. Conf. Ferrar. Elect. II, 26. et Hennin. ad h. l. 36. *Munera* magnis sumtibus olim a magistratibus, postea a Principibus et denique ab omnibus, etiam privatis et vilissimis, qui tum utebantur insignibus magistratuum, (ut a

[8] v. Burm. l. l. c. 5. p. 68—76. Lips. c. Cuiac. Obss. VI, 28. Fabrett. Inscr. et Ernesti in not. et Excurs. ad Tac. l. c. l. p. 36.

sutore et fullone ap. Martial. III, 16. et 59.) *edebantur*, ut ita gratiam populi captarent et viam sibi munirent ad honores. Insania variis sensim SCtis legibusque coercebatur.[9] *Munera edunt* vocabula propria de spectaculis gladiatoriis, (ut *ludos facere* s. *dare* de scenicis) unde *munerator, munerarius, editor, editio.* — Populus si victum gladiatorem occidi vellet, *pollicem vertebat* s. *convertebat*, (ut h. l. et ap. Prudent. adv. Symm. II, 1097.) si servari, *pollicem premebat.* (v. Plin. XXVIII, 2. et Hor. Ep. I, 18, 66.) Cf. Lips. Saturn. I, 7. et II, 22. Versus pollex etiam *infestus* dicitur Quinctil. XI, 3, 119. et Apul. Met. II. p. 124, 3. ed. Elmenh. (cf. Wernsdorf Poet. Min. T. III. p. 230.) nam *infestus* est in aliquem vel aliquid directus, id petens, (v. ad Liv. I, 13.) et *pollex vertebatur* h. e. dirigebatur in pectus, quo indicabatur, ni fallor, illud gladio transfigendum esse; non, ut alii putant, in altum tollebatur, quod non bene *verti* dicitur, vel sub veste recondebatur, quæ Heinsii ad Sil. VIII. sententia est, vel denique comprimebatur, reliquis digitis erectis, quod contendebat Plathnerus. *verso pollice vulgi*, eo postulante, *quemlibet occidunt*, occidi patiuntur et jubent, vel occidendos curant: (v. inf. ad v. 116.) nisi invidiose tribuitur munerariis, quod spectatoribus proprium, vel qui muneris effectus et cujusque rei auctores illi sunt. *populariter*, studio gratiæ populi captandæ: nam *popularis* dicitur studiosus populi, qui ejus gratiam affectat. Alii exponunt, cum applausu populi eoque favente; alii, ejus delectandi causa. Vox proprie spectat ad editionem muneris, qua populi favor captabatur; sed h. l. invidiose etiam ad effectum ejus, cædes scil. hominum transfertur. Similis locus est ap. Prudent. adv. Symm. II, 1095. seq. de virgine Vestali, munus edente: *Et quoties victor ferrum jugulo inserit, illa Delicias ait esse suas pectusque jacentis Virgo modesta jubet converso pollice rumpi.* Cf. Var. Lect. 37. 38. Vulgo hæc ita exponunt: *inde*, a muneribus et amphitheatro, *reversi* domum et immensis spectaculorum sumtibus exhausti non amplius honesta ac majora vectigalia *conducunt*, redimunt, (v. ad VI, 597.) sed sordida ac minora, ut *foricarum* aliaque his similia, quæ avari Imperatores commenti sunt: (v. c. quæ fimo equino et urinæ imposuit Vespasianus; de quo v. intpp. Suet. Vesp. c. 23.) ex munerariis fiunt foricarii. Sed aptior est Achaintrii interpretatio: " Eo (!) sordidi et viles et avidi lucri istiusmodi homines,

[9] v. Suet. Cæs. 10. Dio LIV. Tac. Ann. IV, 63. XIII, 49. Lips. Saturn. I, 9. et 12.

ut *reversi* a spectaculis magno sumtu a se editis de latrinis etiam curandis cum Ædilibus tractare non erubescant, nihil vile ac sordidum respuentes, dummodo lucrum inde proveniat." Non enim sermo est de hominibus, qui propter impensas in munera factas ad inopiam rediguntur, sed qui ea edunt, ut viam ita sibi ad gratiam populi summosque honores muniant, et qui *omnia* soli conducere possint, *quum sint, quales* cet., h. e. quum ditissimi sint. *Foricæ* sunt latrinæ publicæ, in quibus prætereuntes alvum exonerare poterant, et quæ vilibus locabantur hominibus, qui inde *foricarii* dicebantur et vectigal exigebant ab his, qui subita necessitudine deprehensi ventris ibi onus deponere cogebantur.[10] — 40. Fortuna, (ut et dii) si indignos *ex humili* loco s. fastigio *extollit* et dignos deprimit, deinde vero hos extollit et illos iterum deprimit, (unde *improba* VI, 605.) dicitur *ludibrium casus edere*, (Liv. XXX, 30.) vel *jocari* ac *ludere*, h. e. pro ludibrio habere homines, eos quasi ludum jocumque facere.[11]

42. Nescio ita adulari, ut, qui nunc mos hominum est, malum librum, qui recitatur, *laudem*, et *poscam* legendum aut transscribendum. Hæc enim olim edendorum divulgandorumque librorum ratio erat, ut recitarentur amicis et ab his describerentur. 43. 44. Ignoro astrologiam s. mathesin, quæ ars hodie in tanto pretio est, cuique et viri et mulieres deditæ sunt. Cf. ad VI, 553—571. et XIV, 248 seq. *Promittere* voc. propr. de sortilegis, qui omnia promittunt, nil præstant, ut ap. Virg. Æn. IV, 487. Grang. Sic et *spondere* VI, 548. ubi v. not. *promittere funus*, mortem, (ut VI, 565. et al.) *patris* vivacis, qui diutius vivit, quam filius perditus ac dissolutus optat. Cf. ad VI, 565 seq. XIV, 248 seq. Casaub. ad Pers. II, 10 seq. Gierig ad Ovid. Met. I, 148. et verba Luciani in Hermot. c. 6. ὑπὲρ τῶν εἴκοσιν ἐτῶν, ὅτι βιώσῃ τοσαῦτα, πότερον ὁ διδάσκαλός σου καθυπέσχετο, οὐ μόνον σοφὸς, ἀλλὰ καὶ μαντικὸς ὢν ἢ χρησμολόγος τις, ἢ ὅσοι τὰς Χαλδαίων μεθόδους ἐπίστανται; φασὶ γοῦν εἰδέναι τὰ τοιαῦτα. *ranarum*, rubetarum, *viscera numquam inspexi*, ut scil. venenum ex iis pararem; h. e. veneficas artes non polleo, ut hodie multi. Cf. ad I, 70. Verba *viscera inspexi* non ad vaticinationem spectant, sed facete iis usus est poeta; nam loquitur h. l. Umbricius haruspex, qui propr. *viscera* s. exta *in-*

[10] De *foricariis* v. Paulum leg. 17. § *Fiscus* Dig. de usuris, Cuiac. Obss. XXII, 24. 33. 34. Burm. de Vectig. Pop. Rom. c. XI. p. 199. Casaub. ad Suet. Vesp. c. 23. Salmas. de usuris c. 18.

[11] Cf. inf. VI, 608. VII, 197. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 35, 1 seq. III, 29, 49 seq. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 47. et 256. intpp. Plin. Epist. IV, 11. Barth. ad Stat. Theb. III, 179. et ad Claudian. in Eutrop. I, 23 seq.

spicere dicitur; de quo v. Heins. ad Ovid. Met. XV, 577. — 45. *quæ mittit*, literas et dona. *quæ mandat* nuptæ dicenda, occulta consilia cet. — 47. *Fur* vel proprie h. l. dicitur, vel in genere pro homine nequam ac scelesto. Adulterum s. alienæ uxoris corruptorem intelligebant Grang. et Brit. quia *furtum* ac *res furtivæ* eo sensu dicantur. — *ideo*, quoniam nefariæ artes, quæ nunc vigent, mihi et ignotæ sunt et displicent, *nulli comes exco*, nemo me sibi comitem sociumque jungit. — 48. Homines scelesti me repudiant et spernunt, tamquam eum, qui sibi inutilis ad operam præstandam et nullius vel pretii sit vel ingenii ad artes, quas tractant. *corpus*, truncus. *exstinctæ*, emortuæ. 49. *conscius* scelerum occultorum. *Conscius* etiam absolute dicitur socius alicujus et adjutor in rebus gerendis. *Vis fieri dives, Bithynice, conscius esto*, Martial. VI, 50. — *cui æstuat animus*; agitatur, torquetur *occulto* metu et anxia hæsitatione, quia dubius est, taceatne secreta consilia, an proferat. Præclare de curis ac sollicitudine hominis scelerum sibi alienorum conscii. *semper tacendis*, flagitiis, quæ numquam divulganda, quæque omni tempore probro sunt ac dedecori. Nam honesta etiam possunt esse arcana, quæ aliquamdiu tacenda sunt.

51. 52. Comparant Martial. VI, 50. *nil conferet* scil. præmii tibi, ut contra ii, quorum scelera tibi nota sunt, ne commissa enuncies. 53. Carus et acceptus erit scelerato viro, qualis *Verres* fuit, qui nefaria ejus consilia ac facinora noverit, quique adeo quovis tempore, quo vult, eum accusare potest: quin munera ab eo accipiet, ut taceat. Cf. Tac. Ann. VI, 4. et intpp. Ammiani Marc. XXVIII, 6, 20.

54—57. Sapiens ne amplissimorum quidem *præmiorum* summique lucri spem sibi oblatam *tanti* faciet, ut scelestorum alicujus consiliorum secretorumque particeps fiat et idcirco semper *tristis* sit, h. e. sollicitudine et curis angatur, quibus ne per *somnum* quidem vacuus sit animus, quoniam perpetuo verendum est, ne arcana divulgentur et ipse quoque supplicium solvat, vel adeo *ab amico magno*, potente vel divite, (v. ad I, 33. et VI, 313.) qui conscios *timet*, occidatur. 55. *Tagus* (hod. *Taio* s. *Teio*) fluvius Hispaniæ χρυσορρόας, qui *in mare* Atlanticum influit adeoque *aurum volvit*, et in quo etiam nunc non *arenæ* quidem, sed numi tamen et globuli *aurei* aliorumque metallorum partes reperiuntur. *opaci*, umbrosi, umbris arborum obscuri. Cf. Martial. I, 50, 16. qui ipse Hispanus fuit. 56. *præmia ponenda*, quæ ab amico proponenda, constituenda, (ut Gr. τιθέναι ἄεθλα) promittenda sunt, ut ad societatem sceleris cum eo coeundam

te perliciat; (ut ap. Virg. Æn. V, 292. et 486. *Invitat pretiis animos et præmia ponit*) nisi malis exponere cum aliis deponenda, h. e. abjicienda, spernenda, recusanda, non sumenda; nam cum *sumere* jungitur eique opponitur. Quæ postea cogaris ei reddere; Brit. Quæ serius ociusve, certe cum vita, relinquere cogaris; Ach. Heinecke hæc adnotavit: " Quocumque modo verba accipias, ridicula Hercle sententia prodit: maxima præmia ne te commoveant, ut præmia accipias. Hæc tam absurda evitabis, si *præmia ponenda* mecum explices: præmia, quæ magnus amicus conscio dat, ut aliis proponat ad scelus aliquod perficiendum." Quæ si excidissent mihi, iterum dixisset: cave tibi ab hac interpretatione contorta. Neque absurda sunt, quæ alii his verbis exprimi putant.

58. *acceptissima*, gratissima. *gens*, scil. Græca. 60. *Nec pudor obstabit*, etsi ne sine pudore quidem de hoc hominum genere loqui et quale sit dicere possim. *Quirites*, cives Romani, quo nomine poeta non tam usus est more eorum, qui in orationibus ad populum habendis eum ita alloquuntur, quam quia *Græcis* h. l. vel potius Romanis, Græcorum ritu viventibus, opponuntur. *Græcam urbem*, Romam, quæ Græcorum nunc lingua, moribus, gustu, luxuria, cultu, deliciis, ludis vitiisque corrupta est et a prisca virtute degeneravit, cujus cives sunt molles et effeminati. Sic *Græca* et *Græcula* passim per contemtum dici et *Romanis* opponi solent, ut forte *Graia Saguntos* Sil. III, 178. (ubi v. Drak.) certe *Graia munimina*, vel *tecta, quæ Graia manus defendit*, et *Graiæ urbes* Sil. XII, 41. 49. 69. Cf. Meurs. Auctar. Philolog. c. 7. Burm. ad Petron. Sat. c. 46. p. 229 seq. Böttigeri Sabina p. 286. 311 seq. ed. pr. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων § 17. et Kœnig ad Pers. VI, 38. ubi hæc ejus nota est: " Communis querela erat omnium Romanorum, apud quos antiqua simplicitas adhuc in pretio erat, jam ab iis temporibus, quæ Ciceronis ætatem præcesserant, disciplinam Romanam Græcarum doctrinarum subtilitate morumque pravitate et mollitia fuisse corruptam. Ex hoc quasi fonte manavit etiam odium in istam gentem, quæ devicta jam victoris superbiæ despectui erat. Quo odio nonnulli ita inflammati erant, ut literas quoque et sapientiæ studium, quippe a Græcis ortum, respuerent et contemnerent. v. Juvenal. III, 60 seq. VI, 16. 185 seq. 291 seq. XV, 110 seq. ex quibus locis apparebit etiam, quantopere omnia Romæ composita fuerint ad Græcorum instituta." Cum descriptione vero morum ingeniique Græcorum v. 58—125. conf. Cic. orat. pro

Flacco, cujus major fere pars ad perfidiam eorum levitatemque probandam spectat.

61—85. Neque tamen id satis est vel maxime dolendum, quod *Achæi*, Græci, Romam migraverint; hæc enim est minima *portio*, pars, *fæcis*, vilissimorum turpissimorumque hominum: *jam pridem* huc ex Asia *confluxere* etiam Syri aliique exteri et nullius frugis homines, qui novis artibus deliciisque opes nanciscuntur. Cf. VI, 295. VII, 14 seq. VIII, 198 seq. Martial. III, 4. V, 57. Suet. Vesp. 19. *Syrus in Tiberim defluxit Orontes*, præclare pro, Syri, Orontem fluvium Syriæ accolentes, cum vitiis suis Romam, ad Tiberim sitam, confluxerunt. Conf. Böttigeri Sabina p. 446. qui huc refert verba Athenæi I, 17. (I, 36. T. I. p. 75. ed. Schweigh.) ὅλα τὰ ἔθνη ἀθρόως αὐτόθι (Romæ) συνῴκισται, ὡς τὸ Καππαδοκῶν καὶ Σύρων (ita legit pro Σκυθῶν) καὶ Ποντικῶν καὶ ἄλλων πλείονων. Similis imago in sacris literis reperitur Esai. VIII, 6. 7. (ubi v. Lowth.) et ap. Claudian. in Eutrop. I, 434. (Scribat sc. nomen Eutropii consulis in fastis *Halys*, *famæ scribat contemtor Orontes* cet.) ubi fluvii etiam, ut h. l., memorati pro regionibus suis, Phrygia et Syria, earumque incolis. Cf. ad XV, 110. Ad delicias potissimum Antiochenas h. l. respici, quam urbem *Orontes* alluat cujusque luxum incredibilem eleganter perstringat Julianus Imp. in Misopog. (ut et Herodian. II, 7, 15.) non male suspicabatur Henninius. Potest tamen et universe ad luxuriam peregrinam, ex Asia primum in Urbem a Cn. Manlio invectam, referri, de quo v. loc. class. Liv. XXXIX, 6. quem Juvenalis etiam in seq. verss. expressit. Syri aliique orientis populi luxu et lascivia infames erant. Cf. VIII, 158. 159. — 63. *cum tibicine*, cum tibiis, tam obliquis, (πλαγιαύλοις) quam rectis, *chordas obliquas*, sambuca, lyras, citharas cet. Verbis *cum tibicine chordas obliquas* πλαγίαυλον s. obliquam tibiam, quæ, si eam inflent tibicines, efficiat, ut ipsis quoque *obliquum* sit caput, manifeste designari, et *chordas* seu *fides* non de cithara semper aut lyra aliisque id genus ἐγχόρδοις vel ἐντατοῖς instrumentis, sed de *tibiis* etiam dici, viceque versa *citharas* accipi pro *tibiis* et αὐλισμὸν pro κιθαῳδίᾳ ap. Lucret. IV, 587. 8. Platonem et alios, contendebat Voss. Obss. ad Catull. p. m. 166. et 167. Copiose atque erudite contra eum disputavit Spanhem. ad Callim. H. in Del. v. 253. ubi præter alia hæc reperies verba: " Notæ abunde *obliquæ* veterum *tibiæ* s. plagiauli, ac præterea Phœnicum s. Syrorum, qui confundi a Romanis et Græcis etiam scriptoribus solent, tibiæ, *γίγγροι* aut *γίγγραι*, ac *Sarranæ* vel *Serranæ*, h. e. Tyriæ, dictæ. Sed utrumque Musici

instrumenti genus, tam ἔγχορδον quam ἐμπνευστὸν, tamquam a voluptariis Syris in Urbem illatum, h. l. tangi, ut ab Horat. Epod. IX. 5., ubi de utriusque concentu agitur, probabile fit ex eo, quod *obliqua tibia* s. *plagiaulus*, haud aliter ac recta etiam tibia, Phrygum inventum olim habitum ac inde tibicinæ vulgo *Phrygiæ* et *Berecyntiæ* appellatæ; quodque pleraque illa ἔγχορδα vel ἐντατὰ veterum organa peregrina fuere, ex illo tractu, Syriæ nempe ac Phœniciæ, unde et barbara iis indita nomina, v. c. *nabla, barbitos, magadis, psalterium, sambuca, cithara* (כנור). Insigniter huc facit Livii locus XXXIX, 6. ubi, *luxuriæ*, ait, *peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est;* omissaque ibi omni tibiarum aut tibicinum mentione, *tum psaltriæ sambucistriæque et convivialia ludionum oblectamenta addita epulis.* Sambucum vero trigonale fuit et cum inæqualibus nervis s. chordis; obliqua etiam ipsa lyræ seu citharæ aliorumque id genus ἐγχόρδων instrumentorum latera et cornua, πηχεῖα, κέρατα Polluc. p. 187." Conf. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 243—246. et Böttiger in Wielandi Attico Museo T. I. Fasc. 2. p. 345 seq. — *Tympanum*, τύμπανον s. τύμπανος, Hebr. תֹּף, Arab. دَفّ, Turc. *diff*, Barbar. *tarr*, Hispan. *adufe*, lignum excavatum corioque obductum, quod manibus, a virginibus plerumque, pulsabatur, et nonnumquam in laterum incisuris hinc illinc crepitacula ænea habebat, quæ in axiculo inter se collisa tinnitu suo suaviter temperabant complosæ membranæ boatum; instrumentum musicum, in Oriente frequentissimum, (unde h. l. *gentilia*) et inde in Hispaniam translatum, quod in festis potissimum vel lætis diebus ac tripudiis, non vero in bellis, adhibebatur, variique generis ac formæ erat: v. c. illud, quo in sacris Cybeles et Bacchi utebantur, ad cribri similitudinem effictum, de quo v. Isidor. Orig. III, 21. et monumm. antt. Inde intelligitur, hæc tympana non plane respondisse iis instrumentis, quæ nobis hodie *pauken* et *trommeln*, Gallis *tambourins* et *tambours* dicuntur. [12] — 65. Quidam h. l. interpretantur de prostibulis scenicis, quæ theatrum, immo scenam et proscenium obsidebant;" (v. Lips. Elect. I, 11.) Plathnerus vero non male de ambubaiis Syriis, peregrinis scortis, (v. Suet. Ner. 27. et Horat. Sat. I, 2, 1.) sed rectius alii de meretricibus Submœnianis, ad

[12] Cf. Lucret. II, 618. Joseph. Antt. Jud. VII, 12. § 3. Suid. v. τύμπανον, Montfaucon. Antiq. Expl. T. III. p. 346. ac Suppl. T. III. p. 197. et qui tam descriptiones tympanorum, quam figuras æri incisas exhibent, Shaw's Travels p. 269. Russel's Natural History of Aleppo p. 94. 95. tab. 14. Niebuhrs Reisebeschreib. T. I. p. 180. 181. tab. 26. 27. T. II. p. 84. 173. Antiq. Herculan. T. II. tab. 20.

Mœnianum (al. Mænianum) ædificium in *Circo prostantibus.* [13] *prostare*, v. ad VI, 123. — 66. *Ite* in malam rem! Conf. ad VI, 306. *barbara lupa*, Syra meretrix, cum *mitra* Phrygia, fascia capitis et redimiculis, *picta* acu. [14]

67. Magna vis in apostropho ad *Quirinum*, Romulum, et sup. II, 128. ad Martem. *Rusticus ille tuus* populus, civis, rustico antea operi intentus. Cf. ad II, 127. et VIII, 275. *Trechedipna* vulgo exponunt vestimenta parasitica, quibus indutus ad salutandum aliquis cœnam vel sportulam promeriturus, vel ad ipsam *cœnam cucurrerit*, a τρέχω et δεῖπνον: nam poeta, de Græcis loquutus, Græca affectat verba, ut mox plura. Vetus Schol. est: "*Trechedipna* vestimenta parasitica, ut caligulas Graias currentium ad cœnam: vel *Rechedipna* est ipse, qui cœnam facit." Parasitus quidem τρεχέδειπνος dicitur, (quam vocem haud incommode *cœnipetam* reddi posse monet Reines. var. lect. lib. III. p. 366.) v. c. apud Athen. I, 4. VI, 9. (ed. Schweigh. I, 6. et VI, 41.) Plut. Sympos. VIII, 6. et Alciphr. epist. III, 4. (ubi inde factum nomen propr. parasiti famelici) quoniam festinanter ad cœnam accurrere solet: neque obstat, quod vs. seq. palæstræ mentio fit aliudque mollitiei genus notatur. Vestes tamen vel calceos parasiticos τρεχέδειπνα usquam appellari haud memini, et de cultu peregrino h. l. agitur. Vestes innui peculiaribus familiarum coloribus distinctas, Ital. et Gall. livréas, (*thoraca viridem* inf. V, 143.) quo signo cogniti convivæ ad cœnas cucurrerint, suspicabatur Rutgers. var. lect. VI. 13. Vossius autem in Lex. et de vit. serm. I, 33. Scalig. de Emendat. Temp. lib. V. et Rigalt. ad h. l., hieronicas, de publico cœnantes ἐν τῷ παρασιτίῳ et ad eas epulas currentes, ut hora cœnæ alius alium præterverteret in occupando loco κατακλίσεως, proprie τρεχεδείπνους vocatos esse, τρεχέδειπνα vero vel τροχάδας *niceteria* eorum, i. e. victoriæ præmia, quæ *collo* gestaverint, ut hoc symbolo agniti admitterentur ad σίτησιν δημοτικὴν ἐν τῷ πρυτανείῳ, quæ hieronicis in omni agone sacro communis fuerit. Non minus argutæ sunt explicationes Ferrarii R. Vest. III, 12. et Turnebi Adv. III, 17. Henninius

[13] Cf. Isidor. XVIII, 42. Martial. I, 35, 6. III, 82, 2. XI, 62, 2. XII, 32, 22. Intpp. Suet. Calig. 18. Ascon. ad Cic. in Cæcil. 16. et de his scortis ex Syria advectis Propert. II, 23, 21. qui dicit: *quas Euphrates et quas misit Orontes.*

[14] v. ad II, 84. Heyne ad Virg. Æn. IV, 216. IX, 616. idem et Scalig. ad Virg. Cop. v. 1. Gierig ad Ovid. Met. XIV, 654. Wernsdorf Poet. Min. T. II. p. 292. Μίτρᾳ μὲν ἀναδεδεμένος τὴν κόμην et τῇ μίτρᾳ τούτους βοστρύχους ἀνειλημμένος ap. Lucian. dial. deor. XVIII. T. I. p. 247. et T. II. p. 206. ed. Reitz. *Inque orbem tereti mitra jedeunte capillum Strinxerat* ap. Claudian. XX, 185.

existimabat, *trechedipna* in scholiis vett. ad *galliculas* (ita enim leg. pro *caligulas*) *Graias*, h. e. calceamenta pastorum, (nam ita in Gloss. MS. ap. Carol. du Fresne, teste Scriverio, exponuntur, ut τροχάδες in gloss. vulg.) et quidem rectissime trahi, ut adeo indignetur Satiricus, etiam rusticos Graio more jam calceari, fastidito patrio. 68. Poeta perstringit insanum artium gymnasticarum studium, ex Græcia Romam translatum, ut Horatius Epist. II, 1, 32. 33. et Plin. XXXV, 12. Vile autem et infame apud Romanos veteres et adhuc rusticos certamen agonicum et gladiatorium exercitium; Ach. v. ad II, 143. *Niceteria* victoriæ signum, quod pro magnæ laudis insigni parasito gestabatur alios edacitate superanti; Omnibonus ab Ach. laudatus, qui etiam pro *trechedipna* legendum putabat *richidimna*, sudarium, quo parasiti sudantes in cœnaculo, quum vino ciboque replentur, absterguntur, sic dictum a Gr. *rictis*, sudarium. *Niceteria*, νικητήρια, præmia victoriæ et insignia pugilum. *Collum ceromaticum*, ceromate unctum. *Ceroma*, κήρωμα, unguentum athletarum, ex oleo, cera certisque terræ partibus confectum. v. Plin. XXVIII, 4. s. 13. XXXV, 12. 13. Spanh. ad Callim. H. in Pall. v. 25. et 29.

69—74. Græci (nam ad hos oratio redit) ex omnibus Græciæ partibus ac locis Romam confluunt et alienis pecuniis locupletantur. Cf. ad VII, 14 seq. *Sicyon*, urbs Achaiæ antiquissima in Peloponneso, ἐπὶ λόφου ἐρυμνοῦ, teste Strab. VIII. p. 587. unde h. l. *alta*.[15] *Amydon*, opp. Pæoniæ, partis Macedoniæ, notum etiam ex Hom. Il. β, 849. *Andros* ins. in mari Ægæo e Cycladibus. *Samos* ins. in mari Icario. *Tralles* oppidum Ioniæ, (sec. Strab. p. 648.) vel Cariæ, (sec. Plin. V, 29. et Ptol.) vel Lydiæ, de quo v. Wesseling. ad Hierocl. p. 659. *Alabanda*, urbs Cariæ ditissima, cujus cives luxuria diffluebant.[16] — 71. *Esquiliæ* mons et *Viminalis collis* pro tota Urbe ponuntur, et quintam ejus regionem complectebantur, quæ omnium erat amplissima et latissime patebat. *collem a vimine dictum*, a sylva viminum vel viminetis, ubi et ara Jovi Viminio consecrata; Fest. et Varr. L. L. IV, 8. *Viscera magnarum domuum*, Græci *ingenio* et artibus suis in secreta intimamque familiarum ditissimarum familiaritatem se insinuantes, et ita *domini futuri* in ædibus

[15] Id nemo intpp. notavit, et plerique Sicyonem h. l. dicunt esse insulam in mari Ægæo contra Epidaurum, quum *altam* esse et eminentem doceat Plinius, nescio quo loco. Equidem de tali insula nusquam legere aliquid memini.

[16] v. Strab. p. 658. 660. Plin. V, 29. et 30. Cic. N. D. III, 15. 19. Mém. de l'Ac. des Inscr. et B. L. L. T. IX. p. 114 seq.

alienis, dum omnia vivis dominis legitimis arbitrio eorum permittuntur, vel adeo, his mortuis, jure hereditario iis obveniunt. *Viscera*, ut *venæ* ac *medullæ*, interior alicujus rei pars. *Viscera* etiam sensu bono de amicissimo ap. Marium Victorem in Wernsd. poet. Lat. min. T. III. p. 104. adhiberi dicit Hein. *Ingenium* eorum est *velox*, acutum, solers et promptum ad omnia, quæ opus sunt, celeriter invenienda; ut contra *ingenium tardum* dicitur. Conf. Ovid. Met. VIII, 255. *audacia perdita*, *ἀπόνοια* in Theophr. Char. VI. ubi v. Casaub. ad princ. cap. — 74. Duo exstiterunt *Isæi*, præstantissimi rhetores, unus Demosthenis præceptor, qui Chalcide Athenas migraverat, (v. Quintil. XII, 10. et Philostr.) alter Assyrius, quem Suidas Romæ sub Hadriano viguisse et plurima scripsisse tradit, cujusque facultatem, copiam atque ubertatem pleniore ore laudat Plin. Ep. II, 3. Vox *Isæo* h. l. adject. ponitur. *torrentior*, concitatior, uberior, *sermo*, ut X, 9. 128. Quintil. III, 8. § 60. Plin. XXVI, 3. et alibi *flumen* ac *torrens dicendi copia* dicitur ubertas ac vis ingenii vel orationis, quæ torrenti vel rapido amni comparatur. *Τοῦ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή* Hom. Il. *α*, 249. *Largus et exundans ingenii fons* X, 119. Cf. Horat. Od. IV, 2, 5—8. ubi v. intpp.

74. *Ede*, dic, (ut inf. v. 296. et passim) *quid illum*, Græculum, Græcos Romæ nunc viventes, *esse putes?* quales censeas eos esse homines? Conf. Var. Lect. ad I, 74. et XI, 33. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XII, 31. *hominem, quem vis, secum attulit ad nos*, Græci, qui huc confluxere, tam astuti sunt atque versuti ad omnia, ut nulla sit ars, quam non profiteantur: sunt enim Grammatici, Rhetores cet. et erunt, quidquid velis. *Aliptes*, *ἀλείπτης*, seu *unctor*, vel servus dicitur, qui dominum, et minister balnearius, qui lavantes, postquam sudarunt, in balneo, et quidem in elæothesio s. *ἀλειπτηρίῳ*, (ut VI, 422.) vel, ut h. l., is, qui athletas in gymnasiis ungebat, quique præterea eos in arte gymnastica instituere, (ut Melesias ap. Pind. Olymp. VIII.) diætæ vel victus eorum curam agere unguentisque et perfrictionibus corporis morbos sanare solebat, unde et *ἰατραλείπτης* vocabatur. [17] Possis etiam intelligere medicum ocularium, qui lippos ungebat et oculis illinebat collyria. *Schœnobates*, *σχοινοβάτης*, funambulus. — 78. Præclare de hominibus, qui omnia se posse profitentur, inpr. si *esuriunt*, si fame premuntur, quæ ingenia studiaque excitat et

[17] v. Faber Agonist. II, 5. Potteri Archæol. Gr. T. II. p. 655. T. III. p. 577. 581 seq. vers. Germ. Sen. Ep. 56.

omnes reddit dociles ad omnia; unde Persius Prol. v. 8 seq. dixit: *Quis expedivit psittaco suum χαῖρε Picasque docuit verba nostra conari? Magister artis ingenique largitor Venter, negatas artifex sequi voces,* et Chrysost. in orat. IV. ad Antioch. Ἡ πενία εἰς σπουδὴν ἐπανάγει καὶ πεπλανημένην ἔξω καὶ περὶ πολλὰ τὴν διάνοιαν κεχηνυῖαν πρὸς ἑαυτὴν ἐπιστρέφει. Cf. inf. ad VII, 53 seq. *Græculus* (per contemtum, v. sup. ad v. 61.) *esuriens,* ut ap. Gall. Epigr. II, 9. in Wernsdorf. Poet. Min. T. III. p. 197. Ibid. p. 237. in carm. Sulpic. Luperci v. 22. *Hoc cælo jubeas ut petat, inde petet. — in cœlum,* si *jusseris, ibit,* volabit, (conf. Horat. Od. I, 3, 38. ibique Mitscherl.) h. e. se iturum profitebitur, (actus pro conatu, ut passim; v. ad Sil. I, 14. XI, 551.) Dædali exemplo, qui Græcus fuit, *mediis,* ipsis, *Athenis natus,* filius vel nepos Metionis, qui Erechthei, regis Atheniens., filius fuit. v. Apollod. III, 14, 8. Diodor. IV, 76. et 78. al. Sed viderunt jam alii, poetam h. l. ludere in ambiguo, nec tam Dædalum volatumque ejus fabulosum (de quo v. sup. ad I, 54.) tangere, quam Græculum, (modo constaret, hunc Græcum et Atheniensem fuisse) qui Dædalum imitaturus Neronis tempore *pennas sumsit,* sed, ut Icarus, primo statim conatu decidit. v. Suet. Ner. 12. et Martial. de Spectac. VIII. [18] *Ad summam,* (ut *in summa* et *in universum*) breviter, ut paucis multa dicam, artifices, qualis Dædalus fuit, non nisi Athenis, in Græcia, nascuntur. 81. Nonne ego Roma profugiam, ubi non sine indignatione videre possum Græculos illos tam divites factos ac superbos vel nobiles, ut *conchyliatis* h. e. purpureis vestibus, conchyliorum liquore infectis, utantur? Cf. inf. ad VIII, 101. et Plin. VIII, 1.

82. 83. Hæc summa cum indignatione dicta. Huic Græculo principatum concedam? Ille primarium obtinebit locum, et *me prior,* prius, *signabit* tabulas nuptiales, testamenti cet.? — *fultus* capite, (ut ap. Prop. III, 6, al. 7, 50.) vel potius cubito, ut ἐρείδειν ἀγκῶνι. *recumbet toro,* in lecto tricliniari. *meliore,* aulæis ditioribus strato, aut pluma delicatiore farto, aut potius digniore, scil. in medio lecto, qui locus honestior erat; Grang. 83. Græculus ille vel Syrus, qui Romam venit e Syria eo *vento* eaque navi, qua *pruna* et *cottana* sunt advecta, ut rerum vilium mercator, vel potius ipse venalis, ut *mistus Phariis venalis mercibus infans* ap. Stat. Silv. II, 1, 73. *pruna* Damascena, quæ cum *cottanis* etiam junxere Plin. XIII, 5. s. 10. XV, 13. s. 12. et Martial. VII, 52, 7. *Cottana* parvarum ficuum genus

[18] Hunc Simonem Magum fuisse, vereor ut multis persuaserint Grang. et Claver.

e Syria.[19] Bochartus Geogr. Sacr. II, 6. p. m. 805. *cottana* dicta putabat ab Hebr. קטן, *parvus*. Hesych. Κόττανα, εἶδος σύκων μικρῶν. Cf. Var. Lect.

84. 85. Loquitur Romanus et generosæ indignationis plenus. Tam parum itaque nobis prodest, neque ullum dignitatis principatum nobis dat, quod *cœlum Aventinum*, aërem Romanum, *hausimus*, h. e. Romæ et nati sumus et nutriti? *hausit cœlum*, ut ap. Virg. Æn. X, 899 *baca Sabina*, fructibus patriis Italicisque, ut contra *pruna* et *cottana* Syra. *Bacca* h. l. pro olivis, quibus abundabat ager Sabinus. Conf. Virg. Æn. VII, 711. Sil. III, 596. Martial. IV, 4, 10.

86 seq. Juvenes comparent de adulatoribus Horat. A. P. 428 seq. Terent. Eun. II, 2. III, 1. Ammiani Epigr. XXV. in Brunck. Anal. T. II. p. 389. (cui conf. inf. v. 100 seq. Ovid. A. A. II, 200 seq. et Plaut. Amphitr. III, 3, 4 seq.) Theophr. Char. V. περὶ κολακείας, Athen. VI, 5—18. (26—80.) Plut. de discrimine amici et adulatoris, et Lucian. passim. 88. *Collum longum* infirmitatis et *invaliditatis* signum, ut *breve* roboris. In palæstrita procerius collum (*pectorosa cervicis repandæ ostentatio* Plin. XIV, 22.) desiderabatur maxime; Grang. Athletis mos erat in gymnasiis cervicem dilatare; Brit. Cf. Martial. XIV, 48. Hercules μορφὰν βραχύς, ψυχὰν δ' ἄκαμπτος cet. Pind. Isthm. IV, 83—89. *Herculis, Antæum procul a tellure*, matre sua, cujus tactu novas vires colligebat, *tenentis* et elidentis brachiorum lacertorumque vi; de qua lucta v. Lucan. IV, 590—655. Apollod. II, 5, 11. ibique Heyne. — 90. 91. v. Excurs. ad h. l. — *vocem angustam*, ut *vocis acutæ mollities* ap. Claudian. XVIII, 340. — 92. *illis*, Græcis tantum, non nobis *creditur*, fides habetur. Comparant Suet. Ner. c. 22. extr.

93 seq. Neque mirum est, illis fidem haberi, quum omnes quasi formas induere et quascumque velis partes agere exacte possint. Non tantum egregii adulatores sunt, sed et histriones. Num quisquam Græcis *melior* est *comœdus*, quum alienam personam et partes, vel mulierum, *sustinent*? *Thaïda*, meretricem. Nomen in Terentii aliorumque comœdiis passim obvium. 94. *Uxorem*, matronam. *Dorida nullo cultam palliolo*, scortum nudum; non Dea marina, Oceani filia, Nympharum more nuda. Doricæ et Spartanæ

[19] v. Plin. XIII, 5. s. 10. Casaub. et Schweigh. ad Athen. III, 32. p. 119. b. et IX, 8. p. 385. a. Barth. ad Stat. Silv. IV, 9, 28. *Cottana parva* dixit Martial. IV, 89, 6. VII, 52, 7. XIII, 28.

puellæ φαινομηρίδες, et veste pellucida utebantur, in primis quum saltarent vel exercerentur, unde et Δωριάζειν pro παραφαίνειν καὶ παραγυμνεῖν πολὺ τοῦ σώματος τὰς γυναῖκας σημαίνει. v. Eustath. ad Hom. Il. XIV, 170. et Hesych. *Palliolo* caput obnubebant meretrices, (Martial. IX, 33. 1. XI, 28, 8.) molles et ægroti: atqui Græculus in scena, ne palliolo quidem tectus, coram tot spectatoribus meretricem pudore prostituto scientissime agit. [20] *Persona*, πρόσωπον, larva, facies ficta histrionis; vel vir personatus, histrio, qui personas fert, gerit, tuetur. 96. 97. Jurares, omnia, etiam pudenda, illis muliebria, non virilia, esse; tam bene mulierum partes agunt. *rima* cunni. σχίσμα Pollux. lib. II. p. 126. Cf. Macrob. VII, 16.

98 seq. *Nec tamen mirabiles* tantum *erunt* præstantissimi histriones, e Græcia oriundi, *illic*, in arte fallendi et decipiendi; Ach. Hæc utique est sententia poetæ: sed ita omnino legendum videtur *illinc*, hinc, ob hanc artem histrionum. Minus aptum est *illic*, sive exponas: in Græcia, patria sua; sive: Romæ. Illud *tamen* neque mutandum videtur, neque dictum pro *tandem*, quod contendit Hein. qui conferri jubet Ruhnken. ad Rutil. Lup. I, 14. Passerat. et Broukh. ad Prop. II, 1, 76. *natio* enim tota Græcorum *est comœda*, a natura ad artem histrionicam aptissima est, eo ingenio nata. *Demetrius* et *Stratocles* clarissimi histriones, notissimi ex Quintil. Inst. XI, 3. De *Hæmo* cf. inf. VI, 198.

100—103. Festiva imago adulatoris, qui se totum fingit ad arbitrium ingeniumque amici eique placere studet. Ut indicet, quantopere magni amici jocos salesque probet, non contentus ridenti arridere, in effusiorem risum solvitur. Cf. ad v. 86 seq. Terent. Eun. II, 2, 18. Plut. de discr. amici et adulat. (Σὺ μὲν ἐγέλας, ἐγὼ δ' ἐξέθηνησκον γέλωτι) et Theophr. Char. II. σκώψαντι πικρῶς (vel ψυχρῶς) ἐπιγελάσαι, τό τε ἱμάτιον ὅσαι εἰς τὸ στόμα, ὡς δὴ οὐ δυνάμενος κατασχεῖν τὸν γέλωτα, ad quæ verba v. Casaub. *cachinno concutitur*, v. Wakef. ad Lucret. I, 918. et V, 706. — *Nec dolet* revera, sed dolorem fingit, ut omnia. 102. *brumæ*, hyemis. 103. *Endromis*, vestis Gallica, crassior et villosa, qua potissimum utebantur in gymnasiis post cursum aliasque corporis exercitationes, ne calefacti frigescerent. Ἐνδρομίδες tamen Græcis non vestimenta dicebantur, sed calceamenta, quibus cursores utebantur in certamine. [21]

[20] v. Ferrar. R. V. II, 4, 23. Heins. ad Ovid. Art. Am, I, 734. Salmas. ad Vopisci Aurelian. c. 45. et intpp. Suet. Claud. 2.

[21] Cf. ad VI, 246. Martial. IV, 19. et XIV, 126. Spanhem. ad Callim. II. in Dian. v. 16.

104. *pares* Græco moribus venustis, artibus et ingenio, vel potius h. l. gratia divitum; unde et *melior*, qui magis placet hominibus, magis amatur et colitur. 106. *Manus a facie*, ab ore, quo eas osculatus est, *jactare* et porrigere, h. e. jacere oscula, quod adulationis venerationisque signum est, ut *pariter geminas tendere in ora manus* ap. Mart. X, 10, 10. v. ad IV, 118. Interpretes hæc male exponunt. *laudare*, ad laudandum, *paratus*, vel laudare solitus, εἰωθὼς, ut VI, 16. 207. IX, 7. 49. XII, 106. XIII, 108. et passim alibi: nam hæc loquendi formula poetæ nostro familiaris est. — 108. Si *trullam*, pateram profundiorem, ebibit, ita ut *fundum inverterit* et epoto toto vino labris sugens crepuerit strepitumque dederit. Ita Turneb. Adv. X, 26. Cf. Alciati Parerg. Jur. VI, 3. ubi monet, his verbis bibacitatem divitis exprimi trullam exhaurientis et labellorum crepitu id testantis. Alii h. l. agi putant de ludicro cottaborum, (κοττάβῳ) quo id, quod a potu reliquum erat in poculo, (ἀγκύλῃ) ita in altum jaciebatur, ut in æreas caderet phialas et strepitus (λάταξ) ederetur.[22] *Trullam auream* quidam de calice, e manu divitis cadente sonumque dante, explicabant, teste Schol. vet. rectius vero hic et alii de lasano s. sella familiarica, in quam *fundus invertatur*, sordes alvi cum *crepitu* ventris immittantur, vel de ipso divitum ventre *crepitum* edente, *fundo inverso*, h. e. ore ejus s. ano ima spectante; metaphora petita a vase, quod fundum inversum habeat, quum os spectet ima, sed ad fundum sublimia. Omnia saltem bene ita cohærent: Græcus quavis occasione laudat amicum, si vel bene ructavit, minxit, pepedit. Firmatur etiam hæc interpretatio verbis simillimis Diodori Sinopensis ap. Athen. VI, 9. (36.) p. 239. Εἶθ' ὕστερον τὸν Ἡρακλέα μιμούμενοι Τῶν εὐπόρων τινὲς, παρασίτους ἑλόμενοι Τρέφειν, παρεκάλουν οὐχὶ τοὺς χαριεστάτους Ἐκλεγόμενοι, τοὺς δὲ κολακεύειν δυναμένους Καὶ πάντ' ἐπαινεῖν. οἷς ἐπειδὴ προσερύγοι, Ῥαφανίδα καὶ σαπρὸν σίλουρον καταφαγὼν, Ἴα καὶ ῥόδ' ἔφασαν αὐτὸν ἠριστηκέναι. Ἐὰν δ' ἀποπάδῃ μετά τινος κατακείμενος, Τούτῳ προσάγων τὴν ῥῖνα δεῖτ' αὐτῷ φράσαι, Πόθεν τὸ θυμίαμα τοῦτο λαμβάνεις; De parasitis autem et adulatoribus prolixe agit Athen. VI, 5—18. (26—80.)

109. *nihil sanctum* et venerabile *est* Græcis ac Romanis. *inguine*, libidine. *laris*, domus, *matrona*, materfamilias. *Levis*, λεῖος, proprie politus, non asper tactu; hinc tener, mollis, imberbis.

[22] v. Potteri Archæol. Gr. II, 4, 20. Pollux. VI, 19. et inpr. Athen. XI, 22. 58. 75. et XV, 2—7. p. 666 seq.

112. Si tales non adsunt homines in domo amici ditioris, nec quisquam alius reperitur, cui stuprum inferre possit, *avias* seu vetulas *resupinat*, h. e. cum iis concumbit. Cf. VI, 126. et VIII, 176. — 113. Cum mulieribus, quæ in domo sunt, etiam vetulis, rem habent Græci et quocumque modo in earum familiaritatem se insinuant, ut ita resciscant secreta domini et propterea ab eo timeantur. Cf. ad v. 49 seq.

114. 115. *Transi* silentio res inhonestas minoris momenti, omitte nunc vulgus Græcorum et *gymnasia*, artes exercitationesque eorum, de quibus supra dixi; (cf. ad v. 68.) nisi malis cum aliis interpretari, *transi* cogitationibus quasi tuis a plebe ad *gymnasia*, h. e. ad philosophos Græcorum, in gymnasiis disputare solitos. *atque audi facinus*, scelus, *abollæ*, philosophi Græci, Egnatii. *Abolla* sagum militum, vel lacerna ac toga aliorum, inpr. philosophorum. *majoris*, quia philosophica erat fusior, longior, amplior, major instar pallii; vel *abolla major* dicitur pro philosophis sanctiorem vitam professis, pro Stoicis, quorum secta erat rigidissima. *Egnatius*, teste Tac. Ann. XVI, 32., *auctoritatem Stoicæ sectæ præferebat, habitu et ore ad exprimendam imaginem honesti exercitus, ceterum animo perfidiosus, subdolus, avaritiam ac libidinem occultans.*[23]

116 seq. Designatur non Heliodorus Stoicus, qui Licinium Silanum, non Baream, detulit, (v. ad I, 33.) sed P. Egnatius Celer, Stoicus, qui *Baream* Soranum, exemplar virtutis (v. Tac. Ann. XVI, 21.) et præterea *amicum* suum ac *discipulum*, (utrumque ad augendam rei indignitatem valet) falso testimonio circumventum, (ut filiam ejus delatione; v. ad VI, 552.) *occidit*, h. e. perfecit, ut damnaretur occidereturque, quo sensu etiam *damnare* et *condemnare* passim dicitur causa et auctor damnationis, inpr. accusator. Cf. ad v. 37. VI, 481. ad Liv. VII, 16, 5. ad Tac. Ann. III, 36. IV, 66. et Hist. IV, 40. et 45. Ernesti clav. Cic. et ad Suet. Tib. c. 8. Ita etiam *pignerat* VII, 73. *vendit* VII, 135. *punire* XVI, 13. et al. Historia ipsa notissima ex Tac. Ann. XVI, 32 seq. et Hist. IV, 10. 40.

117. 118. Nonnulli et in his vetus Schol. hæc referunt ad Tarson, Ciliciæ urbem, ad Cydnum fl. sitam, cujus conditor fuerit Perseus, qui nomen ei indiderit *ἀπὸ τοῦ ταρσοῦ*, quia ipsi sive Pegaso ibi una ex talaribus pinnis exciderit, aut Pegasus ibi plantam pedis, *ταρσὸν*,

[23] Cf. Ferrar. de Re Vest. II, 12. Elect. II, 9. et Analect. c. 8. quibus locis etiam bene refutavit explicationes Salmas. de mod. usur. c. 2. 3. et Voss. in Etymol. p. 2.

fregerit, aut Bellerophon ex eo delapsus sit, quum cœlum adscenderet; alii ad Cretam; alii ad Thebas Bœotiæ et Heliconem, in quo Pegasus terram scalpendo fontem eduxerit Hippocrenen; alii denique ad Corinthum, cujus urbis insigne fuerit Pegasus et ubi primum Bellerophon eum prehenderit. Possis etiam de alio, nescio quo, loco cogitare, ubi *penna caballi Gorgonei delapsa sit*, h. e. Pegasus, equus alatus, devolaverit. Quod liqueat, non habemus, quia ignoramus, quæ Egnatii fuerit patria. Dio Nicæus eum Berytium facit. Quod si verum est, poeta forte ad mythum nobis ignotum respexit. *caballi Gorgonei*, Pegasi, equi alati, e sanguine Medusæ Gorgonis, e Neptuno gravidæ, nati, quum Perseus vel Minerva caput ejus recidisset. Mythum de Pegaso docte illustrarunt Heyne ad Apollod. II, 3, 2. 4, 2. Herrmann. Mythol. T. I. et III. inpr. Lenz. im N. T. Mercur 1796. T. II. p. 263 seq. *Caballus*, καβάλλης, propr. quidem jumentum dossuarium aut pistrinense, (quare poetam vocabulo inhonestiori usum esse suspicantur nonnulli, ut fabulam derideret, vel quia Græcos oderit, nominatim Corinthios) sed deinde quodvis equorum genus. Cf. X, 60. Pers. Prol. 1. et Auson. Epist. IV, 8. 119. Cf. v. 21. 22. — 120. Nomina adulatorum Græcorum, ut vulgo putant, ficta. Cf. Var. Lect. *Protogenes* tamen temporibus Caligulæ crudelissimus delator fuit. v. Dio LIX.

121. 122. Græci artibus suis alios omnes a gratia excludunt patronorum, et soli in ea esse volunt, ut soli fructum inde percipiant. *habet*, possidet; amantium verbum, ut ap. Virg. Ecl. I, 31. (III, 107.) et ἔχω Λαΐδα, οὐκ ἔχομαι, ap. Laert. quæ verba vertit Cic. ad Div. IX, 16. *habeo, non habeor a Laide;* Grang. — 122. *stillavit in aurem*, ut ap. Horat. Epist. I, 8, 16. vel insusurravit in aures. Cf. Heins. ad Ovid. Ep. Her. III, 23. *in aurem facilem*, amici et patroni, qui facile credit mala, quæ calumniator Græcus de aliis refert. Cf. ad V, 107. *Venenum*, calumnia, v. Barth. ad Stat. Theb. I, 171. *Venenum naturæ patriæque*, calumnia, vitium Græcis naturaliter quasi insitum atque innatum: nisi Erimarchus forte Afer fuit et hæc eo sensu dicta sunt, quo *Massylæ fraudes, bilingues insidiæ et verba soli* (quasi venenati Africæ) *spirantia virus* ap. Claudian. XV, 285. — 124. *Limine*, domo patroni, vel ut I, 96. *Servitii*, propter multa ac molesta clientum officia. Cliens vetus fidusque cedit novo. *nusquam*, quam Romæ. *minor est*, minus curatur et æstimatur, levior ducitur.

126—130. Cf. ad I, 95 seq. 100 seq. *Quod officium*, quale

et quam onerosum, salutandi, deducendi, occurrendi cet. Cf. ad II, 132. *meritum*, præmium. *ne nobis blandiar*, ut verum dicam. *curat togatus*, pauper cliens, (v. ad I, 96.) *nocte currere*, summo mane salutatum ire ac sportulas petere; quod et *Prætor* facit. *Currere* cogitur, ne Prætor sportulam ei præripiat. Cf. ad I, 96 seq. Martial. III, 36. IV, 8. X, 82. Possit etiam h. l. *togatus* esse amicus, qui non ipse patronum salutat, sed salutaturum *Prætorem* comitatur vel sectatur, anteambulo, *togatus ante pedes* VII, 142. Cf. Martial. II, 18. III, 7. et X, 74, 1 seq. *Togatus*, quia civis est Romanus: nam sine toga foras ire indecorum videbatur; Ach. *Albina* et *Modia* matronæ *orbæ* ac divites, quas et *Prætor* salutat, ut sportulas petat et simul forte hereditatem captet. *collega*, alius Prætor, sportularum competitor. 131. *Hic*, Romæ, *filius ingenuorum*, ingenuus, *claudit latus servi*, libertini, (qui nuper servus fuerat et serviles nondum mores exuit: unde etiam nunc *servus* salse dicitur) *divitis*, ad ejus est latus, eum comitatur; (qualis comes hinc *latus* dicitur Mart. II, 46, 8. et VI, 68, 4.) vel potius, ad sinistram, lævus, loco inhonestiore incedit, quo sensu *latus alicujus claudere* vel *tegere*, *latus alicui dare* et *exteriorem esse* passim dicitur. Cf. Horat. Sat. II, 5, 17. 18. et Lips. Elect. II, 2.

132 seq. *alter*, non filius ingenui luxuriosus, sed *servus dives*. Sententia h. l. et ratio, a poeta allata, hæc est: nam ille servus dives est, ingenuus vero pauper. Hanc notionem, more suo et poetarum, non generaliter, sed specialiter expressit. *Tribunorum* militum salaria proverbii velut loco pro magna pecuniæ summa ponuntur etiam ap. Plin. XXXIV, 3. Eorum stipendium a temporibus Domitiani, qui novem aureis, quos gregarius miles habebat, tres addidit et sic omnia auxit stipendia, XLVIII aurei erant: nam quod pedes accipiebat, (XII aurei) id duplex centurioni, triplex equiti, quadruplex tribuno dabatur.[24] *Calvina* et *Catiena* nobiles meretrices. Illius forte mentio fit ap. Tac. Ann. XII, 4. 8. ubi v. Lips. Cf. Gonsalez a Petron. p. 34. 134. *palpitet* h. l. sensu obscœno dicitur. *at tu*, ingenue, qui pauper es. 135. *Scortum vestitum* sc. bene, nitide, venuste; nisi malis togatum, more meretricum, (v. ad I, 96. et II, 70.) nam *toga* proprie *vestis* dicitur. Ita Ferrar. Elect. II, 8. ubi et recte, ut in Scholiis vett., versus 136. ita explicatur: Meretrices in

[24] Cf. Lips. de Mil. Rom. V, 16. et inpr. I. Fr. Gronov. de Sestertt. III, 2. p. 129. ubi refutavit Meurs. de Luxu c. 8. Dalec. ad Plin. l. c. et Salmas. de Mod. Usur. c. 6.

alta sella sedebant, ut accedentes scortatores venalem mercem adtentius considerarent, ac membra omnia curiosius perlustrarent, sicut servi etiam venales in catasta prostabant; nam licet togatæ essent, pellucebant nihilominus, Cois indutæ: et tale tamen scortum diobolare non audebat pauper ex *alta sella* deducere, quod paucis obolis careret. Cf. Sen. de Ben. I, 9. Plaut. Pœn. I, 2, 54—58. et Horat. Sat. I, 2, 101 seq. Idem Ferrarius et vet. Schol. ab illa meretricum *sella* denominatos putabant *sellarios, sellularios, sellariolas popinas* et *sellarias,* de quibus v. Tac. Ann. VI, 1. Martial. V, 71, 3. et Suet. Tib. c. 43. ad quæ ll. cf. Intpp. *Sella* servorum cervicibus elata ab h. l. aliena est. *Chione* nota e Martiali I, 35. 93. III, 30. 34. 83. 87. 97. XI, 61. et al.

137 seq. De contemtu pauperum queritur, quibus, vel sanctissimis, nulla fides Romæ haberetur; Ach. *Dare* verbum forense, ut *dare testes, judices, cognitorem, litem, judicium, cognitionem* cet. *Hospes numinis Idæi,* P. Cornelius Scipio Nasica, qui, a senatu vir optimus de toto populo Rom. judicatus, simulacrum et sacra Matris Deûm, e Phrygia advecta, hospitio excepit, (ut olim Abinadab et Obed Edom arcam fœderis, oraculum signumque præsentiæ divinæ, 1 Sam. VII, 1. 2 Sam. VI, 10 seq.) et deinde templum Deæ conditum consecravit. Cf. Liv. XXIX, 14. XXXV, 10. et Plin. VII, 34. *Numa* rex, vir justissimus idemque religiosissimus, instructus disciplina tetrica ac tristi veterum Sabinorum; quod vel tironibus notum e Liv. I, 18. — 139. Intell. L. Cæcilius Metellus Cos. A. U. DII. et DVI, Dictator, Mag. Eq. et Pontifex Max., qui, quum Palladium ex incendio ædis Vestæ raperet, oculos amisit, unde VI, 265. *cæcus* dicitur. [25] *Trepida* fingitur Minerva templo ardente, propter periculum et suum, et Rom. imperii, cujus pignus erat *Palladium,* de quo v. Creuzer's Symbolik T. II. p. 314.

140. *Protenus ad censum* oratio flectitur, confestim quæritur, quantas possideat opes? Cf. Cic. Off. II, 20. extr. *de moribus ultima fiet quæstio,* cf. Hor. Epist. I, 1, 53 seq. — 141. Primæ quæstiones sunt, *quot pascit servos* cet. Divitiæ etiam ex numero servorum æstimabantur. *pascit,* alit, ut VII, 76. 93. IX, 67. 136. XII, 28. *Paropsis,* παροψίς, vas, in quo opsonia apponuntur, patina, lanx. Cf. Var. Lect.

[25] v. Plin. VII, 43. Liv. Epit. XIX. Ovid. Fast. VI, 437 seq. Sen. Controv. IV, 2. Valer. Max. I, 5.

143. 144. Comparant Horat. Sat. I, 1, 62. Ovid. Fast. I, 217. 8. et al. Lucilius, a vet. Schol. laudatus: *Aurum atque ambitio specimen virtutis utrique est, Tantum habeas, tantum ipse sies tantique habearis;* quæ verba Horatius l. c. ante oculos habuisse videtur. 144 seq. Pauperi, etiam juranti, nulla fides habetur. *jures aras* h. e. per aras, quas jurantes tangebant, (v. ad XIV, 219.) et hoc pro: per Deos, *Samothracum et nostrorum,* h. e. deos et peregrinos et Romanos; ut ὄμνυμι τοὺς θεούς.[26] *Samothracum aras* h. e. per eorum *deos Cabiros* seu *magnos.*[27] — 145. 146. Pauper, quem fames urget cujusque præsens malum futuri metum vincit, ad perjuria pronior esse et hinc deos eorumque iram ac pœnas minus timere creditur divitibus: Dii quoque ipsi facilius ignoscere putantur, quod necessitate magis quam improbitate peccaverit. Bahrdt hanc poetæ mentem fuisse putabat: Dii non curant injuriam, a mendicis ultimæque sortis hominibus sibi illatam; sed divite pejerante, ambitio eorum et ira movetur: hinc pauperes pejerare creduntur nec deos timere.

148 seq. Casaub. ad Theophr. Char. XIX, 3. Veteribus, inquit, in foro honeste vestiri moris erat, domi quod satis esset: aliud enim homini, aliud humanitati satis esse censebant, ut ait Varro. Cf. Sen. Ep. 93. Suet. Aug. 73. Plut. in Sulla. Qui igitur fœde vestiti in publicum prodirent, odio erant et irrisui. *hic idem* pauper. *si fœda — pelle patet:* comparant Martial. I, 104, 5. 6. et Horat. Sat. I, 3, 31. 32. *calceus,* v. ad VII, 192. *vulnere,* ruptura, rima, fissura, ut ap. Valer. Fl. I, 480. ubi v. Burm. *cicatrix,* sartura. — 152. 153. Comparant XI, 2. 3. Plaut. Stich. I, 3, 20 seq. Horat. Od. III, 24, 42. 43. et quæ Crates comicus ap. Stob. tit. πενίας ψόγος dixit: Οὐκ ἔστι πενίας οὐδὲν ἀθλιώτερον Ἐν τῷ βίῳ σύμπτωμα· καὶ γὰρ ἂν φύσει Σπουδαῖος ᾖς, πένης δὲ, κατάγελως ἔσῃ. Cf. Wetsten. ad Matth. V, 3. et inf. V, 157. 158. — 153 seq. Cf. Martial. V, 26. al. 25. de Chærestrato. Homines ad inopiam redacti etiam publice irrisui sunt, et de loco honestiore, quem olim occupaverant, nunc dejiciuntur. *inquit* sc. designator, qui in ludis spectaculisque ordinis curam agit et cuivis suum designat locum. Sed dura est ellipsis talis subjecti, et vel leg. *inquis,* vel *inquit* positum pro *inquis, inquitis, inquiunt,* quo

[26] v. Drak. et nos ad Sil. VIII, 105. Broukh. et Heyne ad Tibull. IV, 13, 15.

[27] De Samothracibus et Cabiris v. Macrob. Sat. III, 4. Bergsträsseri Realwörterbuch cet. v. *Cabiri,* Heyne in Exc. IX. ad Virg. Æn. II. Herrmann. Mythol. T. III. p. 159—176. Creuzer's Symbolik T. II. p. 14. 28. 285—335. 348. 489. IV, 374 seq. et Schelling über die Gottheiten von Samothrace, Tüb. 1815.

tamen sensu non fere adhibetur, nisi quum aliquid ex adverso nobis objici fingimus. v. ad X, 291. — 154—159. Cf. omnino inf. ad XIV, 323—326. *exeat* e quatuordecim. *pulvino equestri:* Caligula primus Senatoribus, ne nudis asseribus insiderent, pulvillos substerni jussit; idque postea Equitibus etiam concessum videtur. Conf. Lips. de Amphith. c. 13. *cujus res* familiaris *non sufficit legi*, non tanta est, quanta debet esse Equitum, secundum legem theatralem Roscii *Othonis*, de qua v. ad XIV, 323 seq. *lenonum pueri, præconis filius* et *juvenes lanistæ hic* in quatuordecim *sedeant*, quia censum habent equestrem, vel artibus suis, quæ quæstuosæ erant, vel alio quocumque modo, v. c. connubiis malisque artibus, paratum. *Præconum* itaque filii eodem jure, quo lenonum et gladiatorum, censentur. Cf. ad VII, 6. *Fornices* cellæ fornicatæ s. concameratæ ac subterraneæ, quas scorta inhabitare solebant. Cf. XI, 171. Hor. Sat. I, 2, 30. — 157. *nitidi*, unguentis delibuti vel lauti, et id. qd. mox *culti:* nam dives est. *plaudat*, exquisite pro, sedeat. Applaudi solebat et histrionibus, et Imperatoribus aliisque viris apud populum gratiosis, quum theatra ingrediebantur. v. intpp. Hor. Od. I, 20, 3. 4. *Pinnirapus*, gladiator, qui, cum Samnite compositus, ejus *pinnas* h. e. cristas *rapit*. Varro: *Pinnas insigniti milites in galeis habere solent et in gladiatoribus Samnites.* Cf. Lips. Saturn. II, 11. et Turneb. Adv. III, 8. — 159. *vano* cum vi et indignatione dictum; qui in hac lege ferenda non mores virtutesque hominum, sed opes tantum et divitias (res vanas atque inutiles) respexit.

160. Rectius Themistocles: *Malo virum sine pecunia, quam pecuniam sine viro;* Ach. — 161. *Sarcinulæ*, supellex, vel id. qd. *census*, bona, quæ quis possidet, opes, facultates. Doti, vet. Schol. At melius, quod Galli dicunt *le trousseau*, quod æque nuptæ et sponsæ convenit; Ach.

162. *In consilio esse* vel *adesse* dicuntur, et inde *consilium* quoque vocantur judices, assessores magistratus, qui privato vel publico judicio præest eosqué in consilium advocat, adhibet. *Ædilibus*, vel infimis judicibus magistratibusve. *Ædiles* fuisse præter Cereales, a Jul. Cæsare institutos, curules et plebeios, vel tironibus notum est: sed quæ his illisque propria fuerint munera, minus constat. — 163. Gravis sententia: *tenues Quirites*, pauperes Romani, *olim*, quum ære alieno obruti et a patriciis vexati in Sacrum montem secessissent, (quod notissimum e Liv. II, 32. 33. III, 50—52.) *debuerant agmine facto*, omnes simul, (cf. ad X, 218.) *migrasse*, prorsus deseruisse Ur-

bem, neque umquam rediisse, quia exinde semper contemtu laborarunt atque oppressi sunt. — 164. *Haud facile* ullibi *emergunt* quasi ex fluctibus, quibus obruuntur, vel ex luto vilitatis, (ut ἐξαναδῦναι h. e. ex inopia et humilitate, atque ad honores adscendunt pauperes, *quorum virtutibus obstat res* familiaris *angusta*, exigua, tenuis; ut ap. Lucret. II, 13. *ad summas emergere opes* et ap. Sil. XIII, 773. *Pigra extulit arctis haud umquam sese virtus.* 165. 166. *Romæ durior*, difficilior, quam alibi, *conatus* emergendi, ubi omnia *magno* pretio constant.

167—196. Similis sententia orationisque color est inf. XIII, 162—173. qui locus est conferendus. — 168. *Fictilibus* vasis *cœnare pudet* hodie Romanos, qui ad Macedonica usque tempora iis usi erant; de quo v. Athen. VI, 3. (15.) p. 229. *quod turpe* esse *negavit*, h. e. negare solet, (ἀορίστως) scil. videns, hæc ingenio horum hominum morumque simplicitati consentanea esse. Nonnulli verba hæc ad P. Cornelium Scipionem, plerique vero ad Curium Dentatum (cf. ad II, 3.) referunt: sed præstat ea universe dicta accipere. 169. Conf. ad XIV, 180. — 170. Vulgo legitur: *Veneto* vel *veneto* (cœrulei coloris) *duroque* (crassioris villi, denso, vili, villoso) *cucullo*, h. e. humerorum capitisque tegmine, (*kappe, capuchon*) quo imber frigusque arcebatur et quo non viri tantum sed mulieres quoque, neque servi solum, sed, quod vel ex h. l. intelligitur, ingenui etiam utebantur, inpr. noctu, vagantes per tabernas et lupanaria, ne cognoscerentur. Cf. VI, 118. 330. VIII, 145. XVI, 13. not. 6. Ferrar. R. V. III, 23. IV, 20. et 21. intpp. Martial. V, 14, 6. X, 76, 8. et XIV, 139. ubi vocantur *cuculli Liburnici* et *lacernæ callainæ*, cœrulei coloris, ut *callais* gemma, de qua v. Plin. XXXVII, 10, 56. Sed *cucullus* h. l. parum aptus, ubi de cœnis et *fictilibus* poculis agitur; aptissimus autem *culullus*, quod jam monuit H. Valesius, qui ingeniose emendavit *Veneto duroque cullullo.* Enimvero *culullos*, quod ille putabat, *Venetos* dici, quoniam in Venetia provincia fieri et inde in ceteras Italiæ regiones importari consueverint, vix crediderim. Pocula quidem fictilia a regione, ubi parari solebant, passim denominantur, v. c. *Aretina, Surrentina, Saguntina, Cumana* aliaque, at nusquam, quantum memini, *Vencta.* Hinc substitui *veneto duroque culullo*, h. e. luteo et fictili poculo ansato. *Culullus* (forte *culcolus*, culeus parvus) grandius poculum ansatum, initio fictile, postea et aureum. v. intpp. Horat. Od. I, 31, 11. et A. P. 434. *venclo*, ex luto s. argilla facto; unde *veneto*, cæruleo, (al. *Veneto*) *luto* dixit Martial. III, 72, (al. 74,) 4. *Saguntino cymbia*

et *pocula ficta luto* idem VIII, 6, 2. XIV, 108, 2. *Fictilia antiquus primum sibi fecit agrestis Pocula, de facili composuitque luto* Tibull. I, 1, 40.

171 seq. In *parte magna Italiæ* non *ultra vires nitor habitus*, ut Romæ, v. 180 seq. Nova Romæ deserendæ causa. In municipiis vix togam, nedum pictam vel purpuream, induebant, contenti tunica. conf. v. 179. Martial. IV, 66, 3. Plin. Ep. VII, 3. Lips. Epist. Quæst. I, 5. — 172. In Italia *mortui* toga, ut in Græcia pallio, operiebantur, et quidem censores purpurea, magistratus summi prætexta, cives honestiores candida, viliores alba eaque vili et trita. Conf. Cuper. Obss. II, 9. extr. Ælian. V. H. VI, 6. intpp. Mart. IX, 58, 8. Artemidor. II, 3. et Lips. Elect. I, 6.[28] — 173. *theatro herboso*, non ligneo vel lapideo, sed e viridi cespite, servata simplicitate antiqua. Conf. Ovid. A. A. I, 103 seq. Prop. IV, 1. et Virg. Æn. V, 286 seq. ubi conf. Heyne. Ferrarius monet Elect. II, 9. nihil vetare, quin et accipere possimus de vero *theatro*, sed propter infrequentiam ludorum *herbescente:* dici enim *si quando* h. e. raro. *tandem*, anno vertente, quia ludi anniversarii; Grang. 174. *ad pulpita*, in scenam. cf. ad XIV, 257. *Exodia*, ἐξόδια, carmina risum moventia, (*nachspiele*) quæ fine fabulæ, Atellanæ potissimum, ut εἰσόδια initio et ἔμβολα medio, cani solebant. Exodiarius apud veteres in fine ludorum intrabat, quod ridiculus foret, ut, quidquid lacrimarum atque tristitiæ coegissent ex tragicis affectibus, hujus spectaculi risus detergeret: cujus et Lucilius meminit, *Principio exitus dignus exodiumque sequetur;* vet. Schol.[29] *notum*, non novum, sed sæpius recantatum; quod non minus priscæ rudique simplicitati convenit. *Exodium* etiam de exodiario accipi potest.

175. 6. Poeta adunco naso suspendit speciem non minus ridiculam, quam horribilem *personarum* s. larvarum, (nam *persona*, πρόσωπον, ficta facies, qua histriones olim utebantur) inter quas in fabulis, præsertim Atellanis, circumferebantur etiam manduci s. μορμολυκεῖα, magnis malis lateque *hiantia*, s. ore immodice patente deformia et clare crepitantia dentibus. Στόμα κεχηνὸς πάμμεγα ὡς καταπιόμενος τοὺς θεατὰς,

[28] Casaub. ad Athen. X. p. 414. et Pers. VI, 33. hæc eo spectare dicit, quod et Græcis et Latinis, utpote καλῶν ἐνταφίων studiosissimis, id moris fuerit, ut mortui in quam honestissima veste et comtiores efferrentur quam vixissent, ideoque a Juvenale æque ac Persio tangi dementiam avarorum, qui, quum sordide vixerint, efferri splendide et toga, quam vivi nunquam induerint, in funere demum ornari cupiant, adeoque ambitionem suam extendant ultra mortem. Cf. Horat. Epist. I, 5, 13 seq.

[29] Cf. inf. VI. 71. sup. Vol. I. p. lxxv. Livius VII. 2. Salmas. ad Hist. Aug. p. 384. et T. II. p. 529. Vales. ad Ammian. Marc. XXVIII, 4, 33. et Curtius *Anmerk. zur Dichtk. des Aristot.* p. 177 seq.

Lucian. περὶ ὀρχήσ. c. 27.[30] *pallentis* forte, quia *peruncti fæcibus ora,* ut utar verbis Horatii A. P. v. 277. qui est locus class. de veteri comœdia. 177. *illic,* in multis Italiæ oppidis. *similem* habitu *Orchestram,* h. e. decuriones s. senatores, et *populum,* h. e. plebem. 178. *clari velamen honoris,* Ædilium habitus, *tunicæ albæ,* quales vulgo omnibus erant, sed eo forte discrimine, ut Ædilium tunicæ essent candidæ vel recens lotæ. Cf. Lips. Elect. I, 13. et Ferrar. R. V. III, 10. *Ædilis* magistratus municipalis et in quibusdam municipiis coloniisque vel unicus, vel *summus.* Conf. Cic. ad Div. XIII, 11. et Everh. Otto de Ædil. col. et municip. 180 seq. Conf. ad VII, 138. *Hic,* Romæ. *ultra vires,* opes, facultates. 181. *sumitur* habitus, vestitus *aliena arca,* ære alieno, mutuato; vel ex cista aliena, h. e. vestis ipsa mutuata, conducta, ut VI, 352. — 182. *Ambitiosa paupertas* est ejus, qui, quum pauper sit, dives vult videri, et majores facit impensas, quam facultates patiuntur: qualis paupertas describitur VI, 352 seq. Casaub. ad Theophr. Char. XXI. pr. hanc esse ait μικροφιλοτιμιαν eorum, qui cupiant quidem laudem posse mereri alia ratione, sed, quia inopes sint et iis præsidiis destituantur, quæ ad consequendos honores veros desiderentur, qua possint ratione tentent innotescere cet. Cf. ad VII, 50. — 183. *Omnia Romæ cum pretio,* magna impensa fiunt, magno constant et comparantur. 184. 185. Qui ad nobiles viros admitti cupit, ab eo domesticis illorum ac servis munera sunt danda. Cf. Horat. Sat. I, 9, 57. et Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων cap. 10. (ὑπὸ θυρωρῷ κακῶς συρίζοντι καὶ ὀνομακλήτορι Λιβυκῷ ταττόμενον καὶ μισθὸν τελοῦντα τῆς μνήμης τοῦ ὀνόματος) 37. 38. *Quid das,* quantum servis dare cogeris? *Ut te respiciat clauso labello,* ut te nutu tantum, non sermone s. colloquio dignetur; quo superbia hominis significatur. Comparant Martial. X, 10, 5. Suet. Ner. 37. extr. et Sen. de brev. vit. c. 2. De Fabricio *Vcientone* cf. inf. ad IV, 113. — 186. Si *ille,* patronus, dives, *amati* servi sui et catamiti *barbam metit,* metendam curat, (v. ad VI, 481.) *hic,* alius, *crinem* ejus *deponit,* capillum tondendum curat; Hein. et Ach. *Ille* et *hic* sc. cliens; Lubin. et Prat. quos per incuriam sequutus eram. Conf. tamen Var. Lect. 187. Festus erat dies apud Romanos, quo prima filiifamilias *barba* s. lanugo, ut apud Græcos, quo *crinis* (cirrus, μαλλός, σκόλλυς)

[30] Cf. Scalig. ad Plaut. Rud. II, 6, 124. Ruhnken. Epist. crit. II, p. 26. et 51. Barth. ad Claudian. in Eutrop. I, Böttiger de personis scen.

tonderi et tonsa deo alicui tamquam ἀνάθημα consecrari solebat:[31] unde quidam eo sensu verbum *deponere* (sc. in templo, ἀνατιθέναι) h. l. accipiunt. Eodem die a clientibus *liba* aliaque munera dabantur. (Conf. Lips. ad Tac. Ann. XIV, 15.) Ceterum ex h. l. constat, tum, quod de *crine* modo dixi, etiam Romæ in usu fuisse, tum honorem, filiisfamilias præstitum, servis quoque, qui dominis fuerint in deliciis, habitum et ab his, et a clientibus, patronorum gratiam demerituris. Hinc et Martialis IX, 17, 1 seq. dixit: *Consilium formæ speculum dulcesque capillos Pergameo posuit dona sacrata deo Ille puer tota domino gratissimus aula. — libis,* placentis, (πλακοῦς ἐκ γάλακτος, ἰτρίων τε καὶ μέλιτος, ὃν Ῥωμαῖοι λίβον καλοῦσι, Athen. III, 36. s. 100. p. 126.) quæ priscis hominibus pro panibus, et (ut *puls* XIV, 171. et XVI, 39.) tum cibi, tum munera sacrificiaque simplicissima erant, adeoque diis libari in omnibus sacris, et mitti afferrique solebant diebus festis lætisque, inpr. die natali. Cf. Broukh. ad Tibull. II, 2, 8. *venalibus,* v. Var. Lect. 187. *Accipe,* audi, disce, *et istud fermentum,* hanc iræ causam, *tibi habe: præstare* cet. Cf. Var. Lect. *Fermentum* farinam fervefacit, attollit tandemque rumpit, et tam acorem, quam tumorem habet; unde vox illa transfertur ad animi affectus, præcipue iram, quæ et tumorem, et acerrimum motum ebullientis sanguinis excitat.[32] 189. *Peculium,* pecunia ac bona, quæ servus colligit permissu domini. * *cultis,* ut v. 186. *amati.*

190—222. Nova Urbis relinquendæ causa, a frequenti ædium ruina et incendiis petita. *Hic nimium casus in Urbe frequens,* Martial. III, 52, 2. Causas memoravit Heubach de politia Rom. Gott. 1791. § 46 seq. *Præneste* urbs Latii, celebris Fortunæ templo, oraculo ac sortibus, haud procul Roma, in monte amœno sita, teste Strab. V. p. 365. (unde h. l. *gelida,* ut *frigidum* Hor. Od. III, 4, 22. et *altum* Virg. Æn. VII, 682.) hodie *Palestrina,* in vallem deducta. *Volsinii* s. Vulsinii, (nunc *Bolsena*) Etruriæ opp. in summo lacu Volsiniensi situm, quod totum fulmine concrematum est v. Plin. II, 52. 53. *Gabii* urbs Latii, inter Romam et Præneste, Sex. Tarquinii

[31] De *barba* v. intpp. Petron. c. 29. 104. et 107. Martial. I, 32. IX, 17. et 18. Suet. Ner. 12. Lips. not. et Excurs. ad Tac. Ann. XIV, 15. de *coma,* quam ἔφηβοι, saltem Græcorum, a parentibus ad tribules adducti tondere et deo alicui, plerumque Herculi Apollinive Pythio consecrare solebant, et de hoc festo, (τὰ οἰνιστήρια) v. Casaub. ad Theophr. Char. XXI. pr. (ubi conf. Fischer in ind. v. ἀποκείρασθαι) Pollux III, 52. Schweigh. ad Athen. XI, 88. pr. Salmas. de coma p. 532.

[32] Cf. ad I, 45. Intpp. Plaut. Merc. V, 3, 3. Cas. II, 5, 17. et Aulul. III, 4, 9. Casaub. ad Pers. I, 24.

dolo capta, (v. Liv. I, 53. 54.) unde h. l. *simplicibus;* etsi vet. Scho. explicat: non ornatis. *Tibur,* (hod. *Tivoli*) opp. Latii, in acclivi *arcis,* h. e. montis s. collis, (nam *arx,* ut Gr. ἄκρα et ἄκρον, poetis proprie quidquid altum est, adeoque mons et collis, vel ejus vertex, deinde quod in colle et editis locis positum est, inpr. ἀκρόπολις, et hinc simpl. urbs dicitur) latere conditum, unde h. l. *proni,* et *supinum* ap. Hor. Od. III, 4, 23. Cf. ad Sil. IV, 187. — 193. *Tibicen,* fulcra, adminicula ædificiorum. Festus: *dici ita existimantur tibicines a similitudine tibiis canentium, qui ut canentes sustinent, ita illi ædificia, h. e. eorum tecta.* Vet. Schol. explicat: tibicinatam, tamquam tibicina i. e. gracili materia. 194. *sic,* fulciens ædes tenui tibicine, appositis tibicinibus levissimis, exilibus fulcris atque columellis, *labentibus,* ruentibus, aut certe mox lapsuris, casuris, ruinam minantibus ædificiis, *obstat,* subvenit, lapsum et ruinam ædium prohibet, *Villicus* cet. *Villicus* proprie dicitur, qui villæ, et deinde, qui aliis quoque rebus est præfectus, v. c. *villicus ærarii, hortorum, aquæ:* sed h. l. *villicus* est vel dominus, eo modo ædes reparans, quo villicus rustica ædificia, contentus obducere vel obstruere rimas parietumque vitia, ut sumtibus parcat; vel Præfectus Urbi, qui et inf. IV, 77. satirice ita dicitur, et forte sub Imperatoribus aliquam ædium privatarum curam gessit; vel Ædiles, qui certe hanc curam rei publicæ et Papiniani temporibus habuere: nam qui ante Papinianum et post Augustum eam habuerit, non satis constat. Cf. Ferrar. Elect. II, 9. Nota Ach. est: " Ego malim intelligi subrusticum murorum structorem, (*un maçon de village*) cui dominus resarciendæ domus labentis curam mandat, ne nimios sumtus facit." *Sic* h. l. ut οὕτως, pro *negligenter, languide* dictum putat Hein. Cf. Passerat. et Broukh. ad Prop. I, 3, 34. Schol. ad Sophocl. Aj. 1198. (οὕτως ἀντὶ τοῦ, ὡς ἔτυχε) intpp. Hor. Od. II, 11, 14. et Evang. Joh. IV, 6. Sed vulgaris quoque vocis significatio h. l. convenit. 196. *jubet dormire securos,* eos, qui in ædibus habitant, vel inquilinos ædium privatarum insularumque, quasi sarta tecta sint, *ruina pendente,* impendente. 197. *Vivendum est illic,* Gabiis, Volsiniis, Præneste, Tibure aliisve oppidulis. Conf. v. 190 seq. 223. 224. sed et h. l. Var. Lect. — 198. *poscit aquam,* quia domus ardet. Grangæus, coll. Quinctil. Declam. XII., hæc verba refert ad ritum antiquum, quo aqua incendio inclamari publice solebat. *jam frivola,* res, sarcinas et vasa viliora, *transfert,* postquam res majoris pretii jam servavit. 199. *Ucalegon,* is, cujus ædes ardent. Poeta hoc nomen petiit e Virg. Æn. II, 312. ubi v. Heyne.

199—201. Si domus ardet, dominus vel frivola quævis prius exinde transfert, quam de periculo imminente inquilinos pauperes, quibus summa ædium tabulata locavit, certiores faciat, vel iis subveniat. *tabulata tertia,* cœnaculum, ὑπερῷον, summa pars ædium, in qua pauperes habitant. cf. ad VII, 118. et X, 18. Hor. Epist. I, 1, 91. Plaut. Amph. III, 1, 3. et Suet. Vitell. 7. *tibi,* in perniciem tuam. 200. *ab imis gradibus,* tabulatis. *trepidatur* vox præcipitem eorum actionem, qui restinguendo vel evitando student incendio, apprime depingens; Ach. 201. *Ultimus ardebit,* postremo ardebit cœnaculum summum, quod pauper conduxit sub tegulis. — 202. Poeta forte respexit ad originem ac vim voc. ὑπερῷον, quod quidam compositum putant ex ὑπὲρ et ᾠὸν, ut sit quasi locus, in quo columbæ *ova* sua ponant. *columbæ molles,* quæ et teneræ sunt et lascivæ.

203—222. Pauperi bonis suis exuto nemo est qui subveniat; sed divitem, eadem calamitate afflictum, omnes fere juvant. Cf. Martial. V, 82. ad Æmilianum. *Codro,* pauperi cuidam. v. ad I, 2. *lectus Procula minor,* uxore brevior. Grangæus suspicabatur, poetam respexisse ad proverbium Gr. Κλεομένης τῆς κοίτης ὑπερέχει, *Cleomenes cubile superat,* h. e. tam pauper est, ut ne lectum quidem sibi æqualem comparare possit: quem verborum sensum non perspexit Erasm. Prov. LII. Chil. V. Cent. VII. — 204. *Abacus* mensa marmorea, quæ et *Delphica, ministerium* ac *repositorium* vocabatur, et in qua tam ad usum, quam magnificentiam exponebantur vasa aurea et argentea, inpr. potoria, h. l. *sex urceoli* s. vasa potoria, quæ non pretiosiora, quam ipse *abacus,* quem ornant, censenda sunt.[33] *Cantharus,* poculum capax et ansatum, ex quo vinum in *urceolos,* minora pocula, diffundebatur. *sub eodem marmore,* sub mensa marmorea et ex eadem materia, *Chiron,* trapezophorus, statua s. columna vel pes mensam sustinens et effigiem Chironis Centauri referens. *marmore* vulgo ironice dictum et de argilla capiendum putant, quia Codrus pauperrimus fuerit. Marmoreos tamen abacos Romæ vulgares, et ditioribus mensas potius citreas cum eburneis fulcris fuisse, observat Ferrar. Elect. II, 9. Cf. ad XI, 122 seq. sed et h. l. Var. Lect. 207. *divina carmina* εἰρωνικῶς dici existimant de Theseide Codri, de qua v. ad I, 2. Sed possunt etiam proprie carmina præclara *Græcorum* poetarum significari. Sic *diu poemata* dixit Pers. I, 31. *Opici* vel *Opsci* et

[33] Cf. Harduin. ad Plin. XXVIII, 2. XXXIII, 11. XXXIV, 3. XXXVII, 2. Intpp. Hor. Sat. I, 6, 116. 117. Ernesti clav. Cic. Cuiac. Obss. X, 3. et Salmas. ad Jus Att. et Rom. c. 23. p. 450 seq. 486 seq.

Osci prisca Ausonum gens, quæ cis et ultra Lirim, in Latio et Campania, habitabat. " Eam postea inter Romanos receptam barbara sua lingua dissonisque moribus multa de prisca illa et præclara rei publicæ disciplina in pejus innovasse, verisimile putat Dionys. Hal. I, 89." Manso.[34] Hinc facete mures *Opicos* dici, quasi barbaros et Græcæ linguæ ignaros, rudes, imperitos ac simplices, recte monent viri docti. Cf. ad VI, 455. Intpp. Gell. II, 21. XI, 16. XIII, 9. et Plin. XXIX, 1. quibus locis Apollin. Sidon. Epist. VII, 3. (*turbida et præceps et opica translatio*) adjecit Manso.[35] — 212. *Asturii,* divitis ac nobilis viri: nomen fictum. Cf. Var. Lect. *horrida,* inornata, inculta, *mater* est, h. e. tum matronæ sordidæ sunt ac squalidæ, ut in publico luctu. 213. *Pullati proceres,* Patres Equitesque vestes mutant, et togas *pullas,* fuscas s. nigricantes squalore, induunt, quod in publico luctu et calamitate fit. Cf. Lips. ad Tac. Ann. II, 82. Color *pullus* est ferrugineus, nec purpureus nec ater, sed inter utrumque medius, violaceus aut pavonaceus, cujus coloris vestibus honoratiores olim, ut nunc reges quidam, in luctu utebantur, etsi atris quoque induti erant; Voss. ad Catull. p. 168. 169. 218. Conf. Kirchman. de Fun. IV, 2. *differt vadimonia Prætor,* justitium edicitur, ut in luctu publico. v. Lips. et Kirchm. ll. ll. Fabri Semestr. II, 10. — 214. *Tunc gemimus casus Urbis,* quasi hac calamitate tota urbs, non unus homo affligeretur. *tunc odimus ignem,* exsecramur: nam odium iramque in causas malorum, etiam inanimas sensuque vacuas, evomere solemus. Lugentes, ut notat Schol. vetus, focum in domo sua fieri non patiebantur: quare Grangæus non *ignem* incendii, sed cujuslibet foci intelligebat.

215—222. Vividis imaginibus coloribusque adumbratur summum studium, quo amici divitibus opitulantur. *Collatum est decies* Mart. III, 52, 3. *Ardet adhuc* domus ditioris nobilisque viri. *occurrit,* v. Var. Lect. *donet marmora et conferat impensas* ad novas ædes exstruendas. 216. *Signa nuda,* v. c. Achillea, quæ opponuntur velatis, palliatis, togatis, paludatis, loricatis, chlamydatis. Conf. Plin. XXXIV, 5. s. 10. *Signa candida,* e candido marmore. 217. *aliquid*

[34] Cf. Strab. V. p. 242. C. et Heyne Exc. VIII. ad Virg. Æn. VII, 730.

[35] Schol. vet. " qui fœdam vocem habent, vel qui imperite loquuntur, ὀπίζουσι." Alii, ut Lips. Epist. Quæst. V, 6. Opicos existimant turpes dici ac fœdos a lingendo vel liguriendo, quoniam Oscis frequens rerum turpium usus, (v. Festus v. *Oscus*) unde *Eunus Syriscus inguinum ligurritor Opicus magister* ap. Auson. Epigr. CXX, (CXXVIII) 2. Idem Auson. dixit *exesas tineis opicasque evolvere chartas* de Profess. XXIII, 3.

præclarum, aliquam imaginem vel statuam, mira arte effictam. *Euphranor,* statuarius et pictor celeberrimus Olymp. CIV. v. Plin. XXXIV, 8. XXXV, 11. et Quinctil. XII, 10. De *Polycleto* v. ad VIII, 103. — 218. v. Var. Lect. 219. *forulos,* capsulas, armaria, in quibus libri aliæque res reponuntur. *Minerva* sapientiæ symbolum artiumque præses, cujus statuæ vel imagines in bibliothecis reponi solebant. *Minervam mediam,* h. e. statuam Minervæ, non in medio reponendam, sed diuturnitate temporis jam imminutam ac mutilatam, (ut *dimidius* VIII, 4. 5. XV, 5.) vel potius dimidiatam, a vertice ad umbilicum seu humeros usque effictam, quales statuæ proprie *imagines,* nonnumquam et *thoraces,* Græcis προτομαὶ, nobis *büsten* et *brustbilder,* ut contra integræ *statuæ iconicæ* vel *similares,* Gr. ἀγάλματα εἰκονικὰ, ἰσομέτρητα, nobis *statüen in lebensgrösse* dicuntur. 220. *reponit,* in locum eorum, quæ incendio periere, substituit. 221. *Persicus,* divitis, cujus ædes conflagrarunt, nomen fictum, eo quod Persæ divites; vet. Schol. Reliqui intpp. designari putant Fabium Persicum, de quo v. ad VIII, 14. " Enimvero est noster *Persicus* unus idemque cum *Asturio* v. 212. desumto agnomine a gente, unde ipse aut majores ejus originem duxerant: quod nisi quemque rei ratio totiusque orationis nexus doceret, docere debuissent, saltem potuissent *Asianorum ornamenta Deorum,* quæ homini *Asiatico* gnavi strenuique amici, sed lucri cupidi et orbitatis bene memores, ad incendii damna reparanda ultro v. 218. offerunt;" Manso. Persicus plura recipit, quia et *orbus* est, sine liberis, et *ditissimus:* duæ rationes cur ei plus adulentur heredipetæ; Ach. 222. Cf. simil. loc. Martial. III, 52. 223. *Si potes avelli,* carere, *Circensibus* ludis. *Avelli,* δεινῶς, quasi vi, violentia. Præclare et σαρκαστικῶς de insano ludorum studio, de summis voluptatibus ac deliciis Urbis: nam Romani his ludis maxime delectabantur. Conf. VI, 87. VIII, 118. X, 80. 81. XI, 53. et 193 seq. XIV, 262 seq. Plin. Ep. IX, 6. *Sora, Fabrateria* et *Frusino* urbes Latii, quas etiam conjunxit Sil. VIII, 394—8. *tenebras,* domum tenebrosam, ut ap. Martial. II, 14, 12. *Hortulus hic,* in his oppidis tibi est, vel potius una cum ædibus *paratur* eodem pretio. *puteus brevis,* non altus vel profundus, *nec reste movendus,* unde aqua non fune, sed manu potest hauriri. 227. *In tenues* et hinc rigandas *plantas diffunditur,* aqua ejus late et ubivis dispergitur. 228. *Vive,* sis ibi, *amans hidentis,* ovium, vel potius rastri, h. e. rei rusticæ, agriculturæ intentus. Cf. Heins. ad Ovid. Amor. I, 13, 15. Bene Bahrdt: *Da lebe froh bei deiner hacke.* 229. Cujus horti fructibus centum alere

possis homines. *Pythagorei* oleribus, herbis leguminibusque plerisque vescebantur et quibusdam leguminibus, (fabis, lathyro, erebintho) animaliumque carne abstinebant, ob frugalitatem et *μετεμψύχωσιν*.[36]

230. *Est aliquid* h. e. magnum, eximium quid, ut ap. Ovid. Trist. I, 2, 53. 55. Gr. *ἐστί τι*. Cf. Var. Lect. sup. ad I, 74. — 231. v. Excurs. ad h. l.

232. *hic*, Romæ. 233. *Languorem*, morbum. *cibus imperfectus*, haud concoctus, vel potius non satis ac bene coctus, crudus, adeoque non facilis ad concoquendum. 234—248. Conf. Martial. XII, 57. *Meritoria* dicuntur, quæcumque mercede locantur, h. l. forte non deversoria, *ξενοδοχεῖα*, ut putant, sed cubicula (ut ap. Papin. Dig. XXXII, 1, 91. et Ulpian. Dig. VII, 1, 13.) vel *tertia* illa *tabulata*, a pauperibus conducta, de quibus v. ad v. 199. Nam de pauperibus h. l. agi, qui Romæ dormire nequeant, probabile fit ex Martial. l. l. et verbis, quæ sequuntur: *magnis opibus dormitur in Urbe*, h. e. Romæ magni paratur domus, quæ cubicula habeat remota a strepitu, qui in vicis est. Loquitur etiam h. l. Umbricius, pauper et Urbe discedens, ubi aliquamdiu habitaverat et ubi non tot fuere deversoria, ut pauci habitare ibi potuerint, quorum somnum non interruperit illorum strepitus. Hinc etiam haud innui crediderim lupanaria aut, quod alii suspicantur, tabernas vel officinas ærariorum, numulariorum, pistorum, malleatorum cet., qui eas mercede conduxerint, aut in illis diurna nocturnaque opera meriti sint victum et continuo strepitu somnum vicinorum interruperint. Manso hæc adnotavit: " *Meritoria* omnino (!) sunt *ξενοδοχεῖα*, quæ recte *somnum non admittere* et *vigilando ægros occidere* dicuntur, quum omnis generis homines, qui hospite et hospitii beneficio in urbe carerent, ad ea deverterent et confluerent; eoque sensu Valerius Max. I, 7. ext. 10. dixit *in tabernam meritoriam devertere*, et Ulpianus Dig. VII, 1, 13. *meritoria facere*." 236. *caput*, origo, prima ac præcipua causa. *Redarum transitus*, fragor et strepitus curruum, clamor aurigarum, concurrentium hominum simul ac redarum confusio, *arcto vicorum in flexu*; nam erant certe veteris Romæ vici angusti et parum directi, quod ex Liv. V. extr. patet; Ach. Conf. Tac. Ann. XV, 38. 43. Flor. I, 13.

[36] Cf. inf. ad XV, 173. 174. Gell. IV, 11. (ubi v. intpp.) Athenæus IV, 17. VII, 16. X, 5. Plin. XVIII, 12. XXII, 7. Plut. Sympos. VIII, 8. Laert. lib. VIII. vir doctus in Miscell. Obss. crit. Vol. VI. T. II. p. 417—451. (ubi de Pythagoræ symbolo, *κυάμων ἀπέχεσθαι*, disputat putatque, *κυάμους* non fabas fuisse, sed ova, quasi *κύησιν*, fœturam conceptumque animalium, propter verba Plut. Sympos. lib. II. Quæst. 3. *διαφέρειν μηδὲν τὸ ἐσθίειν ὠὰ τοῦ χρῆσθαι τοῖς τίκτουσι τὰ ὠὰ ζώοις.*) Creuzers Symbolik T. I. p. 126. T. IV. p. 291.

Diodor. XIV, 116. et Donati Roma vet. I, 25. *Redarum* (v. ad III, 10.) quoque *transitus* et occursus difficilis, quia *mandræ*, h. e. jumenta vel plaustra, in unum coacta, vias, inpr. *in flexibus* earum, occupant et claudunt, ut *transiri* non possit; unde *convicia stantis mandræ*, h. e. quæ mulio vel redarius dicit aliis redariis et mandræ suæ stanti nec ulterius progredienti, quoniam aliæ mandræ in arctis obliquisque vicis obviam veniunt. *Mandra*, μάνδρα, spelunca, stabulum, caula, ovile, (v. Schol. ad Theocrit. IV, 61.) sed h. l. et simili Martial. V, 23, 7. jumenta vel carri, et hinc quoque aurigæ s. equisones. 238. Vid. Excurs. ad h. l. 239. *officium*, negotium, vel honos, qui alicui habetur salutando, deducendo, occurrendo cet. *vocat*, aliquo ire jubet divitem, ut nos dicimus, *ein geschäft ruft mich*. *vehetur* lectica vel sella. 240. *Liburno*, servo e Liburnia, ut IV, 75. et VI, 477. h. e. humeris ejus cervicibusque; vel lectica, ab eo gestata. *ingenti Liburno*, ut *longorum cervice Syrorum* VI, 351. nam ut sublimiores ferrentur Romani, servos eligebant tum grandes et erectos, tum robustos, quales erant Liburni; unde *horridus Liburnus* ap. Martial. I, 50, 33. Cf. Lips. Elect. I, 19. et Böttigeri Sabina p. 438. 458. ed. pr. *curret super ora*, quo sensu Plinius dixit Paneg. c. 24. *illos humeri cervicesque servorum super ora nostra vehunt*, et Seneca, *quos supra capita hominum supraque turbam delicatos lectica suspendit*. — 241. *obiter* h. l. propr. ob iter, h. e. in itinere, dum vehitur; vel παρέργως, ἐν παρέργῳ, ἐν παρόδῳ, (Gall. *en passant*) ut VI, 481. *intus*, in lectica. Cf. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XXI, 19. — 242. Fenestræ, quæ in lectica undique clausa ad prospectum erant, velo sive linteo tegebantur, quod et dimoveri et adduci poterat. Conf. sup. ad I, 65. et Lips. l. l. 243. *Ante*, prius quam nos pauperes, *tamen*, etiamsi legit ac dormit, *veniet*, quo volet. 244. *Unda*, multitudo populi, ut ap. Virg. Ge. II, 462. et Sil. IV, 159. ubi v. Drak. et nos. *Unda prior*, multitudo clientum, qui officii causa patronum deducunt et lecticam præcedunt, quibus opponitur *populus, qui sequitur* lecticam. 245. *assere*, ligno, pertica, amite oblongo ac prominente, quo lectica sustinetur. Conf. ad I, 65. et Gonsal. ad Petron. p. m. 103. — 246. *Metreta*, ὁ μετρητής, mensura liquidorum Attica, cadus vel amphora.[37] — 247. *Pinguia* sunt, fiunt, opplentur *luto crura* mea. *planta magna*, ut XVI, 14. *grandes suræ* militis. 248. *clavus*, caligis infixus et inde *caligaris* dictus.[38] *in digito* pedis.

[37] Conf. Isidor. Orig. XIV, 25. et Eisenschmidt de Pond. et Mens. p. 80.

[38] v. ad XVI, 25. Hard. ad Plin. IX, 18. XXII, 22. XXXIV, 19. Isidor.

249 seq. Alia hominum multitudo describitur, qua pauperes in vicis premuntur et conculcantur. *Nonne vides* δεικτικῶς dicitur. *sportula* h. l. non centum quadrantes, sed cœna, cibaria, δεῖπνον ἐν σπυρίδι. Conf. ad I, 95 seq. *quanto fumo celebretur sportula*, quanto hominum confluxu et studio petatur sportula, quod ex fumo intelligitur, quem vides. 250. *convivæ*, qui acceperunt sportulam et domum redeunt: hos *sequitur sua quemque culina*, h. e. servus capite ferens sportulam s. cibaria, foculo vel calefactorio imposita, ne in reditu intepescant aut frigescant. Hinc Mart. XII, 32, 14. *Focum ferentis suberat amphoræ cervix*, et Sen. Epist. 79. al. 78. *Tumultus est coquorum, ipsos cum opsoniis focos transferentium: hoc enim jam luxuria commenta est, ne quis intepescat cibus, ne quid palato jam guloso* (al. *calloso*) *parum ferveat, cœnam culina prosequitur.* 251. *Corbulo*, h. e. vir tam robustus ac validus, quam Corbulo fuit. Schol. vetus: "Alii dicunt athletam illius temporis fortem Corbulonem fuisse; alii genus navis." Alii Domitium Curbulonem, ducem Claudii ac Neronis fortissimum et corpore ingentem. v. Tac. Ann. XIII, 8. — 253. *ventilat in cursu ignem* illum opsoniis subjectum, (de quo v. ad v. 250.) ne exstinguatur. *Scinduntur* in turba hominum *tunicæ sartæ*, quales servis ac pauperibus esse solent.

254 seq. Aliud impedimenti periculique genus *a longo vehiculorum ordine*, quo, ut verbis Sen. Ep. 90. utar, *pinus aut abies defertur vicis intrementibus.* Heubach in Comm. de politia Roman. Gœtt. 1791. § 16. "Quodsi hominum, inquit, multitudinem, civitatem, in qua turba per latissima itinera sine intermissione defluens elidebatur, et pericula cogites, quæ inde a vehiculis et plaustris, quibus non facile cedere posses, prætereuntibus imminerent, nullus miraberis, etiam huic malo esse provisum. Huc quidem spectat legis antiquæ fragmentum, (a Mettario in lucem emissum 1738. post biennium vero a Conrado in Parergis egregie illustratum et a Mazocchio inde ad Tabb. Heracl. repetitum) qua cautum, ne quis plostrum interdiu post solem ortum neve ante horam X diei duceret, nisi ædium sacrarum ædificandarum operisve publici faciundi, vel sacrorum publicorum, ludorum triumphorumque causa. Hora diei decima plaustra in urbe duci lex ideo permisit, quia, quum a negotiis jam cessarent Romani et post lavationem cœnam sumerent, parcius tum per vias commeantibus a plaustris

XVI. 20. Alciat. l. IV. ff. de V. S. Turneb. Adv. IV, 7. Nigronius de Caliga c. 4. Leunclav. ad Dionem p. 152. Casaub. ad Suet. p. 160.

obviis non adeo timendum erat. Legem vero istam Juvenalis tempore fuisse obliteratam, ex his Umbricii querelis licet colligere. Quare Hadrianus teste Spartiano c. 22. denuo prohibuit, vehicula cum ingentibus sarcinis Urbem ingredi, quod jam Trajanum fecisse ex Plin. Paneg. c. 51. discimus." — Grangæus h. l. imitationem Horat. Epist. II, 2, 72 seq. et Sat. I, 6, 42. 43. deprehendisse sibi videbatur. *coruscat,* ultro citroque movetur, tremit, nutat. 255. *Sarraco,* plaustro. Utrumque conjunxit etiam Vitruv. X, 1. Conf. Var. Lect. *nutant altæ populoque minantur* verba Virg. Æn. II, 628. 629. — 257. *Saxa Ligustica,* marmor, quo omnis Alpium maritimarum tractus totumque litus Ligusticum, præcipue vero Luna, urbs Etruriæ, ejusque portus, litori Ligustico adjacens, abundabat. v. Strab. V. p. 153. al. 222. al. 339. Plin. XXXVI, 6. et 18. Intpp. Sil. VIII, 480. Suet. Ner. 50. et Gron. Diatr. Stat. c. 10. *agmina,* hominum turbam. *Montem* pro ingenti saxo, e montibus exciso, dixit poeta, augendi phantasmatis gratia, ut Virg. Æn. XII, 687. et Stat. Theb. I, 145. ubi marmor, ut h. l., *mons* vocatur. 260. 1. Corpora tam minutatim concisa *obteruntur,* ut non magis fere conspiciantur, quam *anima,* et prorsus evanescant vel oculorum aciem fugiant.

261 seq. Lepido commento rem imaginemque exornat poeta, fingens, servum, qui sportulam petierit, (v. sup. v. 250 seq.) tali plaustro vel saxo obtritum periisse, et conservos, hujus calamitatis ignaros ejusque adventum exspectantes, cœnam balneumque parasse domino, sportulam cum servo petenti. *secura,* non sollicita de morte servi, ignorans eum plaustri casu periisse. *domus,* ut *familia,* servi. 262. *bucca,* buccarum halitu, *foculum excitat,* ignem accendit. Cf. Heins. ad Ovid. Fast. V, 507. — 263. Balneum paratur, quo ante cœnam utebantur veteres. *Strigilis,* ξύστρα, ξυστρίς, instrumentum balneare et unctorium, quo corpus radi vel defricari et oleum sudorque *destringi* seu detergi solebat post unctionem et balnei usum.[39] *unctis,* unguento delibutis, ut minus læderent suavemque spargerent odorem. *sonat,* apposite: erant enim strigiles aureæ, argenteæ, æneæ, licet ditiores spongiis purpureis uterentur strigilum loco; Grang. *lintea* vela, quibus corpus madidum siccabatur. *Gut-*

[39] v. intpp. Petron. 91. et Eschenbach Diss. de unctionibus c. 3. p. 478 seq. Figuras strigilis exhibent idem p. 483. Pignorius de servis, Mercurialis art. gymn. I, 36. aliique, graphicam vero descriptionem Apul. Flor. II. p. 346, 27. ed. Elm.

tus, vas unguentarium, *guttatim* oleum fundens, (v. Varr. L. L. IV, 26.) λήκυθος, ampulla, μυροθήκιον, ἐλαιοφόρον. Oleo odorifero vel unguentis non lintea illa, ut quidam putant, sed corpora lota linteisque jam siccata perfundebantur in unctuario s. elæothesio, ἀλειπτηρίῳ. 264. *pueros*, servos. *ille* servus, plaustro saxove obtritus. 265. *sedet in ripa* Stygis, cupiens transmitti a Charonte et cymbam ejus exspectans, (conf. Virg. Æn. VI, 313. seq. et Prop. II, 27, 13 seq.) vel tristis, quia non transmittitur: nam inhumatus est, de quo v. Virg. l. l. v. 325 seq. Hanc tamen causam, etsi præcipua est, prætermittit poeta satiricus, (nisi latet in verbis, *horret porthmea, nec sperat c. g. a. I.*) utque fabulas poetarum ὡς ἐν παροδῷ rideat, affert aliam et quidem lepidam, quia *ore non habet trientem, quem porrigat*, det Charonti, tamquam naulum: (ναῦλον s. ναῦλος) nam hunc in finem triens vel quadrans vel obolus in os inseri solebat mortuis;[40] os autem infelicis servi ita obtritum erat plaustri ruina, ut triens vel quadrans vel obolus ei non posset inseri, et hinc Charon fingitur recusare, quo minus eum trajiciat. *novicius*, imperitus, rudis inferni moris, vel qui nunc demum Charontem vidit et novissime in inferos venit locos. *Porthmea*, πορθμέα, portitorem, vectorem, Charontem, qui umbras rate trajicit. (Cf. Heyne ad Virg. Æn. VI, 320. et Wernsdorf Poet. min. T. III. p. 41.) *tetrum*, qualis exhibetur a Virg. Æn. VI, 298 seq. Sen. Herc. Fur. 764 seq. et aliis. στυγνὸν ἀεὶ πορθμῆα καμόντων dixit Theocrit. XVII, 49. *cœnosi gurgitis*, fluvii, Stygis. cf. Virg. Æn. VI, 296. et 416. ubi v. Heyne Excurs. IX. et Miscell. Obss. crit. Vol. V. T. III. p. 4 seq. *alnum*, Charontis cymbam, navem, ex alno factam, ut ap. Virg. Ge. I, 136. II, 451.

269 seq. Reputa, quæso, quam altæ sint ædes Romæ. Quæ quo altiores sunt, eo majus est periculum a testis, quæ ex iis decidunt vel dejiciuntur, potissimum noctu. *Quod spatium* sit a *tectis sublimibus* ad terram: nam, ut scribit Vitruvius, *quum areæ complanatæ recipere non possent tantam multitudinem ad habitandum in Urbe, ad auxilium coacti sunt Romani ad altitudinem ædium devenire;* Ach. *curta*, mutilata aut fracta; quam vocem multis exemplis illustravit Heins. ad Ovid. Fast. II, 645. — 272. *ignavus*, socors, tui negligens, incautus, imprudens. 274. *tot fata*, tot mortis pericula

[40] v. Diodor. II, 5. (qui hujus ritus originem memorat) Prop. IV, 11, 7. Lucian. dial. mort. 9. (ubi v. Hemsterhus. T. I. p. 422.) Pollux IX, 6. Hesych. v. δαπάκη et Suid. v. πορθμήϊον et πορθμεῖον.

tibi imminent. 275. *Fenestræ vigiles,* h. e. conclavium, in quibus homines adhuc vigilant; ut fere *vigiles lucernæ* ap. Hor. Od. III, 8, 14. Cf. inf. ad VIII, 158. *feras tecum*, ut ap. Quinctil. Decl. III, p. 38. — 277. *Ut sint contentæ* fenestræ, h. e. homines, qui e fenestris aliquid *defundunt*, deorsum fundunt, dejiciunt. *pelves,* h. e. lotium et stercus vel sordes, quæ in matulis sunt. *Optes,* ut hæc potius defundantur, quam ipsa vasa vel duræ gravesque testæ; ut urina potius et excrementis inquineris, quam ipsis vasis testisque dejectis occidaris.

278—301. Aliud describitur periculum pauperibus impendens a juvenibus ebriis ac petulantibus, qui comissari, (κωμάζειν) h. e. post compotationem nocturnam per Urbis vicos vagari et non modo cum tædis et symphonia vel ad amici cujusdam, vel ad puellarum domos ire januamque pulsare aut effringere, sed etiam invalidum quemque obviorum vexare et corripere, redeuntes a cœna verberare ac repugnantibus vulnera infligere solebant; quod de Nerone et Othone, quos poeta forte respexit, referunt Suet. Ner. 26. et Oth. 2. Tac. Ann. XIII, 25. Plin. XIII, 22. s. 43. extr. Dio et Xiphilin. *Dat pœnas,* adeo discruciatur indignaturque, si nemo ei obviam veniat, quem cædere possit, ut ne somnum quidem capiat. Summa juventutis protervia morumque corruptela graviter describitur. 279. 280. Non magis dormire potest, quam *Pelides*, h. e. Achilles, *amici*, Patrocli, mortem *lugens*, Ἄλλοτ' ἐπὶ πλευρὰς κατακείμενος, ἄλλοτε δ' αὖτε Ὕπτιος, ἄλλοτε δὲ πρηνὴς, τότε δ' ὀρθὸς ἀναστὰς, Hom. Il. ω', 10. 11. quem locum poeta noster expressit. Cf. Sen. de Tranq. An. c. 2. et Jacobs ad Anthol. Gr. T. II. P. I. p. 379. — 281. *Ergo non aliter poterit dormire?* verba poetæ, interrumpentis sermonem Umbricii, qui respondet: *Quibusdam somnum rixa facit* cet. Judice Achaintre hæc sunt verba Umbricii ipsius se interrogantis et respondentis. Sed Hein. non male suspicatur, versum 281. a Juvenalis manu non esse profectum, quoniam et absurda sit h. l. talis interrogatio poetæ, qui in tota satira a v. 20. ne verbum quidem proferat nec nisi Umbricium docentem querentemque audiat, et Noster, si fortasse *dormiverit* ipse inter sermonem Umbricii et subito excitatus somno hæc dixisse censeatur, tam insulse sæpius interrogare potuerit, et *potest* scribendum fuisset pro *poterit*. 282. *improbus,* audax, *annis,* propter robur juvenile. Cf. Heyne ad Virg. Æn. XI, 512. — 283. *cavet hunc* cet., cavet, ne lædat eum, *quem* cet., parcit ditiori, potenti ac valido, nec nisi inopem atque infirmum ludibrio habet et vexat. *Coccina* s. coc-

cinea, h. e. purpurea, ut *endromis Tyria* VI, 246. ubi v. not. *Læna*, pallium apertum ac breve, ut Gr. χλαῖνα, chlamydi aut lacernæ simile, idque villosum, crassum et arcendo frigori adhibitum togæque superinjectum: in ipsis conviviis usitatum, et quidem hyeme, ut æstate syntheses, quum depositis togis sola vestis cœnatoria non sufficeret; Ferrar. de Re Vest. II, 13. IV, 2. 11. et 19. Cf. Pers. I, 32. ibique Kœnig. Hinc satiram hanc hyeme scriptam esse, aut Umbricium hyeme Roma migrasse suspicabatur Hennin., sed Hein. dicit: "Nihil vidi insulsius. Si *læna* cum vi quadam dictum putas, nil significat, nisi hæc flagitia præcipue hieme facta esse, ubi noctes longæ et tenebræ hujusmodi scelerum copiam fecere. Neque tamen hoc pro certo affirmare ausim. De hac petulantia juvenum v. Pedo Albin. in obit. Mæcen. 29. ibique Wernsdorf." — 284. 285. *comitum longissimus ordo*, ut ap. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων cap. 10. φιλοπόνως ἕπεσθαι, μᾶλλον δὲ ἡγεῖσθαι, ὑπὸ τῶν οἰκετῶν προωθούμενον καὶ ὥσπερ τινὰ πομπὴν ἀναπληροῦντα. *multum flammarum et lampadum*, multitudo servorum, faces et candelabra præferentium. *aënea lampas*, ut *a. candelabra* ap. Cic. Verr. IV, 26. ex ære Corinthio, de quo v. Plin. XXXIV, 2. ex quo loco quidam collegisse videntur, eam Tribunis præferri solitam. 287. Mos pauperum et parcorum apte notatus et graphice expressus. *Candelæ*, cujus papyrum (vel funiculum) temporibus partior, ut duret; *dispenso*, dispono, tempero, ne aut citius ardeat, aut exstinguatur; vet. Schol. Bene poeta expressit ridiculam pauperis industriam in parsimonia rerum: solent enim pauperes digitis extendere candelam, quasi non plus sit arsurum, quam ipsi digitis extenderint; Britan.

288 seq. Audi nunc, quænam sint *proœmia*, h. e. quodnam sit initium *rixæ, si rixa* vocanda *est*, ubi alius cædit, *et ego tantum vapulo*, cædor: (nam *rixa* propr. est inter altercantes atque utrimque pugnantes) principium ejus est, *stat* ille *contra* me in gradu, (ut pugnantes solent et gladiatores) meque stare jubet cet. Conf. huic loco V, 26 seq. XV, 51 seq. et inpr. verba similia Alexidis de ebriis ap. Athen. X, 5. (17.) p. 421. Τοῦ κακῶς λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίνετ'. ἂν δ' εἴπῃς ἅπαξ, Εὐθὺς ἀντήκουσας. ἤδη λοιδορεῖσθαι λείπεται. Εἶτα τύπτεσθαι δέδεικται καὶ παροινεῖν. ταῦτα γὰρ Κατὰ φύσιν πέφυκεν οὕτως, καὶ τί μάντεως ἔδει; *Proœmium* propr. præludium citharœdorum, (a πρό, ante, et οἶμη s. οἶμος, moduli canticorum) deinde exordium oratorum, et hinc principium, initium cujusque rei. 291. Ad hoc recte monet Hesiod. Ἔργ. 210. 211. Ἄρχων δ' ὅσγ' ἐθέλοι πρὸς κρείσσονας ἀντιφερίζειν· Νίκης τε

στέρηται, πρός τ' αἴσχεσιν ἄλγεα πάσχει; Ach. 292. seq. Insultat pauperi, quasi vilissimis alicubi cibis onusto atque referto. *aceto*, vino acido ac vapido. *Conchis*, fabæ genus, cibus vilis et pauperum. [41] *tumes* apposite dictum, quia conches ventrem inflant. Cf. Heins. ad Ovid. Medicam. Fac. v. 70. *Sutor* pro quovis homine sordido et infimo, ut *cerdo* IV, 153. et VIII, 182. ubi v. not. *sectile porrum*; cf. ad XIV, 133. *vervecis labra*, caput vervecinum, quod in Apophoretis inter cetera munera mittebatur pauperibus; Britan. coll. Martial. XIV, 211. — 295. *accipe calcem*, ictum calcis. Calceis aliquem cædere, summam injuriam fuisse, monet Barth. Adv. XLII, 3. Idem non tantum turpe, quod immundi, sed grave etiam et molestum, quod clavis confixi erant calcei; Grang. 296. *Ede*, die, ut sup. v. 74. *ubi consistas*, quo loco mendicandi causa et mendicorum more stare soleas. *Consistere* ap. Plaut. Curc. IV, 1. et al. dici eos, qui multum morentur in aliquo loco, in quo *quæri* possint et facile inveniri ab omnibus, quibus iis conventis opus sit, docet Duker. ad Liv. Epit. LXV. *Proseucha*, προσευχή, propr. preces, metonym. locus, conventibus sacris precibusque ad Deum fundendis destinatus, spec. ædificium seu delubrum, quod a Judæis extra oppida illa, in quibus synagoga non erat, ad fluvium vel mare vel in lucis montibusve exstrui et, ut legis in eo interpretationes audirent, vel sacra ac preces statas bene loti ter singulis diebus facerent, frequentari solebat, *oratorium*, προσευκτήριον, בֵּית תְּפִלָּה. [42] Manso hæc adnotavit: "Consentiunt omnes, *proseuchum* locum esse religiosis Judæorum precibus et conventibus destinatum; quid vero hic poeta intelligat quove sensu vocem acceperit, dubitatur. Lubinus et Prat. putant, improprie significari locum aliquem, sive pontem, sive crepidinem, sive tabernam, quo confluere solebant mendici stipem προσευχόμενοι, orantes; Turnebus, mendicos, quod domicilia non haberent, interdum occupasse proseuchas in iisque cubuisse ideoque *proseuchos* nomen in contemtum abiisse; Henninius, sensum verborum esse: an tu e vilibus Judæis es, qui, relictis suis proseuchis, mendicatum in Urbem veniunt? Sed nodum, ni fallor, solvunt vss. 13

[41] Cf. inf. ad XIV, 131. et Martial. V, 40. VII, 77. XIII, 7. et Casaub. ad Athen. IV, 15. p. 159. s.

[42] Cf. Philo de Leg. Mos. Tom. II. p. 268. et Mangey ad h. l. Joseph. Antt. Jud. XIV, 10, 23. et de Vita sua c. 54. Intpp. Luc. VI, 12. et Act. Apost. XVI, 13. le Moyne ad Varia Sacra p. 71. Vitringa de Synag. vet. p. 119. 217. 1109. Vales. ad Euseb. H. E. p. 27. Barth. Advers. II, 21. Voss. ad Catull. p. 313. Turneb. Advers. I, 19. et 23. Scalig. de Emendat. Temp. in not. ad Fragm. et Schleusneri Lex. in N. T.

seq. et vetus Schol. ad IV, 117. unde discimus, vixisse et proseuchas seu delubra sua habuisse Judæos extra Urbem, in primis in Egeriæ valle, ante portam Capenam, ibique et in contermina via Appia iter facientibus mendicando molestos fuisse. Quæ si quis tenet, statim vel me non monente videbit, interrogare petulantissimum juvenem, an forte inciderit in mendicum, qui inter Judæorum proseuchas circumvagetur et quasi societatem cum abjectissima gente ineat; satis contumeliose, si quis civem natalibus splendidum meritisque conspicuum cogitet." 298. *pariter*, non minus si respondeas, quam si taceas. *Vadimonia irati faciunt*, clamant adeo, se a te cæsos injuriaque affectos esse, et litem tibi intendunt; proprie, jubent te datis vadibus s. sponsoribus polliceri, te ad diem certam ad agendum de ea re causamque dicendam in jus aditurum.[43] — 299. *Libertas* h. l. εἰρωνικῶς dicitur. 300. *adorat*, supplex rogat. 301. Beneficii loco habent pauperes, quod non omnes iis excutiuntur dentes. 304. *catenatæ*, catenis firmatæ adversus fures et expilatores, vel petulantes, qui tabernas noctu effringere solebant, ut ipse Nero; Farn. coll. Suet. Ner. 26. et Tac. Ann. XIII, 25. *clausis domibus, postquam siluit tabernæ compago*, h. e. taberna; nocte intempesta, qua opifices jam *silent*, quiescunt, a labore cessant.

305. *Grassatorum* multitudo et in Italia, et Romæ erat. Cf. Suet. Aug. c. 32. et 43. ubi v. Casaub. 306 — 308. Grassatores ex locis latrocinio aptis, custodiis ibi dispositis, pulsi Romam confluunt. 307. Campi et *paludes Pomtinæ* (hod. *Paludi Pontine*) inter Nymphæum et Ufentem fl. ab Astura ad Terracinam, quæ, si Festo in *Pontina tribu* fides habenda, a Pontia urbe, (unde h. l. legendum esset *Pontina*, ut τὰ Πόντινα ἕλη ap. Dion. Cass. XLIV. p. 242. XLV. p. 274.) vel potius, ut alii putant, ab agro Pometino aut Suessa Pometia, vicino Volscorum opp. (Gr. Πωμέτια s. Πωμέντια, et τὸ Πωμέντιον s. Πωμεντίνων πεδίον, v. c. ap. Strab. V. p. 159. 161. unde contr. *Pomtia*, et propter euphoniam, quæ tamen nulla est, a quibusdam *Pomptia* vel *Pomptina palus* scribitur, de quo v. ad Sil. VIII, 377. et Casaub. ad Suet. Cæs. 44.) nomen accepere, olimque obtinuere locum XXIII oppidorum, (Plin. III, 5.) sed postea crevere in dies ex aquis, quæ ex montibus in planitiem confluunt, aëremque pestiferis inficiunt vaporibus, qui vel Romæ sentiuntur. Ingentes sumtus, a Corn. Cethego Cos. a. U. DXC. (Liv. Epit. 46.) a Jul. Cæsare, (Suet. 44.) Augusto, (Horat. A. P. 65.) Trajano, (Dio Cass.) Theodorico, (Cas-

[43] De *vadimoniis* v. Salmas. mod. usur. c. 16. et Budæus ad Pand. p. m. 40 seq.

siodor. Var. Epist. II, 32 et 33.) nostroque ævo a Papis Sixto V. (ducta fossa *fiume Sixto*) et Pio VI. in paludes siccandas impensi, nondum operi perficiendo suffecere. v. *Adlers Nachr. von den Pomtinischen Sümpfen.* *Gallinaria pinus* non illa *villa ad Gallinas* vel nemus Cæsarum, quod loco juxta Tiberim celebri grassatoribusque parum apto, ad nonum ab Urbe lapidem, erat, (v. Harduin. ad Plin. XV, 30. Casaub. et Ernesti ad Suet. Octav. 43. et Galb. 1.) sed Gallinaria silva, inter Vulturni ac Literni ostia, in Campania et sinu Cumano, adeoque in eodem tractu, quo *Pomtina palus*, ὕλη ἄνυδρος καὶ ἀμμώδης, ἣν Γαλλιναρίαν ὕλην καλοῦσι, Strab. V. p. 168. al. 243. Cf. Cic. ad Div. IX, 23. et Merula Cosmograph. P. II. Lib. IV. c. 8. 308. *Vivarium*, receptaculum ferarum, avium pisciumque, qui in eo aluntur et saginantur; unde tam parata, quam opima præda designari videtur. Cf. inf. ad IV, 51. Macrob. Sat. III, 13. et Horat. Epist. I, 1, 79.

309 seq. In omni *fornace graves catenæ* conficiuntur, quibus grassatores constringantur; sed horum tanta est multitudo, ut illæ omnibus constringendis non sufficiant. *Maximus modus*, maxima copia *ferri in vinculis* fabricandis consumitur, *ut timeas*, ne desit mox ferrum, unde rustica fiant instrumenta. *Marra*, genus ligonis; quæ vox Gallis etiam, Italis et Hispanis hodie in usu est. Μαῤῥόν, ἐργαλεῖον σιδηροῦν, Hesych. [44]

312 seq. Poeta præclare seculi sui infelicitatem et corruptelam morum comparatione priscorum temporum declarat, ut XIII, 34 seq. et al. Verbis *proavorum atavos* remotissima designantur tempora. Cf. tamen Var. Lect. 313. *Sub Tribunis*, temporibus liberæ rei publicæ, quibus summa fuit Tribunorum plebis potestas; unde et Augustus ceterique Imperatores tribunitiam receperunt potestatem, quæ summi imperii vim significationemque habebat, quod vel ex eo intelligitur, quod in numis aliisque monimentis publicis anni tribunitiæ potestatis, tamquam anni imperii, numerantur. 314. *contentam*, quia pauci erant malefici, *uno carcere* publico, ab Anco Marcio ad terrorem increscentis audaciæ in media urbe ad forum ædificato, cujus firmissima pars, a Servio Tullio adjecta, ab eo *Tullianum* dicebatur. [45] Sed jam alius carcer ab App. Claudio decemviro in IX. Reg. Urbis prope theatrum Marcelli, aliique postea ab aliis exstructi carceres et

[44] Cf. Colum. X, 72. 89. Plin. XVII, 11. XVIII, 16. et inf. XV, 167.

[45] v. Liv. I, 33. Lips. ad Tac. Ann. IV, 29. Corte ad Sallust. b. Catil. c. 55.

lautumiæ.[46] — 315. *causas,* cur Roma discedam. Inde a v. 21. Umbricius varias poetæ adtulerat causas. 316. *Jumenta vocant* me, muli, jam longius progressi, me monent, ut sequar. 317. *commota mulio virga adnuit,* cf. ad VIII, 153. — 319 seq. Quoties Urbis tædio Aquinum secesseris, *properans refici,* recreari cupiens, *a Cumis,* quo nunc migro, (v. sup. v. 2 seq.) *me converte,* illuc, quo secessisti, arcesse. Cf. Var. Lect. *Aquino tuo,* patriæ tuæ, Latii novi oppido. v. ad Sil. VIII, 403. *Cererem* et *Dianam,* deas Aquini præ ceteris cultas, et h. l. pro ipsa urbe positas. *Helvinam* s. *Elvinam* putant *Cererem* dictam vel ab *eluendo* h. e. lavando, quod sacris hujus deæ initiandi lavarentur; vel ab *helvino* s. helvo et helvolo, h. e. flavo spicarum colore; vel ab *Helvino* s. *Elvino* fonte prope Aquinum, quem adhuc ab incolis ita appellari, et juxta quem etiam nunc quædam templorum vestigia conspici, nescio qua fide, docet Britan. Vetus Schol. hanc epitheti causam originemque tradit: "Namque apud Aquinum colunt numina earum Dearum, quas colunt in Galliis." Videtur itaque eam deduxisse ab *Helviis* s. *Helvis,* populo Gallico, de quo v. Cæs. B. G. VII, 7. 75. et B. C. I, 35. Plin. III, 4. XIV, 3. Cf. Var. Lect. 321. 322. Hennin. ita ad h. l. commentatur: "Minatur Umbricius, gravissimi supercilii homo, et se satiras scripturum, et alludit ad originem earumdem, Sibylla relicta ad Helvinæ Cereris *saturam lancem* et *saltantes Satyros,* dicteria salsa per jocum et seria jactantes ea libatione, se comitem Juvenali additurus." *ni pudet illas* aut potius te ipsum mei s. auxilii mei. *in agros* Aquini *gelidos,* propter flumina, sylvas et colles. Cumis contra thermæ salubres et, ut in tota Campania, tepida aeris temperatio. *caligatus,* ut vulgo putant, velut audax miles et acer vitiorum hostis. Bahrdt: multis symbolis instructus et quasi armatus, ut nos dicimus, *wohl gestiefelt.*

[46] Cf. Liv. III, 57. Plin. VII, 36. Intpp. Vellei. I, 9. Götting. Anzeigen 1790. pl. 186. Heubach Comm. de politia Roman. Gœtt. 1791. p. 17.

IN

SATIRAM IV.

---

1. *Ecce* et *en* de re tum mira, tum subita et improvisa. Cf. Ernesti clav. Cic. Abruptum exordium, ut Sat. I, 1. *Ecce Crispinus* scil. adest, vel *Crispinus iterum et sæpe mihi vocandus est in partes.* Cf. Horat. Sat. I, 4, 13. 14. *iterum C.* quoniam ejus mentio facta sup. Sat. I, 26 seq. ubi v. not. *est mihi,* a me, *sæpe vocandus ad partes* operis mei et in scenam quasi producendus, sumta metaphora, quod alii jam monuere, a comœdiis et scena, ubi histriones primas, secundas, tertias partes agunt. Sic et *Hernicos ad partes paratos* dixit Livius III, 10. 2. *redemtum* captivi aut servi instar *a vitiis,* ab eorum potestate, *nulla virtute,* tamquam pretio: nisi malis, qui ne ulla quidem virtute vitia redimit, h. e. compensat, ut ap. Senec. excerpt. controv. 4. extr. 3. *æger,* infirmus, enervatus, debilis et animo et corpore. *sola libidine fortis,* ut ap. Senec. Controv. I. p. 62. *isti vulsi atque expoliti et nusquam, nisi in libidine, viri* — 4. *Delicias viduæ,* amorem viduarum, *adspernatur tantum,* solas sectatur nuptas; H. Vales. forte et Grang., qui monet, viduas universe dici, quæ sint sine marito, adeoque et quæ numquam nupserint. Plerique, quibus Hein. adstipulatur, exponunt ita: voluptatis gratia mœchatur, non lucri. Conferunt I, 39. et Martial. XI, 88, 3. quibus locis de vetulis, non viduis, sermo est. *Tantum adulter* est, non etiam scortator: majoris autem licentiæ viduæ; Plathner. coll. VI, 141. Nihil horum satisfacit. Conf. Var. Lect.

5 seq. Quid refert, quam dives sit, quum nemo malus sit felix. *quantis jumenta fatiget porticibus,* exquisite pro, quam amplas habeat

porticus. Romani aut voluptatis aut valetudinis causa gestari amabant et in immensis *porticibus* gestationibusve æstivo pluvioque tempore vel gestabantur a servis, vel jumentis essedo junctis vehebantur.[1] *jumenta fatiget* ex Virg. Æn. I, 316. sumtum putabat Grang. 6. *nemorum,* h. e. viridarii in impluvio consiti[2] et hortorum: nam Romani *hortorum nomine in ipsa Urbe delicias, agros* (*jugera* v. 7.) *villasque possident,* Plin. XXIX, 4. — 7. *Jugera,* hortos aut spatia in suburbio; vet. Schol. Sic *forum* pro urbe dictum; quod paucis arridebit. Heinecke hæc adnotavit: " Tu mecum distingue in hunc modum: *Jugera quot vicina, foro quas emerit ædes. Jugera vicina* sunt agri aut horti in vicinia Romæ, *ædes* vero in *foro,* i. e. foro imminentes, magni æstimatas esse ex Tac. Ann. III, 9. et Hist. III, 70. colligi potest." Sed hoc Taciti verbis innui et poetam *ædes foro* pro *ædibus in foro,* has vero pro *ædibus foro imminentibus* dixisse, non facile erit, cui persuadeatur. 8. *Nemo malus felix,* scelerum sibi conscius. *minime* felix est *corruptor,* stuprator, vel qui alios ad nequitiam perlicit. *Incestus,* qui stuprum nefarium, legibus moribusque contrarium et a diis iratis puniendum, infert cognatis, Vestalibus et ingenuis. *vittata sacerdos,* virgo Vestalis, cujus caput vittis redimitum.[3] *nuper,* vid. ad v. 12. — 10. Virgo Vestalis, incesti convicta, ex instituto Numæ vel potius Tarquinii Prisci, Pontificum judicio damnata, in campo scelerato viva defodiebatur.[4]

11. *Sed nunc* scil. loquimur s. querimur *de factis levioribus* Crispini, cujus alia sunt scelera multo graviora ac turpiora. 12. *caderet,* litem perderet, damnaretur. Sic *fabula* et *causa* vel homo *in judicio cadere* et contra *stare* dicuntur. *sub judice cadere,* ut *sub judice dicere* VII, 13. *sub quo crimine cecidit* X, 69. *nullo sub teste hoc canebat* XV, 26. — *sub judice morum,* censore, vel, quo titulo Cæsares utebantur, præfecto morum. Poeta respexit ad acerbam Domitiani censuram et damnationem Corneliæ, de qua v. Suet. Dom. 8. et Plin. Ep. IV, 11. Simul iniqua ejus correctio morum taxatur, cui vel pulcrum in Crispino, homine ipsi gratissimo, visum sit, quod in aliis gravissimo dignum supplicio. Præterea Domitianus ipse fratris filiam incesto pol-

[1] Cf. inf. VII, 178. 179. Martial. I, 13, 8, V, 21, 8. Plin. Ep. II, 17. V, 6, 17. Cels. de re med. II, 15. et Lips. Epist. Cent. III. Miscell. Epist. XI.

[2] v. Heyne ad Tibull. III, 5, 15. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 10, 5. 6. Plin. et Lips. ll. cc.

[3] Confer Ovidii Fast. III, 30. VI, 457 seq. Lips. de Vesta et Vestal. c. 12.

[4] Confer Dionysium II, 65. VIII, 90. Plutarch. in Numa p. m. 67. et Quæst. Rom. 95. Lipsium de Vesta c. 13.

luerat, de quo v. ad II, 29 seq. Qui vero Vestalem vitiaverat, virgis in comitio ad necem cædebatur. v. Suet. Dom. 8. Liv. XXII, 57. Lips. de Vestal. c. 13.

13. 14. Notatur stultitia hominum, qui vulgo e censu ac dignitate mores metiuntur et honesta vel laudabilia esse putant in divitibus, quæ turpia ipsis videntur per se et in pauperibus. Cf. VIII, 182. XI, 1 seq. et 174 seq. *Titio Seioque;* nomina ex officina JCtorum petita, ut videre est in *l. Titius et Seius D. de heredibus* et passim in Jure Civili; Grang. 14. Hæc verba, ni fallor, pendent a v. 11. *Nunc de factis levioribus* sc. agimus: *quid* vero *agas,* facias vel dicas, cet. 15. *Mullus* genus piscis, (*seebarbe, rothbart,* Gall. *surmelet*) quod Romanis in deliciis et tanto pretiosius, quanto majus fuit:[5] gratiores etiam mulli barbati. v. ad VI, 40.

15. 16. Pretium hujus mulli fuere *sex millia* numorum sive sex sestertia, et totidem, h. e. sex, libras pependit. Cf. Gronov. de Sestert. III, 6. p. 161 seq. *Sane* eleganter et εἰρωνικῶς adhibetur, ut Gr. δὴ vel δήπου, et Germ. *fürwahr, in der that, traun.* Cf. Burm. ad Phædr. III, 15, 12. Poeta loquitur de re dubia ac fabulosa; quo etiam spectant verba *ut perhibent* cet. 17. *qui de magnis majora loquuntur,* qui rem verbis adaugent. Notantur fabulatores et rumigeruli.

18—21. Faceta et illis temporibus accommodata observatio: Non reprehenderem Crispini luxuriam, si *artifex,* callido consilio, mullum tanti emtum dono misisset *seni orbo* aut *magnæ* h. e. illustri locupletique *amicæ,* ut hereditatem, certe gratiam eorum, captaret. 19. *Præcipuam ceram,* p. partem hereditatis, *in tabulis* ceratis testamenti consignatæ: vel *præcipua cera* est prima tabula, in qua primi heredes et quidem in secundo ejus versu scribuntur, ut in secunda secundi, et s. p. Conf. intpp. Hor. Sat. II, 5, 53. 54. Suet. Cæs. 83. Ner. 17. et al. *ulterior,* alia. 21. *Antrum clausum,* sella vel lectica *clausa* s. tecta. Cf. ad I, 65. *Specularia* fenestræ e lapide speculari.[6] —

[5] Conf. inf. V, 92 seq. Martial. II, 43, 11. VII, 77. XIII, 79. Varr. R. R. III, 17. Schweigh. ad Athen. IV, 13. et VII, 125—127. *Binas libras ponderis raro exsuperat,* teste Plin. IX, 17. s. 30. Sed de graviori quorumdam mullorum pondere ac pretio eorum v. id. Plin. IX, 17. et 18. s. 31. Hor. Sat. II, 2, 34. Martial. III, 45, 5. X, 31. XI, 51, 9. Senec. ep. 95. Macrob. Sat. II, 12. Suet. Tib. 34. Tertull. de pallio p. 119. et ad eum Salmas. p. 453. 454.

[6] *Specular* (ut verba Wernsdorf. in Poet. Lat. min. T. VI. p. 542. mea faciam) est quadra lapidis specularis in tenues crustas secti, quam fenestris insertam cœnationibus, cubiculis, lecticis et pomariis hortorum, tum luce et calore solis perfundendis, tum ab aëre et hieme defendendis, adhibebant. v. ad I, 65. Mar-

22. *Multa videmus* Crispinum fecisse. — 23. De tribus *Apiciis*, hominibus opulentis, prodigis gulæque magistris, (unde *Apicius* de quovis guloso inf. XI, 3. et *Apicia* s. *Apiciana condimenta, coctura, uva, placentæ* cet.) quorum primus a. U. c. DCXLIX. alter sub Tiberio, tertius sub Trajano vixit, quibus tamen longe posterior fuisse creditur auctor libelli de *opsoniis et condimentis* s. *de arte coquinaria*, multi passim egerunt.[7] *miser et frugi* homo εἰρωνικῶς, et si Crispino comparetur.

23 seq. *Hoc tu, Crispine,* sc. fecisti? tu, qui olim servus fuisti? 24. *Crispinus* Ægyptius et servus quondam. Cf. ad I, 26 seq. *Papyrus* (ἡ πάπυρος) *patria,* Ægyptia, ex qua Ægyptii *chartas præparant et navigia texunt, ut e libro vela tegetesque, nec non et vestem, etiam stragulam ac funes,* Plin. XIII, 11. s. 22. 23.[8] *Succinctus papyro,* πλέγματι papyraceo, loco fibulæ: nam servi Pelusiaco linteo s. tunica linea induti alteque ad genua *succincti* ministrabant et tunicæ eorum non fibula, sed nodo quodam supra collum vel humeros religari solebant. Similis est locus Anacr. IV, 4 seq. qui forte Juvenalis oculis vel menti observabatur, Ὁ δ' Ἔρως, χιτῶνα δήσας Ὑπὲρ αὐχένος παπύρῳ, Μέθυ μοι διακονείτω. Cf. ibi intpp. et v. inf. ad VIII, 162. Horat. Serm. II, 8, 10. intpp. Phædri II, 5. et Böttigeri Sabina p. 283. 300. 301. ed. pr. *Succinctus:* nam piscatores juncis cinguntur, quibus etiam suspendunt pisces; Omnibon.

25—27. Cf. Excurs. ad h. l. Similiter Plin. IX, 17. s. 31. *Asinius Celer e Consularibus, hoc pisce* (mullo) *prodigus, Caio principe unum mercatus octo millibus numum: quæ reputatio aufert transversum animum ad contemplationem eorum, qui in conquestione luxus, coquos emi singulos pluris quam equos, quiritabant: at nunc coci triumphorum pretiis parantur et coquorum pisces.* 28—33. Quam lautas fuisse putemus epulas Domitiani, *quum scurra* ejus ac parasitus deglutiverit *tot sestertia* h. e. mullum sex millibus sestertiorum emtum? (conf. v. 15. 16.). *glutisse* et mox *ructarit* egregie de hominibus gulosis, qui ita se cibis ingurgitant, ut ructent. *Endoperatorem* ἀρχαϊκῶς et facete

tial. VIII, 14, 3. Sen. Ep. 86. p. 367. ed. Gron. et Nat. Quæst. IV, 13. p. 762. Intpp. Plin. H. N. XXXVI, 22. s. 45. 26. s. 67. Plin. Ep. II, 17. Lips. ad Sen. ep. XC. et de provid. c. 4.

[7] v. C. Vales. not. ad Juvenal. XI, 3. Lips. ad Tac. Ann. IV, 1. Casaub. ad Lamprid. p. 333. idem et Schweigh. ad loc. class. Athen. I, 6. (12.) p. 7. Fabric. Biblioth. Lat. L. II. c. 25. Contareu. Var. Lect. c. 27. Harduin. ad Plin. VIII, 51. s. 77. IX, 17. s. 30. X, 48. intpp. Mart. II, 69. III, 22. et Sen. ad Helv. 10.

[8] v. Harduin. ad Plin. l. l. et Guilandini commentar. coll. Scalig. Animadverss. et Salmas. ad Vopisci Firmum c. 3.

pro *Imperatorem,* (v. Var. Lect.) ex Ennii Lucretiique imitatione, et quoniam epica poesis recentiorem scripturam respuit. 29. *tot sestertia,* ferculum, tot sestertiis emtum, et tamen non nisi *exiguam cœnæ partem,* si cum cœna Cæsarea conferatur, vel potius *cœnæ,* qualis Crispini esse solet, ac tum fuit. *sumtam de margine cœnæ,* ferculum minus, in margine, non majus, in media mensa convivis appositum.

31—33. Cf. ad I, 26—29. *scurra* aulicus per contemtum vocatur Crispinus. *magni palatii,* v. Var. Lect. — 32. 33. Crispinus ex ἱχθυοπώλῃ Eques factus. *princeps Equitum,* non Magister Eq., ut vet. Schol. et alii interpretantur, neque princeps juventutis, h. e. Cæsar, (πρόκριτος τῆς ἱππάδος ap. Dion. in Exc. p. 104.) ut Spanhem. de Pr. et Usu Num. Diss. VIII. p. 664. 665. putabat, (nam de Crispino, non Domitiano, h. l. sermo est) sed qui inter Equites præcipuum obtinuit locum propter divitias et gratiam Domitiani, vel relatus inter *equites illustres,* de quibus v. ad VII, 89. X, 95. et ad Tac. Ann. II, 59. et XI, 4. *magna voce,* more eorum, qui merces venum dandas per vicos euntes exclamant. Cf. Sen. ep. 56. *Siluri* pisces Nili, nullius pretii, quos inopes in Ægypto venditant; Vet. Schol. Conf. ad XIV, 132. *municipes,* ejusdem municipii et patriæ, Ægyptios, ut nos dicimus: *seine landesleute.* v. ad v. 24. et ad XIV, 271. Alii intelligunt pisces, qui propter vilitatem non Romæ, sed in *municipiis* venduntur. *fricta de merce* edidi ex emend. cl. Manso, cujus nota est: " *Pisces fricti,* Apicius inquit I, 11., *ut diu durent, eodem momento, quo friguntur et levantur, aceto calido perfunduntur,* et Listerus ad h. l. " Pisces, scribit, ex frictione multo citius et firmius densantur, quam carnes, ob summam illorum sanguinis teneritudinem. Si itaque huic eorum coitioni naturali accedat etiam aceti calidi superfusi vis, ex duplici constrictione diutius conservari possint. Hæc autem piscium frictorum condictura etiam apud nos in usu est et *ad maritimum modum* (Italis *marinare,* unde Germ. *marinirte fische*) appellatur." Intelliguntur itaque nostro versu omnis generis pisces, quos mercatores, modo ab Apicio commemorato, in ipsa Ægypto condiendos et inter Nilotica illa salsamenta, quæ Diodorus I, 36. Lucianus T. III. p. 249. ed. Reitzii aliique laudant, Romam navibus transvehendos curarent. Quorum in numero *siluros* hic præ omnibus dictos videmus. Fuere enim siluri non solum frequentissimi in Nilo, sed etiam pretii tam vilis, ut non nisi ab inopibus, qualem Crispinum servum fuisse e v. 24. scimus, et venderentur et emerentur. Est noster silurus Scheilan Niloticus, pinna dorsali secunda adiposa, (v. Blochs

Naturgesch. der Fische Deutschlands T. I. p. 247.) piscis longitudine XII, ad summum XV digitorum, nobis *der langbart.*"

34—36. Faceta Musarum invocatio in re ridicula et vili, tamquam gravi, seria ac difficili, ut ap. Homer. Batrach. v. 1 seq. et Horat. Sat. I, 5, 51 seq. quos recentiores poetæ imitati sunt. Ita omnes poetas, qui carminum suorum exordiis Musas invocent easque canere jubeant, vanitatis argui monet Rigalt. *Calliope* pro omnibus Musis, quia princeps earum est, *πρωφερεστάτη ἁπασέων*, Hesiod. Θ. 79. Cf. ad Sil. III, 222. XII. 390. Virg. Æn. IX, 525. al. *licet et considere,* instar judicum aut eorum, qui vel de re magni momenti deliberant, vel immorantur in re gravi, quæ moram postulat et attentionem. *non est cantandum,* ut in re ludicra, aut ficta et fabulosa, quæ a poetis decantari solet. Sic *cantare* pro fingere, ficta canere inf. X, 178. *res vera agitur;* cujus tamen veritas non aliunde constat. *Pierides,* notiss. Musarum nomen, a monte Macedoniæ, iis sacro. Cf. ad VII, 8. 58. 59. *prosit* mihi, (ut ap. Virg. Æn. IX, 92.) h. e. propitiæ mihi sitis vel propterea, quod vos dixerim *puellas,* quod vos honori habebitis, quum tam rara nunc sint castæ virginitatis exempla, quumque jam vetulæ sitis et a poetis ab antiquissimis inde temporibus amatæ, vel quum adeo non defuerint, qui vos vitiatas esse affirmaverint et liberos peperisse. Ratio lepidissima.

37. 38. Accurate tempus designatur, ut ab historicis, res magnas dignasque memoria narraturis; et magnificum est exordium, tamquam res memorabiles et grandiori dicendi genere memoraturi. *semianimum orbem,* imperium Rom. sævitia inertiaque Imperatorum afflictum atque exhaustum. *Flavius ultimus,* Domitianus, postremus e gente Flavia et simul ultimus Cæsarum. Vetus Schol. laudat hos versus: *Flavia gens, quantum tibi tertius abstulit heres? Pœne fuit tanti, non habuisse duos:* de quorum auctore v. Wernsdorf in Poet. Lat. min. T. III. p. 95. *servire* cum delectu dicitur et respectu nominis *Domini,* de quo v. Suet. Dom. c. 13. *Neroni* alteri (ut *Paris* ap. Virg. Æn. IV, 215.) et quidem *calvo;* acerbissimus morsus, propter quem in exsilium Ægyptiacum a Claudio (s. Calvo) Nerone missum esse Juvenalem, perperam tradit vetus Schol. ad h. l. et ad VII, 92. nam ex fine hujus Sat. intelligitur, eam post cædem Domitiani fuisse scriptam. Comparant nota Ausonii verba: *Et Titus imperii felix brevitate: sequutus Frater, quem Calvum dixit sua Roma Neronem.* Nam Domitianum primo quidem pulchrum, postea vero deformem fuisse calvitio eoque maxime offensum, tradit

Suet. Dom. 18. Sarcasmus ex famosis forte libellis carminibusve petitus. Calvities vero risui olim jocisque obnoxia esse, (conf. Suet. Cæs. 45.) et hinc in comœdiis parasiti, lenones thrasonesque calvi solebant induci. v. sup. ad argum. Sat. II. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 423. — 39. *Incidit implevitque sinus* retis, h. e. rete, ut ap. Martial. XIII, 100, 2. Grat. Cyneg. 29. et al. *spatium admirabile rhombi,* h. e. immensus, permagnus rhombus, ut IV, 81. *Crispi senectus,* v. 107. *Montani venter,* XIII, 214. *Albani* vini *senectus,* XIV, 9. *cana gula,* XIII, 184. *mite Thaletis ingenium,* Hor. Od. I, 3, 36. et III, 21, 11. *Herculeus labor* et *virtus Catonis,* Hor. Sat. II, 1, 72. *virtus Scipiadæ et mitis sapientia Lælî,* ap. Hom. *βίη Ἑλένοιο* vel *Ἡρακληείη, ἰεροῦ μένος Ἀτρεΐδαο, ἰερὴ ἴς Τηλεμάχοιο, σθένος Ὠρίωνος,* et alia, passim obvia, quæ laudavi ad Sil. II, 246. et IV, 599. *Rhombus* ignotum genus piscis plani, (Plin. IX, 20. s. 36.) quem vulgo putant esse nostrum *meerbütt, tarbütt, steinbütt,* Gal. *turbot,* cui tamen *sudes,* pinnas, *(flossfedern)* in lateribus tantum, non *in tergo* esse, (v. inf. v. 128.) jam monuit Bredencamp *Magaz. f. Schul.* Vol. I. p. 443. Præ ceteris laudabantur rhombi *Adriatici,* inpr. ad Ravennam capti, ut ostrea Lucrina et Tarentina, (cf. v. 140 seq.) lupus Tiberinus, muræna Sicula, elops Rhodius. v. Plin. IX, 54. s. 79. et conf. loc. simil. Ovid. Halieut. 125. — 40. *Ante domum,* templum, ut ap. Virg. Æn. VI, 81. et Prop. III, 2, 18. *Ancon,* Ἀγκών, urbs, vulgo, ut etiam nunc, *Ancona* dicta, (quia *in angusto duorum promontt. ex diverso coeuntium inflexu cubiti* (*ἀγκῶνος*) *imagine sedet,* ut Melæ II, 4. vel, ut Plinii III, 13. verbis utar, *quia apposita est prom. Cumero,* hod. il Monte Guasco, *in ipso flectentis se oræ cubito*) et in agro Piceno ad oram maris Adriatici condita a Siculis, (Plin. l. c. Solin. c. 12.) et quidem, si Straboni V. p. 166. 211. 241. fides habenda, a Syracusanis, Dionysii tyrannidem fugientibus, qui a Græcis originem ducebant, unde h. l. *Dorica,* h. e. Græca, ut ap. Valer. Fl. II, 573. ubi v. Intpp. et Virg. Æn. II, 27. ubi v. Heyne. Ibi *templum Veneris* (cf. Catull. carm. 36, 13.) et portus, a Trajano refectus, in cujus honorem arcus triumphalis e pulcro marmore exstructus, qui a temporis injuria integer fere mansit. Conf. Oudendorp ad Cæs. B. C. I, 11 et 12. Wesseling. ad Anton. Aug. Itiner. p. 101. et Büsching. Geogr. T. II. p. 1262. — 41 seq. *neque enim* hic rhombus, qui nunc *hæserat,* adhæserat retibus, h. e. captus erat, *minor* fuit *illis,* qui in *Mœotide* palude, (hod. Mar delle Zabacche, nobis dicta *das Asowsche Meer*) quamdiu constricta gelu est, detinentur et verno tempore,

glacie solibus, solis ardore et radiis, *rupta*, inde enatant in *Pontum* Euxinum, (hod. mare nigrum) qui septemtrionem versus per Bosporum Cimmerium (Bocca di S. Giovanni s. Stretto di Caffa, *Strasse von Caffa*) cum Mæotica palude conjungitur: *quos Mæotica* palus, *glacie* adstricta, *operit et effundit*, emittit, et quidem ingenti multitudine, (proprie pisces effundunt se s. effunduntur, ἐκχύονται, ἐκχέονται, ἐπικχύονται, ut copiæ, quæ catervatim instarque fluvii s. torrentis cum impetu proruunt; cf. Hom. Il. Θ, 158. π, 295. Virg. Æn. VII, 522. Sil. II, 151.) *ad ostia Ponti* Euxini *torpentis* gelu, ad exitum paludis Mæot. in Pontum per Bosporum Cimm. *desidia tardos et longo frigore pingues*: nam copia piscium innumera, inpr. pelamydum, in paludibus Mæotis pinguefacta et adulta, sed adspectu saxorum miri candoris in Euripo juxta Chalcedonem exterrita, per Propontidem in Pontum Euxinum violento impetu profluit ibique (potissimum juxta Byzantium) capitur. v. Tac. Ann. XII, 63. et, quos ibi Lipsius jam laudavit, Strab. VII. p. 320. Aristot. H. A. VIII, 13. 16. XV, 10. Plin. IX, 15. s. 20. et Ambros. Hexæm. V, 10. Henninius adscripsit verba Hipparchi in scripto inedito περὶ τῶν δώδεκα Ζωδίων ap. Voss. ad Melam p. m. 7. Τὸν Πόντον, ἔνθα ἔστιν ἡ Μαιῶτις λίμνη, ἐν ᾗ πᾶς ἰχθὺς ἀπομαιοῦται, ὅθεν καὶ αὕτη ἡ λίμνη Μαιῶτις ὀνομάζεται. — 45. *magister*, rector *cymbæ et lini*, retis, h. e. piscator. Similiter *magister*, gubernator, *navis* Sil. IV, 717. (ubi v. Drak.) ἄνακτες κώπης et ναῶν, παιδώναξ et alia.[9] 46. *Pontifici summo*, Domitiano, cujus Pontificatus Maximus ex æreis ipsius numis notus. Eumdem Imperatores ab Augusto usque ad Gratianum sibi vindicabant soli, et quidem sapientissimo consilio, ut sacris quoque præessent et religione, efficacissima ad animos plebis movendos imperiumque continendum re, rationibus consiliisque suis convenienter possent uti. Conf. Diss. Bohierii (in T. V. Hist. Acad. Inscr.) et Bosii; Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. VIII. p. 691 seq. Vulgo putant, poetam respexisse h. l. ad sacerdotes Albanos, quorum quasi Pontifex M. fuerit Domitianus. Conf. ad II, 84 seq. et inf. ad v. 61. 100. 145. Rectius mentem ejus cepit Grang. qui monet, signanter illum *Pontifici* dixisse, ut tangeret *Pontificum cœnas*, ex quarum luxu vel proverbia nata, de quibus v. Erasm. 46. *Quis enim talem*, tantum piscem, *proponere* venalem, vendere, scil. alii, quam Imperatori, *aut emere*, scil. alius, præter

[9] Cf. Musgrav. et Hœpfner ad Eurip. Cycl. v. 86. et Stanlei. ad Æschyli Pers. v. 378. 382.

eumdem, *auderet,* propter leges sumtuarias aut gulam Cæsaris et metum delationis, *quum et litora,* ipsa etiam litora, non fora tantum omnesque Urbis partes, *plena forent delatoribus?* 48. *Dispersi,* per omnia litora eorumque loca passim huc illuc volitantes, *inquisitores algæ,* delatores, ipsam quoque algam explorantes, ne piscator in ea lateret, *protenus agerent* precibus, argumentis ac minis, *cum remige nudo,* piscatore paupere ac misero, (ut VII, 35.) vel solo, vel inermi, vel præsidii experte; nisi malis, *agerent* causam suam s. lege *cum remige* apud judices ipsumque Imperatorem: *non dubitaturi* cet. Graphica imago delatorum et gulosi tyranni, singulaque verba ei aptissima, si hoc modo ea exposueris et distinxeris. Vulgo autem *alga* vel de toto mari ac litore, vel de rebus etiam levissimis (ut ap. Virg. Ecl. VII, 42. et Horat. Sat. II, 5, 8.) accipitur; et *agerent* dictum putatur pro, agerent reum, accusarent et in jus raperent. Non ignoro quidem, verba *agere, actionem* et *actorem* sensu forensi adhiberi de accusatore vel petitore: is vero non *cum aliquo,* sed *in aliquem* ex lege quadam agere dicitur accusando vel petendo. Pessima vero est ratio Grangæi, qui jungit *dispersi algæ,* pro: per algam s. litus. Cf. Var. Lect. et de multitudine delatorum ac *fisco* Imperatoris mox v. 54 seq. et Suet. Dom. c. 9. et 12. — 51. *Vivaria* propr. quorumvis animalium vivorum receptacula, inpr. immanes piscinæ, quas delicatiores ditioresque Romani, ut numquam piscibus marinis carerent, vel in ipso mari vel in continenti exstruebant.[10] *Depastum vivaria,* in iis saginatum. — 53. In Scholiis vett. hæc leguntur: "*Palfurius* Sura, Consularis viri filius, in agone cum virgine Lacedæmonia sub Nerone luctatus est. Post inde a Vespasiano Senatu motus transivit ad Stoicam sectam, in qua quum prævaleret et eloquentia et artis poeticæ gloria, abusus familiaritate Domitiani, acerbissime partes delationis exercuit: quo interfecto Senatu accusante damnatus est; quum fuissent inter delatores potentes apud Domitianum et hi *Armillatus,* Demosthenes et Latinus archimimus, sicut Marius Maximus scripsit." Conf. Suet. Dom. 13. — 55. *Donabitur ergo* piscis Imperatori, *ne pereat* fisco, quod jam distrahi non potest, ut vet. Schol. exponebat, vel, ut alii, fisco per delatores, vel denique, ne corrumpatur et computrescat. Ita vulgo hæc interpretantur et a piscatore dici putant. Conf. ad XIV, 130. Eidem ea adsignat Ach. hoc sensu: donabitur cito et libenter

[10] Conf. ad III. 308. intpp. Horat. min. T. I. p. 145 seq. et T. V. P. 1. p. Od. II, 15, 4. Wernsdorf Poet. Lat. 145.

Cæsari, quod retineri non potest, ne vi abripiatur et sic meæ *pereat* obedientiæ præmium. Sed poetæ potius verba sunt, notantis iniquam illam legum jurisque fiscalis cum rationem tum interpretationem, et suadentis, ut piscis captus non vendatur, sed donetur Cæsari, qui etiam ea, quæ jure naturali communia sint, sibi vindicet. Poetæ etiam hæc verba tribuunt Brit. et Hein. Ille vero exponit: *ne pereat* scil. piscator; hic bene monet, sensum totius loci esse: *quidquid* egregii in mari capitur, *donandum est* Imperatori, *ne pereat*, ne nobis vi eripiatur et ita ne gratiam quidem ineamus.

56—58. Oratio insurgit, more poetarum satiricorum, quoties res, de qua agitur, poeticam tractationem admittit. *Auctumni* æstus in terris australibus, potissimum in Italia, intolerabilis esse et, *austro* per mare mediterr. flante humidisque particulis gravato, morbos gignere solet, unde h. l. *letifer* dicitur. [11] *Auctumno cedente pruinis*, hyemi, (ut apud Virgil. Georgic. I, 230.) eum excipienti, auctumnum, qui jam præterit, sequenti, ut apud Sophocl. Ajacem 675. *νιφοστιβεῖς χειμῶνες ἐκχωροῦσιν εὐκάρπῳ θέρει.* 57. *jam quartanam* febrim, h. e. morbos, *ægris sperantibus*, metuentibus. Ita vulgo, nec male, hæc interpretantur. Neque tamen necesse est, ὑστεροlογίαν per contrarium vel ἀκυρολογίαν propterea poetæ obtrudere: nam ἐλπίζειν, ἐλπὶς et *sperare* sæpissime significant exspectare, suspicari, cogitatione præcipere futurum aliquid, sive sit bonum sive malum, et hinc metuere, quemadmodum et nos dicimus: *ich will nicht hoffen, dass dieses geschehe.* [12] Flavius, (Conjectan. c. 17.) Rigalt. (in Diss. de Sat. Juv.) Grang. et alii propr. verbi *sperare* vim h. l. tuentur, coll. prov. Ital. *Febre quartana no fa sonare campana*, et inpr. Celso, qui lib. III, 15. extr. monet, quartanam neminem jugulare, et ægrotantes plerumque cupere febrim, quam quotidie sentiant, in quartanam commutari. Neque etiam diffitendum est, auctumno potissimum exeunte phthisin, tabidas aliasque febres acutas se inclinare sensimque decedere, vel earum vim in quartanam sæpius converti. Cf. Cic. ad Div. XVI, 11 pr. 58. *Stridebat hyems;* proprie venti, turbines, procellæ strident, strepunt, sonant. *hyems deformis*, turpis et ingrata adspectu, h. e. tristis, præcipue propter deformitatem tristem-

[11] Conf. VI, 517. Plin. II. sect. 48. Hippocr. III, Aphor. 9. Virg. Georg. III, 478 seq. Horat. Od. II, 14. 15. 16. III, 23, 8. et Sat. II, 6, 18. 19. Pers. VI, 13.

[12] Conf. Heyne ad Virg. Æn. I, 543. IV, 419. XI, 275. Burm. ad Valer. Fl. III, 295. intpp. ad Thom. Mag. p. 299. et inpr. Irmisch ad Herodian. I, 3, 11. p. 79. et 824.

que faciem naturæ, ut contra *ver gratum.* Cf. intpp. Horat. Od. II, 10, 14. et IV, 5, 6. *prædam,* captum piscem, *recentem servabat,* a corruptione ac putredine defendebat. 59. *properat hic* piscator ad Imperatorem. *Auster,* quo flante gravissimus oritur æstus, qui carnes et opsonia corrumpit. [13]

60 seq. Intell. *Albanum* s. *villa* Domitiani *Albana,* sub collibus Albæ sita, quo secessu adeo delectabatur, ut eam quasi domum et regiam vel *arcem,* (ὥσπερ τινὰ ἀκρόπολιν Dion.) immo et curiam haberet, quo sæpissime vel *Patres* vel Pontifices evocabat in consilium. [14] Ibidem centenas sæpe feras conficiebat collegiumque sacerdotum Minervæ instituerat, de quo v. Suet. Dom. c. 4. et 19. Situs et magnificentia villæ describitur a Stat. Silv. IV, 2, 18 seq. 62 seq. ubi cf. Barth. Certaminum varii generis ibi habitorum mentionem faciunt Suet. et Stat. ll. ll. — 60. *Utque lacus* Albani *suberant,* prope, non longe remoti erant. *Lacus* Albanus, (hod. *Lago di Castel Gandolfo)* ad Albam Longam et radices montis. [15] *Alba* Longa urbs Latii condita ab Ascanio et *diruta* a Tullo Hostilio, quod vel ex Liv. I. 3, 25. 29. seq. notissimum. 61. *Vestam* cum *igni* æterno Troja in Italiam ab Ænea, deinde Lavinio Albam Longam ab Ascanio, et denique Alba Romam a Tullo Hostilio translatam. Cf. Heyn. Exc. IX. ad Virg. Æn. II, 293. et Lips. de Vesta c. 2. *Alba diruta servat ignem Trojanum et Vestam colit;* urbs eversa præter templum Vestæ, κατεσκάφη πλὴν τοῦ ἱεροῦ, teste Strab. V, p. 160. Vetus Schol. h. l. notavit hæc: "Romani quum Alba vellent sacra transferre Romam, tanta repente grando cecidit, ut intelligerent suis locis sacra non esse movenda. Inde ibi perseverant." Quæ narratio orta forsan et conflata ex perversa interpretatione Liv. I, 31. *Vestam minorem* poeta dixit respectu majoris templi, Romæ conditi a Numa, qui in ejus atrio aliquamdiu habitabat, et majoris religionis, qua Romæ colebatur, quam in urbe deserta, ubi inhonorata quasi remanebat. Cf. Ferrar. de lucern. sepulcr. p. 23. *Vestam minorem,* immo eamdem et antiquiori cultu: sed *minorem* ad urbem spectat; C. Vales. Sacra Vestæ Symmachi nondum ævo Albæ desiisse, patet ex ejus Epist. IX, 120. et 121. — 62. *Obstitit parumper intranti* piscatori *turba miratrix;* sed *ut cessit* ei hæc turba, stupore remisso, facilis illi patuit

[13] Conf. ad v. 56. XIV, 130. Horat. Sat. II, 2, 41. 42. Galen. Aphor. III, 5.

[14] Cf. mox v. 64 seq. et 145. Plin. Epist. IV, 11, 6. ubi conf. intpp. et Tac. vit. Agric. c. 45. ubi v. Lips.

[15] De quo v. Liv. V, 15 seq. Cic. de Div. I, 44. et pro Mil. 31. Virg. Æn. IX, 387. Mém. de l'Acad. des Inscr. et B. L. T. IV. p. 414 seq.

aditus. *turba miratrix,* ut *t. salutatrix* inf. V, 21. Cf. Heins. ad Ovid. Amor. I, 7, 37. 63. *facili cardine,* qui facile movebatur, mobili, volubili, ut contra *difficilem forem* (ob janitorem) dixit Ovid. Amor. I, 6, 2.[16] *Facilis* autem aditus erat homini, et munus et rem valde mirabilem afferenti. *valvæ* villæ, Albani.

64. *Exclusi* Urbe et arcessiti ab Imperatore, qui in Albano commorabatur. Sed rectius alii interpretantur: *exclusi* ab adspectu Imperatoris et ad fores exspectantes, ut servi, dum vocarentur. Designare voluit poeta superbiam Domitiani, qui ne Senatoribus quidem liberum aditum concederet; Hein. Idem monet, se non assequi, quomodo ex h. l. extorqueri possit hæc, quam ei inesse dixerit Jacobs, sententia: Senatores, in Domitiani limine exspectantes et ab ejus adspectu *exclusi,* piscem vident ad dominum intrantem, dum ipsi sibi eundem honorem frustra exoptant. *Spectare,* ut βλέπειν, adspicere cum admiratione vel voluptate. *opsonia,* opsonium, ὄψον, piscem, rhombum. v. loc. class. Athen. VII, 1. p. 276. 277. ibique Casaub. qui præter alia docent, ὄψον et προσόψημα antiquioribus Græcis dictum fuisse omne προσφάγιον, (*quidquid ad panem adhibetur,* Cic. Tusc. Qu. V. 34.) omnemque cibum coctum vel assum, serioribus vero piscem, cibum iis familiarem. *Atridem,* Domitianum, principem Romanorum, ut Agamemnon fuit Græcorum, et huic parem arrogantia, quod vel ex Hom. Il. α. coll. Suet. Dom. c. 13. intelligitur. 65. *Picens,* piscator ex Piceno, prope mare Hadriaticum, oriundus. 66. *privatis majora focis,* piscem majorem, quam ut ab hominibus *privatis* (v. ad VI, 114.) tenuiorisque conditionis in foco coqui et consumi possit ac debeat. Rhombus quoque in genere est cibus exquisitior ditiorumque, non pauperum, mensis accommodatus.[17] *genialis dies,* lætus, festus, ut passim: nam qui lætitiæ voluptatique se dat, *Genio indulgere* et *obsequi,* vel *illum curare* ac *placare,* et contra *defraudare,* dicitur. 67. *Stomachum laxare,* exonerare, evacuare, ut plus cibi capere possit, vel potius h. l. extendere, ampliare, quod fit πολυφαγίᾳ. Nota Ach. est: "*Stomachum laxare,* solvere, evacuare, ut has delicias capiat; nam helluonibus mos erat, ut post primam aut secundam mensam provocarent vomitum, quo venter laxatus facilius novas *saginas,* escas, caperet atque devoraret." *Sagina* proprie fartura, et deinde cibus, quo animalia red-

[16] Cf. ad VIII, 58. Bentl. ad Horat. Od. I, 25, 5. Heyne ad Virg. Æn. VIII, 310. et Tibull. I, 1, 40. Burm. ad Ovid. A. A. I, 160.

[17] Confer ad versum 39. Quint. Horatii Satir. I, 2, 115. 116. A. Persii VI, 23.

duntur pinguia, h. l. cibus exquisitior et copiose sumtus, aut potius, quod Hein. monet, rhombus pinguis. Verba v. 68. 69. adulatorie dicta. "*In sæcula tua* est: in tempora regni tui. *Sæculum* pro tempore regni alicujus Imperatoris frequentatur hujus ætatis scriptoribus, maxime Plinio juniori;" Hein. — 69. 70. Hæc perperam plerique ita interpretantur, ut verbis piscatoris, *ipse* rhombus *capi voluit*, judicium suum interponat poeta: *quid apertius*, manifestius, scil. hac adulatione; *et tamen illi*, Domitiano, *surgebant cristæ*, ille animo efferebatur, adulatione intumescebat, metaphora desumta ab avibus cristatis, quarum cristæ erectiores alacritatis ac superbiæ indicia sunt, quo sensu Gallis dicitur *lever la crête* et contra *baisser la crête*, ut nobis *ihm schwillt der kamm*. Præstat aliorum sententia, qua verba etiam *quid apertius?* piscatoris sunt, dicentis, quid manifestius esse potest, quam piscem *capi voluisse*, ut a te comederetur; quam adulationem poeta sic refutat: *et tamen illi* sc. rhombo *cristæ* (spinæ, pinnæ, *flosfedern*, ut *sudes* v. 128.) *insurgebant*, (ut *erectas in tergo sudes* v. 128.) quo prodebat indignationem et iram, quod captus esset, et significabat, se capi noluisse et a tanto tyranno ac monstro consumi, adeoque illa a piscatore non nisi per adulationem dicta esse: quod tamen non sensit Domitianus; nam *nihil est, quod credere* cet. Hanc interpretandi rationem probat Bredencamp *im Magazin für Schulen* Vol. I. p. 441. 442. sed ibid. p. 452. putat, majorem forte huic loco vim inesse, si verba quoque *quid apertius?* poetæ tribuantur, isque piscatori ironice respondeat et suffragetur: *quid apertius?* quis de eo dubitet? *et tamen illi* pisci *cristæ surgebant:* ex quo intelligitur, quam verum sit quod dicis.

70. 71. Sententia communis et epiphonema, quo poeta narrationem suam interrumpere solet; Multi hominum, præcipue ii, qui divinam sibi potestatem majestatemque vindicant, etiam iis credunt, qui sine pudore adulantur. Cf. Senec. Epist. LIX. med. Domitianus quoque, ut Caligula, (Suet. Cal. 22.) Aurelianus, Carus, Diocletianus, Antiochus, Alexander M. et inpr. reges Orientis, (Curt. VIII, 5.) non salutari, sed adorari, nec nisi *Dominus ac Deus* appellari volebat.[18] *Diis æqua potestas*, Reges et Imperatores θεοείκελοι, ἐναλίγκιοι ἀθανάτοισιν, (κατὰ) δέμας ἀθανάτοισιν ἐοικότες. — 72. *patinæ mensura*, patina satis magna, ut integrum caperet piscem, *decrat:* quod in Cæ-

[18] v. Suet. Dom. 13. Martial. V, 8, 1. Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. V. p. m. 386 seq. et Diss. XII. T. II. p. 484. 491. Eutrop. IX, 16. et Aurel. Vict. de Cæsar. c. 39. ubi v. Gruner.

saris irrisionem fingitur, ut reliqua, quæ narrantur. Cf. Martial. XIII, 81. 73. *vocantur in consilium*, ut de rhombo et patina, tamquam de publicis iisque gravissimis rebus, sententiam dicant, *proceres*, Patres, amplissimus ordo, (*concilium augustum* Sil. I, 609. *senatus Rom. tamquam regum consessus* Liv. IX, 17.) et *quos oderat Ille* Domitianus, more tyrannorum. Cf. Var. Lect. 74. 75. Recte depinguntur aureæ illæ compedes aulicorum, vita aulica et amicitia regum magna quidem, sed misera et periculi plena: unde non absurde a quopiam dictum, *malle se in caula, quam in aula vivere;* Ach. *pallor amicitiæ*, metus, quem ipsis incutiebat *amicitia magna*, Imperatoris, (cf. I, 33.) et *misera*, cum miseria periculisque quotidianis conjuncta, quum a *magni amici* nutu et arbitrio omnium salus penderet. Hunc metum non vanum fuisse patet vel ex Suet. Domit. c. 11. *Pallor in facie sedebat*, conspicuus erat, metus ipsa facie prodebatur. Cf. Ovid. Met. II, 776. et Trist. III, 9, 18. ubi v. Heins. 75. *Liburno*, præcone, e Liburnia oriundo, ne Romano quidem; vel servo, præconis vicem sustinente. Schol. vet. qui admissionibus præerat. Senatus edici et convocari solebat vel per edictum, (Liv. XXXVI, 3. Tac. Ann. II, 28.) vel per præconem, ut Liv. III, 38. IV, 32. *Liburno* servo nomenclatore, qui in senatum Patres vocaret: nam ex Liburnia servi proceræ staturæ mittebantur, qui quidem essent quoque sonora et valida voce atque ad id officium apti; Ach. Cf. ad III, 240. *Currite, jam sedit*, verba præconis, et quidem pauca, more clamantium trepidantiumque, qui graphice adumbratur, ut et mox festinatio senatorum, verentium, ne longiore mora iram tyranni concitent. *sedit* Imperator, in consilio de piscis coquendi ratione deliberaturus. 76. *Abolla*, lacerna, quam Pegasus, deposita toga, Albam iturus induerat, vel pallium Stoicorum et Cynicorum, quo habitu forte incessit, quia et Stoicus fuit. Cf. ad III, 115. et Ferrar. ibi laud. qui recte monet, a Salmasio et Rubenio perperam colligi ex Nonio p. 538, abollam semper militarem fuisse vestem, et ex h. l., præfectos Urbi, quo honore functus sit Pegasus, in Urbe, Præsidesque in provinciis, habitu militari esse usos. Henninius bene hæc notavit: "JCtos fuisse fere Stoicos ea ætate, docuit Ger. Noodt Probabil. III, 1. Subtilissime igitur ridet Noster Stoicissantem Pegasum, qui nihil minus, quam liber, aut rex, ut se jactabant Stoici, vocatus ad Domitianum et tyranni iram veritus, quum tamen mentem Stoicam nec vultus instantis tyranni quatere debeat, serviliter *properabat*, et quidem vix circumjecta, quam festinantissime

rapuerat, abolla Stoica." Cf. ad II, 15. *Primus* quoque properasse idem dicitur. " *Pegasus*, trierarchi filius, ex cujus liburnæ parasia (παρασήμῳ) nomen accepit, juris studio gloriam memoriæ meruit, ut *Liber* vulgo, non *homo* diceretur; hic functus omni honore, quum provinciis plurimis præfuisset, Urbis curam administravit: hinc est *Pegasianum* scilicet *jus*, quod juris peritus fuerat." Ita vet. Schol. ex cujus ultimis verbis multi collegerunt, ab eo *Proculianos* nomen tulisse *Pegasianorum*. Sed Pith. ad h. l., Grot. Flor. Spars. ad Jus Justin. ad § 5. Inst. de fid. her., Bach. hist. jurispr. Rom. p. 410. et alii bene jam monuere, verba ista ad libros potius JCti pertinere, eodem modo, quo *Jus Ælianum*, *Flavianum* cet. vel pro *jus* legendum esse *SC*. Nam Pegasus sub Vespasiano non modo Præfectus Urbi fuit, sed et antea Consul suffectus cum Pusione, quo tempore factum est *SCtum Pegasianum de fideicommissis hereditatibus*, ab eo appellatum. [19] *attonitæ* metu tyrannorum, gravius quam trepidæ, et amarius dictum in ignaviam Romanorum, jugum servitutis patienter ferentium. C. Valesius in notis ab Achaintre editis et in Hist. de l'Acad. des Inscr. T. I. p. 140 seq. hoc epitheton ad tempus, quo L. Antonius, Germaniæ superiori præfectus, a Domitiano desciverit, refert coll. Plut. in vita Æmilii Pauli Opp. T. I. p. 268. ut *attonitæ* sit stupentis, ob Domitiani desidiam et segnitiem, qui tali tempore super re tam ridicula Patres convocaverit, et consternatæ ob terrorem ab Antonio incussum. *positus*, præpositus, præfectus, *Urbi modo*, non nisi, tantum, *villicus*, quum Urbs non amplius suis juribus utatur suaque libertate, sed jam *villa* quasi Imperatorum sit. Ita Ach. et alii. *Villicus* propr. dicitur servus, qui *villæ* ibique potissimum rei familiari et reliquis servis, ut *villica* (XI, 69.) muliebribus negotiis atque ancillis, præest, deinde quilibet præfectus, procurator, dispensator, ut *villicus aquæ Claudiæ*, *vill. a plumbo*, *ab alimentis* cet. [20] *tunc*, temporibus Vespasiani, cujus summa his verbis taxatur avaritia, quæ nota est vel ex Suet. Vesp. 16. ubi præter alia nar-

[19] v. L. 2. § ult. D. de orig. jur., § 5. Instit. de fideic. hered. et al. Brencmann. Epist. de Consul. p. 608. et de Heuremat. Modestin. c. 11. Bynkershœk. Obss. VI, 21. Thes. Meerman. T. I. p. 542 seq. et inpr. Menag. Amœnit. Jur. civ. c. 17.

[20] ap. Spon. Misc. Sect. 6. p. 235. Gruter. Inscr. p. 650. 1033. al. Conf. Menag. l. l. et Salmas. ad Lamprid. in Alex. Sev. c. 15. ubi tamen perperam monet, Præfectum Urbi a poeta vere et proprie, non satirice, *villicum* dici; nam ratio hujus appellationis subjungitur: *Anne aliud tunc Præfecti* Urbi fuere, quam villici, procuratores Cæsaris? Grangæus *villici* nomine h. l. innui putabat rusticum et extraneum, vel campestria potius redolentem et rus, quam urbanitatem.

ratur, procuratorum rapacissimum quemque ab eo ad ampliora officia, ex industria, promotum esse, quo locupletiores mox condemnaret. Præfectura Urbis maxima olim potestas, quæ tamen, ut reliquorum magistratuum, sub malis Imperatoribus sensim est imminuta.[21] Enimvero sensum h. l. rectius forsan cepit Manso, cujus nota est: "Neque hoc *tunc* unice ad patris Vespasiani tempora, sub quo Pegasus ad præfecturam urbanam accesserat, referam, neque illud *modo* v. 77. subtilius, quam par est, explicem *non nisi, tantum.* Latius sane patet particula *tunc* et non magis spectat ad regnum patris avari, quam immitis filii, quem etiam obiisse diem suum, antequam nostra satira scriberetur, e fine carminis patet; *modo* vero, ut *nuper*, recte de longiori annorum serie dicitur. (v. sup. ad II, 160.) Ceterum v. 78. satis declarat, poetam, qui Pegasum dicit *villicum*, non aperte et vere, sed cum indignatione quadam et irrisione loqui, nec dubitare licet, quid velit h. l. *villicus*, modo memores simus, villicos numquam fere non e servis lectos fuisse et uti colonis severe sæpe et crudeliter imperasse, ita ipsos turpiter trepideque agrorum dominis paruisse. Ne miremur igitur Romam *attonitam*, quùm *præfectum* nomine quidem acciperet, re vera autem servilem *villicum*, qui, ut verbis poetæ v. 80. utar, *omnia tractanda putaret inermi justitia*, h. e. qui virum se præstare et officio suo satisfacere non auderet, sed, scelestis tyrannorum consiliis cedens et obtemperans, urbem haud secus ac villulam aliquam regeret imperiumque in cives, tamquam in mancipia vilia, jubente Cæsare, exerceret." 78. *quorum* tamen *optimus* fuit Pegasus. 80. *putabat* metu tyrannorum. *Justitia inermi*, debili, inefficaci, sine vi vel severitate. Probra non severitate pœnarum coercenda, sed omnia mitius agenda putabat; vet. Schol. et Grang. Poeta respexisse videtur ad imaginem *Justitiæ*, quæ in quibusdam nummis ac monimentis vett. altera manu gladium vel hastam, altera libram tenet, ut Themis vel Astræa, Dice et Æquitas, quæ Deæ passim confunduntur.[22] In plerisque tamen Romanorum nummis Justitia pateram sceptrumque manibus tenet.[23] — 81. *Crispi senectus*, h. e. Crispus senex, ut VII, 35. et X, 75. Cf. sup. ad v. 39. De Vibio

[21] Cf. Guil. Paw. Diss. ad varia juris civilis capita in Œlrich. Thes. Diss. jurid. Vol. I. P. I. p. 119. et Drakenb. Diss. de Præf. Urbi.

[22] Cf. Gell. XIV, 4. Struvii Synt. Antiq. Rom. c. I. p. 139. et Tab. IV. Fig. 21. Lipperti Dactyl. Mill. I. n. 708. (ubi in acervo armorum sedet) Encyclop. s. Dict. raisonné des Sciences T. IV. p. 11.

[23] v. Montfauc. Aut expl. T. I. P. I. liv. 5. c. 9. § 1. du Choul de la relig. des anc. Rom. p. 115. Agostini Dialogos de las medallas II. vers. Ital. p. 45. Rom. 1650. Fol.

Crispo v. Tac. Ann. XIV, 28. et Hist. II, 10. IV, 41. 43. Suet. Dom. 3. de ejus *facundia* Tac. Dial. de Orator. c. 8. et 13. ac de ejusdem et styli ejus *jucunditate* Quintil. Inst. Or. V, 13. VI, 2. X, 1. et XII, 11. Quæ de eo Schol. vet. copiose memorat, ad Crispum Passienum spectant, de quo etiam h. l. sermonem esse, contendebat Torrent. ad Suet. Ner. c. 6. ex quo potius loco constat, eum jam, Claudio imperium adepto, veneno sublatum esse ab Agrippina uxore, matre Neronis. [24] *maria ac terras populosque regenti,* Imperatori. 84. *clade et peste sub illa,* sub Domitiano, homine pernicioso et multarum cladium malorumque auctore, quo sensu etiam *pernicies, labes, lues,* ὄλεθρος, πῆμα et al. dicuntur.

85—88. Quam vere hæc dicta sint, intelligitur vel ex Suet. Domit. c. 10—12. *Fatum pendebat,* incertum, dubium erat; nisi malis: calamitas ac mors impendebat *amici locuturi de pluviis aut æstibus* cet. h. e. de rebus levissimis, ut Germ. *vom wetter sprechen,* et Gall. *sur la pluie et le beau temps:* nam Domitianus levissima quemque de causa interficere et ex omnibus, etiam frivolis ac vulgaribus, dictis factisve occasionem nocendi sumere solebat. Cf. Sueton. l. l. 87. *Ver nimbosum,* ut *madidum* inf. IX, 51. et *imbriferum* ap. Virg. Ge. I, 313. Cf. inf. ad V, 78. In Italio cœlo *ver* imbribus et nimbis plerumque infestum esse, monet Bentl. ad Horat. Od. IV, 4, 7.

89—91. Utebatur prudentia, quam tempora suadebant, quam tamen nemo admirabitur, ut contra animi constantiam et παῤῥησίαν Thraseæ Pæti, Helvidii Prisci, Herennii Senecionis, Aruleni Rustici aliorumque paucorum, his similium. "Eadem prudentia tyrannidem erigit atque nutrit;" Ach. *Dirigere brachia contra torrentem* proverbio dicitur pro, majori potestati repugnare tyrannique voluntati refragari, ut Gr. ἀντιπνέειν ἀνέμοισι, Gall. *s'opposer au torrent* et nostrum *wider den strom schwimmen.* 91. *Verba animi proferre,* v. Var. Lect. *Vitam impendere vero,* veritatem constanter, etiam cum mortis periculo, profiteri ac defendere. Hoc dictum celeberrimi philosophi, J. J. Rousseau, constanter fuit epigraphium; Ach. — 92. *Sic,* hac agendi vivendique ratione, *multas hyemes et solstitia,* multos annos, *vidit,* diu vixit Crispus, *tutus his armis,* his artibus, quibus se vitam-

[24] v. Dodwell. Annal. Quintil. § 8. et p. 189 seq. Lips. Exc. ad Tac. Ann. XII, 6 et Ryck. ad Tac. Ann. VI, 20. Valla h. l. comparavit verba Statii, (si Statii sunt, de quo dubito) *Lumina Nes-*

torei mitis prudentia Crispi Et Fabius Veiento: potentem signat utrumque Purpura; ter memores implerunt numine fastos, Et prope Cæsarei confinis Acilius aulæ.

que suam tuebatur, scil. dissimulatione, taciturnitate, adulatione et obsequio, *illa quoque in aula*, in tali s. tam sæva aula, in qua nemo tutus erat, h. e. sub imperio Domitiani, tam crudelis tyranni, regnante tali Principe. *Solstitium* semper fere æstivum dicitur, ut hibernum *bruma*, et hinc vel brumæ, vel a poetis, ut synon. æstatis, hyemi opponitur. Cf. Virg. Ge. I, 100. ibique v. Heyne, et Ernesti Clav. Cic. — 93. 94. *Acilius*, qui *ejusdem*, cujus Crispus, erat *ævi*, ætatis, (LXXX annorum) *proximus*, proxime post Crispum, *properabat* ad Domitianum, (ut v. 76.) *cum juvene*, filio suo Domitio, ut vulgo putant.[25] Hic *Acilius*, ni fallor, est pater Acilii Glabrionis, *juvenis* clarissimi et virtutibus ornatissimi, qui sub Domitiano collega Trajani in consulatu fuit et, ut tyranni sævitiam effugeret, *Bruti* exemplo, stoliditatem simulasse et hanc quoque ob causam vel jussu tyranni cum leone pugnasse traditur, sed ita potius mortem suam maturavit et quinto post consulatum anno jussu Domitiani, propter invisas ei corporis animique vires, in exsilio occisus est. Conf. Dio Cass. LXVII, 13. et Suet. Dom. 10. Hic itaque Acilius Glabrio est *juvenis, indignus, quem mors tam sæva* in exsilio *maneret, et tam festinata*, maturata, in flore ætatis, *gladiis Domini*, Domitiani, tyranni, qui *Dominus* et *Deus* appellari solebat volebatque, de quo v. ad v. 71. Cf. Var. Lectt. Vixere etiam illis temporibus plures Acilii, v. c. Acilius Rufus Consularis, (v. Plin. Ep. V, 13. et 20.) Acilius Aviola et alii. Sed de illo, de quo dixi, sermo esse videtur, et in gente Acilia clarissimi fuere Glabriones inde a temporibus M'. Acilii Glabrionis, qui Prætor fuit a. U. C. DLVI. et Consul a. LXII. — 96. *olim*, jam diu, jam dudum, ut VI, 346. et al. — 97. Perraro nobiles senectutem adipiscuntur regnantibus tyrannis, qui eos bonis exuere et interimere solent. 98. *fraterculus gigantum*, ignobilis, obscurus, ut *γηγενής*, *ein erdensohn*, *terræ filius*, *progenies terræ* et *terra ortus*, Cic. ad Att. I, 13. et ad Div. VII, 93. Pers. VI, 57. 59. Petron. 43. Quinctil. III, 7. extr. Conf. inf. VIII, 44. 45. Ita dici solebant, quorum genus ignorabatur: cujus dictionis ratio vulgo repetitur a veteribus philosophis, Empedocle et aliis, qui primos homines e terra natos credebant. Conf. tamen Var. Lect.

99 seq. Cf. ad v. 94 seq. *misero* juveni, Acilio Glabrioni, qui in

[25] "Hujus quum filium juvenem Nero occideret, ipsum Acilium servavit, qui pœnas sentiret orbitatis," vet. Schol. Alii *juvenem* existimant esse *Helvidii* Prisci filium, de cujus morte v. Suet. Dom. 10. Et quot non alii ita intelligi possunt, quum Domitianus tot viros juvenesque interemit?

arena Albana, h. e. amphitheatri, in Albano (v. ad v. 60.) exstructi, cum feris pugnabat, ut ita se insinuaret in gratiam Domitiani, qui in Albano secessu eximias sæpe venationes edebat, et ipse summa arte conficiebat feras. v. Suet. Dom. c. 4. et 19. — 99. *Ursorum Libycorum* vel *Numidicorum* mentionem faciunt Virg. Æn. V, 37. Martial. I, 105. Solin. c. 29. Herodot. et ipse Strabo, ubi de Mauris agit. Sed *ursos*, frigidiore plaga gaudentes, in Africa gigni et inveniri negat Plin. VIII, 36. extr. et 58. extr. Hinc varia conjecere viri docti, v. c. Dalecamp. in Plin. *uros* legendum esse; Harduinus, errorem illum ex commutatione vocis Λιγυκοὶ in Λιβυκοὶ natum, ursosque Ligycos s. Ligusticos intelligendos esse; Lipsius vero, qui copiose de hac re Elector. lib. II. c. 4. disserit, Romanos veteres, advectis feris peregrinis, stupuisse nomenque iis non suum, sed obvium aliquod et e vicino suo rure dedisse, adeoque *leones* non externo insignivisse nomine, sed noto et domestico *ursos*, quemadmodum elephantos vocaverint *boves Lucas*, struthionem *passerem*, camelopardalim *ovem feram* et pantheras *mures Africanos*. Enimvero Libya Romanis parum nota erat, et feræ in multis repertæ terris ac locis, in quibus postea deletæ sunt; nec tam quærendum videtur, fuerintne in hac orbis terrarum parte ursi, quam quid veteres crediderint? Poeta quoque ad physicorum rationes non exigendus est. Cf. Heyne ad Virg. Æn. V, 37. *Numidæ ursi* ut *N. leones* ap. Ovid. A. A. II, 183. (ubi v. Heins.) pro *Numidicis*. 100. *venator nudus*, sine vestibus, saltem toga, ut expeditior esset, vel amentiam simularet. Alii, sine armis: nec ignoro, ita bestiarios quosdam pugnasse et potissimum eos, qui capitis damnati essent. v. Dio Cass. LX, 13. LXXVI, 10. Senec. Epist. 7. Sed *ursos fixisse* dicitur. Ceterum viros olim nobilissimos, vel gratificantes tyrannis, vel ab iis coactos, immo sponte etiam, in venationes et arenam, ad *artes* scenicas, gladiatorias aliasque parum honestas, quæ inde mox σαρκαστικῶς *patriciæ* appellantur, descendisse, monui ad II, 143 seq. et ad VIII, 192 seq. 198 seq. In eamdem insaniam ipsas quoque mulieres puellasque incidisse, vidimus I, 22 seq. ubi cf. not. — 101 seq. Profuit nihil Acilio Glabrioni, quod cum feris pugnavit, ut gratiam tyranni captaret, quodque, exemplo Bruti, (v. Liv. I, 56 seq.) stoliditatem simulavit, ut mortem sævitiamque Domitiani effugeret: (conf. ad v. 94 seq.) quis enim nunc non intelligit, hæc et similia *arte* ac dolo fieri? præterea artes istæ tam vulgares sunt, ut nemo eas amplius admiretur; neque Domitianus et Romani nunc tam facile decipiuntur, ut Tarquinius Superbus et homines *priscis* temporibus viven-

tes, (unde *priscum acumen*) qui rudes ac simplices erant. Ita planus est sensus, et omnia melius cohærere videntur, quam si v. 101. *intelligere artes* dictum acceperis pro, eas callere, quod suadet Bredencamp *Magaz. f. Schulen* Vol. I. p. 443. — 103. *Imponere alicui* aliquid pro vero, est eum seducere, fallere, (ut nostrum: *einem etwas aufbinden, aufheften,* et Gall. *en imposer à quelqu'un*) unde *impostores* vocantur homines fraudulenti. *regi barbato,* Tarquinio Superbo, prisca ac rudi ætate viventi, qua Romani tum barbati adhuc erant et intonsi, tum simplices et severi; nondum, ut nunc, astuti et fallaces, neque imberbes aut delicatula barba capilloque pexo et unguentis delibuto nitidi. v. ad VI, 105. et XVI, 29.

104. *Nec melior,* lætior, hilarior; non minus tristis ac pallidus metu, ne Domitiani jam sedentis exspectationem diutius, quam par esset, moraretur et ita tyrannum offenderet. Cf. v. 73 seq. Præterea *reus* erat *veteris offensæ* cet. *Quamvis ignobilis* esset, adeoque tutior ab insidiis tyranni videri posset; tamen non minus cum metuebat, quoniam Domitianus in infimos sæviebat æque ac in summos. *Rubrius* Gallus, ut vulgo putant, de quo tamen nihil legere memini, præter ea, quæ memorat Tac. Hist. II, 51. et 99. Ex eodem noti *Rubrius Eques* et *R. Fabatus* Ann. I, 73. VI, 14. Quænam *vetus* ejus *offensa atque tacenda* fuerit, non constat. Nonnulli male putant, quod Cæcinæ proditionis minister fuerit; (v. Tac. Hist. II, 99.) rectius, opinor, vet. Schol. *quod aliquando Tibiam* (non *Liviam,* nescio quam, ut Pith. suspicabatur, sed forte *Juliam,* de qua v. sup. ad II, 29 seq. vel *Titi filiam;* nam *filiam* pro *Tibiam* in cod. Schurzfl.) *in pueritia corruperat;* vel, si Gloss. et vet. Comment. Lubini fides habenda, quod cum Domitiani conjuge concubuerat. Calderinus non dubitabat, hoc nomine alludi ad *veterem* Rubrium, qui, deprehensus in conjuratione Neroniana, magno animo dixerit Neroni, se illum odisse, et quamvis ita audax, *tamen improbior* fuerit ipso Nerone. Sed is *Subrius* vocabatur, (v. Tac. Ann. XV, 49. 50. 65. 67.) et, quamquam hoc nomen substitueris, ipsa tamen explicatio vereor ut multis probetur. Manso hæc adnotavit: " Frustra in his divinamus, ubi historia silet et scholia nil certi definiunt. *Rubrius* non contra omnes modestæ criticæ regulas transformandus in *Claudium* sive *Clodium;* nec magis audiendi sunt, qui *offensam* ad stupri aliquod aut adulterii crimen referunt, et v. 106. ad Neronem, qui ipse *cinædus* fuerit et tamen Afranium Quinctianum, mollitia corporis infamem, probroso carmine diffamaverit, de quo v. Tac. Ann. XV, 49. Nam

ut taceam, *offensam* dictum potius aut factum Rubrii sive in patrem Vespasianum, sive in filium Domitianum, innuere, obscurius etiam sic notatus esset Nero, quam ut intellectum iri poeta sperare posset. Quorsum pertineat *cinædus satiras scribens*, vidisse puto Gesnerum, qui in Thesauro L. L., versu nostro laudato, *proverbii*, inquit, *formam habet.* Acute et vere! Plura de *cinædis* proverbialiter dicta legimus, v. c. *molliorem esse cinædo*, (Plaut. Aul. III, 2, 8.) *cinæda fronte se prodere*, (Mart. VI, 39, 12.) et apud ipsum nostrum poetam XIV, 30. *ceras ad mœchos cinædis ferendas dare.* Quid igitur? si Rubrium unum e turpissimo publicorum accusatorum et delatorum grege fuisse dicimus versibusque Juvenalis hunc sensum tribuimus: Aderat etiam ignobilis Rubrius, ipse quidem læsæ majestatis reus, sed tanta improbitate, ut ejusdem criminis alios reos faceret peccatumque suum, vetus illud maximaque cum cura celandum, stulte in memoriam hominum revocaret, prorsus similis cinædorum, qui in cinædos satiras scribunt." Enimvero propter *cinædi* mentionem *offensam* ad stuprum adulteriumve referre malim, quo etiam illa proverbialiter dicta spectant, quam ad crimen majestatis.

107. *Montanus* pinguis et ventrosus erat, et acerbe *ventrem* potius, quam ipsum venire dicit; vet. Schol. Cf. sup. ad v. 39. Intelligitur h. l. a plerisque *Curtius Montanus*, de quo v. Tac. Ann. XVI, 28. 29. 33. et Hist. IV, 40. forte et inf. XI, 34. a Calderino autem *Montanus Atticinus*, quem meminit Plin. Ep. VI, 22. Fuere et plures *Montani*, Julius M., (Tac. Ann. XIII, 25.) Traulus M. (ibid. XI, 36.) Votienus M. (ibid. IV, 42.) Alpinus M. Trevir, (Tac. Hist. III, 35. IV, 31. V, 19.) Hipso M. declamator, Titius M. et alii. 108. De *Crispino* ejusque mollitie cf. v. 1 seq. et I, 26 seq. *Amomum* fruticis Indici, non satis noti, genus et unguentum inde paratum: [26] *matutino*, non orientali, vel quod sub sole matutino nascitur, sed potius, quo jam tempore matutino et singulo mane, quod summæ luxuriæ indicium est, non, ut vulgo fit, ante cœnam dumtaxat, ungitur. 109. Magna aromatum odorumque vis in lectum feralem, in bustum, in urnam, qua cineres continebantur, in ossa mortuorum ab amicis collecta, et quotannis in sepulcrum spargi solebat; quæ nota res est. v. Kirchman. de fun. Rom. III, 5.

110. *Pompeius*, nescio quis? Vulgo intell. *Pompeius Rufus*, de quo

[26] v. Plin. XIII, 1. Martin. et Heyne ad Virg. Ecl. III, 89. IV, 25. Heins. ad Ovid. Ep. Heroid. XV, 76.

v. Plin. Ep. III, 9, 33. IV, 9, 3. vel *Pompeius Falco,* ad quem idem Plinius scripsit Epist. 23. lib. I. Sed illi potius *Pomponio* nomen erat, et ambo viri probi fuisse videntur, non flagitiosi vel delatores. *sævior aperire* cet. Græce dicitur, ut loco simili Horat. Epist. I, 15, 30. *Quælibet in quemvis opprobria fingere sævus.* — *Tenui jugulos aperire susurro,* jugulare homines, h. e. supplicium iis parare ac necem, occulta obtrectatione, calumnia ac delatione fictorum vel levium criminum, quæ *insusurrantur* quasi in aures tyranni. Vet. Schol. " levi susurro alios deferre necique tradere, aut per leves suspiciones jugulare." *Insidiantes susurros* dixit Plin. Paneg. 62.

111. 112. Cornelius *Fuscus,* præfectus prætorio, qui a Domitiano adversus *Cattos* missus, magna accepta clade periit.[27] *vulturibu servabat viscera,* cf. Plin. X, 6. *servabat,* reservabat: nam a publicis se negotiis aliquamdiu subtraxerat, ne citius quasi periret. Cf. Tac. Hist. II, 86. et ibi Ernesti. Hinc et *meditatus prælia* in *villa,* quod σαρκαστικῶς dicitur de homine ignaro militiæ ac luxuria diffluente, qui non in campo vel castris, sed in secessu otioque artem belli gerendi discit, tractat et exercet, ad bellum administrandum se præparat. Fuscus autem non tam ignavus fuit, quam imperitus belli. Cf. Tac. ll. ll. *Meditari prælia,* exercere, vel in animo habere et ad ea se comparare, ut VII, 128. et al. passim. 113. A. Fabricius *Veiento,* senator, adulator ac delator; *prudens,* qui adulatione ac prudentia, qua tempori serviebat, Domitiani offensionem crudelitatemque effugiebat.[28] *mortifero,* exitioso delatore, *Catullo* Messallino, qui, ut verbis Plinii Ep. IV, 22. (ubi iidem delatores, qui h. l. conjunguntur) utar, *luminibus captus, ingenio sævo mala cæcitatis addiderat; non verebatur, non erubescebat, non miserebatur: quo* (h. e. propter quod, quam ob causam) *a Domitiano non secus ac tela, quæ et ipsa cæca et improvida feruntur, in optimum quemque contorquebatur,* cet.[29] — 114. Conf. Martial. VIII, 49. *numquam visæ,* quia cæcus erat. 115. *nostro quoque tempore,* δεινῶς, quo multa sunt monstra. 116. Catullum cæcutientem, non omnino *cæcum* fuisse, vitiumque corporis a Plinio et Juven. in majus elatum relatumque esse ad animum, suspicabatur

[27] v. Dio LXVIII, 9. Sueton. Domit. c. 6. et Martial. VI, 76. Plura de eo leguntur ap. Tac. Hist. II, 86. III, 4. 12. 42. 66. IV, 4.

[28] Vet. Schol. " utrum ad nocendum, an ad sapientiæ rigorem, an adulandi peritus et temporum?" Cf. de eo sup. not. 24. III, 185. inf. VI, 113. Plin. Ep. IV, 22. IX, 13. Tac. Ann. XIV, 30. ubi v. Lips.

[29] De ejus crudelitate et sanguinariis sententiis cf. Dio Lib. LXVII. Joseph. B. Jud. p. 996. 997. Tac. vit. Agric. c. 45.

Catan. ad Plin. Ep. IV, 22. Non male; nam si omnino cæcus, non ea fuisset impudentia, ut sciente Principe et præsente laudaret, quod non vidisset: alioquin Imperatorem deridere, nec ei adulari visus esset; Ach. Idem sic exponit verba *dirus a ponte satelles:* dignus magis, qui stet *a ponte satelles* i. e. custos pontis et mendicans, ut solent cæci pauperes, quam qui sit Principis *satelles* et assecla *dirus*, assiduus, importunus. Non facilius fere concoquenda est vulgari interpretandi ratio: *a ponte* vel potius *e ponte*, ex homine infimi generis et mendico, qui olim in ponte sublicio stipem a transeuntibus petebat, (v. ad XIV, 134.) factus *satelles*, amicus principis et minister aulicus. Pro eo contemtim *satellitem* dici putabant Bahrdt et alii. Ego potius ministrum crudelitatis Domitiani designari crediderim; unde et *dirus* vocatur. Sic *satelles audaciæ, potestatis, scelerum* ap. Cicer. Catil. I, 3. Agrar. II, 13. Provinc. 3. et Quinct. 25. extr. Sed v. Var. Lect. 117. 118. *Dignus, qui mendicaret ad axes*, currus, *Aricinos*, h. e. ab iis, qui Ariciam vehuntur, et *basia jactaret redæ* (v. ad III, 10.) *devexæ*, h. e. e clivo Aricino descendenti, vel, ut Ach. exponit, declivi, deflexæ, inclinatæ in descensu. Cf. Var. Lect. *Aricia*, oppidum Latii, in via Appia, post Albanum montem et in colle situm, ubi lucus Dianæ et in eo fons Egeriæ fuit, a quo nemore et nunc *Nemi* dicitur. Mendici autem iis locis, ad quæ multitudo hominum confluit, in clivo, vel ad nemus, vel ad vias celebres, qualis Appia fuit, sedere solent. Cf. Apul. Met. I. pr. p. 104. ed. Elm. Hinc ortum vetus proverb. *Multi Manii Ariciæ*, de quo v. intpp. Pers. VI, 56. Conf. Martial. II, 19, 3. et XII, 32, 10. Vet. Schol. " Dignus, qui ad portam Aricinam, sive ad clivum mendicaret inter Judæos, qui ad Ariciam transierant ex Urbe missi; (v. ad III, 296.) et qui cæcus amator rhedæ ferenti mulieres oscula jactaret." Verba *jactare basia* (kusshändchen) spectant ad veterem, Orientis præcipue, ritum notumque venerationis signum, quo quis manui suæ (*priore* i. e. indice *digito in pollicem residente*, Apul. Met. IV. p. 83. *φιλήματα διὰ δακτύλων πέμπων* Dio XLIV, 8. p. 1055.) oscula infigit, et tum ea quasi porrigit jacitque ad eos, quibus honorem habet, etiam deos; unde et *adoratio* dicta.[30] Mendicantes cavam quoque manum porrigere solent. v. Casaub. ad Athenæi X, 4. pr.

[30] Cf. ad III, 106. et VI, 584. Lucian. de saltat. cap. 17. (Ἰνδοὶ, ἐπειδὰν ἔωθεν ἀναστάντες προσεύχωνται τὸν Ἥλιον, οὐχ, ὥσπερ ἡμεῖς, τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχὴν, ἀλλ' ἐκεῖνοι, πρὸς τὴν ἀνατολὴν στάντες, ὀρχήσει τὸν Ἥλιον ἀσπάζονται.) Tac. Hist. I, 36. Plin. XXVIII, 2. Ouzel. ad Minuc. Fel. p.

119. *Nemo magis* quam cæcus Catullus, qui ne rhombum quidem videre poterat, quod festive verbis seqq. exprimitur. *stupuit rhombum*, ut XIII, 16. 164.[31] — 121. *Sic* alia laudavit, quæ non vidit. *Cilicis*, gladiatoris e Cilicia oriundi. 122. *Pegmata*, πήγματα, in theatris machinæ ligneæ vel tabulata, tanta arte confecta, (ἀπὸ τοῦ πήγνυμι, figo, compingo) ut paulatim et occulte in sublime crescerent et plerumque summa celeritate vel dissolverentur ac dehiscerent, vel decrescerent et subsiderent: quibus nonnumquam *pueri*, h. e. servi s. gladiatores pegmares, et latrones vel malefici, capitis damnati, imponebantur, ut, compagibus pegmatis tempestive ac subito solutis, vel in caveas ferarum præcipitati aut repentina contriti ruina, oblectamento essent spectatoribus: nam plicatiles hæ et confixiles machinæ, similes turribus plurium tabulatorum, quæ in obsidionibus muro admoveri solebant, in scena demum Rom. adhiberi cœperunt iis temporibus, quibus omnis spectaculorum voluptas ab auribus ad oculos migraverat.[32] *pueros inde*, ex hoc pegmate et e scena, subito alia et occulta quadam machina, quæ γέρανος s. *grus* et *demolitor corvus* dicebatur, (v. Pollux IV, 130. et Vitruv. X, 19.) in sublime *raptos ad velaria*, ad vela, super theatrum et amphitheatrum, quibus tectum haud impendebat, non vero super scenam, funibus ducta, ut spectatores, sub divo sedentes, adversus ardorem solis defenderentur: et sub umbraculo velorum acutius discernerent omnia, quæ in scena aperta claraque luce perfusa agerentur: quæ tota machinatio proprie *velarium* vocabatur.[33] — 123. Fabricius *Veiento non cedit* Catullo in admiratione rhombi et adulatione Principis. Utraque res festive adumbratur v. 123—129. et subtilissime simul exploduntur peregrinæ

10 — 13. Menkii Diss. de osculo manus ori dato, Lips. 1711. Lips. Elect. II, 6. Spanhem. Hist. Jobi c. 9. n. 7. Intpp. V. T. ad Job. XXXI, 27. et Hos. XIII, 2. Harmar's Beobachtung. über den Orient T. II. p. 50—56. et Böttigeri Sabina p. 296. 324. 325. ed. pr.

[31] Cf. Drak. ad Sil. V, 202. et Burm. ad Petron. c. 29.

[32] Cf. Lips. de Amphith. c. 16. 17. 18. 22. Casaub. et Ern. ad Suet. Calig. 26. et Claud. 34. Scalig. ad Manil. V, 439 seq. et in Poet. I, 21. Intp. Prop. III, 16, 13. Phædr. V, 7, 6. Martial. de spect. 2. 8. et 16. Sen. Ep. 88. 89. (qui est locus class.) et 91. Apul. Met. IV. p. 148, 28. ed. Elmenh. Plin. XXXIII, 3. inpr. Böttiger in Prolus. de deo ex machina Vimar. 1800. p. 6 seq. et Kœnig ad Claudian. XVII, 325. ubi hæc præter alia adnotavit: "*Pegmata*, quorum usus erat in theatris, videntur contignationes fuisse seu contabulationes diversissima ratione, sed certo semper consilio compositæ, ut similitudinem alicujus rei referrent, vel montis, vel ædificii, vel turris cet., machinis quibusdam instructæ, quarum ope sponte in sublime crescerent aut subito desiderent aut in aliam formam ex inopinato mutarentur. Equidem arbitror, illa aut eadem fuisse aut saltem similia nostris machinationibus in canticis theatralibus, vulgo *Opern*."

[33] Cf. loc. class. Plin. XIX, 1. et quos laudavi in n. 32.

superstitiones, a Romanis adscitæ, fanaticorum hominum, quorum magnus tum numerus Romæ erat, furor s. ἐνθουσιασμὸς, et fides his vaticinatoribus eorumque præstigiis a plebe habita. Conf. loca class. de Bellonæ sacris VI, 511 seq. et inpr. Tibull. I, 6, 43 seq. ubi v. Heyne. *fanaticus*, ἔνθεος, κάτοχος ἐν τῆς θεοῦ. *æstro*, furore sacro ejusque quasi stimulo, a Dea incusso. *Œstrus*, οἶστρος, s. *tabanus*, *asilus* et μύωψ, proprie est insectum, e vesparum genere, quod aculeo, qui ei in cauda acutissimus est, cuti armentorum ova immittit eaque non ictu tantum, sed vel bombo quoque suo, procul audito, ad insaniam adigere perhibetur; unde ad quemvis furorem, etiam vaticinantium, a numine immissum, transfertur.[34]

125 seq. His verbis Veiento Domitianum alloquitur. — 126. *Britanni* cum insigni adulatione et delectu nominantur e gentibus bellicosis, quas Domitianus olim in ditionem redacturus esset. Romani maximam Britanniæ partem (*barbaram*) frustra expugnare conati sunt, nec nisi meridionalem (Romanam) in formam provinciæ redegerunt. Hæc quoque ipsa sensim amplificata est, ejusque populi sæpius rebellarunt. Veiento itaque auguratur, Domitianum id perfecturum, quod fortissimi olim duces et inter hos ipse ejus pater exsequi non potuerint: quæ spes etiam non vana forte fuisset, nisi Agricola virtute sua prosperoque rerum successu in odium invidiamque tyranni venisset. v. Tac. vit. Agric. c. 13—40. *de temone Britanno excidet*, curru excutietur bellico, h. e. vincetur et capietur. Nota sunt *esseda Britanna* ac *Belgica*, vehicula levia et agilia, quæ facile flecti poterant; unde et Romani, delicatiores potissimum, nec tamen in bello, ut Britanni, iis utebantur. Cf. Heyne ad Virg. Ge. III, 204. Broukh. et Burm. ad Prop. II, 1, 76. 85. Scheffer de re vehic. p. 119. 283. 288. *Arviragus*, rex Britanniæ, qui, si Polydoro Virgilio fides habenda, a Josepho Arimathæo ad Christianam religionem amplectendam adductus est, vel ei certe ejusque comitibus sedem aliquam in regno suo (Glasconem) adtribuit et evangelii prædicandi potestatem concessit. Lucius, pronepos ejus, temporibus Eleutheri Pont. Rom. baptizatus dicitur. *peregrina est bellua*, in mari Hadriatico capta; (conf. v. 39.) ergo *regem capies* peregrinum. *sudes*, pinnæ, spinæ, ut *cristæ* sup. v. 70. ubi v. not. His spinis

[34] Cf. Heyne et Voss ad Virg. Ge. III, 116 seq. Dœring. in Eclog. vett. poett. Lat. ad Valer. Fl. III, 581. (ubi conf. etiam Weitz.) et Plin. XI, 16. et 28. ubi v. Harduin.

præacutis et telorum instar horrentibus vel erectis tela, tergis hostium infigenda, significari monet adulator. 128. 129. Εἰρωνικῶς de adulatore, tam scite interpretante singula et tot præclara ominante. *Fabricio* Veientoni. Cf. ad v. 113.

130. *Quidnam igitur censes? conciditur?* verba Domitiani quærentis, num integer, an in partes concisus coquatur piscis? 131. *Testa alta,* vas fictile et profundum, patina capax, qualis fuit illa Vitellii, de qua v. Suet. Vitell. c. 13. et Plin. XXXV, 12. Cf. inf. XI, 19. *muro,* margine, qui patinam ambit, ut *murus* oppidum. *tenui:* eo enim præstantior, quo tenuior; Grang. Laus est figulorum, ut tenuem cretam in conficiendis patinis ducant, Plin. l. l. *colligat,* circuitu comprehendat, ambiat, includat, *orbem,* patinam vel interiorem ejus partem. Cf. ad I, 137. — 133. Cf. Mart. XIII, 81. *Debetur,* requiritur, opus est. *Prometheus,* peritus figulus, (cf. ad VI, 110.) qualis fuit Prometheus. Is tamen proprie non historica fuit persona, sed notio philosophica, qua adumbrata est προμήθεια s. prudentia solertiaque animi, qua et procuduntur doli, (quas fraudes ipsi Jovi nectere ausus est) et artes inveniuntur, in quarum magna parte præcipuus est ignis usus, et quarum inventione mox luxus, ut hoc deinde miseria hominum gignitur. Hinc Prometheus ope Minervæ, cui artium inventio tribuitur, in cœlum sublatus, in ferula cava, (νάρθηκι) furtim ad Solis rotas admota, *ignem summa cœli de parte raptum,* mala fraude subreptum, *terris donasse,* (inf. XV, 85.) vel, qui serior mythus est, mentem sinceram igneamque ad homines detulisse, (v. Plat. Protag. T. III. p. 107 seq. ed. Bipont.) et non modo artes, inpr. metallorum vasorumque fictilium ignis usu parandorum invenisse, (ut h. l.) sed primum quoque hominem, πρωτόπλαστον, ex aqua vel *luto,* limo, argilla, terra (in quam scil. morte resolvimur) formasse fingitur, ut VI, 13. et XIV, 35.[35] *subitus,* qui subito vel veniat, vel patinam fingat ex *argilla* et luto. 134. Et hæc Montani verba sunt, non Domitiani. *rotam* figularem, (Plin. VII, 56.) *properate,* propere arcessite. Cf. Pers. III, 23. 24. Sed v. Var. Lect. *figuli tua castra sequantur,* cum reliquis fabris, ut semper apud te et in promtu sint, neque opus habeas eos arcessere. Sarcasmi vis per se satis manifesta est, et ex v. 137 seq. perspicua.

[35] Cf. intpp. Horat. Od. I, 3, 29 seq. I, 16, 13 seq. Gierig ad Ovid. Met. I, 82 seq. Schütz in Exc. I. et III. ad Æschyli Prometh. Heyne Comm. de Theog. Hesiodi, Herrmanni Mythol. T. I. p. 48 seq. et Creuzers Symbolik T. I. p. 269. T. II. p. 375.

136. *Vicit sententia,* solennis formula, ut ap. Liv. II, 4. XXXVII, 19. XLII, 47. al. *digna vivo* tali, Montano; acerbe dictum. 137. *imperii,* aulæ, Imperatorum. *Noctes Neronis jam mediæ* sunt tum *epulæ Neronis a medio die ad mediam noctem protractæ,* (v. Suet. Ner. 27. et Tac. Ann. XVI, 20.) tum noctes, in quibus Veneri indulgebat. Henninius *noctes medias,* quales inf. VI, 302. 303. memorentur, designari credebat, coll. Tac. Ann. XIII, 20. et XVI, 20. sensu parum diverso. Nonnulli *Neronem* h. l. Domitianum vocari existimant, ut sup. v. 38. Cf. tamen Suet. Domit. c. 21. *aliam famem* vulgo interpretantur irritamenta gulæ, stomachum reficientia appetitumque excitantia; sed rectius Hennin. famem Veneris, quæ Cererem Liberumque sequi soleat, (cf. Petron. c. 27.) excitata potissimum largiore usu *Falerni,* quod Varro scite *suscitabulum Veneris* appellet. *pulmo Falerno arderet;* etsi enim nullatenus potus ab ore in pulmonem descendit, tamen magna inter pulmonem et potum cognatio est, quam Marsilius Cognatus Varr. Obss. I, 22. multis argumentis demonstrat; Grang. *Pulmo arderet* quidem cujusvis vini immoderato usu, sed inpr. *Falerno,* quod nobilissimum Campaniæ vinum austerum erat vel amarum et *ardens,* (unde passim *severum, ferox,* Pers. III, 3. et Lucan. X, 165. *indomitum,* inf. XIII, 216. *acre,* vocatur, *ardens* vero Martial. IX, 75, 5. et XIV, 113.) eamque ob causam Chio, dulciori vino, aut aqua temperari solebat.[36] — 139. *Nulli,* quam Montano. Quidam ad Neronem referunt, alii ad Domitianum. *usus edendi,* peritia in delectu et apparatu ciborum.

140—143. Similiter delicatorum hominum subtile palatum gulaque luxuriosa notatur ab Horat. Sat. II, 2, 31 seq. et 4, 31 seq. Pers. VI, 24. Plin. IX, 18. s. 32. et 54. s. 79. (ubi v. Harduin.) Macrob. Sat. II, 11. III, 16. Gell. VII, 16. (qui locus class. est) Athenæo III, 13. Val. Max. IX, 1. Colum. VIII, 16. Varr. R. R. III, 3. et 17. Sen. de Consol. ad Helv. c. 10. et Epist. 79. quibus locis, inpr. Plin., etiam de præstantioribus *ostreorum* generibus agitur. *Circæa* ostrea nota ex Plin. XXXII, 6. Horat. Sat. II, 4, 33. et al. Sic dicta a *Circeiis,* opp. Latii et colonia Rom. in promont. *Circæo,* (hod. *Monte Circello*) quod Circe olim insedisse ferebatur. (v. Heyne Exc. I. ad Virg. Æn. VII.) *Ostrea Lucrina* in lacu Lucrino, prope Baias, in

[36] Cf. intpp. Horat. Od. I, 27, 9. II, 11, 19. Broukh. ad Tibull. II, 1, 28. et Galenus in loco class. ap. Athen. I, 20. (48.) p. 26.

Campania, capiebantur.[37] *Rutupiæ* (nunc *Richborough*) opp. Cantiorum in Britannia cum portu. Ostreas oræ Britannicæ dulcissimas laudat Plin. IX, 54. s. 79. et XXXII, 6. s. 21. *fundo* maris, s. in mari, *edita*, ut *nata* v. 140. *Echini*, concharum genus, in cibis Romanorum exquisitioribus passim referuntur a Plauto et aliis.[38]

144. *Consilio* (v. Var. Lect.) *misso*, dimisso. Qui senatum habebat sive coegerat, eum dimittebat etiam his verbis, *Nil vos moramur, P. C.* vel, *Nil vos tenet.* — 145 seq. Conf. ad v. 60 seq. *dux magnus*, Domitianus, Imperator. 146. *adtonitos*, cf. v. 74 seq. — 147. Domitianus cum *Dacis*, (non *Getis ;* v. Var. Lect.) *Sarmatis*, *Cattis* aliisque *Germaniæ* populis bella gessit. v. Suet. Dom. 2. 6. 13. et Euseb. *Sygambri*, bellicosa Germaniæ gens, a Rheno usque ad Lupiam fines imperii sui propagaverant et Romanis magnas nonnunquam intulerant clades.[39] *Torvi* vocantur et aliis, ut *feroces* et *cæde gaudentes*. v. Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 2, 33 seq. 5, 26. 14, 51. et Epod. XVI, 7. Sic et *truces oculi* Germanorum, quales bellatoribus esse solent hominibusque, quibus natura robur ingens et magna dedit corpora: quam vultus truculentiam auget tum metus, tum ars. v. Tac. Germ. 4. et 31. *Dicturus*, relaturus. 149. *Epistola anxia*, anxietatis, periculi ac metus plena, s. index et causa. *præcipiti pinna* forte simpl. pro *celeriter* dixit poeta, quoniam pennæ sunt velocitatis symbolum ; vel pro pinnatis tabellariis.[40]

150 seq. Præclarum epiphonema poetæ, mortem tot tantorumque virorum, Domitiani jussu interemtorum, lugentis. Cf. Suet. Domit. c. 10. 11. 15. et inf. ad V, 36. 37. *his*, talibus, *nugis*, qualis fuit

[37] v. Senec. Ep. 79. Plin. IX, 54. s. 79. Horat. Epod. II, 49. Martial. VI, 11. XII, 48. et al.

[38] Conf. Plin. IX, 31. s. 51. Athenæus III, 13. (41.) p. 91. et Horat. Sat. II, 4, 33.

[39] v. Dio LIV, 20. 22. et 32. Flor. IV, 12. Oros. VI, 21.

[40] Nonnulli referunt ad columbas vel hirundines aliasve aves, quæ literas, pedibus suis alligatas, gestaverint, de quibus v. Plin. X, 37. ibique Harduin., Huet. ad Manil. V, 381. Demst. ad Rosin. p. 775. Non magis probanda vet. Schol. nota: "*Si victoriæ nunciabantur, laurus in epistola figebatur ;* (literæ ad senatum mittebantur lauro implicatæ, de quo v. Plin. H. N. XXXV. extr. et Schwarz ad Plin. Pan. 8.) *si autem aliquid adversi, pinna figebatur.*" (Forte leg. *fingebatur* vel *pingebatur.*) Rectius alii, præeunte Casaub. ad Suet. Aug. c. 37., ad pinnatos cursores s. tabellarios veredariosve respici putant, qui, teste Dione, pennas, festinationis velocitatisque indicium, in capite gestaverint, unde Hesych. πτεροφόροι et Plut. in Galba πτηνοφόροι dicantur. Nota Plathneri h. l. est: "Nuncii alati erant vel pinnati ipsorumque arma, idque, ut opinor, ad exemplum eorum præstitis Mercurii. Nuncii tristis rei nigras, lætæ albas habebant pennas. Hoc liquet ex Martial. X, 3, 10. illud ex Stat. Silv. V, 1, 92, 93. ubi lego *Nullaque fumosa* cet. ut sensus sit, a remotis mun-

consultatio de rhombo. 152. *animas*, homines, *claras illustresque*, ut ψυχὰς ἰφθίμους ap. Hom. Il. α, 3. et al. passim.[41] *impune et vindice nullo*, quibus verbis ignavia nobilium, tyranni temporibus viventium, notatur. 153. 154. Ex h. l. manifestum est, poetam Domitiano superstitem fuisse. Cf. sup. de vita Juven. *Cerdonibus*, hominibus infimis ac sordidis. v. ad VIII, 182. ubi *Volesis Brutisque*, ut h. l. *Lamiis*, h. e. nobilibus, opponuntur. Conf. ibi not. et ad III, 294. Intell. Clodianus, Maximus et Saturius, qui tyrannum trucidarunt. v. Suet. Domit. c. 17. — 154. Tunc periit, quum eum plebs timere cœpisset, nec jam essent nobiles, qui timerent, omni nobilitate et Senatu jam exstincto; vet. Schol. *Lamiarum*, nobilium, a Domitiano occisorum, inter quos etiam Ælius *Lamia* fuit, (v. Suet. Domit. c. 10.) qui eum delectu et acerba imperatoriæ crudelitatis nota memoratur, quum ob levem mortis causam, (Suet. l. l.) tum ob cognationem, quæ cum Principe ei erat, (Suet. Dom. l.) tum ob antiquitatem nobilitatemque generis, de qua v. Horat. Od. III, 17, 1 seq. ibique intpp.

di partibus militares nuncios laureatis pilis venire, nec ullam *fumosam*, i. e. nigram in lancea cursorum cerni pennam."

[41] Conf. Burm. ad Virg. Æn. III, 67. Barnes. ad Eurip. Herc. fur. 452. Klotz. ad Tyrt. I, 14. p. 57. 58.

IN

SATIRAM V.

Vs. 1—5. SENTENTIA horum verborum, quibus ipsum Satiræ argumentum continentur, est hæc: Parasiti a divitibus tam ignominiose tractantur, ut fieri non possit, quin homines ingenuos parasiticæ pudeat vitæ: tantum abest, ut quis injurias illas patienter ferat, vel adeo hanc vitam putet *summum bonum* esse. Nihilo tamen secius non deerant tunc temporis ejusmodi homines. Hinc poeta summa vi et indignatione ipsum alloquitur parasitum: Si alienum panem comedere et *propositum*, h. e. vitæ tuæ rationem et institutum persequi, *nondum*, quum jam diu ita vixeris, *te pudet* ac tædet, et si æquo potes animo pati indigna illa, quæ parasito ferenda sunt, vel adeo hanc vitam putare beatam; *metuam* (præs. conj.) *tibi credere testi quamvis jurato*, quamvis jures: nam ita verendum est, ne perjuria vel quamcumque inhonestatem nulli habeas religioni.[1] 2. *vivere aliena quadra*, h. e. mensa escaria, quæ initio quadrata erat et postea rotunda, (v. ad I, 137.) vel alienis impensis, propr. pane, qui olim in quadras

[1] Interpretes tantum non omnes sensum h. l. silentio prætermittunt, vel non recte cepisse videntur. Fuere qui ita exponerent: Quod te nondum propositi pudet — id *metuam tibi credere*, h. e. credere non possum, jurato, licet jures. Hæc ratio mihi quoque in mentem venit, et ita *si* occurrit ap. Liv. VII, 31. et passim Gr. εἰ pro ὅτι, ita ut non dubiam, sed certam significet rem. Conf. Xenoph. Mem. Socr. I, 1, 13. et 18. 2, 13. Hom. Il. φ, 216. Krebs Obss. Flav. p. 95. et Markland ad Lysiam p. 670. ed. Reisk. Sed *juratus testis* dici non potest, qui de se aliquid jure jurando interposito affirmat. Præstiterit: *Si te nondum pudet*, h. e. si dicis, te nondum pudere propositi cet.; *metuam tibi* quidquam *credere, quamvis jurato*, si vel ea, quæ dicis, juramento confirmaveris. Affectus indignationis hanc orationis negligentiam peperisse videre potest. Sed cur eam poetæ obtrudemus, ubi opus non est?

vel quatuor partes, quadrifariam dissecari solebat et præcipua victus pars est. Cf. Scalig. ad Virg. Moret. v. 49. Henninius hæc notavit: *quadræ* erant fragmenta ex orbe seu placentis triticeis seu paniceis in orbem deductis, (Horat. Epist. I, 17, 49. Martial. III, 77, 3. VI, 75, 1. IX, 91, 18. XII, 32, 18.) quibus epulæ imponebantur, ut hodie patinis et lancibus; (unde *quadræ* pro patinis ipsisque mensis, v. c. ap. Virg. Æn. VII, 115. coll. III, 257.) quæ *quadræ* dicebantur, quando post epulas quadrifida divisione in partes quatuor sectæ erant, non vero, quod essent quadratæ: unde scomma Juvenalis *aliena vivere quadra,* in fragmento paniceo alienæ mensæ summum bonum ponere. 3. *Si potes illa pati* (ut ap. Mart. XI, 24, 15.) cet. ut ap. Lucian. l. l. cap. 13. μυρία ἔστιν ἀφόρητα ἐλευθέρῳ ἀνδρὶ ἐν αὐταῖς ἤδη ταῖς συνουσίαις γιγνόμενα cet. et c. 16. πολλὰ πονεῖν καὶ ὑπομένειν ὑπὲρ τῆς τοσαύτης εὐδαιμονίας cet. *Sarmentus,* ὁ δὲ Ζάρμεντος τῶν Καίσαρος (*Cæsaris,* Augusti) παιγνίων παιδάριον, ἃ δηλικίας (*delicias*) Ῥωμαῖοι καλοῦσιν, Plut. vit. Anton. (Opp. T. I. p. 943. D. ed. Frft. 1620.). Notus quoque est ex Horat. Sat. I, 5, 52 seq. De eodem in vett. Scholiis h. l. ex emendat. Pithœi, Rutgers. ad Horat. p. m. 35—39. Casaub. ad Suet. pag. 106. et Ruben. Elect. II, 28. leguntur hæc: " *Sarmentus* natione Thuscus, e domo M. Favonii, incertum libertus, an servus, (haud dubie libertus, quod patet ex Horat. l. l. et ex iis, quæ mox de Mæcenate traduntur) plurimis forma et urbanitate promeritis, eo fiduciæ venit, ut pro equite Rom. algeret; (f. *ut liber equitem Rom. ageret*) decuriam quoque quæstoriam compararet. Quare per ludos, quibus primum (f. *quia libertinus*) XIV ordinibus sedit, hæc a populo in eum dicta sunt: *Aliud scriptum habet Sarmentus, aliud Populus voluerat. Digna dignis. sic Sarmentus habeat crassas compedes; Rustici, ne nihil agatis, aliquis Sarmentum alliget.* Dum autem causam usurpatæ dignitatis agit, (forte *Dicturus causam u. d., Mæcenatis*) precibus et gratia submoto accusatore dimissus est, quum apud judices nihil aliud docere tentaret, quam concessam sibi libertatem a Mæcenate, ad quem sectio (s. rectio) bonorum Favonii pertinuerat. Jam autem senex in maximis necessitatibus, ad quas libidine luxurieque decideraat, coactus auctionare, quum interrogaretur, cur scriptum quoque Censorium venderet, non infacete, *bonæ se memoriæ esse* perdita (s. *prædicavit,* vel *præditum*)." *mensas iniquas,* convivia, in quibus vel convivæ inique, injuste, indigne tractantur; vel non eodem honore habentur; vel inæquales sunt, nec ejusdem dignitatis; vel potius, in quibus alii cibi aliaque vina domino, alia convivis præbentur.

quæ nc *ad mensas* quidem *Cæsaris* Augusti *viles* scurræ *tulissent* patienter. Magna vis inest in verbis *Cæsaris* et *vilis*. De *Galba* scurra v. Quintil. VI, 3. et Martial. I, 42, 16. et X, 101. si modo idem est et recte ibi ita legitur. At non male monuit Schurzfl., Juvenalem non de scurris sui temporis et felicibus Cæsare suo loqui, ut Martial., sed de *vilibus* et priscis Augusti parasitis. Cf. Var. Lect. et Wernsdorf. in Poet. Lat. min. T. VI. p. 418 seq. — 5. *jurato* a verbo depon. *jurari*, ut passim. Sic *jurato mihi crede* Cic. ad Att. XIII, 28. — 6. *Ventre nihil frugalius*, si non delectari vult, sed tantum impleri: nam natura paucis est contenta. Comparant Horat. Sat. I, 2, 74. Senec. Epist. XVII. CXIV. CXIX. al.

7—11. At finge, panem etiam et pauca hæc, quæ natura desiderat quæque *inani* ventri implendo et fami propulsandæ sufficiunt, tibi deesse: satius tamen est mendicare, quam parasitari. Conf. locus Luciani inf. ad v. 157—166. laudatus. — Verba illa vs. 6. et 7. parasito quoque tribui possunt, et justam vitæ talis excusationem continere. Sed ita poetæ responsio v. 8 seq. nimis abrupta videtur, et verba *ventre nihil frugalius novi* parasito parum apta. — 8. *Crepido* et *pons* loca, ubi mendici stipem a prætereuntibus petunt. De *ponte* v. ad IV, 116. et XIV, 134. *Crepido* locus eminentior in ripa, in portubus interioribus, ad quem naves appellunt, (v. Scheffer. R. N. p. 213. et intp. Curt. IV, 5.) in muro, vel vico, vel ponte. Talem locum, ab equorum et curruum via separatum, Lutetiæ in ponte novo videre est; Grang. *Teges*, gausape s. matta ex junco s. cannabo, scripo cet. *tegumentum* ac cubile mendicorum, ut VI, 117. lupanaris.[2] *tegetis pars dimidia* parte *brevior*, quæ adeo non totum tegit corpus. 9—11. v. Excurs. ad h. l.

12. *Primo loco*, primum, *fige*, ut *fige intra te* IX, 94. h. e. fige, infige animo, (ut ap. Virg. Æn. III, 250.) hoc fixum in mente tua tene, expende sollerter. 12—15. Invitatio ad cœnam divitum est *merces solida*, plenum integrumque præmium omnium, quæ ipsis præstitisti, officiorum; eam tibi divites quasi in solutum *imputant*, pro beneficio venditant, vel tanti habent, ut ea tibi abunde officia tua compensasse gratiamque retulisse sibi videantur. 14. *amicitiæ magnæ*, quæ tibi cum *magno* h. e. nobili ac potente viro est. Conf. I, 33. IV, 20. 74. *Imputare* proprie dicuntur, qui, quod alicui datum

[2] Conf. VI, 117. VII, 221. IX, 140. 2. 57, 5. Plin. XXI, 18. Varr. R. R. I, Martial. VI, 39, 4. IX, 95, 3. XI, 33, 22.

vel ab eo acceptum est, in rationes suas inferunt, ἐλλογοῦσι; deinde qui beneficia quasi adnotant et loco remunerationis officiorum putant.[3] *Rex;* v. ad I, 136. 16. *adhibere* scil. convivio s. ad convivium. Cf. intpp. Hor. Od. IV, 5, 32. *post duos menses* cet. qualis merces veterum officiorum salutationumque quotidianarum? Et tamen ea multis quoque satis magna videtur nostro ævo, cui et reliqua conveniunt, quæ poeta dixit. *clientem*, te.

17. Salse poeta dicit, clientes non aliam ob causam a divitibus nobilibusque ad cœnam vocari, quam ut justum convivarum expleant numerum, (Germ. *lückenbüsser* diceres) neque vacuus sit locus in lecto, destinatus forte alii, qui venire non potuit. Ἀλλ' ἤν τις ἄλλος ἐπεισέλθῃ νεαλέστερος, ἐς τοὐπίσω σὺ, καὶ οὕτως ἐς τὴν ἀτιμοτάτην γωνίαν ἐξωσθεὶς κατάκεισαι μάρτυς μόνον τῶν παραφερομένων cet. Lucian. l. l. cap. 26. Veteres autem Romanos in *tribus* plerumque lectis, circa mensam stratis, et ternos in quovis lecto, discubuisse, (unde *triclinii* nomen, et unde sordidum plebeiumque habebatur, unum lectum a pluribus occupari) vel tironibus nota res est.[4] *Culcita*, pulvinar, cervical, προσκεφάλαιον, quod singulo convivæ substernebatur, adeoque locus in lecto, convivæ *tertio* destinatus. Romani, ut verbis Lipsii l. l. utar, accumbebant reclinata supera parte corporis in cubitum sinistrum, infera in longum porrecta ac jacente, capite leviter erecto, dorso a pulvillis modice suffulto. *Tertia* vero *culcita* h. l. etiam per contemtum dici potest infimus in imo lecto locus, pauperi clienti aut scurræ et balatroni destinatus, ut Porcio ap. Horat. Sat. II, 8, 23. ubi v. Wielandi not. 3. et 5. Veteres enim ita accumbebant, ut primus jaceret ad caput lecti, ejusque pedes porrigerentur juxta secundi dorsum; secundus vero, pulvillo interjecto, decumberet ad umbilicum sinumve primi, pedibus extentis ad dorsum tertii, et sic porro: unde locus *summus, medius* et *imus*. Medius erat dignior reliquis et dignissimus quidem in medio lecto; post hunc honoratissimus locus summus; vilissimus autem imus.[5] — 18. *Una esse* et *apud aliquem esse* h. e. cœnare, formulæ solennes de conviviis, ut ap. Terent. Heautont. I, 1, 110. *votorum* tuorum hæc *summa* est: *quid* enim

[3] Cf. VI, 179. Martial. X, 30, 26 XII, 48, 13. 84, 4. Casaub. ad Suet. Tib. 53. Burm. et Schwabe ad Phædr. I, 22, 8. Sic et nos dicimus *zurechnen*, *hoch anrechnen*.

[4] v. Lips. de ritu conviviorum ap. Rom., et Antiq. Lect. III, 1. Wieland ad Horat. Sat. I, 4, 86. not. 11. et II, 8, 20. not. 3. Cf. sup. ad I, 137 seq. et ad Tac. Ann. III, 14, 2.

[5] Cf. ad II, 120. Lips. ll. ll. Cerda ad Virg. Æn. I, 698. Potteri Archæol. L. IV. c. 20.

ultra quæris, optas? Ita ad summam, quam in votis habebas, felicitatem pervenisse tibi videris, et digito quasi cœlum attingere. Ridet poeta stultitiam parasitorum, qui tanti ducunt, a divitibus nobilibusque nonnumquam ad cœnam vocari. Sic et ea, quæ sequuntur v. 19—23., εἰρωνικῶς intelligenda: Hoc sane satis amplum est præmium tot officiorum! hæc satis justa causa, quare summo mane et hiberno quoque tempore patronum salutes et deducas! Cf. v. 76 seq. et Martial. III, 36. *Trebius* fictum clientis et parasiti, ut v. 39. 43. 99. 128. 134. 156. et IX, 35. *Virro* patroni divitisve hospitis nomen. 20. *ligulas,* corrigias calceorum, *dimittere,* calceamenta non ligare, præ nimia festinatione. 21. *Turba salutatrix,* cf. ad IV, 62. *orbem peregerit,* omnes patronos ex ordine salutaverit; (ut forte *discursus* I, 86. et πολλὴ διαδρομὴ ap. Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων § 10. et τῆς πικρᾶς ταύτης περιόδου in ei. Nigrino c. 22. et Gall. *faire la tour*) nisi malis, circa patronum orbem collegerit, in orbem constiterit; ut vereatur Trebius, ne excludatur, quia tardius venerit. 22. *Sideribus dubiis,* quorum fulgor die jam illucescente hebetatur; luce adhuc dubia, nondum satis certa ac clara, primo diluculo. Sic *dies, lux, ignes dubii.*[6] *Sidera dubia* etiam nimbosum tempus dici posse monet Grang. Bahrdt ea ad æstatem, qua summo mane sidera noctem ita luce sua illustrent, ut sæpe diem jam illuxisse credas, *illud* vero *tempus, quo se frigida c. p. s. Bootæ,* ad hyemem refert. Enimvero his verbis neque hyems, neque, quod vet. Schol. Lubinus et alii putabant, media nox, designatur, sed extrema noctis pars, quam mox diluculum excipit; nam hoc est *illud tempus, quo* solæ *se circumagunt* s. flectunt adhuc vel superstites sunt et conspiciuntur Ursæ et *Bootes,* postquam reliquæ stellæ jam occiderunt. Ursas etiam, quæ in polo septemtrionali, supra finitorem nostrum elevato, semper sub adspectum nostrum veniunt, solas numquam occidere vel Oceani æquore tingui, fingunt Græci et hinc Romani poetæ.[7] Poeta itaque dicit, clientes, ne quis prior veniret, jam ante diei ortum patronos ex ordine salutasse; quo et summum in officiis præstandis studium, et molestia eorum declara-

[6] v. Gronov. ad Senec. Œdip. 1. et Burm. ad Val. Fl. II, 72. Hoc crepusculum matutinum vario ornatu, more suo, expressit Silius V, 24—28. ubi v. not. mea.

[7] Cf. omnino similia loca Anacr. III, 1 seq. Theocr. XXIV, 11. Lucan. II, 237 seq. 722 seq. IV, 521. Ovid. Fast. III, 403 seq. Met. III, 515 seq. X, 446 seq. et Trist. I, 3, 47 seq. Prop. II, 33, (al. 24) 24. III, 5, 35. Senec. Med. 314 seq. in Troad. 440 seq. et Herc. Fur. 125—136. Val. Fl. VII, 456. 457. (ubi v. Heins.) et inpr. Stat. Theb. III, 685 seq.

tur. Sic et ap. Lucian. l. l. cap. 24. ἑωθέν τε ὑπὸ κώδωνι ἐξαναστὰς, ἀποσεισάμενος τοῦ ὕπνου τὸ ἥδιστον, συμπεριθεὶς ἄνω καὶ κάτω, ἔτι τὸν χθιζὸν πηλὸν ἔχων ἐπὶ τοῖν σκελοῖν, et cap. 26. Σὺ δ' ἄθλιος, τὰ μὲν παραδραμὼν, τὰ δὲ βάδην ἅνανται πολλὰ καὶ κάταντα (τοιαύτη γὰρ, ὡς οἶσθα, ἡ Πόλις) περιελθὼν ἱδρωκάς τε καὶ πνευστιᾷς, et in Nigrino cap. 22. Πολὺ δὲ τούτων οἱ προσιόντες αὐτοί καὶ θεραπεύοντες γελοιότερον· νυκτὸς μὲν ἐξανιστάμενοι μέσης, περιθέοντες δὲ ἐν κύκλῳ τὴν πόλιν καὶ πρὸς τῶν οἰκετῶν ἀποκλειόμενοι, κύνες καὶ κόλακες καὶ τὰ τοιαῦτα ἀκούειν ὑπομένοντες· γέρας δὲ τῆς πικρᾶς ταύτης αὐτοῖς περιόδου τὸ φορτικὸν ἐκεῖνο δεῖπνον (cœna recta ejusque spes, de qua conf. v. 166. et I, 133. 134.) καὶ πολλῶν αἴτιον συμφορῶν cet. 23. Quatuordecim versus polum arcticum stellæ primum dicebantur *triones*, vel proprie *teriones*, h. e. boves, (a terendo) et ἅμαξαι, *sarraca* s. plaustra, quoniam eas olim sub plaustri boumque, j go junctorum, specie sibi animo informabant homines; postea vero Ἑλίκη et Κυνοσουρὰ, Ursa major et minor, Ἄρκτος μεγάλη et μικρὰ, quæ nomina forte inventa ab Arcadibus, quia ἄρκτος et ursam et septemtrionem significat; unde efficta videtur fabula Arcadis, filii Callistus, in ursam transmutati et cum matre translati in cœlum; ad quam simul hominum ingenia duxisse videtur similitudo nominum *Arcas et* Ἄρκτος. Hinc et sidus, quod Ursas pone sequi et quasi regere videtur, *Bootes* primum, (Βοώτης, bubulcus) et deinde *Arctophylax* (Ἀρκτοφύλαξ) appellabatur. [8] *se circumagunt*, ut al. *se flectunt*, vel στρέφονται. [9] *sarraca*, v. ad III, 255. *Frigida*, ob frigus diluculi vel quoniam septemtrionale est sidus. *pigri Bootæ*, ut ap. Ovid. Fast. III, 405. et *tardus B.* ap. Ovid. Met. II, 172. et Sen. Med. 315. quia polo arctico propior est et tarde modicoque circa eum flectitur gyro. Præterea frigus quoque poetis, v. c. Tibull. I, 2, 29., *pigrum* dicitur ab effectu; et bubulci Virg. Ecl. X, 19. *tardi* a lento boum incessu.

24—37. Clientibus et parasitis non idem, quod patronis hospitibusque ditioribus, vinum ac cibus propinatur. Conf. Plin. Ep. II, 6. Martial. I, 21. II, 43. II, 60. Quæ itaque dementia illorum est, si tanto sibi honori ducant, ab his ad cœnam vocari, ubi tam indigna patiuntur? Τῶν ἄλλων ἡδιστόν τε καὶ παλαιότατον οἶνον πινόντων, μόνος σὺ πονηρόν τινα καὶ παχὺν πίνεις, Lucian. l. l. cap. 26. [10] *Vinum* datur, porrigitur tibi vile et fæculentum, quod *sucida nolit lana pati*, imbi-

[8] Cf. Herrmanni Mythol. T. III. p. 5—30. 108—132. et Heyne ad Virg. Ge. III, 381. et Æn. I, 744.

[9] v. loca poett. in nota 7.

[10] Conf. Martial. III, 60. IV, 86. VI, 11. Petron. 31. et Gonsal. ad Petron. p. m. 119.

bere. Bene comparant Varr. R. R. II, 11, 6. *Tonsuræ tempus inter æquinoctium vernum et solstitium, quum sudare inceperunt oves; a quo sudore recens lana tonsa* sucida (al. *succida*) *appellata est. Tonsas recentes eodem die perungunt vino et oleo: non nemo admixta cera alba et adipe suillo.* Alii *sucidam* putant appellari lanam, quæ *succi* plena et pinguis, nec dum lota sit: quæ sententia non abhorret a Varroniana, si *sudor* ille est *succus* s. *sucus*, h. e. squalor, quo sordida est lana modo tonsa, et qui sudore potissimum gignitur. Cf. Plin. XXIX, 2. et ibi Harduin. — 25. *Videbis* te factum vino novitio vel corrupto *Corybanta*, temulentum ac mente turbatum, similem Corybantibus, qui armatam saltationem cum clamore, tumultu et cymbalorum tympanorumque strepitu instituere, capita quassare et furorem non ipsi tantum concipere, sed aliis quoque immittere solebant. Cf. Creuzer's Symbolik T. II. p. 34. — 26. *Jurgia proludunt*, sunt quasi prolusio pugnæ. Cf. III, 288. et XV, 51. 52. *Prolusio* autem proprie gladiatorum est, qui ante certamen arma ventilabant.[11] — 26 seq. Conf. Prop. III, 8. (ubi v. Passerat.) Hor. Od. I, 27, 1 seq. (ubi v. Mitscherl.) Burm. ad Valer. Fl. V, 581. et Gonsal. ad Petron. p. m. 70. *Saucius*, non vino tantum, sed et poculo; Farn. *rubra* cruore pugnantium. 28. *Inter vos* (clientes et parasitos) *libertosque*, qui æque ac clientes nonnumquam a patronis convivio excipiebantur infimumque in eo obtinebant locum. v. Heins. ad Petron. 38. et Kœnig ad Pers. VI, 23. *Cohors*, multitudo, *libertorum* spectat ad dignitatem opesque patroni. *Jurgia* et *pugna* eorum cum clientibus sunt effectus vini vilioris et fæculenti, qui etiam ingenio talium hominum et hac occasione genio indulgentium apprime conveniunt. 29. *lagena Saguntina* epith. orn. dicuntur pocula fictilia et parasitis apposita, non domino. cf. v. 38 seq. et ad XIV, 271. *Saguntum*, urbs Hispaniæ, cujus gleba et argilla adeoque vasa terrena, a quibus ipsa nomen accepisse credebatur, præ ceteris laudantur.[12] — 30. *Ipse*, patronus, vel dives ille ac nobilis hospes, *rex* v. 14. Nam *ipse* poetis dicitur, de quo potissimum sermo est. Conf. ad I, 62. *diffusum* vinum, quod e torculari vel lacu vel doliis in amphoras et cados *diffundebatur* in multos annos. Vetus simul vinum designari putabat Grang. cui

[11] Cf. Heins. ad Ovid. A. A. III, 515. Corte ad Plin. Ep. V. 13. extr. Burm. ad Virgilii Georgic. III, 234. et Æneid. XII. 106. Lips. Saturn. Sermon. II, 19. Hottom. ad Ciceron. Divin. in Q. Cæcil. c. 14. Interpret. Flor. IV, 2, 2.

[12] v. Plin. XXXV. 12. s. 46. (ibique Harduin.) Martial. IV, 46, 15. VIII, 6, 2. XIV, 108.

opponatur *doliare,* novum et asperum, de dolio haustum. Conf. Cic. Brut. 83. Notio quidem vetustatis magis exprimitur adjectis verbis *capillato Consule;* nec tamen negandum, veteres eam ob causam *diffudisse* vinum et in cadis *condidisse,* (hæc enim sunt propria in hac re vocabula) corticibus cadorum pice, vel gypso et cera illitis, ut veterasceret et multos demum post annos promeretur. [13] *Consule:* nam cadis inscribebantur nomina Consulum, quibus vinum condebatur, qui eorum *titulus* est et *nota,* qua patria ætasque vini designari solebat. [14] *capillato,* intonso, (adeoque jam ante a. U. C. 454. *diffusum*) vel simpl. vetusto, prisco, ut *barbatus* IV, 103. ubi v. not. Conf. ad VI, 105. — 31. *tenet,* tamquam sibi proprium retinet, solus bibit. *uvam,* vinum, *calcatam,* ut *prelo domitam Caleno uvam* ap. Horat. Od. I, 20, 9. *Calcatam bellis socialibus,* tempore belli socialis s. Marsici et Italici, quod ab a. U. C. DCLX usque ad DCLXII in Italia gestum est. Sic *cadum Marsi memorem duelli* dixit Horat. Od. III, 14, 18. His tamen verbis simpl. vinum et nobilissimum et ob vetustatem rarissimum designatur, neque in iis argutandum videtur, quasi veteres vina, in primis dulcia, non tam diu conservare potuerint et ne grata quidem illis fuerit nimia vetustas: nam h. l. vinum ducentorum fere annorum memoratur, et quadrima jam in vetustis referuntur. [15] Nonnulli intelligunt vinum Opimianum, dictum ab Opimio, quo consule (a. U. DCXXXIII) propter cœli temperiem copiosus fuit generosorum vinorum proventus, quæ vel in ducentesimum annum servata sunt. [16] Sed belli socialis temporibus similis vini proventus esse potuit, et Opimius XXX fere annis ante consulatum gessit: nisi forte dixeris, poetam non ad eam subtilitatem esse exigendum et ab eodem Opimio oppressum certe C. Gracchum, a quo tribuno lex lata, ut sociis Italicis jus suffragii in legibus ferendis esset, quæ a M. Livio Druso deinde repetita præcipuaque belli illius causa fuit. 32. Ne paululum quidem vini generosi iis daret, quibus vinum est medicina, et quidem amicis. *Cardiaci, καρδιακοί,* qui non tam cordis, quam stomachi doloribus laborant, quibus angustiæ gignuntur pectoris et immodicus sudor. v. Cels. III, 19. Stomachum enim s. os ventriculi

[13] Conf. Ovid. Fast. V, 517. Horat. Epist. I, 5, 4. ubi v. Lambin. Plin. XIV, 14. et 21. Colum. XII, 18. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 20, 1—5. II, 3, 8. III, 8, 10 seq. 14, 18. 21, 1—8. 28, 8.

[14] v. Plin. et Mitscherl. ll. ll. Passer. gemmar. astrifer. T. III. Diss. 3. p. 133. et mox v. 34.

[15] Conf. Athen. I, 24. Plin. XIV, 4. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 9, 7. III, 8, 12. 14, 18. 21, 1 seq. IV, 11, 1.

[16] v. Plin. XIV, 4. et 14. Vellei. II, 7. Petron. 34. Cic. Brut. 85. al.

veteres Græci καρδίαν dixere. Cf. Schol. Thucyd. ad L. II, 49. Cardiacorum vero morbo unicam spem in vino esse, monet Plin. XXIII, 1. s. 25. Cf. ibi Hard. it. Cels. l. l. et Senec. Ep. 15. *Cyathus* pars duodecima sextarii. v. intpp. Horat. Od. III, 8, 13. — 33. *aliquid* vini. *Albanum* vinum, in agro et monte Albano proveniens, cujus duæ sunt species: alterum est acerbum, alterum lene ac dulce, cui Dionys. Hal. I, 12. solum Falernum, sed Plin. XIV, 6. etiam Setinum præfert.[17] *Setinum* vinum, sic dictum a *Setia* (nunc *Sezze*) colonia Rom. haud procul a paludibus Pomtinis sita, præstantissimum.[18] — 34. Vinum designatur tam vetus, ut, nota *tituloque* vetustate deleto, ætas ejus et annus, quo sit conditum, non amplius cognosci queat. Conf. ad v. 30. *testæ*, cadi, amphoræ. *fuligine*, mucore et situ, vetustate inducto.

36. 37. Dulcissimi versus, qui summum libertatis desiderium odiumque tyrannidis spirant, quo ipsum poetam imbutum fuisse haud obscure intelligitur. Ita passim, quod jam Rigalt. in Diss. de Sat. Juven. observavit, occulta erectioris animi indicia prodit, quæ, quo magis improvisa sunt, eo fortius feriunt lectores; v. c. I, 17. IV, 150 seq. VIII, 260. XIV, 41 seq. 254 seq. *Quale* vinum, scil. præstantissimum, accommodatum lætitiæ, qua memoriam Brutorum et Cassii, τυραννοκτόνων, celebrabant. *Thrasea* Pætus et gener ejus, *Helvidius* Priscus, veneranda illis temporibus virtutis, gravitatis, constantiæ liberiorisque animi exempla, notissima ex Tacito, Suetonio, Arriano, Dione, Plut. et Plinii Epist. *Brutorum*, L. Junii Bruti, qui Romam regio dominatu liberavit, D. Bruti, qui in Cæsarem conjuravit, et inpr. M. Bruti, qui cum C. *Cassio* interfecit Cæsarem, ut patriæ libertatem restitueret, cujus postremi vindices fuere Cassius et Brutus. *coronati*, more veterum, qui in epulis hilarioribus lautioribusque capillos non ungere tantum, sed et coronare, collaque sertis cingere solebant.[19] *bibebant B. et C. natalibus*, quem annuorum parentalium morem illustravit Meurs. de Fun. c. 36. et imitati sunt Christiani in memoriis martyrum, nisi quod emortualem eorum diem dixerint natalem; Hennin. Cf. Martial. VIII, 38, 11 seq. — 37. *capaces*, grandes: quod tam ad bibendi cupiditatem, quam ad luxum et

[17] Cf. Plin. XIV, 2. Martial. XIII, 109. Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 11, 2. et Galenus ap. Athen. I, 20. (48.) p. 26. et 33.

[18] Conf. inf. X, 27. Plin. XIV, 6, 8. XXII, 1. XXIII. sect. 21. Strab. V. p. 229. Martial. VI, 86. IX, 3. X, 74. XIII, 112. ad Sil. VIII, 376. X, 33. Schweigh. ad Athen. I, 48. p. 197.

magnificentiam spectat. 38. *Crustæ Heliadum*, phialæ ex electro; *vasa potoria crustata* ap. Fest. in *tabernæ crustariæ*. *Crustæ* proprie dicuntur ea, quibus res aliqua inducitur, deinde ornamenta vasorum argenteorum, signa quasi et simulacra, extrinsecus alligata, προτυπα; de quibus v. sup. ad I, 76. *Heliadas*, Phaethontis sorores, nimio fletu in populos, seu alnos, seu larices, electrum stillantes, earumque lacrimas ad ripas Eridani solis vi in electrum transformatas fingunt poetæ.[20] Hinc *Heliadum lacrimæ* et *gemmæ* pro electro ap. Ovid. Met. X, 263. et Martial. IX, 14, 6. Patria et origo *electri* sive *sucini*, de quo mira commenti sunt veteres, ne hodie quidem satis nota est; etsi naturam ejus ab initio liquidam esse probabile fit ex eo, quod animalcula plerumque inclusa tenet. Conf. ad VI, 573. Munker. ad Hygini fab. 152. et 154. Intpp. Tac. Germ. 45. et Plin. XXXVII, 2. et 3. Gesner. de electro veterum in Comm. Soc. Gœtt. T. III. J. F. John's Naturgesch. des Succins, Köln 1715. 1716. II. Vol. Wigandus, Hartmann et alii in historia sucini. Alio autem sensu *electrum* dicitur pro poculis et vasis ex electro conflatis XIV, 307. ubi *electrum* proprie non sucinum est, quod nobis *bernstein* s. *agtstein* dicitur, sed exquisitius metalli genus, aurum, cui quinta argenti portio admixta est.[21] Phialas ex tali electro conflatas etiam h. l. intelligendas esse, non male monuerunt Britan. et Grang. Verum poeta sic improprie loquutus est: nam electrum, quod veteres Romani ex Heliadum lacrimis ortum et arboris succum esse crediderunt ideoque *succinum* appellarunt, est potius nostrum *bernstein*. — *Berylli* lapides cærulei, ut *smaragdi* virides. v. Beckman. Beitr. zur Gesch. d. Erfind. T. III. p. 295. et ad Marbodi librum lapidum s. 7. et 12. Millin in Introd. à l' étude des pierres gravées p. 10. et Böttigeri Sabina p. 407. *Phialæ* cur *inæquales beryllo* dicantur, intelligitur forte ex Plin. XXXVII, 5. *Poliuntur* berylli *figura sexangula, quoniam hebescunt, nisi color surdus repercussu angulorum; excitetur aliter enim politi non habent fulgorem eumdem:* nisi præstat sententia Grangæi, qui pocula, in quibus inserti berylli *inæquali* numero, vel spatio, vel magnitudine; aut aliorum, qui aureos calices, insertis lapillis asperos, intelligunt. Salmasius Exerc. Plin. XXXVII, 5. " Quia viridis, inquit, color op-

[19] Cf. Heyne ad Tibull. I, 7, 52. intpp. Horat. Od. I, 36, 15 seq. II, 7, 7. 24. IV, 11, 3. al.

[20] v. Ovid. Met. II, 340 seq. 365. Hygin. fab. 152. et 154, ubi v. Munker. Pallad. R. R. XII, 15. Heyne et Serv. ad Virgilii Ecl. VI, 62. et Æneid. X, 190.

[21] De quo v. præter viros doctos supra laudatos Serv. et Heyne ad Virg. Æn. VIII, 402. Plin. IX, 40. XXXIII, 4. s. 23.

time cum auro convenit, gemmas viridantes in ornandis poculis ut plurimum adhibebant veteres, inter quas smaragdus tenet primatum. *Beryllus* quoque, quia viridis, ad hunc usum translatus. Hoc ergo loco poeta dicit *phialas beryllo* textas et per hoc *inæquales*, asperitate et extuberantia gemmarum."

39. *Virro* fictum non servi, sed patroni vel hospitis divitis nomen. v. ad v. 19. *non aurum*, aureum poculum et vas, (ut X, 27.) sed fictile, in quo *custode* non opus est, de quo v. Martial. XII, 75, 5 seq. et XIV, 108. *custos*, servus, qui te manusque tuas observet, *affixus* tibi et lateri tuo, qui semper tibi præsens sit. Conf. Cic. Verr. IV, 15. *gemmas*, aureis poculis insertas.[22] Pocula etiam ditiorum ipsa sæpe gemmea erant.[23] *qui numeret*, veritus, ne clanculum aliquas subripias et suppiles. *ungues observet acutos*, ne furtim gemmas vel aurum abradas. 42. Neque hoc ægre ferendum est tibi: nam gemma sæpe magni pretii phialæ inserta est. *illic*, in poculo. 43 seq. Romani eo luxuriæ pervenerant, ut onustos annulis digitos, quum biberent, denudarent per luxum; nimirum pocula habebant, quæ in margine fissuris et cavitatibus erant prædita, in quas ex tempore inserebant gemmas et uniones ex digitis, ut magnificentius biberent, et hoc proprie erat ἐμβλημα: quæ *gemmata pocula* Noster intelligit; Hennin. Conf. Plin. XXXVII, 2. et Martial. XIV, 109. — 44. 45. Gemmæ armorum olim, nunc poculorum ornamenta. Poeta respexit verba Virg. Æn. IV, 261. 262. *juvenis*, Æneas, *prælatus Zelotypo Iarbæ* a Didone, quod notum e Virg. Æn. IV, 36. et 196—218.[24]

46 seq. Tibi dantur *calices* vitrei et deformes, quales erant Vatinii s. Vatiniani, sic dicti a Vatinio *Beneventano*, *sutore* et vitreario artifice, qui gratia Neronis et optimi cujusque criminatione valebat.[25] Poeta autem in contemtum Vatinii, fœdissimi hominis, calices ejus nominat magis, quam alterius opificis; Brit. *Siccabis calicem*, bibes e calice; vel proprio sensu: ebibes, exhauries calicem, forte exiguum. Conf. Horat. Od. I, 35, 27. et Sat. II, 6, 68. Hinc et *exsiccare vina cululli* pro bibere aut haurire vina e cululli, poculis grandioribus, dixit

[22] Conf. Martial. XIV, 109. et inf. X, 27.

[23] De quibus v. Cerda ad Virg. Ge. II, 506. et Æn. I, 728. Meurs. de luxu Rom. c. 8. Kobierz. de luxu Rom. II, 10.

[24] Plathnerus suspicabatur, amare h. l. tangi nobiles Romanos, qui nobilitatem et genus quidem ab Ænea deduxerint, sed non virtutem; illum enim arma habuisse pretiosa, ipsos vero pocula.

[25] Conf. Martial. X, 3, 4. XIV, 96. Tac. Hist. I, 37. et Ann. XV, 34. ubi v. Lips.

Horat. Od. I, 31, 11. et forte poeta noster *siccato nectare* inf. XIII, 44. *quatuor nasorum,* rostrorum, quæ nobis *dillen, schneppen, schnauzen, schnäbel,* dicuntur. Vatinius grandem nasum habuit; vet. Schol. Hinc calices, qui nasos s. rostra habent, *Vatinianos* quidam dictos putant. Sed v. Lips. ad Tac. Ann. XV, 34. ubi recte, opinor, monet, Vatinio longiorem nasum tribui a Martiale XIV, 96. quia acer et sagax fuerit inquisitor criminatorque. — 48. Solent sulphure (ita legendum pro *in urbe*) calices fractos s. caldariolas componere, vitrum solidare i. e. malthare; vet. Schol. Notus est mos veteris nostrique ævi, vitra fracta conglutinandi sulphure et maltha vel permutandi sulphuratis ramentisve sulphureis. [26]

50. *decocta* aqua. Nam aqua, quia post decoctionem frigidior est, decoqui vitroque demissa in nives refrigerari solebat, ut frigoris voluptas sine vitiis nivis perciperetur. [27] Cf. Var. Lect.

51. *vobis,* clientibus, parasitis. *poni,* apponi in mensa. 52 seq. Alii quoque iique viliores servi pauperibus convivis, clientibus ac parasitis ministrant, quam dominis, his pueri pulcri ac nitidi, illis deformes et nigri. *Cursor* servus a pedibus, ministrans et proprie ante redas currens: nam et viris et feminis lautioribus ditioribusque tam equites quam cursores, in primis Afri aut Numidæ, (unde h. l. *cursor Gætulus*) erant ad iter, qui equis prævehebantur aut præcurrebant currum lecticamve et quidem succincti lino Ægyptio, phalerati et armillati. v. Lips. ad Tac. Hist. II, 40. intpp. Sen. Ep. 88. (87.) et 124. (123. *omnes sic jam peregrinantur, ut illos Numidarum præcurrat equitatus, ut agmen cursorum antecedat*) Petron. c. 28. p. 100. (*lecticæ impositus est* Trimalchio, *præcedentibus phaleratis cursoribus quatuor*) Suet. Ner. 30. (*armillata et phalerata Mazacum* aut *Mazycum turba atque cursorum*) Ramirez ad Martial. III, 47. X, 6. (*eques et picti tunica Nilotide Mauri*) X, 13. XII, 24. et Böttigeri Sabina c. 8. p. 438. 456 seq. ed. pr. Afri et inpr. Mazyces velocitate pedum excellebant. v. Oudend. ad Lucan. IV, 681. et intpp. Nemes. Cyneg. v. 261. Præterea τρυφηταῖς et delicatis viris mulieribusque

[26] v. Plin. XXXVI, 19, 26. XXIX, 3. (*vitrum sulphuri concoctum ferruminatur in lapidem*) Salmas. ad Solin. p. 1096. Ramires ad Martial. I, 42, 4. X, 3, 3. XIV, 94. Barth. ad Stat. Silv. I, 6, 74. Schneider ad Eclog. phys. Vol. II. p. 87. et Magazin encyclopédique année I. no. 9. p. 99.

[27] v. Plin. XXXI, 3. et ibi Harduin. Suet. Ner. 48. Martial. II, 85, 1. XIV, 116. Athen. III, 34. (95.) p. 122. Petron. 31. Senec. Nat. Quæst. IV, 13. Alias artes, quibus Græci et Romani, sub fervida cœli plaga viventes, potum gelidiorem faciebant, memorant Athenæus III, 36. Plut. Sympos. VI. et Potter Archæol. Gr. L. IV. c. 18. ubi v. Rambach. T. II. p. 641.

olim pueri *Gætuli* ac *Mauri*, h. e. Afri, *(fuscus Hydaspes* Hor. Sat. II, 8, 14.) παῖδες Αἰθίοπες, Θεράποντες Ἰνδοί et Θεράπαιναι Ἰνδαί, ministerium præstabant, ut et hodie in aula Principum, et μικροφιλοτίμου indicium est ap. Theophr. Char. XXI. ἐπιμεληθῆναι, ὅπως αὐτῷ ὁ ἀκόλουθος Αἰθίοψ ἔσται. Cf. ibi Casaub. et, quos laudat, Athen. IV, 29. (λαμπτηροφόρους παῖδας Αἰθίοπας) Cic. ad Herenn. IV, 50. Tibull. II, 6, 37. al. Videtur itaque poeta ex nigro tantum colore ridendi occasionem captasse et deformem puerum opposuisse formosissimo, ut XIII, 42—45. Vulcanum, claudum nigrumque deorum pocillatorem, Ganymedi et Hebæ, formosissimis eorum pincernis. Servi quoque, ex barbaris regionibus a venalitiariis vel mangonibus Romam ducti, vilissimi erant omnium et minimo vendebantur pretio. Cf. ad I, 111. *manus ossea Mauri*, Maurus exilis, macilentus, et *niger*, cujus species verbis seq. festive adumbratur. Sic et *graciles Indi* dicuntur inf. VI, 466. nam nimius gestus maciem gignit, ut humor frigusque pinguedinem. 54. *cui* ob nigredinem maciemque *nolis occurrere*, ne terrorem tibi incutiat, tamquam μορμὼ s. μορμολύκη, osseum spectrum, phantasma et umbra mortui, quæ et ossea et nigra esse fingitur. Cf. ad VI, 572. 601. 655. et intpp. Mart. VII, 86, 2. Sic ex occursu Æthiopis et Mauri M. Brutus cladem, et Hadrianus mortem sibi imminentem augurabatur, si fides habenda Plut. et Spart. 55. *monimenta*, sepulcra, *Latinæ* viæ. v. ad I, 171. 56. *Flos*, decus, *Asiæ*, formosissimus puerorum servorumque Asiaticorum; ut ap. Cic. Phil. II, 15. III, 5.[28] Ad lautioris convivii apparatum pertinebant etiam servi formosi et bene vestiti, nec non eleganter comti unguentisque delibuti, μειράκια ὡραῖα διακονούμενα ap. Lucian. l. l. cap. 16. Cf. inf. IX, 46 seq. XIII, 44. Cic. de fin. II, 23. (ut contra de cœna modica inf. XI, 145 seq.) Martial. VIII, 39, 4. IX, 23, 9 seq. IX, 74, 6. XIII, 108. quibus locis etiam pincerna hinc *Ganymedes* dicitur, ut inf. v. 59. Maximi autem æstimabantur servi, ex Phrygia, Lycia aliisque Asiæ minoris regionibus petiti. Cf. XI, 147. *ante ipsum* patronum sc. stat, paratus ad ministerium. Sic στῆναι, παραστῆναι τινί seu ἐνώπιόν τινος, οἱ ἑστῶτες et παρεστῶτες, de famulis s. ministris. Cf. v. 65. et Schleusneri Lex. N. T. voc. ἱστάω, ἱστάνω,

[28] Conf. Heyne ad Virg. Æn. VIII, 500. Similiter ἄνθος τῶν Ἀθηναίων dixit Thucyd. IV, 133. ἡρώων ἄωτοι et ναυτῶν ἄωτος Pind. Nem. VIII, 15. et Pyth. IV, 335. *flos juvenum pubescentium* et *juventutis* Liv. VIII, 8. et 28. XXVII, 35. XXXVII, 12. ad quæ loca v. Drakenb. Conf. Hemsterh. ad Lucian. Tim. c. 55. et Abresch. Diluc. Thucyd. p. 489. Poeta forte etiam ad *florem ætatis*, τῆς ἥβης ἀγλαὸν ἄνθος, respexit, de quo v. ad Sil. I, 61. III, 84. VII, 691. et Kletz. ad Tyrt. p. 68. 69.

ἵστημι n. 13. Vol. I. p. 977. 978. (1066. ed. sec.) — 56. 57. Quam immenso sæpe pretio Romani servos, Græcos potissimum et formosos, emerint, docent Plin. VII, 12. Suet. Cæs. 47. Liv. XXXIX, 44. Martial. III, 62. et al. Poeta itaque taxat insanum luxum sæculi sui, quo pretia servorum superent facultates *Tulli* Hostilii et *Anci* Martii, regum Rom., qui tamen olim ditissimi civium fuerint. Ancus recte quidem *pauper* dicitur Claud. bell. Gild. v. 109. respectu divitiarum et magnificentiæ serioris ævi, sed idem quoque et Tullus *dives*, priscorum scil. temporum ratione habita, Horat. Od. IV, 7, 15. ubi v. Mitscherl. *Tulli pugnacis*, quod notum ex Liv. I, 22 seq. Cf. Virg. Æn. VI, 813 seq. 58. *ne te teneam*, ne longior sim, vel te multis verborum ambagibus morer, ut paucis dicam. *Frivola* substant. ut III, 198. nisi malis: *omnia* sc. bona regum priscorum sunt *frivola*, exilia, nullius pretii, nihili æstimanda, si comparentur cum summa pecuniæ, qua Asiaticus ille puer emtus est. 59. Satirice poeta jungit contraria, *Gætulum*, fuscum ac deformem, (ut v. 53.) *Ganymeden*, pocillatorem: nam Ganymedes proprie formosissimus puer fuit et hinc raptus a Jove ejusque pincerna factus. Cf. IX, 47, et XIII, 43. Notandum tamen, beatulos etiam illos servis abusos illis, qui ad cyathos erant; Grang. coll. Martial. IX, 23, 11. 12. et IX, 74, 6. Add. V, 56. et VIII, 46, 5. Ceterum multi homines formosi a diis rapti finguntur in fabulis, de quo v. Heyne Antiq. Aufs. St. I. et nos in Henkii *Magazin* cet. Vol. VI. 60. *Respice* pone adstantem, h. e. eum sine tibi ministrare, et jube, *quum sities, miscere* h. e. infundere vinum: (ut ap. Mart. IX, 37, 12. et χέειν) nam veteres vinum admixta aqua, nec nisi nepotes merum bibebant. De hac vini cum aqua miscendi ratione v. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 19, 12. et Potteri Archæol. Gr. L. IV. c. 18. extr. Nota Ach. est: " Interpretes plerique volunt, ab antiquis temperantiæ et frugalitatis causa vinum aqua dilui. Id ego minime puto: necesse enim erat, vinum vetus et temporis lapsu, et ipsa sua compositione, et materia, qua servabatur, coagulatum ac prope solidum factum aqua calida dilui atque cum ea misceri, ut ad primitivam fluiditatem rediret; unde Plin. XIV, 4. *Adhuc vina ducentis fere annis jam in speciem redacta mellis asperi; atque hæc natura vini in vetustate est.*" Conf. ad v. 63. *sed forma, sed ætas digna supercilio*, fastu; (v. ad II, 15.) pulcritudo et juventus faciunt, ut et superbiat, et superbire possit; excusant quodammodo fastum ejus. Cf. v. 66. *Supercilia* non modo gravitatem, sed etiam fastum produnt. Plin. XI, 37. s. 51. *Supercilia homini et*

pariter et alterne mobilia, et in iis pars animi. Negamus, annuimus. Hæc maxime indicant fastum. Superbia aliubi conceptaculum, sed hic sedem habet. In corde nascitur, huc subit, hic pendet. Nihil altius simul abruptiusque invenit in corpore, ubi solitaria esset. Hinc *supercilium* fastus, (ut h. l. et VI, 169.) et gravitas: *supercilium attollere* et *ponere*, ut *αἴρειν*, et contra *μεθιέναι, συνάγειν, καταβάλλειν τὰς ὀφρῦς.* v. ad II, 15. — 63. De usu *calidæ* aquæ, ad potum, (nam vino miscebatur) ad delicias et ad vomitum movendum, si stomachus cibis esset obrutus, et de thermopoliis copiose multi disseruere.[29] De usu *gelidæ* aquæ v. sup. ad v. 50. 64. *clienti* quamvis jam *veteri* adeoque honore digniori. Cf. I, 132. — 65. *se stante*, v. ad v. 56. — 66. Servi enim mores dominorum imitari solent.

67—75. Cf. Plin. XIX, 4. et inf. ad v. 167. *Ecce*, de re mira ac nova, ut *adspice*, (v. 80. et Martial. XIII, 58, 1.) *en* et al. *murmure δεινῶς* pro indignatione. *alius* servus, diribitor. *panem vix fractum*, quem vix fregit et frangere, nedum secare, potuit ob duritiem. 68. *solidæ*, duræ, ut contra v. 70. *tener* et *mollis*. 69. *agitent*, vexent, plurimum ei facessant negotii. *genuinum* dentem, qui tamen ad duras res mordendas aptior est reliquis, adeoque h. l. cum delectu ponitur. *Genuini* dentes sunt posteriores s. novissimi in extrema gena s. gingiva, *κραντῆρες, σωφρονιστῆρες.* Cf. Fest. h. v. et Plin. XI, 37. s. 63. — 70. *Siligo* candidissimum tritici genus, et sine pondere, (unde h. l. *molli*) ex quo lautissimus conficiebatur panis, *siligineus*, quem *plebeio* opponit Seneca Ep. 119. Cf. Colum. II, 6, 1. 9, 13. et Plin. XVIII, 7—10. *memento, μέμνησο, cohibere*, pro cohibe (sed majore cum vi) *dextram*, manum, a tali pane, cave eum tangas aut sumas. Cf. VI, 572. et IX, 93. — 72. *artocopi* alii, alii *artoptæ* legunt (v. Var. Lect.) et has voces varie interpretantur. Vetus Schol. intelligebat vel, ut multi, pistorem, (qui Gr. tum *ἀρτοκόπος* dicitur ab *ἄρτος* et *κόπτω*, scindo s. tundo, vel a *κόπῳ*, labore, quem pani faciendo impendit, tum *ἀρτόπτης* ab *ἄρτος* et *ὀπτάω*, torreo, coquo) vel vas, in quo panis coquatur (*ὀπτᾶται*); Lubinus dispensatorem vel observatorem et custodem panis, ut *ἀρτόπτης* dictus sit ab *ὄπτομαι*, ut *λινόπτης* et *οἰνόπτης*; alii servum, qui panem secuerit, *ἀρτοκόπον, κόπτοντα τὸν ἄρτον,*

[29] v. Athen. III, 34 seq. (95 seq.) Potter. Archæol. Gr. L. IV. c. 18. Freinshem. de calidæ potu (in Thes. Gron. Vol. IX. Stuck. antiq. conviv. III, 6. Baccius conviv. antiq. II, 6. Lips. Elect. I, 14. et ad Tac. Ann. XIII, 16. Gebauer de caldæ et caldi apud veteres potu Lips. 1721. Böttigeri Sabina p. 284. 308. 309. ed. pr. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 238. Conf. sup. ad v. 61.

quæ explicatio ceteris simplicior videtur; Britann. panem siligineum, multo labore (κόπῳ) confectum; Ferrar. Elect. II, 10. panem assatum s. escharitidem, non male, judice etiam Henninio, cujus nota est: "Panis nonnihil assatus intelligatur, quem Belgæ *geraspt wittebrood* appellant, i. e. panes triticeos rasos in crustis exterioribus, qui beatioribus in deliciis sunt; ut poeta parasitum, mirifice indignitatem rei exaggerans, moneat, *reverentiam* deberi, i. e. abstinendum esse, tamquam re sacra, pane regis, tenero, niveo et molli siligine facto, ut potius *mucida solidæ farinæ frusta*, i. e. panem atrum et secundarium ex *canistris consuetis* comedat, quum audaciam ejus servus panis herilis custos facile prostituere possit, si *improbulum* raptorem furta reddere cogat." Cf. intpp. Plin. XIX, 11. et Plaut. Aulul. II, 9, 4. *Salva sit*, non violetur. *finge*, fac, pone, *te improbulum*, satis audacem esse, ut panem siligineum sumas, vel rapias. 74. 75. Verba sunt servuli dispensatoris ad clientem, hujus temeritatem increpantis. *Canistris*, pro pane, qui in iis affertur et circumfertur. Nos diceremus: *Willst du wohl aus deinem korbe essen?* Formam loquendi *vis tu* non interrogantis modo esse, sed et jubentis, egregieque illustrari a Gron. ad Sen. de ira III, 38. et Bentl. ad Hor. Sat. II, 6, 92. monet Hein.

76—79. Verba seu cogitata clientis, indignantis et conquerentis, se pro tot officiis patrono præstitis tam indigne tractari. *Scilicet*, v. ad II, 104. *hoc* præmium tot incommodorum laborumque, hæc inhonesta tractatio. *relicta conjuge* in lecto, ut mane salutarem patronum procul habitantem. *adversum*, arduum; Ach. *montem et Esquilias*, montem s. collem Esquilinum. *gelidas*, vento obnoxias, vel gelida s. frigida tempestate. 79. *Jupiter*, aer. *vernus*: nam toto veris tempore aer mutabilis ac sæpe pluvius est. Cf. Wernsdorf ad Calpurn. Ecl. V, 45. in Poet. Min. T. II. p. 140. Tempestates quoque in Italia frequentius ingruunt sub auctumni initium et veris exitum. v. ad IV, 87. Heyne et Voss ad Virg. Ge. I, 311 seq. et Bentl. ad Horat. Od. IV, 4, 7. — 79. *Pœnula*, φαιλόνης, φαιλώνης, φελώνης, φελόνης, φαινόλης, pallium vestimentumque itinerarium, quod tamen Cæsarum temporibus frigoris et pluviæ causa etiam in Urbe et in foro vel judiciis gestabatur. v. Sen. de ben. III, 28. Lamprid. Alex. Sev. c. 26. Lips. Elect. I, 13. et 25. Ferrar. de re vest. V, 2. Ruben. de lato clavo p. 18. ibique Magius, Schulze ad (Tac.) Dial. de orat. c. 39. et Schleusneri Lex. N. T. v. φαιλόνης. 80. *Adspice*, v. ad v. 67. *distendat lancem* docte pro distendatur, porrigatur in

lance, (cf. Heins. ad Ovid. Met. IV, 457.) vel repleat, expleat lancem. v. Heyne ad Virg. Ge. IV, 164. et ad Tibull. II, 5, 84. Designatur magnitudo et squillæ et lancis, cui *exigua patella* v. 85. opponitur. *domino*, v. ad I, 136. *Squilla* concharum vel cancrorum genus, nec tamen parvus, ni fallor, ille piscis, qui Græcis πινοτήρης vel πινοθήρης, πινοφύλαξ, καρκίνιον et καρίδιον dicitur, (de quo v. Cic. Nat. D. II, 48. Athen. III, 38. et 93. Harduin. ad Plin. IX, 31. s. 51. et 42. s. 66.) sed major ejus species: nam pisciculus ille ab h. l. alienus esse videtur. Apicius in Libyam et Galatiam navigavit, quum ibi longe majores squillas, quam alibi, capi audivisset, easque comedens multa sestertiorum millia consumsit. v. Suidas v. Ἀπίκιος et Athen. I, 7. (12.) p. 7. *Squillas*, καρίδας, astacos et carabos confundi docet Athen. III, 23. (64.) p. 105. — 82. *Asparagi* altiles in summis olim habiti deliciis, qui cumino addito inflationes stomachi discutiunt; Mancin. v. Plin. XIX, 8. *convivia*, convivas, clientes. v. ad II, 120. in Var. Lect. *cauda*, quæ in squilla, ut in locusta, optimi olim habebatur saporis; Brit. *despiciat*, deorsum adspiciat quasi contemtim, (ut I, 159.) alte ac superbe gestata *manibus excelsi ministri*: nam divites Romani, omnia majora, sublimiora augustioraque videri cupientes, proceros etiam ferculorum ministros, ut lecticarios, (v. ad III, 240.) amabant. — 84. *Cammarus*, κάμμαρος, cancri aut squillæ species, h. l. pro pisce vilis saporis, qui nobis, ut putant, *hummer* dicitur et Gr. ἀσταχὶς, quem male a cammaro distinguit Apicius art. coqu. II, 1. si lectio sana est; et cujus sapore, non minus quam squillæ, captum Apicium tradit Suidas. Cf. Hard. ad Plin. XXVII, 3. et XXXII, 11. et Schweigh. ad Athen. VII, 75. et 110. *constrictus*, tenuis, macer, cum *ovo dimidio tibi ponitur*, apponitur. Sed ellipsis præp. *cum* dura est, et probabilior explicatio Grang., cammarus, cujus condimentum media parte ovi constrictum, *lié d'un jaune d'œuf*. Malim tamen intelligere *cammarum constrictum*, circumdatum in patina *ovo dimidio*, ovis sectis. Sic Martialis dixit V, 79, 5. *divisis cybium latebit ovis*, et X, 48, 11. *secta coronabunt rutatos ova lacertos*. Conf. Casaub. ad Athen. II, 16. — 85. *feralis cœna*: nam ova, quia adhiberi ad lustrationem solita, propria fuisse videntur sepulcrali epulo vel silicernio, ut lens, sal et libum; Lips. ad Tac. Ann. VI, 5. Ova olim in sepulcris posita, tamquam sacrificia piacularia pro mortuis oblata. v. ad VI, 518. Luciani Dial. mort. I, 1. et Creuzer's Symbolik T. III. p. 525. Diis quoque inferis mænæ aliique pisciculi et vilia quæque consecrari solita; *patellæ* vero usus plurimus

in libationibus. Utrumque fusius docet Heins. ad Ovid. Fast. II, 578. 634 et 651. Epith. *exigua* auget diminutionem, ut inf. XI, 144. *Cœna* autem *feralis* seu funebris duplex erat, altera *diis manibus* in rogo, altera proximis et amicis parata, et illa proprie dicebatur *silicernium*, hæc *epulum funebre*: quod jam docuere Kœnig ad Pers. VI, 33. et, quos ibi laudavit, Kirchm. de fun. VI, 5. seq. Lips. ad Tac. Ann. VI, 5. Dœring ad Catull. LIX, 3. Hemsterh. ad Lucian. de contempl. c. 22.

86 seq. Conf. Horat. Sat. II, 2, 59 seq. 3, 125. 4, 50. *Ipse* patronus. *Venafrano* oleo, quod optimum erat, ex agro Venafri, opp. Campaniæ. v. Plin. XV, 2. — 87. *Ne tibi pallentes movcant fastidia caules, Nitrata viridis brassica fiat aqua* Martial. XIII, 17. *Pallidus caulis*, flaccescens, marcidus quique pallido colore fastidium pariat; Ach. *olebit laternam*, oleum, quale lucernis infundi solet. Conf. Horat. Sat. I, 6, 124. Σαπρὸν ἔλαιον, h. e. oleum vetustate corruptum et rancidum, locis simil. dixit Theophr. Char. XI, 4. et XIX, 3. ad quæ cf. Casaub. Farnabius suspicabatur, poetam respexisse illud in Demosthenem jactatum, τὸν λύχνον ὄζει. 88 seq. Designatur oleum Numidicum vel Afrum, aut sesaminum, (v. Hard. ad Plin. XV, 2. et 7.) quod adeo fœteat, ut nemo cum *Bocchare* h. e. Afris eo inunctis sustineat lavare, neque his noceant serpentes, qui ejus graveolentiam ferre non possint. *Alveoli* vasa concava, lances, aut catini, Gall. *saucières*. *illud* sc. oleum, *quod canna Micipsarum subvexit*, h. e. quod ex Numidia advectum est Romam. *Cauna* cymba, lembus, ex arundine aut canna confectus. Cf. Plin. VII, 2. (ubi v. Hard.) et 56. — *Micipsarum*, Numidarum: nam *Micipsa* rex Numidiæ, Masinissæ filius, qui moriens regnum reliquit Adherbali et Hiempsali, filiis suis, et Jugurthæ fratris filio. 90. 91. Conf. Excurs. ad h. l. *Bocchar* rex Numidiæ. v. Liv. XXIX, 30. Alius fuit dux Syphacis. Liv. XXIX, 31. 32.

92—98. Patronis optimi maximique pisces apponuntur, et quidem ex provinciis et mari Siculo vel longinquo petiti, quoniam *Tyrrhenum* mare, Italiæ proximum, a gulosis Romanis jam iis exhaustum est. Conf. Macrob. Sat. II, 11. Plin. IX, 18. s. 32. et sup. ad IV, 140 seq. *Mullus Domini*, v. ad I, 136. et IV, 15. *Corsica* et *Taurom. rupes* pro mari Siculo. *Tauromenium* s. *Taurominium*, (v. Var. Lect.) hod. *Taormina*, opp. in orientali ora Siciliæ, ad Euripum (*Golfo di Taormina*, Plin. II, 97.) et in Tauro monte (unde ejus nomen et h. l.

rupes) conditum, quod vino ac marmore inclaruit et, Naxo excisa, ejus incolis auctum est. v. Diodor. XIV, 60. XVI, 7. et Cluver. Sic. I, 7. *Mare est peractum,* consumtum, exhaustum piscibus, propr. quod in eo fuit, pisces, (ut ap. Pers. VI, 22. *dona grandia dente peragit,* absumit) vel ubivis quasi peragratum, lustratum, penetratum remis, retibus, navibus, ut *peragere* (pervagari) *freta remo* et *carinis* dixere Ovid. Her. XV, 65. et Petron. de mutat. reip. Rom. v. 4.[30] *jam defecit,* deficitur, defectum est, h. e. caret piscibus. *gula,* gulositas et luxuria, *sævit,* immensa est ac perdita. — 95. *penitus scrutante proxima* maria ac flumina, præclare, omnia loca, angulos, recessus maris diligenter pervestigante, ut nihil relinquatur piscium. Sic et *omne perscrutari profundum* dixit Sen. de Consol. ad Helv. c. 10. *macello,* macellario, cetario, vel piscatore: nam in *macello* edulia ac cibaria cujuslibet generis, etiam pisces, vendebantur, unde et *macellum cetariorum* memoratur Varr. R. R. III, 17, 7. Conf. Burm. de Vectigal. pop. Rom. c. 12. p. 211. *Instruit* piscibus. — 98. *Captator* hereditatis, heredipeta, qualis describitur inf. XII, 93—131. Ejusmodi homines viris matronisque divitibus et orbis pisces aliosque cibos delicatiores muneri mittere solebant, ut eos ita *captarent* vel *venarentur,* quæ sunt vocabula propria in hac re. v. intpp. Plin. Epist. II, 20, 7. ac Petron. Sat. cap. 101. et 116. *Aurelia,* mulier, quæ distrahebat pisces; Schol. et Lubin. Cetaria ipsa, etsi nomen illustre nimis videtur, quam ut cetariæ conveniat; Ach. Alii intelligunt divitem orbamque matronam vel viduam, quæ ab heredipetis tot pisces cibosque delicatos dono acceperit, ut partem eorum *vendere* coacta sit, ne corrumperetur. Sic *Gallita* et *Paccius* inf. XII, 99. — 99. *Virroni,* ut sup. v. 39. *Murœna,* μύραινα s. μύραινος et σμύραινα, genus piscium, quod in summa aqua nare amat (unde et πλωτὴ) et rapto vivit nobisque etiamnunc *muräne,* (Gall. *mourène* s. *murène,* Linn. *helena*), non *lamprete,* (*marinus*) nec *pricke* s. *neunauge,* dicitur, et cujus species est anguilla. Conf. Athen. I, 4. (6.) p. 4. VII, 18. (90.) p. 312. ibique Casaub. et Schweigh., et Plin. IX, 23. Quanto in pretio quantisque in deliciis fucrit Romanis, docent Pli-

[30] Cf. Barth. ad Stat. Theb. IV, 574. Burm. ad Val. Fl. I, 285. 566. ad Quinctil. decl. I, 9. et 13. ad Petron. LXIX. Similiter Pers. VI, 75. dixit *excute sollers omne latus mundi,* et Lucian. Toxar. T. II. p. 511. ed. Reitz. ἅπασαν γὰρ οὗτοι (mercatores) ἀκτὴν καὶ πάντα αἰγιαλὸν, ὡς εἰπεῖν, διερευνησάμενοι καθ' ἕκαστον ἔτος.

nius et alii.[31] In freto autem *Siculo murænæ maximæ* et optimæ capiebantur.[32]

100—102. *Austro,* vento imbrifero, non flante, *temeraria lina,* temerarii linorum domini, piscatores, (ut *macellum* v. 95.) quos lucrum audaces facit, in periculoso mari Siculo inter Charybdes et Scyllas piscantur. De *Charybdi* et Scylla v. ad XV, 17 seq. *Auster continet se,* in carcere Æolio, vel vim suam. *sedet,* quiescit, ut ἧσθαι et καθῆσθαι, vel residet, quo sensu ventus etiam *cadere,* et contra *surgere* dicitur.[33] 101. *in carcere* Æolio, ut X, 181. in quo Æolus ventos tenet inclusos; quæ fabula vel pueris nota est ex Virg. Æn. I, 52 seq. (ubi v. Heyne in Exc. I.) ut et de *alis* ventorum. *siccat alas madidas* a pluvia: unde *humidus Auster* dicitur Claudiano XXII, 395. Juvenalis jocatur et ridet mythos poetarum.

103. *Vos* clientes ac pauperes *manet,* vobis destinatur, servatur et apponitur. *anguilla colubræ cognata,* similis; Schol. Grangæus putabat, ad etymologiam alludi; (*anguillæ,* ut ait Isidorus, *similitudo anguis dedit nomen*) Britan. vero et alii, poetam sequi vulgarem opinionem de coitu *anguillæ* cum *colubris* h. e. serpentibus s. anguibus. De *murænis* quidem id tradit Plin. IX, 23. s. 39. ubi v. intpp. De *anguillis* hoc legere haud memini: ad idem tamen piscium genus pertinent. 104. *Tiberinus* sc. lupus, piscis, *adspersus maculis,* qui minoris pretii est, (*Lupi sine macula, nam sunt et varii, maxime probantur,* Colum. VIII, 16, 8. al. IX, 17, 8.) et præterea in *cloacis* Urbis immunda esca pastus. Alioquin enim lupus Tiberinus non vilis, ut h. l. et ut omnino lupi fluviales, sed delicatior cibus erat.[34] *Eum* temporibus Juvenalis non amplius in pretio fuisse suspicabatur Britan. *glacie,* v. Var. Lect. *et ipse* lupus, vel alius piscis Tiberinus, *vernula,* vernaculus et quasi indigena *riparum,* qui circa ripas hærere solet. Hinc etiam vilior forte est, ut contra delicatior, qui intra pontes Tiberis commoratur. v. Horat. Sat. II, 2, 31 seq. *torrente cloaca,* confluvio sordium ejus, quæ in Tiberim deferuntur. Vis epith. *torrente* intelligitur vel ex loco class. de cloacis Plin. XXXVI,

[31] Plin. IX, 54. et 55. Varr. R. R. III, 3, 10. et 17. 3. Colum. VIII, 16, 5. et inpr. Macrob. Sat. II, 11.

[32] v. Plin. et Athen. II. cc. Varr. R. R. II, 6, 2. Pollux VI, 63. Clem. Alex. Pædag. II, 1. p. m. 103. Martial. XIII, 80. Macrob. Sat. III, 15. Salmas. ad Tertull. de pallio c. 5. p. 444. Tartessiæ præ ceteris laudantur Gell. VII, 16. et Aristoph. in Βατράχοις.

[33] v. Heyne ad Virg. Ge. I, 354. et nos ad Sil. III, 142. VII, 151. X, 597.

[34] v. Macrob. Sat. II, 12. Colum. VIII, 16, 4. Plin. IX, 54. Horat. Sat. II, 2, 31 seq. Nonnius de re cib. III, 16.

15. *Cloacæ operum omnium maximum, subfossis montibus atque urbe pensili subterque navigata. Fecit id Agrippa in Ædilitate, per meatus corrivatis VII amnibus,* (cloacis præcipuis, sub terram ductis, quot fuere montes s. arces ac colles Rom.) *cursuque præcipiti, torrentium modo, rapere omnia atque auferre coactis. Qui insuper mole imbrium concitati vada ac latera quatiunt, aliquando Tiberis retro infusi recipiunt fluctus, pugnantque diversi aquarum impetus intus; et tamen obnoxia firmitas resistit.* — 106. *Crypta,* occulta (κρυπτὴ) ac subterranea caverna fornicata, h. e. cloaca. De *Subura* v. ad III, 5.

107—113. Conf. Var. Lect. *Ipsi* Virroni, et qui ei similes sunt, *pauca velim* dicere. *facilem si præbeat aurem,* si benigne ac libenter audiat. Conf. Var. Lect. et ad X, 8. — 108—113. Verba poetæ, quibus Virronem alloquitur. *Nemo petit* a te larga munera, *quæ* cet. *amicis modicis,* ut *a. vilibus* inf. v. 146. pauperibus, quos *modicos pecuniæ et originis* appellat Tac. Ann. III, 72. VI, 39. — 109. *Seneca* similiter cum *Pisone* inter exempla liberalitatis laudatur a Martiali XII, 36, 8. *Piso* forte C. Piso, auctor conjurationis in Neronem, de cujus liberalitate aliisque laudibus v. Tac. Ann. XV, 48. et Paneg. ad Pison. Diversi ab eo *Piso* Frugi Licinianus, a Galba Imp. adoptatus et cum eo occisus, (v. Lips. et Ern. ad Tac. Hist. I, 15.) et L. Calpurnius *Piso,* Consul a. U. 810. quem cum C. Pisone confundere videtur Lips. ad Tac. Ann. XIV, 14. Nova vet. Schol. h. l. est: "Piso Calpurnius, antiqua familia, scenico habitu tragœdias actitavit: in latrunculorum lusu tam perfectus et callidus, ut ad eum latentem curreretur. Ob hæc insinuatus C. Cæsari, repente etiam relegatus est, quod consuetudinem pristinæ uxoris abductæ sibi ab ipso, deinde remissæ, repetisse existimabatur. Mox sub Claudio restitutus, et post consulatum materna hereditate ditatus, magnificentissimus vixit, meritis sublevare inopes ex utroque ordine solitus, de plebe autem certos quotannis ad equestrem censum dignitatemque provehere." Conf. omnino Wernsdorf Poet. Lat. Min. T. IV. p. 36 seq. *bonus,* ut putant, vel liberalis, vel dives, lautus, splendidus, Gr. ἐσθλός.[35] Rigaltius cognomen *Frugi,* Pisonibus familiare, respici putabat. *Cotta* ex gente Aurelia, forte is, cujus mentionem facit Tac. Ann. XIII, 34. Conf. inf. ad VII, 95. — 110. Gloriosius olim putabatur, liberalitatem exercere, quam *titulis,* hono-

[35] De qua vocis vi cf. Ernesti clav. Cic. Cort. ad Sallust. b. Cat. 53. Gron. Obss. Græv. lect. Hesiod. c. 6. ad Ἔργ. v. 214. IV, 9.

ribus, *et fascibus,* summis magistratibus, consulatu et prætura, fungi. 112. *civiliter,* more civium, et ut decet civem, qui alios non contemnit vel injuria afficit, nec sibi quid arrogat, sed æquo omnes tractat jure, et ita se gerit, ut, eos quoque cives esse, meminisse videatur. Conf. Ernesti clav. Cic. v. *civilis.* *Cœnat civiliter,* qui non sibi vel paucis optima quævis, ceteris vilia, sed sibi ac convivis omnibus eadem apponi jubet. 112. 113. Quod si feceris, per me licet multorum sordidorumque hominum more vivas, ita ut *dives* sis *tibi,* tui tantum causa divitias colligas iisque solus fruaris, et *pauper amicis,* ut amicis nihil des dono et de re tua familiari impertias. Conf. ad I, 139.

114. *Ante ipsum* Virronem s. patronum divitem. *Jecur anseris,* fico, mulso et carica farti, Romanis in summis deliciis erat. Χηνείων δ' ἡπάτων (περίσπούδαστα δὲ ταῦτα κατὰ τὴν Ῥώμην) μνημονεύει Εὔπολις, (f. Εὔβουλος) ἐν Στεφανοπώλισι λέγων οὕτως· Εἰ μὴ σὺ χηνὸς ἧπαρ ἢ ψυχὴν ἔχεις, Athen. IX, 8. (32.) p. 384. [36] Epitheton *magni* etiam ad jecur anseris spectat, de quo Plin. X, 22. s. 27. *fartilibus in magnam amplitudinem crescit: exemtum quoque lacte mulso* (irrigatur et) *augetur;* et Martial. XIII, 58. *Adspice, quam tumeat magno jecur ansere majus* cet. — *anseribus par* magnitudine *altilis* avis, inpr. gallina, alendo saginata. Conf. Plin. X, 50. s. 71. (ubi v. Hard.) et Martial. XIII, 62. Οὔτε ἡ ὄρνις ὁμοία ταῖς ἄλλαις, ἀλλὰ τῷ μὲν πλουσίῳ παχεῖα καὶ πιμελής, σοὶ δὲ νεοττὸς ἡμίτομος ἢ φάττα τις ὑπόσκληρος ὕβρις ἄντικρυς καὶ ἀτιμία, Lucian. περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων cap. 26. Cf. ad v. 166. — 115. *aper dignus ferro Meleagri,* non minor apro Calydonio, quem Meleager interemit, quod vel pueris notum ex Ovid. Met. VIII, 272 seq. Conf. Martial. XIII, 93. Apri in vivariis etiam pasci solebant, ubi milliarii quidam facti. v. Lips. Poliorc. IV, 1. *aper* solidus, integer *fumat* in magna lance appositus. v. ad I, 140. *Flavus,* pulcer, ut Gr. ξανθός: est vulgare epitheton non modo puellarum, (ut VI, 354.) sed etiam virorum fortium heroumque, quos et pulcritudo decebat; flavi autem crines olim non minus ac nunc pulcri censebantur; et Meleager tum pulcer, tum fortis fuit et heros. [37] *post hunc* aprum: nam, si Plinio VIII, 51. s. 78. fides habenda, *non tota quidem cœna, sed in ipso*

[35] Cf. Pollux VI, 49. (ἥπατα συκωτὰ) Martial. XIII, 58. Pers. VI, 71. Horat. Sat. II, 8, 88. Plin. VIII, 51. s. 77. et X, 22. s. 27. (ubi cf. intpp.) Heins. et Gousal. ad Petron. 137. Burm. ad Petron. c. 69. p. 343. (de *fartoribus,* χηνοβοσκοῖς, servis) Niclas ad Geopon. XIV, 22. et Böttigeri Sabina p. 319. ed. pr.

[37] Cf. ad VI, 120. XIII, 164. ad Sil. I, 438. Kœppen ad Hom. Il. α, 197. β, 642. γ, 284. intpp. Hor. Od. II, 4, 14. III, 9, 19. IV, 4, 4.

ejus principio, bini ternique pariter manduntur apri. — *tradentur,* apponentur diviti et porrigentur, *tubera,* de quibus v. ad XIV, 7. — 117. *Tubera dicuntur nasci, si imbres fuerint auctumnales et tonitrua crebra: tenerrima sunt tempore verno,* Plin. XIX, 3. *cœnas,* cibos, h. l. tubera. — 118. *Alledius* nomen Equitis forte Rom., saltem hominis gulosi, sed nobis ignoti. Cf. Var. Lect. Is festive alloquitur Libyam, terram fertilitate insignem et horreum Rom. populi, ubi et ditiores Romani ac publicani immensos agros possidebant: (v. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 1, 10.) per me in Libya et in agris meis Libycis frumentum non seratur, dummodo inde tubera Romam et ad me mittantur. Tubera Africana ceteris præstabant et *misy* vocabantur. v. Plin. XIX, 3. Mart. XIII, 42. et 43.

120—124. Cf. XI, 136 seq. et Lips. Sat. Serm. II, 2. *Structor* servus, qui non modo mensas apparat ferculaque ordine ac commode in mensis struit h. e. disponit et collocet, quique Petronio *instructor ferculorum* dicitur, (cf. VII, 184. quæ propria verbi vis est) sed etiam, ut XI, 136. et al., qui cibos scindit et vulgo *carptor,* (IX, 110.) vel *carpus* vel *scissor* et *cheironomon* dicitur, a quo tamen h. l. distingui videtur. 121. *Cheironomon* s. chironomon, χειρονομῶν, id. qd. *cheironomus,* χειρονόμος, qui certa quadam lege (νόμῳ) et ad numerum manus concinne motitat, (χεῖρας νέμων) ita ut continue gesticuletur, propr. pantomimus, histrio, (χειρονόμος, ὀρχηστὴς Hesych.) et h. l. ciborum sector. Nam, teste Petron. 36, *scissor ad symphoniam ita gesticulans lacerat opsonium, ut putes Darium hydraule cantante pugnare;* unde h. l. *saltantem* h. e. gesticulantem, quæ solennis verbi notio et satis nota est. *Alius pretiosas aves scindit et, per pectus ac clunes certis ductibus circumferens eruditam manum, in frusta excutit: infelix, qui huic uni rei vivit, ut altilia decenter secet; nisi quod miserior est, qui hoc voluptatis causa docet, quam qui necessitatis discit;* Senec. Ep. 47. Cf. Plin. X, 50. s. 71. extr. et inf. ad VI, 63. et XI, 140. *volanti* cum *cultello,* quem agili manu versat scissor. 122. *peragat dictata omnia magistri,* qui eum artem cibos scindendi in pergula sua docuit. Conf. ad VI, 392. et XI, 136 seq. *dictata,* ut ap. Horat. Epist. I, 1, 55. et 18, 13. — 123. 124. Multum interest inter sectionem leporis et gallinæ, vel plurimum refert, quibus gestibus cibi dissecentur. Utrumque forte ridet poeta.

125 seq. Alia affertur causa, cur cœnæ nobilium ditiorumque vitandæ sint: *duceris planta,* pedibus traheris et *ponere,* poneris, *foras,* vi ejicieris e triclinio, si forte inter cœnandum *hiscere,* os aperire, i. e.

loqui, ausus fueris, *tamquam habeas tria nomina*, h. e. tamquam et tu civis sis optima lege vel ingenuus, qui libere loqui possit: nam civibus Rom. tria plerumque erant nomina, prænomen, nomen et cognomen, civitasque Rom. multum dignitatis juriumque conferebat. Vulgo exponunt, tamquam et tu sis nobilis. Verum non nobiles tantum, sed quilibet fere civium tria habebat nomina: favent tamen illi explicationi verba Ausonii: *Tres equitum turmæ, tria nomina nobiliorum.* Conf. Var. Lect. *Cacus ab Hercule* saxis, stipitibus et clava *ictus* et, quum occisus esset, pedibus e spelunca protractus: quod notum vel e Virg. Æn. VIII, 249. 250. 264. — 128. *Virro*, v. sup. ad v. 39. *Propinare*, προπίνειν, propr. dicitur, qui poculum s. vinum summis delibat labris aliique ebibendum tradit; quod honoris signum erat.[38] *Pocula tuis contacta labellis*, a te delibata. 130. *Perditus* δεινῶς pro, improbus, scelestus. *ut dicat regi, bibe*, h. e. ut diviti ac nobili patrono (v. ad I, 136.) poculum propinet. — 131. Comparant proverbia *vestis virum facit — lacer pannus* — τῶν γὰρ πενήτων εἰσὶν οἱ λόγοι κενοί — et Theogn. τῷ γὰρ πενίῃ δεδμημένῳ δέδεται ἡ γλῶσσα, etsi Πολλάκι καὶ κηπωρὸς ἀνὴρ μάλα καίριον εἶπεν. *homines læna* (v. ad III, 283.) *pertusa*, lacera et sarta veste induti, h. e. pauperes. 132 seq. Si munere Deorum aut hominum dives repente fieres; tu, *homuncio*, qui nunc in contemtu vivis et quem nobiles vix hominem putant, quam magnus confestim et honoratus evaderes! *Quadringenta* sc. sestertia, censum equestrem, ut I, 106. et II, 117. *similis Diis*, ἴσος θεῷ, homo, non beneficus, quod vulgo putant, sed dives, (πλούτῳ δ' ἀρετὴ καὶ κῦδος ὀπηδεῖ. Δαίμονι δ' οἷος ἕηισθα Hesiod. Ἔργ. v. 313. 314.) vel dignitate et potentia ceteris præstans, inpr. Imperator: nam Imperatoribus Rom. divini honores decernebantur, et ad eos transferebatur notiò, quam Græci de regibus et heroibus animo sibi informabant, quorum βασιλεῖς s. ἄνακτες et ἥρωες erant θεοείκελοι, ἐπιείκελοι, ἐναλίγκιοι ἀθανάτοισιν, θεοειδεῖς, θεῖον γένος, ἡμίθεοι, διοτρεφέες, Διὶ μῆτιν ἀτάλαντοι. *melior*, benignior, *fatis*, quam fata, quæ te pauperem fecere vel esse voluere. — 134. Conf. Ovid. Fast. I, 117. et sup. I, 112. — 135. *Da Trebio* sc. poculum vel cibum delicatiorem, et *pone ad Trebium*, verba divitis ad servum, et *vis, frater, ab ipsis ilibus?* ad Trebium, quod est fictum nomen pauperis clientis, (ut sup. v. 19.) qui nunc repente dives factus est. *frater* blandius nomen, quo amici se invicem compellant,

[38] v. Fischer ad Anacr. IV, 3. et intpp. Virg. Æn. I, 737 seq. et Martial. V, 79, 3.

ut ap. Horat. Ep. I, 6, 54. et Martial. X, 65, 3. Conf. Brœkhus. ad Tibull. p. 295. *vis, frater, ab ipsis ilibus,* lumbis, parte delicatiore, (v. c. apri ap. Plin. VIII, 51. s. 78.) scil. tibi aliquid abscindi; abrupte, ut similia in quolibet sermone familiari. *Ab ipsis* pro *aliquid de his* aut *istis* minus Latine dictum videbatur H. Valesio.

136. 137. Honor et blanditiæ ad numos spectant, iisque tribuuntur, non homini vel meritis et virtuti. — 137—145. Dives ille et superbus Virro etiam clientis instar te, qui repente dives factus es, ut patronum suum colet et venerabitur, si tibi non erunt liberi, et ipsi adeo spem hereditatis adipiscendæ concipere licet. Lubinus comparat simill. Epigr. XXXI. Palladæ (in Brunckii Anal. T. II. p. 413.): *Ἤν ὁ φίλος τι λάβῃ, δόμινε φράτερ εὐθὺς ἔγραψεν, Ἤν δ' αὖ μή τι λάβῃ, τὸ φράτερ εἶπε μόνον. Ὤνια γὰρ καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα· αὐτὰρ ἔγωγε Οὐκ ἐθέλω δόμινε, οὐ γὰρ ἔχω δόμεναι.* *Dominus,* v. ad I, 136. *Domini rex,* major patrono ac potente amico, *fieri,* ab eo coli summo honore. 138. 139. Poeta festive utitur verbis Virg. Æn. IV, 328. *filia dulcior,* sæpe et multis parentibus, *illo* filio. A nonnullis *illo* refertur ad Virronem s. heredipetam. — 140. *facit* cet. ob spem hereditatis. Conf. Martial. X, 18. et XI, 56.

141—145. Sed *licet,* quamvis *Mycale,* uxor tua, *pariat nunc,* quum sis locupletatus, non te penitus adspernabitur, sed tecum una gaudebit tuis liberis et munuscula jubebit afferri; Brit. Honorabit itaque te et tuos, quia nunc dives es, et sperat, gratiam a te relatum iri. *Κεκλημένος δὲ ἐπὶ δεῖπνον, κελεῦσαι καλέσαι τὰ παιδία τὸν ἐστιῶντα· καὶ εἰσιόντα φῆσαι σύκου ὁμοιότερα εἶναι τῷ πατρί· καὶ προσαγαγόμενος φιλῆσαι, καὶ παρ' αὐτὸν καθίσαι· καὶ τοῖς μὲν συμπαίζειν αὐτὸς, λέγων Ἀσκὸς, Πήλεκυς,* Theophr. Char. V. ubi cf. Casaub. Enimvero *Mycale* (de quo nomine v. Var. Lect.) h. l. meretrix potius est et sententia horum verborum: at *Mycale,* quæ *nunc tua* est scil. concubina, (quo innuit poeta satiricus, alias ei antea fuisse) vel *tres pueros simul pariat licet,* h. e. eam parere licitum est; (*sie mag gebähren*) *ipse* Virro (conf. v. 30. 56. 86. et ad I, 62.) non indignabitur, sed gaudebit, nihil veritus, ne propter filios adulterinos ab hereditate excludatur, et munuscula quoque parvulis dabit, ut gratificetur patri. Si Mycale uxoris, non pellicis nomen est, poeta *vel unum puerum,* non *tres pueros* dixisset. Nihil horum probat Manso, qui potius hæc adnotavit: " Tædet repetere miras, ne dicam ineptas, interpretationes lectionis sanæ et sinceræ. Aberrant a vero viri docti ad unum omnes, referentes *ipse* ad patronum Virronem,

nunc ad repentinas versus 132. divitias, quum potius sub *ipse* intelligendus sit *pater* h. e. maritus Mycales idemque Virronis cliens, *nunc* autem sine dubio ad præsentem pauperis clientis conditionem spectet. Sensus obvius est et simplex. Noli sperare, poeta Trebium alloquitur, patronum tibi gratulaturum et munusculo aliquo lætitiam suam testaturum esse, si forte uxor tribus puerulis te uno partu beaverit. Pater Trebius his parvulis solus delectabitur, elegantiores vestes sumtibus suis conficiendas curabit, nuces, si blandientes ad mensam accesserint, iis ipse porrigere et numulos ad crepundia emenda e crumena sua præbere coactus erit. In his omnibus nil te juvabit Virronis liberalitas: nam *jucundum et carum sterilis facit uxor amicum* v. 140." Hæc vero sententia, vss. 137—140. jam expressa, ne quid gravius dicam, admodum languet, neque ei conveniunt singula verba *pueros tres in gremium patris fundat simul, ipse gaudebit* et *ad mensam quoties parasitus venerit infans.* Ea quoque non unum ob causam repudianda et tum a v. 145., tum a breviloquentia Juvenalis aliena videtur viro docto in Ephem. Hal. (Allg. Lit. Zeit. a. 1814. pl. 223.) Neque assequor, cur non et *nunc,* et omnia a v. 132. ad 145. ad *Trebium,* pauperem clientem, qui *nunc* repente dives factus est, referri et possint et debeant. Aptissimum vero est *nunc* eo, quo jam id capio, sensu ; et neque inepta lectio a me restituta, neque hæc certe interpretatio meæ, paululum immutatæ anteferenda. *loquaci nido,* pullis avium, νεοσσοῖς τρύζουσι, h. l. pro puerulis loquacibus, forma loquendi Virg. Æn. XII, 475. ad sensum impropr. ac figuratum translata. Sic et χρηστοῦ πατρὸς νέοττια dixit adulator apud Theophr. Char. II. *tenerum palumbum* Pers. III, 16. Catull. XXIX, 9. *nidos querulos* Senec. Herc. Fur. v. 148. *nidos immites* Virg. Ge. IV, 17. et *nidum liberorum* Ammian. XIV. p. 28. ubi v. Vales. Conf. inf. XIV, 74. in Var. Lect. et Burm. ad Anthol. vet. Lat. Epigr. I. p. 139. — 143. *viridem thoraca* laneum, subuculam, vel tunicam.[39] — 144. *minimas nuces* Avellanas, vel potius res minimi pretii, quales sunt nuces. *assem rogatum* more infantum, qui crepundia amant et *assem,* nummulos, petunt, ut ea emant. Cf. ad XIV, 208. in Var. Lect. *infans parasitus,* blandiens et appetens ciborum.

146—155. Hæc ad mensam secundam spectant. *Vilibus amicis,* clientibus, (v. ad v. 108.) *ponentur,* apponentur, *fungi ancipites,*

[39] Schol. vet. *armilausiam prasinam,* ad hist. Aug. p. 335. Rutgers. Var. Lect. *ut simiæ.* Cf. Dufresnii Glossar. Salmas. III, 15. VI, 13. et sup. ad III, 67.

suspectum cibi genus, de quo dubites, venenatum sit, nec ne. *Quæ voluptas tanta ancipitis cibi,* Plin. XXII, 23. ubi de fungis agit. — 147. Cf. Martial. I, 21. et III, 60, 5. *Boletus* præstantissimum fungi genus. v. ad XIV, 8. *Fungi* sunt silvestres, sponte sua nascentes, ideoque *viliores ; boletus* in hortis ex arte surgens ideoque exquisitior; Ach. Præterea *fungi* sunt *ancipites*, non boleti. Utrumque igitur expressit poeta : Convivis et viliores cibi apponuntur et *ancipites ;* domino exquisitiores et non suspecti. *Domino*, v. ad I, 136. *sed boletus* non venenatus, *qualem Claudius* Imp. *edit, ante* quam ederet *illum,* quem ei dedit Agrippina uxor veneno infectum, *post quem nil amplius edit,* festive pro, quo periit. Cf. ad VI, 620 seq. Suet. Claud. c. 44. Plin. XXII, 22. et verba Martialis I, 21, 4. *Boletum, qualem Claudius edit, edas!* — 149. *Virronibus,* convictoribus et amicis, Virroni paribus nobilitate ac divitiis. *pascaris,* delecteris, vel potius nutriaris, quia *solo odore* dicitur. Cf. Martial. I, 39, 9. et Ovid. Met. VII, 263. ubi Heins. bene suspicatur, Juvenalem allusisse h. l. ad gentem quamdam Indicam, de qua hæc tradit Solinus : *Odore vivunt pomorum silvestrium et eorum olfactu aluntur.* — 150. *Phœacum* ins. in mari Ionio prope Epirum, Corcyra, (hod. *Corfu*) eorumque rex Alcinous et hujus hortus notissima ex Hom. Odyss. η. ubi etiam v. 114 seq. poma præstantissima ac perennia, propter Zephyrum semper spirantem, laudantur, unde h. l. *perpetuus auctumnus.* Conf. Quirini primordia Corcyræ p. 63. — 152. *sororibus Afris,* Hesperidibus, quarum horti in extrema *Africa* et poma aurea vel tironibus nota.[40] *subrepta,* ut olim ab Atlante et Hercule.[41] 153—155. *Tu,* pauper cliens, *frueris,* cum voluptate præ inedia vesceris, *scabie mali,* malo scabioso et carioso, *quod,* quale cet. Locus admodum obscurus, in quem dici non potest quot nugas confuderint interpretes, quas omnes recensere non est operæ pretium. Plerique putant, de tirone milite, qui *parma,* levi scuto, tegatur, ejusque exercitiis in *aggere,* campo, agi, et *hirsutam capellam* esse *vel* lorum s. amentum e corio capellæ factum hastæque alligatum, quo missa retrahi posset, *vel* centurionem, *vel* campidoctorem, (ita Schol. vet.) vel alium magistrum, qui per convicium *capella* dicatur, quod *hirsutus* sit caprarum instar et promissa barba intonsisque capillis horreat, seu indutus

[40] v. Plin. XIX, 4. Spanhem. ad Callim. H. in Cer. v. 11. Heyne ad Virg. Æn. IV, 480 seq. ad Apollod. p. 406 seq. et Comm. de Theog. Hes. p. 141. Salmas. Exerc. Plin. p. 670. et Schweigh. ad Athen. III, 7. (23. et 25.) p. 82. et 83.

[41] de quo v. Heyne ad Apollod. II, 5, 11. et Diodor. IV, 27.

sago cilicio, vestimento ex pilis caprarum et hircorum texto. Cf. ad XIV, 194. 195. et XVI, 13. Hæc, quod mireris, probat Ach. qui tamen verba *ab hirsuta capella* rectius ab Omnibono explicari putat: "a tegmine cilicii, h. e. a tentorio; nam de setis hircorum cilicia texuntur, quibus et naves et tentoria tegi solebant, quoniam optima sunt adversus ignem et aquam tegmina: constat autem, Romanos in castris usos fuisse ciliciis." Tirunculos capris insidentes in primis militiæ rudimentis didicisse jaculari, male suspicabatur Bochart. Hieroz. I, 3, 19. p. 902. Lipsius autem de mil. Rom. V, 14., venatorem hic describi vel bestiarium, qui in *aggere*, non castrensi, sed urbano (v. ad VIII, 43.) feras jaculari didicerit in capella viva et in ea, non in leone aliisve feris configendis tuto artis tirocinia ponere potuerit; quod hominum genus infimæ dicit conditionis fuisse, flagellis cæsum et ob vilitatem cibi tenue ac strictum, non in gladiatoria sagina. — Grangæus et Rutgers. Var. Lect. III, 15., duce Schol. vet. qui ad voc. *mali* notavit, *quale simia manducat*, credebant simiam designari jaculatricem et capræ inequitantem, quæ ab agyrtis et histrionibus lucelli risusque captandi causa circumducta sit. Hac sententia paululum immutata, Henninius h. l. ita interpretatur: "*frueris* (emphatica indignatione hac voce utitur) *malo, quod in aggere* s. castris Prætorianis prope Urbis mœnia ab otiosis Prætorianis *rodendum* daretur simiæ, quam illi Prætoriani, insuper habitis militaribus exercitiis, ludicro bonum otium ad Urbem perdentes, *parma galeaque tectam hirsutæque capellæ* inequitantem *flagelli metu* ad disciplinam *torquendi* inde, instar equitis, *jaculi* compellant. In transitu acri bile perfunditur desidia militis: *simiam* vero *equitem ex capra jaculandi artificem* inter ludicra militis etiam Asiatici enumerat Leo Africanus." Hæc interpretatio reliquis præferenda videtur. Cf. Var. Lect. *metuens flagelli*, ut *m. virgæ* VII, 210. v. Heins. ad Ovid. Met. I, 323.

156. *impensæ parcere*, te pauperem tam ignominiose tractare ob parsimoniam et sordes. Immo *hoc agit*, facit, vel illud molitur, operam dat, *ut doleas*, ut te vexet, angat, discruciet et ludibrio habeat. 157—166. Similia dixit Lucianus *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων* cap. 24. *Οὕτως ἀπορία μέν σε θέρμων* (lupinorum, ut XIV, 153.) *ἔσχεν ἢ τῶν ἀγρίων λαχάνων, ἐπέλιπον δὲ καὶ αἱ κρῆναι ἐξουσαι τοῦ ψυχροῦ ὕδατος, ὡς ἐπὶ ταῦτά σε ὑπ' ἀμηχανίας ἐλθεῖν; ἀλλὰ δῆλον, ὡς οὐχ ὕδατος, οὐδὲ θέρμων, ἀλλὰ πεμμάτων καὶ ὄψων καὶ οἴνου ἀνθοσμίου ἐπιθυμῶν ἐάλως, καθάπερ ὁ λάβραξ, αὐτὸν ὠλα δικαίως τὸν ὀρεγόμενον τούτων λαιμὸν διαπαρείς. Παρὰ πόδας τοιγαροῦν τῆς λιχνείας ταύτης τἀπίχειρα, καὶ ὥσπερ οἱ πίθηκοι κλοιῷ δεθεὶς τὸν τράχηλον*

ἄλλως μὲν γέλωτα παρέχεις, σαυτῷ δὲ δοκεῖς τρυφᾶν, ὅτι ἔστι σοι τῶν ἰσχάδων ἀφθόνως ἐντραγεῖν· ἡ δ' ἐλευθερία καὶ τὸ εὐγενὲς, σὺν αὐτοῖς φυλέταις καὶ φράτορσι, φροῦδα πάντα, καὶ οὐδὲ μνήμη τις αὐτῶν. Cf. sup. v. 6 seq. — 157. 158. *Ridiculus æque nullus est, quam quando esurit,* Plaut. Stich. I, 3, 64. Paupertas quoque ridiculos facit homines. v. sup. III, 152 seq. et ibi not. *ploranie gula,* famelico parasito, qui fame maceratur. 159. *bilem,* iram, *effundere per lacrumas:* nam, ut verbis Ovid. Trist. IV, 3, 38. utar, *expletur lacrumis egeriturque dolor.* Cf. ad I, 45. *presso,* compresso, *diu molari* s. maxillari dente *stridere,* frendere dentibus, ut irati solent. 161. *Tu tibi liber homo videris,* qui tamen servus es gulæ aliarumque cupiditatum. Cf. loca præclara Horat. Sat. II, 7, 80—94. 111. et Epist. I, 16, 63 seq. (ubi Stoice philosophatur) Pers. V, 73—90. (ubi v. Casaub.) Martial. II, 53. et IX, 11. *Regis* (v. ad I, 136.) *conviva v.,* cf. Horat. Sat. II, 7, 32 seq. — 162. Cf. Horat. Sat. II, 7, 38. Martial. I, 93, 9. et V, 45, 7 seq.

163 seq. *Quis* est *tam nudus* opibus, inops, omnibus aliis præsidiis destitutus, *ut illum* Virronem, ejus superbiam et contumelias, *bis ferat,* ut iterum invitatus ad cœnam veniat, *Etruscum — loro,* h. e. si ingenuus est et nobilis genere, vel tantum libertinus et pauper. *aurum Etruscum,* bulla aurea, quod insigne puerorum ingenuorum, ut multa aliorum, præcipue regum, ab *Etruscis* petitum videtur. Cf. Macrob. Sat. I, 6. Plin. 33, 1. s. 4. Aurel. Vict. de viris ill. c. 6. ubi v. Harles. *Bulla* erat insigne puerorum ingenuorum, cordis fere figura, ex collo in pectus dependens, quo incantationes et fascina submoveri credebantur quodque pueri togam prætextam ponentes donabant laribus. Pueri nobiles ac divites utebantur bulla aurea, humili vero loco nati, pauperes et libertini scortea, h. e. e corio facta, vel *loro;* nisi potius *lorum* est ligamentum cum nodo, sine bulla, ex eo pendente.[42] — 166. *Spes bene cœnandi vos decipit,* cf. I, 132. 134. et Luciani verba adscripta sup. ad v. 22. et 157. — *Ecce dabit — altilis,* verba vel potius cogitationes pauperis clientis. *Μόνον τῶν περιφερομένων τὰ ὀστᾶ, εἰ ἀφίκοιτο μέχρι σοῦ, καθάπερ οἱ κύνες περιεσθίων, ἢ τὸ σκληρὸν τῆς μαλάχης φύλλον, ᾧ τὰ ἄλλα συνειλοῦσιν, εἰ ὑπερορθοίη ὑπὸ τῶν προκατακειμένων, ἄσμενος ὑπὸ λιμοῦ παραψάμενος,* Lucian. *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων* cap. 26. et ibid. c. 17. οὐ

[42] Cf. XIII, 33. et XIV, 5. De origine causaque hujus moris et forma *bullæ* v. loc. class. Macrob. Sat. I, 6. Plin. XXXIII, 1. Fest. h. v. Plut. in Romulo p. 30. Voss. Etymol. ling. Lat. p. 81. intpp. Petron. 60. Franc. de Ficorini libellus de bulla Rom. 1732. Middleton in Germanis quibusdam eruditæ antiquitatis monumentis Lond. 1745. p. 29—48.

λευκοῦ ποτε ἄρτου ἐμφορηθείς, (cf. v. 67—75.) οὔτε γε Νομαδικοῦ ἢ Φασιανοῦ ὄρνιθος, ὧν μόλις τὰ ὀστᾶ ἡμῖν καταλέλοιπε. (Cf. ad v. 114.) — 168. *minor altilis*, anas aut gallina, ut v. 115. nisi *minor* est semesa. *inde*, quia speratis, partem ciborum delicatiorum vobis datum iri, *tacetis*, non postulatis *panem paratum*, quem sumere cuivis licet, et *strictum*, secatum, (ut ap. Virg. Ge. I, 317. ubi v. Heyne) adeoque in pleno convivio esuritis. An sensus est: *tacetis*, suspensi exspectatione et inter spem metumque, *paratum* semper et in promtu habentes ac *stringentes*, imminuentes, panem, cum illis cibis comedendum, quem tamen *non tangitis*, editis, quoniam illi cibi vobis non exhibentur.

170—174. Verba cum indignatione dicta. *Ille* Virro *sapit*, *qui te sic utitur*, tam contumeliose ac superbe te tractat: facit id merito tuo; dignus es, qui ita tracteris. *Omnia ferre si potes*, *et*, etiam, *debes*; apta et gravis sententia. 171. 172. Hæc referunt ad duram parasitorum conditionem, qui tum ridiculi, (γελωτοποιοί) tum plagipatidæ fuerint.[43] Color autem orationis petitus a mimis, in quibus servi, scurræ et moriones in scenam inducebantur *vertice* s. capite *raso*, et *pulsantes* sibi *capita*, h. e. colaphis percutientes, excipientes turgentibus malis alapas aut *flagris* cæstibusque se invicem cædentes. Conf. ad I, 36. VIII, 192. Ziegler de mimis Rom. p. 30. 31. et Ferrar. Elect. II, 13.

[43] Cf. Terent. Eun. II, 2, 13. Plaut. Capt. I, 1, 20. ibique Meurs.

IN

SATIRAM VI.

1—13. In aureo seculo, in quo Saturnus rex Latii fuit, *Pudicitia* cum reliquis virtutibus in terra et inter homines versata creditur.[1] *Credo*, de re adhuc dubia. *rege*, regnante. — 3 seq. De aurea ætate pauca quidem poeta, sed, ut solet, festive et ad consilium suum apte dicit. Animo autem oculisque ejus obversabatur præclarus locus Lucret. V, 905—1026. de vita, ingenio moribusque primorum hominum, e terra natorum. *frigida — domos;* nam prisco ævo sylvæ, *antra et specus erant pro domibus*, Plin. VII, 56. Cf. Lucret. V, 951 seq. Neque in habitationibus spectabatur magnificentia et elegantia, sed, quæ summa rei est, tutela contra aëris injurias præstanda. *frigida*, quoniam sub terra est; et hinc aptior ad vim solis arcendam ædibus nostris. *ignem*, focum. *Larem* familiarem. 4. *pecus*, ut ap. Fest. v. *caulæ: antiquitus ante usum tectorum oves in antris claudebantur.* — *communi umbra* scil. speluncæ vel sylvæ, speluncam continentis et obumbrantis.

5—10. Illis temporibus pudicitia servata est labore, aspero vitæ cultu, propria liberorum nutricatione et agresti parcoque victu. Cf. VI, 286 seq. et XIV, 161 seq. — 5. 6. Cf. Valer. Fl. I, 137. Ovid. A. A. II, 475. et Amor. III, 10, 10. ubi v. Heins. *montana*, in

[1] De qua fabula satis nota v. Heyne Exc. III. et IV. ad Virg. Æn. VII. Exc. II. ad Virg. Æn. VIII, 314—329. et ad Tibull. I, 3, 35 seq. Cf. inf. XIII, 38 seq. et de sæculis s. ætatibus mundi ad XIII, 28 seq. De *Pudicitia* cf. Prop. II, 23, 108. al. 32, 52. et Ovid. Ep. Her. IV, 131 seq. de *Saturno* Creuzer's Symbolik T. II. p. 7. 242 seq. 373 seq. 484. T. IV. p. 464 seq.

montibus eorumque cavernis habitans. *Sternere* voc. propr. de lecto, unde *stratum.* *culmo,* palea, stramine. *pellibus ferarum,* quibus et prisci homines, non tamen feri adhuc et per sylvas vagantes, qui frondibus foliisque tecti vel nudi erant, sed jam mitiores facti, vestiebantur. Non, ut hodie, culcitis plumeis vel mollibus stragulis *torum,* lectum, sternebant. *vicinarum ferarum,* quæ eadem in sylvis et vicina habebant latibula. Ovium et caprarum: forte melius leonum et tigridum, ut ostendatur priorum hominum robur; Ach. 7—9. Mulier illa montana non erat mollis et delicata, sed dura et horrida. Cf. Lucret. V, 923 seq. *Cynthia* puella, a Propertio amata, cujus verum nomen Hostia erat, et quæ modo hunc modo illum amabat. v. Barth. in Edit. Propert. p. LXXVIII seq. et 368. — 8. Designatur *Lesbia,* amica Catulli poetæ, quæ propr. Claudia vocabatur, et mortem *passeris* diu multumque deflebat. Cf. Catull. III, 18. al. Martial. VII, 13. *cujus exstinctus,* mortuus, *passer,* h. e. cui mors passeris *ocellos turbavit,* contristavit, quod verbum a cœlo vel mari, ventis turbato, ad animum vultumque transfertur. Cf. Heins. et Heyne ad Virg. Æn. VIII, 223. Græc. συνεφοῦν ὄμματα comparavit Grang. *ocellos,* blande, et de pulcris oculis, ut ap. Catull. l. c. *meæ puellæ Flendo turgiduli rubent ocelli,* et al. passim. — 9. Confer omnino egregia ac prolixa dissert. Favorini philosophi ap. Gell. XII, 1. qua suadet nobili feminæ, ut liberos, quos pariat, non nutricum, sed suo lacte alat. Idem præcipiunt Macrob. V, 11. Plut. et al. *potanda,* non tantum sugenda, adeoque plena lactis. *infantibus magnis,* adultis; non enim tam cito, ut nunc, arcebantur a mammis; Grang. Alii coll. XV, 69. 70. et Lucret. V, 925. epitheton eo referunt, quod primis seculis grandiores nati sint infantes. — 10. *horridior* ingenio, et in victu atque amictu; non, ut nunc, mollior et delicatior. *Glandes* aliique fructus arborum et herbarum primi erant cibi. Plin. VII, 56. XVI. pr. Virg. Ge. I, 8. 148. *ructante,* quia multas glandes et avide comedit. Delicatiores Romani ructabant aves, aprum cet.[2] — 11. Verba Lucret. V, 905.

12. 13. Facete ac per risum poeta memorat fabulas de origine hominum, et inde docet, cur primis illi temporibus caste ac pudice vixerint; quod scil. durum adhuc horridumque fuerit ingenium eorum, non luxu corruptum, quodque (nati scil. e robore s. terra et luto) nondum *habuerint parentes,* qui lascivum ipsis sanguinem infu-

[2] v. Varr. R. R. III, 2, 5. Mart. IX, 49, 8. et al. Heins. ad Ovid. Met. XIV, 211.

derint, vel pravis eos exemplis et educatione enervaverint. *rupto robore nati*, ut *Gens virum truncis et duro robore nata* ap. Virg. Æn. VIII, 315. ubi v. intpp. qui recte jam monuerunt, hoc commentum inde esse ortum, quod feri homines cavis arborum truncis loco ædium utuntur. *rupto* melius quam *duro* ap. Virg. (ubi et *rupto* in tert. Rottend. forte ex nostro loco), ut roboris quasi partus simul exprimatur, ut ap. Ovid. Met. X, 512. *Arbor agit rimas et fissa cortice vivum Reddit onus;* Grang. — 13. Alia de origine hominum eaque notissima fabula memoratur, de qua v. ad IV, 133. Hinc homo ὁ πηλὸς Προμηθεύς vocatur in Callim. fragm. 87.

14 seq. In argentea quoque ætate, qua Jupiter regnavit, (v. Ovid. Met. I, 113 seq. et Tibull. I, 3, 49 seq.) sancte etiamnum ac pudice vixerunt homines, sed primis tantum ejus temporibus; unde poeta facete et salse dixit *Jove nondum barbato*, adhuc impubere, nondum adulto et toties adulterante. Cf. v. 59. et ad XIII, 41. et 58.

16—18. Quum homines adhuc juste viverent ac sine fraude, neque perjuria et furta h. e. scelera vel essent ac vigerent, vel timerentur. 18. *nondum Græcis jurare paratis*, ut nunc. Hæc verba vulgo, nec male explicant de perfidia ac perjuriis, a quibus non adhorrebant mores et ingenia Græcorum, qualia describuntur III, 58—125. (cf. ad XIV, 240.) et inpr. a Cicer. in orat. pro Flacco. Non tamen veteres, sed seriores tantum Græci tam male audiisse videntur: nam olim *Græca* et *Attica fides* vel proverbii loco optima, *Punica* vero mala dici solebat.[3] Rubenius (Elect. II, 26. p. 74.) verba illa ad adulationem referenda esse putabat notarique Græculos ejus ævi, qui passim in magnis domibus et per salutem geniumque heri sui juraverint, eumdem scil. ei honorem, quem Diis aut Principi, habentes. Græcorum ars adulandi notatur sup. III, 86 seq. Sed verba *parata jurare* et *jurare per caput alterius* ad levitatem potius in jurando spectare videntur. Recte Seneca de Consol. ad Helv. c. 10. *Majores nostri*, inquit, *per fictiles deos religiose jurabant et, qui illos invocaverant, ad hostem morituri, ne fallerent, redibant.* Sed posteri eorum, more Græcorum hujus ævi, perjuria sæpe faciebant et, ut pœnam eorum effugerent, non per Deos jurabant, sed per homines eorumque *capita*, oculos, ossa, cinerem, per genium, fortunam vitamque hominum, inpr. Imperatorum, immo per res non modo vivas et

[3] v. Velleï. II, 23. et Gronov. ad Plaut. Asinar. I, 3, 17. Confer Guys literar. Briefe P. II. p. 27.

caras, sed etiam inanimas et nullius fere pretii. Cf. XIII, 90 seq. *quum furem nemo timeret*, tam ob inopiam, quam ob justitiam integritatemque animorum, *caulibus*, oleribus, *aut pomis*, cibo illorum hominum, *et* quisque *aperto viveret horto*, non clauso, neque apposito ejus custode, Priapo. Conf. Tibull. I, 3, 43. 44. Plin. XIX, 4. et locus Calpurnii, ab Hein. laudatus, Eclog. I, 37, 45 seq. Subjectum quidem h. l. est *nemo*, quod alienum est a verbis *aperto viveret horto*. Sed ex *Nemo*, *Nolo*, *Nego*, *Ne* sæpe in proximo orationis membro adsumi significationem, quæ affirmet, recte monuerunt Hein. et, quos hic laudavit, Manut. ad Cic. pro Quinctio c. 26. Gron. obss. IV, 2. Heusing. ad Corn. Nep. Eum. 6. et Dat. 6. Cort. ad Sallust. 6. Jug. 14. in exc. et ad c. 106. Burm. ad Quintil. X, 16. et Ruhnken. ad Rutil. Lup. 1, 13.

19. *Paulatim*, exeunte ætate argentea et in ærca. Nam quatuor ætates earumque mores adumbrantur. 19. 20. Deos inter homines in aureo seculo versatos esse, eorumque improbitate præter modum crescente terram reliquisse, vel tironibus nota fabula est. *Astræa*, Justitia, *recessit ad Superos paulatim* et postremo.[4] *recessit hac* Pudicitia *comite*, *atque* sic *duæ pariter fugere sorores*, Astræa et Pudicitia, (male Schol. vet. Grang. et al. Fides et Pudicitia) ut ap. Hesiod. Ἔργ. καὶ Ἡμ. 199. quem locum poeta in animo habuisse videtur, Ἀθανάτων μετὰ φῦλα ἴτην, προλιπόντ' ἀνθρώπους, Αἰδὼς καὶ Νέμεσις. Proprie hæc expressa inf. XI, 54. 55. Astræa, Ἀστραῖα, et Νέμεσις, nec non Δίκη, Παρθένος et Erigone a poetis confunduntur. Cf. Herrmann. Mythol. T. III. p. 134. 140. et al. Fides soror Justitiæ ap. Horat. Od. I, 24, 6.

21 seq. *Antiquum* jam *est* adulterium; jam in argentea ætate, h. e. priscis temporibus, adulteria viguere. Cf. Horat. Sat. I, 3, 107 seq. *Ursidius Postumus*, amicus Juvenalis, non aliunde notus. Cf. v. 28. 38. 42. — 22. *Concutere*, vexare, turbare, *lectum alienum*, jura conjugialia aliorum adulteriis; nisi malis, libidinando quatere lectum. Cf. Catull. VI, 10. 11. *Genium sacri fulcri*, conjugalis tori, h. e. religionem connubii, quam violare nefas est. *Fulcrum* lecti pro ipso lecto.[5] *Geniorum*, qui genitos tuentur iisque adsunt perpetui custodes ac comites, præcipua quoque religio esse debuit in

[4] cf. Ovid. Met. I, 105. et Fast. I, 249. Virg. Ge. II, 475. Hygin. Astron. II, 25. Manil. Astr. IV, 542. Sen. Octav. 422. Herrm. Mythol. T. II. p. 136. 141.

[5] ut XI, 95. Prop. IV, 7, 3. et Lotich. Eleg. III, 3, 22. ubi v. Burmannum.

nuptiis: unde et *lectus genialis* X, 334. et al. dicitur nuptialis, quia Genio erat et Junoni sacer, vel ominis causa, a genendo s. gignendo. v. Festus, Lips. Elect. I, 17. Heyne ad Tibull. I, 7, 49 seq. intpp. Horat. Od. III, 17, 14 seq. Creuzer's Symbolik T. III. p. 4 seq. 36 seq. 50. 432 seq. Idem lectulus *sacer*, quia religiose servabatur, tamquam connubii monimentum et quasi pignus, et quia nefas est, temerare thalamos pudicos et fœdera lecti, ut utar verbis Ovid. Am. I, 8, 19. et Ep. Her. V, 101. — 23. 24. *Omne aliud crimen mox ferrea protulit ætas:* sed *viderunt* cet. Cf. Ovid. Met. I, 127 seq. et Var. Lect.

25 seq. Etsi inde a Jovis temporibus vel seculo argenteo tot jam commissa sunt adulteria, *tamen* nuptias paras, et quidem *nostra tempestate*, ætate pessima, qua virgines et matronæ, juvenes et mariti fere omnes impudice vivunt? Quæ hæc est insania? — 25. Verba prisci juris huic rei propria: quum enim solus esset *conventus* et de conditionibus ageretur, puellæ *speratæ*, quum *pactum*, quo sponsus stipulabatur et pater se filiam ei daturum spondebat, *pactæ*, quum *sponsalia*, mutuus contractus, qui vel solo perficiebatur consensu vel in tabulas, a signatoribus obsignandas, *sponsæ* dicebantur. 26. Jam nitidus esse cupis et placere puellæ. *Tonsores* non modo barbam, capillos unguesque tondebant, (de quo triplici eorum negotio v. Bœttigeri Sabina p. 330 seq.) sed crines quoque *pectebant* et in gradus formabant, vel calamistro convertebant. Romani anno demum U. c. CCCCLIV tonderi comique cœperunt; (Plin. VII, 59.) antea barbati erant atque intonsi, cultumque corporis negligebant. Delicati autem et formosuli homines comam non modo alere, sed et colere, et comto *pexoque* capillo nitidi esse solebant. Cf. Tibull. I, 8, 9—16. et inf. ad v. 105. Voc. *magistro* adjective positum et exquisite, significans crimen summa arte comtum, vel a *docta manu artificis*, ut ap. Tibull. l. l. *tonsore magistro*, forte tondendi peritissimo, nisi leg. *tonsore ministro;* H. Vales. 27. *pignus*, annulum pronubum, qui sponsalibus rite factis obsignatisque tabulis sponsæ *pigneris* vel arrhabonis sponsaliumque loco, aut in fidem mutui amoris, a sponso dabatur vel mittebatur, et Plinii temporibus ferreus, sed postea aureus fuit.[6] *digito*, qui in manu sinistra minimo proximus erat; de quo v. Gell. X, 10. et Macrob. VII, 13.

[6] Cf. Plin. XXXIII, 1. Tertull. Apologet. Clem. Alex. Peadag. III, 11. Isidor. Orig. XIX, 32. Selden. Uxor. Hebr. II, 14. Scalig. Poet. III, 100. Long. et Kirchman. de annulis.

28. 29. *Certe sanus eras* adhuc; at nunc insanis, qui de uxore ducenda cogitas; nisi malis *certe sanus eras,* quum hoc consilium caperes? Sic et Menander ap. Athen. XIII, 1. (8.) p. 559. A. Οὐ γαμεῖς, ἐάν γε νοῦν ἔχῃς, Τοῦτον καταλιπὼν τὸν βίον. γεγάμηκα γὰρ Αὐτὸς, διὰ τοῦτό σοι παραινῶ μὴ γαμεῖν. B. Δεδογμένον τὸ πρᾶγμ'· ἀνεῤῥίφθω κύβος. A. Πέραινε· σωθείης δὲ νῦν. ἀληθινὸν Εἰς πέλαγος αὐτὸν ἐμβαλεῖς γὰρ πραγμάτων Οὐ Λιβυκὸν, οὐδ' Λἰγαῖον, [οὐδ' Λἰγύπτιον] Οὗ τῶν τριάκοντ' οὐκ ἀπόλλυταί τρία Πλοιάρια· γήμας δ' οὐδὲ εἷς σέσωσθ' ὅλως. Eubulus ibidem: Καλῶς ἀπόλοιθ', ὅστις γυναῖκα δευτέραν Ἔγημε. τὸν γὰρ πρῶτον οὐκ ἐρῶ κακῶς. Ὁ μὲν γὰρ ἦν ἄπειρος, οἶμαι, τοῦ κακοῦ· Ὁ δ', οἷον ἦν γυνὴ κακὸν, πεπεισμένος. 29. *Tisiphone* pro quacumque Furia, et pro insania: nam homines a Furiis in furorem insaniamque impelli credebantur. *dic, quibus exagitare* (v. Varr. Lectt.) *colubris,* quia Furiæ ὀφιοπλόκαμοι, de quo v. Herrmann. Mythol. T. II. p. 488. Interrogationes augent vim h. l. et δεινότητα. 30—32. Nonne insanis, qui perpetuam servitutem et longam quasi mortem eligis, quum tot tamque faciles ac breves ad mortem pateant viæ? vel qui tam miseram tolerare possis vitam, quum eam finiendi tot sint modi? Multone satius est, necem sibi consciscere, quam ducere uxorem? Similis orationis color ap. Valer. Fl. VII, 331 seq. et Senec. Ep. 41. (*Ego illam* fortunam *feram, quum in manu mea mors sit?*) — *Dominam* dixit poeta, non ut Homerus ἄλοχον δέσποιναν, (Germ. *gebieterin*) vel quoniam Romanis primum nobiliores feminæ, inde ab anno ætatis XIV, ipsæque Imperatorum conjuges, mox vero et plebeiæ mulieres dictæ sunt *dominæ,* ut Angl. *miss* et *mistress,* Germ. *gnädiges fräulein, gnädige frau,* (cf. VI, 376. IX, 78. Epict. Enchirid. c. 40. 62. et Bœttigeri Sabina p. 31. 32. ed. pr.) sed ut significet uxorem, inpr. divitem, quæ marito imperet. Cf. ad v. 43. 136. 457. Amicæ quoque vocabantur *dominæ* et amor cum servitute illiusque ærumnæ cum hujus malis comparantur.[7] *salvis tot restibus,* quum tot in promtu sint laquei, quibus fauces tibi elidere vel te suspendere queas. 31. *altæ fenestræ,* e quibus, et *pons,* a quo te præcipitem dare possis. *fenestræ caligantes,* quæ tam altæ sunt, ut quasi excæcent et despici vix sine oculorum animique vertigine possit; ut fere *caligat in altis obtutus saxis* ap. Sil. III, 492. *Æmilius pons,* quod ibi lupanaria essent; vet. Schol. Conf. Tac. Ann. XIII, 47. Sed h. l. pro quovis potius ponte ponitur, et epith. simpl. ornat. Est autem proprie pons, qui Tibe-

[7] Cf. Tibull. II, 4, 1 seq. et Lips. Exc. P. ad Tac. Ann. II, 87.

rim jungit, et tum *Æmilius* a M. Æmilio Scauro censore, tum Milvius seu rectius Mulvius dicitur. Cf. Aurel. Vict. de viris ill. c. 72, 8. et Cort. ad Sall. Cat. 45.

33—37. Sed *si exitus* vitæ *de multis*, quos dixi, h. e. mortem tibi consciscere ullo modo, non *placet; nonne melius putas*, cum puero pathico, ut soles, quam cum conjuge dormire? nonne satius est, cum scortis, etiam exoletis, rem habere, quam uxorem ducere? Illud cur melius sit, variis probatur rationibus. Hanc autem non veram poetæ mentem esse, sed salse potius et scoptice ita notari Postumum, *notissimum mœchorum*, (v. 42.) quilibet vel me non monente intelliget. *Pusio* puerulus, ut ap. Cic. Cœl. 15. ac Tusc. I, 24. et quidem h. l. catamitus, quem Postumus pædicat. *dormit*, non *dormiat*, de eo, qui re vera παιδεραστὴς fuit. — 35. *litigat;* cf. inf. v. 268 seq. — 36. *illic*, in lecto. In ipso actu, non post opus; Grang. coll. Ovid. Art. Am. III, 805 seq. 37. *quod lateri parcas*, h. e. libidini non satis indulgeas: nam *latera* dicuntur vires, quarum defectus in *latere* potissimum percipitur; unde *latus deficit, rumpitur* cet. de oratoribus, cantantibus, currentibus, potantibus et amori obsequentibus vel intemperanter Venerem exercentibus.[8] *anheles* in concubitu, ut in Epithal. Laurent. et Mar. v. 76. (Wernsdorf. Poet. min. T. IV. p. 498.) *Exercentque toris Veneris luctamen anhelum.* Conf. et Tibull. I, 8, 37.

38—40. Facete et ἐρωνικῶς poeta (nam ejus verba hæc sunt, non Postumi) consilium uxoris ducendæ ab *Ursidio* Postumo propterea captum dicit, quod adulteria non amplius voluptati sint ipsi, vel suspicionem nefandæ libidinis effugere cupiat, et tam præmia, *lege Julia* iis, qui uxores duxissent liberosque, *heredes* bonorum suorum, procreassent, proposita affectet, quam pœnas eadem lege in adulteros constitutas (relegationem scil. in insulam et publicationem dimidiæ partis bonorum) metuat; quasi hæc lex illis adhuc temporibus magnam habuerit vim, quam *dormire* dixerat sup. II, 37. *Julia* autem *lex* h. l. non modo videtur esse illa *de adulteriis* ab Augusto a. DCCXXXVII lata, sed etiam *lex Julia et Papia Poppæa* de *maritandis ordinibus*, a. DCCLVII perlata, qua Augustus illam legem severius emendavit auxitque præmia, ut cives ad justa matrimonia contra-

[8] De his v. Ovid. A. A. II, 413. 673. et Amor. II, 10, 25. 29. III, 11, 13. *(lassus amator, invalidum referens emeritumque latus.)* Auct. Priap. LXXXIII, 45. Catull. VI, 13. *(latera exfutata*, viribus defecta et exhausta.) Martial. XI, 105, 6. Cf. Ern. clav. Cic. v. *latus.*

henda vel adigeret vel alliceret; quaque etiam præter cetera cautum erat, ut cælibes neque hereditatem, neque legatum ex testamento nisi proximorum caperent.[9] Conf. ad IX, 87 seq. *tollere*, creare, gignere. Infantes recens nati, ut vulgo putant, humi deponebantur et, quos pater *tollebat*, agnoscebat pro suis liberis, quos vero non tollebat, exponebantur. Ritus tamen ille dubius est, et *tollere* forte id. qd. educare, alere; unde et matres *sustulisse* dicuntur liberos ap. Plaut. Truc. II, 4, 45. Terent. Heaut. III, 5, (al. IV, 1,) 14. 15. et al. *dulcem* et δεινῶς et εἰρωνικῶς. 39. *Cogitat heredem* cet. Cf. epigramma, ab Hein. laudatum, in Burm. Anthol. T. I. p. 685.

Cogitat Ursidius, sibi dote jugare puellam,
Ut placeat domino, cogitat Ursidius.
Cogitat Ursidius, heredem tollere parvum,
Ut placeat domino, cogitat Ursidius.
Cogitat Ursidius, domino quacumque placere
Virgine vel puero: quam sapit Ursidius!

heredem, filium legitimum e conjuge. *cariturus turture* cet., h. e. donis, quæ ab heredipetis mittuntur iis, qui divites sunt nec liberos habent. Cf. IV, 18 seq. V, 98. 137 seq. et al. *Turtur* avis in deliciis erat Romanis.[10] Hanc itaque avem h. l. designari crediderim, non piscem illum rapacem, qui vulgo *pastinaca*, Græcis τρυγών, Gallis *pastenaque* s. *pâtenaque* et *tareronde*, nobis *giftroche* s. *stachelroche*, (nam species est raiæ, *roche*) nec nisi Ambrosio in Hexæm. lib. IX. c. 48. *turtur* dicitur, et in cujus cauda aculeus est venenatus.[11] Epitheton *magno* non pisci tantum convenit, sed et avi; ap. Martial. ll. cc. *pinguis turtur*, qui *immodicis te clunibus implet*. 40. *Mullorum jubis*, h. e. mullis jubatis, vel propr. *barbatis*, quorum corpora rubra squamis et cirris geminis auratisque tecta sunt. *Mulli barba gemina insigniuntur inferiori labro*, Plin. IX, 17. s. 30. unde *barbati* vocantur Cic. ad Att. II, 1. et Varr. R. R. III, 17. Non omnes quidem mulli sunt barbati, sed hi erant delicatiores. Γενεᾶτιν δ' ἔφη τὴν τρίγλην Σώφρων, (Mimographus Syracusius) ἐπεὶ αἱ τὸ γένειον ἔχουσαι ἡδίονές εἰσι μᾶλλον τῶν ἄλλων, Athen. VII, 21. p. 325. (VII, 126. ed. Schweigh.) Cf. ad

[9] De utraque lege et præmiis pœnisque propositis vid. præter alios Bach. histor. jurispr. Rom. Lib. II. c. 1. sect. 2. § 2. 7. et 8. et Lips. Excurs. ad Tac. Ann. III, 25.

[10] v. Plaut. Most. I, 1. 41. Martial. III, 60, 7. 82, 21. XIII, 53.

[11] v. Harduin. ad Plin. IX, 42. s. 67. et c. 48. s. 72. Schneid. ad Oppiani Halieut. p. 104.

IV, 15 seq. *captatore macello,* opsoniis, quæ in macello emuntur venduntur que, (ut inf. XI, 64.) et quibus *captantur* orbi eorumque hereditates.

41 seq. Jam omnia vel præter naturam fieri posse crediderim, si Ursidius uxorem ducit, vel si *ulla* reperitur mulier, quæ tali mœcho nubere velit. Color orationis ductus e simili loco Virg. Ecl. VIII, 26 seq. *jungitur* matrimonio, ut ap. Virg. Æn. IV, 192. et al. — 43. *Stulta,* stultus, demens, vel dementer. *Capistrum maritale* jugum et vincula perpetuæ servitutis, quam matrimonium ei injungit. Conf. Palladæ Epigr. XIII. in Brunck. Annal. T. II. p. 409. Metaphora petita est a tauris vel equis, qui *dant mollibus ora capistris* Virg. Ge. III. 188. *ora stulta porrigat,* v. ad IX, 5. — 44. Ursidius mœchus, *quem toties* adultera superveniente marito in *cista* abscondidit, ne ab eo deprehenderetur et *periret;* qualem adulterum *Latinus* mimus egit. v. ad I, 36. et conf. Horat. Sat. II, 7, 59 seq. *perituri* manu irati mariti, nisi tectus fuisset cista. Sed v. Var. Lect.

45 seq. Summa est stultitia Ursidii, qui *uxorem antiquis moribus,* h. e. castam et pudicam, *quærit* temporibus nostris, quibus nemo talem reperire potest. *antiquis moribus uxores,* quales vixere priscis Romanorum temporibus. — 46. Facete, quo sensu inf. XIV, 252. dicitur *ocius Archigenem quære* et XIII, 97. *eget Anticyra et Archigene,* vel ap. Horat. Sat. II, 3, 166. *naviget Anticyram.* In furore et delirio *vena media,* in fronte, *pertundi,* h. e. feriri s. secari solebat. [12] Physici tradunt, in brachiis tres esse venas descendentes ab hepate, *basilicam, cephalicam,* et, quæ in *medio* harum est, (et cum iis ab hepate descendit) *mediam* (vulgo *medianam*) s. *nigram* et *communem;* Brit. — 47. *Delicias hominis,* en delicatum nimis hominem; vel ridiculum, qui speret, sibi uni daturam esse fortunam, quod haud ulli detulerit, h. e. castam a se uxorem inventum iri, quam omnes alii frustra quæsierint. Cf. XIII, 140.

47—49. Non sine singulari Deorum providentia ac favore continget tibi tam felici esse, ut castam invenias uxorem, quod nescio an ulli contigerit; et quidem *tibi,* mœchorum notissimo, qui indignissimus es tali fortuna. Cf. X, 65 seq. *Limen Tarpeium,* templi Jovis in monte Tarpeio s. Capitolino, *adora pronus,* ut ap. Ovid. Met. I, 375. *Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque Pronus humi,* (προσκυνεῖ, השתחוה) *gelidoque pavens dedit oscula saxo.* 48. *Junoni,* quæ

[12] v. Ætius VI, 8. et Paul. Æginet. III. cap. de phreneticis.

scil. ζυγία erat et γαμηλία, τελεία, πρoτελεία, *pronuba, juga, jugalis, jugatina;* unde et verba *Tarpeium limen adora* ad eam referri possunt: nam in Capitolino templo tres cellæ erant, Junonis, Minervæ et, inter eas, Jovis. At huic Deæ etiam ab iis, quibus quæcumque uxor contigerat, sacrificabatur, et primaria potius notio ac mens poetæ spectat ad summas, quæ pro tali fortuna Diis dicendæ sint ac referendæ, gratias; e Diis vero principes eorum, Jupiter ac Juno, memorantur. *juvencam auratam,* cornibus auratis.[13] Magnitudo beneficii divini et gratiæ, pro illo persolvendæ, adumbratur eo, quod tum victima, et quidem maxima, non tus vel ovis, tum auratis cornibus, sacrificanda est Diis. Junoni autem, cui vincla jugalia curæ, vaccæ immolari solebant. Cf. Virg. Æn. IV, 59 seq. et Ovid. Amor. III, 13, 3 seq. — 50. Tam paucæ hodie sunt pudicæ. Vetus Schol. *quæ possint sacerdotes Cereris esse,* prob. Spanhem. ad Callim. H. in Cer. v. 5. ubi copiose docet, has sacerdotes vittis olim in Thesmophoriis redimitas fuisse et caste etiam vivere debuisse. Sed h. l. notio potius pudicitiæ inde petita videtur, quod Cererem, deam castam, ejusque effigiem sacram, vittis in capite ornatam, *contingere,* h. e. manibus impuris contrectare nefas sit; et poetæ ante oculos fuit locus Virg. Æn. II, 167. *Corripuere sacram effigiem,* (Minervæ, ut h. l. Cereris) *manibusque cruentis* (h. l. impudicis) *Virgineas ausi divæ contingere vittas.* Ceres autem casta erat dea, unde et Thesmophoria aliaque ejus sacra non nisi a castis matronis virginibusque agebantur. Cf. omnino XV, 140. 141. (ubi v. not.) et Spanh. ad Callim. H. in Cer. v. 1. et 5. — 51. *Quarum oscula non timeat pater,* quas filias osculari non horreat pater ob pestiferum halitum et corpus tabidum libidinibusque enervatum. Grangæus oscula innui putabat non magis casta, quam quæ patri dederit Myrrha, de qua v. Ovid. Met. X, 344. 362 seq. Nota C. Valesii est: "Gellius X, 23. (ubi v. intpp.) ex Catone refert, (quod etiam tradunt Plin. XIV, 13. et Plut. Quæst. Rom. VI.) *mulieres olim Romæ atque in Latio abstemias fuisse, institutumque, ut cognatis osculum ferrent reprehendendi* (al. *deprehendendi*) *causa, ut odor indicium faceret, si bibissent:* malo tamen vel de famosis intelligere, quas cognati non osculabantur, (Cic. fragm. 4. de re publ.) vel de spurcis et impuris fellatricibus." Ad fellationem hæc verba referunt

[13] v. Clark. ad Hom. Od. III, 384. 426. 437. Broukh. ad Tibull. IV, 1, 15. intpp. Val. Fl. I, 89. III, 431. Plin. XXXIII, 3. Socrates ap. Plat. Alcib. II. p. 176. ed. Nürnbergeri: Οἱ μὲν ἄλλοι Ἕλληνες χρυσόκερως βοῦς παρασπασάμενοι cet.

etiam Burm. ad Petron. 9. et Hein. Cf. ad v. 301. 306. X, 238. Martial. II, 28, 4. XI, 62, 1 seq.

51 seq. *Necte coronam postibus* cet., h. e. jam igitur duc uxorem, quum talis sit ævi nostri conditio. Per ludibrium hæc dicta. In nuptiis vero aliisque solennibus et in lætitia tam publica quam privata fores templorum ædiumque ornari solebant *coronis* s. sertis, corollis, floribus frondibusque *corymborum*, h. e. hederæ, lauri, oleæ, myrti, rosarum.[14] *necte*, adnecte, applica *postibus*, vel *necte coronam* in ornatum *postium*. — 53 seq. Num *Iberina*, quam ducturus es uxorem, (vel verum, vel fictum sponsæ nomen) uno viro contenta, h. e. casta erit, ut putas ac speras? Immo vero *ocius illud extorquebis*, facilius illam in hanc impelles mentem s. eam perpelles, ut *uno oculo*, quam ut uno viro *contenta sit*. — 54. Conf. Horat. Sat. II, 5, 35. Sil. IV, 758. 9.

55—59. At dicat forsan aliquis, virginem vel matronam ruri viventem (qualis forte sponsa fuit Postumi) castitatem servare, et in agris, ubi mores minus, quam in oppidis, corrupti sint, mulieres etiam nunc pudicitiæ *fama*, existimatione ac laude, conspicuas reperiri. Audio: sed quæ *in agro* caste *vixit*, ita etiam *Gabiis* et *Fidenis*, h. e. in oppidis, *vivat!* (nisi malis: at eadem mulier, quæ in agro caste vixit, jam vivat in oppidis, quamquam parvis ac desertis, vel adeo Romæ; quomodo tum vivet?) *Et in agello* quidem *paterno* eam caste vixisse *cedo*, concedo: *Quis tamen affirmet*, contendet, *in montibus aut speluncis*, agro paterno vicinis, et, si non palam, certe clam, *nihil* impudici cum et ab ea *actum*, vel labem pudicitiæ ejus adspersam, stuprum ei illatum esse? Manso monet, nihil horum poetæ in mentem venisse, sed eum, de omnium mulierum virtute et illæsa pudicitia dubitantem, amico, rus rurisque mores laudanti, respondere: "Lubenter fateor, in agris minus peccari, quum peccandi locus et occasio ibi desint; nec is sum, qui neget, si sedem fortunarum tuarum in vicis desertis, quales sunt Gabii et Fidenæ, non Romæ collocares, pudicitiam uxoris eandem ob causam magis salvam et incolumem tibi fore. At quis præstet, nihil jam antea in montibus commissum fuisse? Adeo prona est in libidinem omnis mulier et tantus undique numerus corruptorum, ut nemo sanus pro certo affirmare possit, integram et intactam esse, quam matrimonio sibi jungat." Hanc vero interpretationem

[14] Cf. inf. v. 79. 227. 228. IX, 85. X, 65. XII, 84. 91. Gierig ad Ovid. Met. IV, 759. Dempster. ad Coripp. p. 150. Wernsdorf. ad Rutil. Itin. I. 424. in Poet. lat. min. T. V. p. 152. et Kœnig ad Claudian. X, 208.

multum a mea differre eive præferendam esse, non satis mihi liquet. Cf. Var. Lect. *Gabii* opp. Latii et *Fidenæ* Sabinorum. Utraque urbs Romæ propinqua, et olim magna fuit ac frequens, (v. Dionys. Hal. II. p. 116.) sed postea ignobilis et deserta. Cf. inf. X, 100. et Horat. Epist. I, 11, 7. 8. — 59. *Jupiter et Mars,* qui in montibus, speluncis silvisque tot virgines corrupisse dicuntur, *adeo senuerunt,* adeone viribus præ senectute exhausti sunt, ut non amplius amori indulgere possint? h. e. putasne, ruri et in locis agrestibus non amplius, ut olim et jam antiquissimis temporibus, (cf. Tibull. II, 1, 67 seq.) stupra et adulteria committi, omnes ne ibi mœchos senes esse, quorum pectora non amplius amoris ignibus incalescant? Facete enim poeta, quæ ad mœchos spectant, Jovi Martique tribuit et hominum, non deorum, amores poetarum fabulis declarari innuit. Similiter Seneca ap. Lactant. I, 16. *Quid ergo est, quare apud poetas salacissimus Jupiter desierit liberos tollere? utrum sexagenarius factus est, et illi lex Papia fibulam* (v. ad v. 73.) *imposuit?*

60 seq. Poeta jam describit libidines mulierum Rom. ac primum loca, quæ frequentent et ubi casta reperiatur nulla. De his, scil. porticibus, theatris, circis, foris, cf. simil. loc. Ovid. Art. Am. I, 49 seq. 67—264. *Porticus* ambulationes columnis suspensæ exedrisque instructæ circa et ante templa ædificiaque tam publica quam privata, vel in atrio et impluvio, quæ solis ardorem pluviamque arcebant. 61. *spectacula,* theatra et amphitheatra. *Cunei* ordines ac sedilia theatri, de quibus v. Lips. de Amphith. c. 13. *excerpere,* eligere, capere. 63—66. Feminæ etiam castissimæ, Vestales et rusticæ, impudicitiam, libidines lasciviamque discunt in ludis scenicis, in primis ab Atellanarum histrionibus et pantomimis, eoque citius et facilius, quo majore hi arte res obscœnas in scena saltando gesticulandoque exprimunt et quo facilius discuntur ea, quæ oculis subjiciuntur: nam, ut verba Horat. A. P. 180 seq. mea faciam, *Segnius irritant animos demissa per aurem, Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus et quæ Ipse sibi tradit spectator.* Cf. Cyprian. Epist. II, 2. Lactant. I, 20. Tertull. de spect. c. 17. Sen. ep. 7. et Colum. Præf. Henninius hos versus ita illustravit: " Quum *Bathyllus* scienter *saltat* et manuum totiusque corporis erudito motu exprimit *Ledæ* delicias Jovi blandientis, usque adeo pruriunt insanæ spectatrices, ut præ Veneris impatientia *Tuccia* (dedita opera Juvenalis hic nomen Vestalis illius usurpat, quæ hausta cribro aqua pudicitiam suam asseruit, quam per transennam et sub ejus nomine omnium Vestalium secretas libidines

et infames ardores notare videtur) *vesicæ non imperet,* quasi dicat, aquam non contineat, (respicit enim oblique ad historiam Tucciæ) sed resolvatur et liquescat; ut *Appula,* matrona, in Venerem resoluta absque ullo pudore *gannientia* quasi in medio opere subantis murmura non vereatur illic in publico ludo exhalare: denique ut *rustica* etiam, si forte *Thymeles,* doctissimæ saltatricis, exosses, tremulos venereosque motus tunc spectet, mira ingenii ad nequitias facilitate celerrime arripiat eosdem motus et τὰ τῆς Ἀφροδίτης σχήματα, adeo ut, quæ *rustica* ludum intrarit, ex isto spectaculo *Thymele,* seu æque perita ac Thymele, discedat. Ejusmodi gesticulationis artificiosum exemplum vid. ap. Apulei. Miles. X. ubi Dearum libidinantium judicium pæne oculis subjicitur." Alio sensu capit v. 60 seq. Manso, cujus nota est: " Locus hic de scena et frequenti, quam præbeat, peccandi occasione agit. Nulla femina, inquit poeta, quæ spectacula adit, *secure,* h. e. sine timore, ne fidem fallat et pudorem abjiciat, a marito amari potest. Tot enim sunt incitamenta voluptatis, tot tamque nefandæ omnis generis nequitiæ, quas saltando in theatro mimi exprimunt, ut summæ libidinis vis statim spectatrices invadat et teneat. Quæ dicta ut illustret et probet Juvenalis, adjicit exempla v. 63 seq. cujus loci verus sensus hic est. *Thymele, rustica,* puella rudis et imperita, rure forte in urbem missa et theatrum ingressa, (ita etiam Bahrdt et alii) *quum Bathyllum Ledam saltantem videt,* fixis oculis totaque mente in ejus gestibus motibusque hæret et inde artes modosque discere cœpit, quibus ipsa postea in scena inclaruit laudesque immodicas meruit. Viri docti non in *Thymele* tantum falluntur, sed etiam in *Bathyllo,* dum de Mæcenatis liberto multum amato cogitant, quem Thymele, sub Domitiano in theatro regnans, spectare et mirari sane non potuit. Salmasius autem ad Vopisci Carin. T. II. p. 833. ed. Hack. recte inter alia monet, quemadmodum a Pylade, tragicæ saltationis inventore, omnes ejus successores ac discipulos *Pyladas,* ita, qui a primo Bathyllo saltationem comicam per manus traditam accepissent, *Bathyllos* esse vocatos." Enimvero poeta diversorum quoque similiumque temporum mores adumbrare potuit, et *Appula* potius *rustica* videtur puella esse, quam *Thymele,* de qua v. ad I, 36. Hinc forte retinenda fuisset lectio, quam olim e tribus libris antt. receperam: *longum Attendit Thymelen : Thymelen* (ejus artem) *tunc rustica* (Appula) *discit,* non restituenda vulgaris, quæ, si vera est, sic explicanda videtur: *Thymele,* rustica puella, *attendit,* attente spectat, illud *Subitum, Miserabile* et *Longum,* hæc sensuum gestumve genera,

a pantomimo aliquo expressa, (ut *verbis sonat Plorabile quiddam ultra nequitiam fractis* ap. Claud. XVIII, 261. et *Rancidulum quiddam balba de nare locutus, Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid, Eliquat et tenero supplantat verba palato* ap. Pers. I, 33 seq.) et *tunc Thymele rustica discit* illa, quæ vidit, eorumque exprimendorum rationem. *Bathyllus* et *Thymele* in saltatione comica, etsi variis temporibus, præ ceteris excelluerunt; quare nomina eorum junxisse videtur poeta. Conf. de h. l., de *Tuccia* et *Appula* Var. Lect. et Exc. *Bathyllus*, (Mæcenatis libertus ac deliciæ; unde *mollis*, quod tamen epitheton ad communem quoque pantomimorum mollitiem referri potest) et Pylades Augusti temporibus, si non primi, certe clarissimi fuere *pantomimi*, h. e. actores s. histriones, ludii, saltatores, qui non, ut *mimi*, verbis, sed sola *saltatione* et manuum corporisque gestibus, quidquid in scena ageretur, muti exprimere et mores hominum imitari (μιμεῖσθαι) solebant.[15] *Saltare Ledam*, νομίμως ὀρχεῖσθαι Λήδαν, ut *saltare Satyrum, Medeam* cet., ὀρχεῖσθαι τὴν Ἀφροδίτης καὶ Ἄρεως μοιχείαν et τὸν Αἴαντα cet. ap. Lucian. περὶ ὀρχήσεως § 63. et 83. ὀρχεῖσθαι τοὺς Ἐπτὰ ἐπὶ Θήβας ap. Athen. I, 39., h. e. Ledam ejusque amores manuum gesticulatione exprimere, χειρονομεῖν, unde h. l. *Leda cheironomos*, χειρονόμος.[16] *vesicæ non imperat*, urinam (propr. pudenda, κύστην, v. ad I, 39.) non continet, ut *Auribus atque oculis concepta urina movetur* inf. XI, 168. ubi v. not. *Appula*, spectans lascivos pantomimorum gestus, *gannit*, subat vel vocis murmure libidinem exprimit, quasi esset *in amplexu* cujusdam. In Anthol. Lat. III, 231, 14. *feminæ inter gannitus et subantis voculas.* Apul. Met. II. p. 119, 8. ed. Elm. *Molles interdum voculas et assidua suavia et dulces gannitus cum morsicantibus oculis iteraverat illa.* Auson. Epigr. CVIII, 4. *Principio tremulis gannitibus aera pulsat* cet. *Gannire* id. qd. garrire; propr. de murmure canis adhibetur. *Amplexus* honestum voc., quo res Venereæ ac turpes et amores illiciti exprimuntur. v. Drak. ad Sil. X, 399. — 65. 66. Grangæus hæc verba non male interpretatus est: " Si *Thymele* cum maxima artis *attentione* exprimit (immo

[15] Cf. Macrob. Sat. II, 7. Plut. Sympos. VII, 8. Lips. ad Tac. Ann. I, 54. Voss. de arte poet. Salmas. ad Vopisci Carin. c. 19. Scalig. ad Euseb. p. 169. et Poet. I, 18. Schweigh. ad Athen. I, 17. (37.) p. 20 seq. Ad pantomimicam saltationem a Cassiodoro IV. bene referuntur *loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum et expositio tacita.* De pantomimorum arte v. inpr. Lucian. de saltat. (præcipue c. 63. 64.) et Burm. Anthol. lat. T. I. p. 622.

[16] v. sup. ad V, 121. Macrob. et Salmas. ll. ll. Casaub. ad Pers. V, 123. Heins. ad Ovid. A. A. I, 501. et Remed. Am. v. 334. Meurs. in Orchestra et Schweigh. ad Athen. XIV, 6. (26.) p. 629.

attendit, attente videt) modos saltationum gestuumque, *Subitum, Miserabile* et *Longum*, (de quibus modis v. Pollux, qualia etiam nomina nostris saltationibus dari videmus) spectatrix, quantumvis *rustica*, hos gestus conatur imitari, et ita se movet, ut mox futura sit gesticulatrix: unde festive illa mulier per anticipationem *Thymele* nuncupatur, sive quod *Thymelen* exprimat, (de qua v. ad I, 36.) seu quod *Thymele* futura sit." Bahrdt: *Wo Thymele das Heftige, Das Mitleidregende, Das Sehnsuchtsvolle der Umarmung merkt, Und, noch ein ländlich mädchen, schon lernt.* Prateus designari dicit motus varios ac gestus a mimo expressos, vel etiam voculas nunc *subito*, nunc *miserabiliter* enunciatas, nunc in *longum* tractas ad luctum exhibendum. Reliqui interpr. fere tacent.

67—70. Aliæ matronæ virginesque, quoties ludi publice non dantur, ipsæ privatis in ædibus eos agunt. *Aulæa* vela picta in ædibus, porticibus ac theatris, (de quibus v. loca class. Ovid. Met. III, 111 seq. Virg. Ge. III, 25. et Lucret. IV, 73 seq.) unde h. l. pro ipsis theatris ludisque. 68. *sonant sola fora*, in foris tantum, ubi causæ aguntur, strepitus auditur, non in theatris. 69. *Megalesia* sacra et ludi, (ut *Megalesia ludi* ap. Ovid. Fast. IV, 357. Liv. XXIX, 14. XXXIV, 54. al.) quæ in honorem et memoriam Magnæ Matris Deum, (μεγάλης μητρὸς) Pessinunte Romam translatæ, vel prid. Non. Apr. (v. Ovid. Fast. IV, 179 seq. et Calend. Rom.) vel prid. Id. Apr. (v. Liv. XXIX, 14. ubi cf. Duker. et Drak.) agebantur. *longe* sc. distant. *Plebeii* sc. ludi (*quos exactis regibus pro libertate plebis, aut pro reconciliatione plebis post secessionem in Aventinum* institutos tradit Ascon. in Verr. II.) ab Ædilibus pleb. XIII vel XVII Cal. Nov. (v. Fasti veteres) adeoque sex fere integris mensibus ante Megalesia edebantur. In longo hoc intervallo nullos Romæ ludos celebratos esse vulgo putant, et hinc poetam *longe* ac *tristes* matronas dixisse. Sed in illo intervallo Saturnalia, Compitalia, Sacrum Veneris Genetricis, (in quo ludi Palatini per triduum celebrabantur) Quinquatrus aliaque festa, et in iis ludi agebantur. Plebeios quoque ludos non statis diebus, sed sæpius uno eodemque anno ab Ædilibus editos esse, ex Livio (v. ejus Ind.) aliisque scriptoribus Rom. probabile fit. Juvenalem vero *a plebeiis* sc. distare *longe Megalesia* dixisse, quod illud plebis, hoc patriciorum fuerit festum, putabat Heins. ad Ovid. Fast. IV, 353. coll. Gell. II, 24. et XVIII, 2. Nota Ach. est: per illud intervallum festa quidem agebantur, sed nullus edebatur ludus major scenicus. — 70. *Personam*, ut III, 175. ubi v. not.

Thyrsi, hastæ pampinis et hedera cinctæ, quibus utebantur histriones, partes Bacchi vel Baccharum, quibus propria sunt hæc arma, agentes. Poeta etiam eo forte respexit, quod prima theatra Baccho fuere sacra et ab eo originem duxere; unde et primi ludi dicebantur διονυσιακά, et histriones διονυσιακοὶ τεχνῖται, *peruncti fæcibus ora*, Horat. A. P. v. 277. *Subligar*, περίζωμα, tegumentum pudendorum. *Scenicorum mos tantam habet a vetere disciplina verecundiam, ut in scenam sine subligaculo prodeat nemo: verentur enim, ne, si quo casu evenerit, ut corporis partes quædam aperiantur, adspiciantur non decore;* Cic. Off. I, 35. Cf. Rhod. de Acia Celsi c. 6. p. 86. *Accius* poeta tragicus et annalium scriptor, qui circa a. U. c. DC. floruit; sed h. l. histrionis forte vel pantomimi nomen. — 71. *Urbicus* poeta ap. Martial. I, 42, 11. sed h. l. exodiarius, qui *exodio Atellanæ risum movet*, (de quo v. ad III, 174. 175.) et quidem vel nomen ejus, vel synon. *Atellana* sc. fabula, ab Atella, ant. oppido Oscorum in Campania, sic dicta, plena joci, (*farce, possenspiel*) cui *exodia*, saturæ (*intermezzi, nachspiele*) inseri vel adjungi solebant. v. Liv. VII, 2. Suet. Tib. 45. et sup. ad III, 174. 175. Ferrarius (Elect. II, 11.) ad h. l. hæc notavit: " Quod aiunt Urbicum gestibus saltasse fabulam Autonoes, quæ fuit soror Cadmi, (v. Apollodor. III, 4, 4. et Hygin. f. 184.) ineptiunt. Nam neque Urbicus (exodiarius) saltabat fabulas et gesticulabatur, ut histrio, sed pronunciabat et urbanitate jocisque populum detinebat: neque *Autonoes* tragœdia ad movendum risum; sed nomen matronæ confictum, quam poeta vult adeo studiose gestum pronunciantis exodiarii (ejus verba jocosque extemporales *gestibus* histrionum more) expressisse, ut populum risu quateret. Exodio Atellanarum etiam saltabantur, uti constat ex Suet. Ner. c. 39. Verum Atellanus ipse non saltabat, sed ejus verba jocosque histrio gesticulatione exprimebat; (v. Liv. VII, 2.) unde etiam non erant infames, nec tribu movebantur. *Hunc diligit Ælia pauper*, quia, quum Atellanus non caneret, sicut tragœdi et comœdi, qui matronis divitibus magno solvebantur, magno sumtu opus non erat ad eos Atellanos refibulandos." Conf. Gonsal. ad Petron. p. m. 359. Achaintre versus 71. et 72. ita interpungendos censet et explicandos: *Urbicus* (scurra mimarius) *exodio risum movet Atellanæ, gestibus Autonoes,* et gestibus suis risum excitat Autonoes, Αὐτονόης, pantomimus, gesticulatione sua exprimens jocos exodiarii seu Atellani: *hunc* scil. Autonoca, Αὐτονόεα, *diligit Ælia pauper.* Non male! — *Ælia* matrona.

Ælia gens *pauper* fere et plebeia.[17] Paupertas vero matronarum non obstat, quo minus libidini indulgeant; sed commendat iis amorem, qui non tanti s. *tanto constat* pretio, quanto *comœdi fibula.* — 73. *Solvitur his,* ab aliis matronis ditioribus, *magno* pretio *comœdi fibula,* h. e. magno pretio corrumpit histrionem s. cantorem et citharœdum, ut fibulam, quæ a coitu eum prohibet, solvat atque cum ipsis tum concumbat; *sunt, quæ,* h. e. aliæ, *vetant cantare Chrysogonum,* h. e. histriones coitu, qui voci nocet, ita delassant, ut rauci facti in scena *cantare* nequeant. Cantores olim valetudinis et vocis conservandæ causa infibulari, h. e. glandes sive summæ partes genitalium *fibulis* muniri ac transfigi solebant, ut a coitu abstinerent, qui valde nocet voci. De magna cura, quam olim histriones, oratores et recitatores et conservandæ et emendandæ voci impendebant, v. Fülleborn ad Pers. I. p. 23. Flamines etiam *infibulati sacrificabant propter usum æris antiquissimum æreis fibulis;* Fest. *Fibula* zona, qua ligantur inguina, duo Schol. vet. (id. qd. *subligar* v. 70.) Ita *subligar* v. 70. quæ tamen vocis notio dubia est. *Fibula* circulus vel tenuissimum filum, æneum s. argenteum s. aureum, quod præputio virilium ab utroque latere super glandem perforato addebatur, ut etiam nunc a Turcis, conservandæ vocis et valetudinis gratia; Brit. et Grang. unde *fibulam solvere,* ut al. *refibulare,* et contra *infibulare.*[18] — 74. *Chrysogonus,* citharœdus, (ut inf. VII, 176.) forte quia hoc nomen fuit insignis citharœdi, qui Alcibiadis ævo vixit palmamque tulit in Pythiis ludis; de quo v. Plut. Opp. T. I. p. 209. et Athen. XII, 9. (49.) p. 535. *Hispulla* nomen matronæ, ut XII, 11. Nota illa, cujus fratris filia nupserat Plinio minori. vid. ej. Epist. IV, 19. *Gaudet,* delectatur, h. e. amore ejus capitur. 75. *an exspectas, ut Quintilianus ametur,* sperasne vel putasne, a lascivis istis mulieribus virum castum, gravem ac doctum, qualis *Quintilianus,* insignis ille rhetor, fuit, magis amatum iri, quam lascivos histriones? *exspectas,* ut v. 239. et XIV, 25. Cf. Heins. ad Ovid. A. A. III, 749. *Quintiliani* nomen pro quovis rhetore h. l. et inf. v. 280, vel potius pro quovis erudito et gravi viro positum, ut *Palæmonis* pro Grammatico v. 452.[19] — 76. 77. Conf.

[17] v. Valer. Max. IV, 4, 8. 9. Reines. Ep. ad Hofm. et Rup. ep. 48. Rupert. ad Pompon. Enchir. III, 4. et Duker. ad Liv. XXXII, 7.

[18] Conf. ad v. 59. et 379. Cels. V, 26. sect. 23. VII, 4, 19 extr. et 25, 5. Martial. VII, 81. IX, 28, 12. XIV, 215.

[19] Ferrarius Elect. II, 11. ridiculum putat, quod hæc de rhetorum summo accipiant interpretes, quasi decus illud togæ vilissimum caput fuerit et indignum matronarum amore; existimatque nomen

Martial. Epigr. in Cinnam VI, 39. *uxorem, de qua* non tu, aut vir aliquis eximius, (quod majori esset solatio) sed mimus *pater fiet*, e qua liberos suscipiet; Grang. *Glaphyrus* tibicen clarissimus ævi Augustei. v. Martial. IV, 5, 8. et Antipatri Epigr. 28. 29. in Brunck. Anal. T. II. p. 116. ad quæ v. Jacobs in Animadv. ad Anthol. Gr. Vol. II. P. I. p. 310. Græcum putant nomen esse. Γλαφυρὸς scitus, elegans, venustus. Nomina *Echionis* et *Ambrosii* ignota. *choraules*, χοραύλης, qui in choro tibiis canit.

78—81. Quæ quum ita sint, nuptias, suadeo, faciant viri nobiles, ut uxores eorum ex histrione vel gladiatore liberos pariant. Quod non sine amara irrisione suadet poeta. 78. Verba obscura. *Figamus pulpita*, erigamus theatra in vicis, ubi in honorem talium nuptiarum ludi celebrentur; Grang. qui verba Apuleii, (Met. IV. p. 157. ed. Elmenh.) *feralium nuptiarum miserrimæ virgini choragium struitur*, ad hunc ritum referebat: de quo tamen nihil legere memini; quamvis non ignoro, *pulpitum* dici quodlibet suggestum, inpr. in theatro, ut III, 174. VII, 93. XIV, 257. Probabilior forte est conjectura C. Valesii: "Hinc discimus, in vicis, qui Romæ angusti erant, *pulpita longa* tumultuarie facta exstructaque esse secundum parietes magnarum domorum, (non transversis vicis, ne transeuntibus impedimento essent; quod et significat vox *longa*) in quibus pulpitis poetæ epithalamia a se composita recitarent, quoties aliquis inter principes civitatis uxorem duxerat. In *conopeis* vero fetas jacuisse Romanas opulentas, patet etiam ex Varr. R. R. II, 10, 8. *fetas nostras, quæ in conopeis jacent dies aliquot, esse lenuncidas* (forte *ejuncidas*, ἐξιτήλους) *ac contemnendas.*" 79. Cf. sup. ad v. 51. *grandi lauro*, ut *recto proceras stipite laurus* ap. Catull. LXIV, 290. nam non rami tantum laurei, sed arbor etiam integra postibus apponebatur; Grang. Conf. XII, 91. 80. *Lentulus*, cognomen gentis Corneliæ, h. l. pro quovis nobili viro, qualis Postumus fuisse videtur. Cf. ad VIII, 188. *testudineo conopeo*, in cunis, vel lecto puerperæ, testudinis segmentis or-

fuisse alicujus plebeii citharœdi aut tragœdi, ejusque, qui vocem Prætori, fibulam matronis vendiderit, ut mox *choraules Ambrosius*, nobilissimum nomen commune viro sanctissimo et cultissimo sortitus. Enimvero Quintilianus, vir sapiens, non *amatur* a matronis, quoniam earum amore indignus est, sed quia illæ tam lascivæ sunt ac perditis moribus, ut histrionum, lascivorum hominum, magis, quam virorum doctorum, qui a tali lasciviа et impudicitia abhorreant et tempus studiis potius, quam Veneri, impendant, amore capiantur: neque assequor, quo sensu commodo hæc verba accipi possint, si *Quintilianus* h. l. nomen citharœdi est. Aptissima contra sunt, si Postumus, quod suspicor, similis fuit Quintiliano, vel certe vir doctus, qui hoc nomine innuitur.

nato putaminibusve dissectis. Conf. ad v. 89. et XI, 94 seq. intpp. Martial. IX, 60, 9. XII, 67, 5. XIV, 87. *Conopeum*, κωνωπεῖον, non velum vel papilio, sed, ut verbis Schol. Crucq. ad Horat. Epod. IX, 16. utar, *genus retis ad muscas et culices* (κώνωπας) *abigendos, quo Alexandrini potissimum utuntur propter culicum illic abundantiam.* Cf. Antholog. IV, 32. Ejusmodi rete tenuissimum super lectum expandi et aurea ei fila intexi solebant. Cf. Plut. Ant. p. 927. Schol. vet. h. l. *linum tenuissimis maculis* (h. e. foraminibus, Germ. *maschen;* v. ad VII, 40.) *nauctum*, pro quo non *distinctum* vel *variatum*, sed *netum* legendum videtur.[20] 81. *Nobilis infans*, qui de te nobili natus existimatur, quum tamen adulterinus et quidem gladiatoris filius sit. *exprimat*, ore s. vultu referat; quæ dictio petita est e re statuaria, in qua *signa expressa*, quæ *adumbratis* opponuntur, sunt ea, quæ plane elaborata sunt, ut confestim appareat, quem referant. *mirmillonem*, v. ad VIII, 200.

82—113. Quod universe de matronarum effrenata libidine dixit poeta, jam probat illustratque exemplis, et quidem h. l. *Hippiæ*, (cf. X. 220.) quæ uxor Fabricii Veientonis *senatoris* (de quo v. v. 113. et ad IV, 113.) cum Sergio gladiatore in Ægyptum migravit. Simile quid narrari a Parthen. Erotic. c. 27. de Alcinoe et Xantho, monuit Hennin. *Ludii* s. *ludiones* olim dicebantur histriones et saltatores, serioribus vero temporibus propr. gladiatores, horumque schola *ludus;* unde et *ludia* inf. v. 104. Hippia, ludii, h. e. Sergii gladiatoris, uxor.[21] — 83. 84. Ægyptus designatur more poetarum. *Pharos* nunc continens, at olim parva ins. Ægypti, cum Alexandria aggere (heptastadio) et ponte juncta, ubi turris fuit excelsa et marmorea ejusdem nominis, jussu Ptolemæi Philad. a Sostrato Cnidio exstructa, cum specula et ignibus nocturnis. *famosa mœnia*, Alexandria, urbs *Lagi*, h. e. Ægypti, vel ubi Ptolemæus Lagi f. e Græcis regibus primus regnavit post Alexandri M. mortem. Sic et *amnis Lageus, flumina Lagi* et similia. v. ad Sil. I, 196. et Salmas. Exerc. Plin. p. 682. *famosa*, vel infamia ob luxum perditosque mores incolarum regumque, (ut *famosus Canopus* XV, 46.) vel, quod malim, inclyta s. clarissima. Cf. ad I, 26. — 84. Ita ut ipsi Canopitani, quamvis libidinibus et luxu infames, (de quo v. ad I, 29.) *prodigia et*

[20] Cf. Lessing. in *Berlin. Monatsschrift, Jun.* 1788. p. 602. Varr. R. R. II, 10, 8. et Prop. III, 9, (al. 11.) 45. ubi v. intpr.

[21] Cf. Salmas. ad Trebell. Poll. Claud. 5. T. II. p. 362. ad Vopisc. Carin. p. 843. et Burm. ad Ovid. A. A. I, 112.

mores, h. e. prodigiosos mores, *Urbis*, Romæ, damnarent. Conf. ad v. 286.

85—113. Scelus et insania Hippiæ vividis adumbratur coloribus. *Nil patriæ indulsit*, patriæ nihil eorum, quæ petere quasi ac postulare videbatur, concessit, vel nihil officiorum, patriæ debitorum, nihil pietatis et amoris præstitit. — 87. Σαρκαστικῶς poeta monet, illud maxime esse mirandum, quod ludos circenses et scenicos, nec non ludiones relinquere potuerit; quo taxatur insania et Hippiæ, illos pluris, quam conjugem liberosque, facientis, et Romanorum, inexplebili ludorum spectandorum cupiditate ardentium, de quo v. ad III, 223. *Paris* celeberrimus histrio et deliciæ Domitiani, a quo ad magnas opes eximiamque potentiam evectus, sed deinde, quum Domitia Augusta ejus amore arderet, occisus est. v. VII, 87 seq. Suct. Domit. 3. 10. Dio Cass. et Martial. XI, 14. Alius ejusdem nominis histrio inclaruit sub Nerone et ab eo interemtus est. v. Suet. Ner. 54. Tac. Ann. XIII, 20. 22. 27. et al.

88—94. Quamvis Hippia molliter esset educata in domo paterna, lascivus tamen amor tam audacem eam fecit, ut pericula navigationis sperneret. Cf. Ovid. Met. VII, 62—68. *Pluma* lectus pulvinusque, plumis tumens vel fartus, adeoque mollissimus. v. ad I, 159. *Segmentatæ cunæ*, ornatæ *segmentis*, quæ cunis seu stragulis adsutæ sunt ornatus causa, et de quibus v. ad II, 124. — 90. Non mirum est, eam varia maris discrimina sprevisse, quippe quæ famæ pudorisque jacturam nihili fecit; quam qui pro nihilo putat, facile omnia contemnit et audet. 91. Quæ tamen famæ jactura minima videtur *mollibus cathedris* h. e. feminis, quæ in mollibus sellis sedere vel per urbem ferri solent. Cf. ad I, 65. IX, 52. Martial. III, 63, 7. et XII, 38, 1. — 92. *Ionium* mare, inter Italiam, Siciliam Græciamque, austro patet et *late sonat* impetu fluctuum, scopulis illisorum. *sonantem Ionium* sc. sinum, ut ap. Horat. Epod. X, 19. vel fluctum, vel pontum, ut ὁ Ἰόνιος scil. πόντος. Cf. Var. Lect. 94. *Mutandum toties mare;* nam Romanis in Ægyptum trajicientibus tria transmittenda sunt maria, Tyrrhenum s. Inferum, Ionium et Ægæum.

94 seq. Eædem mulieres, quæ libidinis explendæ causa tam audaces sunt, anxiæ ac trepidæ esse solent, ubi honesta navigationis periculorumque subeundorum ratio et occasio offertur. *Gelantur pectora* pavore, ut *rigere, dirigere, frigescere, glaciari, torpere.* v. Heins ad Ovid. Met. I, 548. — 97. Cf. v. 284. 285. et Plaut. mil. glor. II, 5, 54 seq. Schurzfl. lectores remittit ad Jo. Filesaci uxorem justam

p. 73. quem librum ab iis, qui nostram Sat. enarrare velint, perpetui instar commentarii dicit consulendum esse. Doleo itaque, eum mihi non ad manus esse. 98. *durum est,* uxori videtur. 99. *Sentina,* aquarum sordiumque colluvies in fundo navis, cujus odor *gravis* est et teter. *Sentinæ navium odorem procul fugiunt pisces,* Plin. X, 70. s. 90. *summus vertitur aer,* vertiginem simulat oculorum animique, quæ faciat, ut cœlum verti summaque ejus pars ima fieri sibi videatur.[22] — 100. Hippia *stomacho valet,* non laborat vomitione vel nausea, quæ viris etiam navigantibus obrepere solet. *Illa* mulier, quæ invita et jussu conjugis cum eo navigat, nauseans *maritum convomit,* vomitu conspurcat. 101. *hæc,* quæ mœchum sequitur, *inter nautas prandet.* De *prandio* Romanorum (frühstück, a Dor. πρᾶν pro πρωΐ, mane) v. Böttigeri Sabina p. 302. 303. *rudentes tractare,* funes ducere.

103—112. Hippia Sergii amore capta est, non ob formam et juventutem, quod justiorem haberet excusationem, (nam deformis ille est et provecta jam ætate) sed quia gladiator est et arma tractat. *exarsit forma,* v. ad Sil. V, 15. *forma* et *juventa* pro formoso homine et juvene. *Ludia,* nunc ludii concubina aut uxor, quum antea Senatoris esset. v. sup. ad v. 82. *sustinuit,* passa est, non recusavit. 105. *Sergiolus* festive appellatur *Sergius* et blando nomine, quo Hippia nunc uti solebat; vel εἰρωνικῶς de homine, qui fuerat juvenis et hinc dictus olim *Sergiolus,* sed nunc non amplius erat: *nam cœperat jam guttur,* mentum, barbam, *radere,* quod viri tantum faciunt. Quæ verba nemo intpp., quod mireris, intellexit: quare hæc tenenda sunt. Prisci Romani intonsi erant barbamque alebant usque ad a. U. C. CCCCLIV, quo primum tonsores Romam adduxit e Sicilia P. Ticinius Meno, (f. Titinius Mæna) unde illi vocantur *intonsi, barbati* et *capillati.*[23] Ratio *barbæ tondendæ* s. *metendæ* (III, 186.) duplex erat, vel strictim s. ad cutem, quod proprie *radere* dicitur et Gr. σκαφίον sive ξυρᾶν τὸν πώγωνα et ἐν χροῒ κείρειν, vel paulo longius a cute, interposito pectine, quod propr. est *tondere* et Gr. κῆπος. Cf. Plaut. Capt. II, 2, 16 seq. Pueri autem et juvenes lanuginem seu barbu-

[22] Grangæus, qui hæc mera somnia putabat, coll. Prop. II, 5, 12. (*Nec dubio nubes vertitur atra Noto*) h. l. interpretabatur ita: dicit marito, jam tempestatem oriri et aerem verti. Sed illa explicatio huic præferenda, tum propter epith. *summus,* tum ob sententiæ præstantiam.

[23] Cf. ad III, 186. IV, 103. V. 30. VI, 26. XVI, 29. intpp. Horat. Od. I, 12, 41. II, 15, 11. Broukh. et Vulp. ad Tibull. II, 1, 34. Varr. R. R. II, 11,

lam summa alebant cura fovebantque usque ad annum ætatis XXI., (cf. Ferrar. Elect. II, 12. Ovid. A. A. I, 518 seq. Martial. II, 36, 3 seq. et Augustin. de civ. dei IV. 1. qui vota etiam ab iis eam ob causam *Fortunæ Barbatæ* facta memorat) quo illa poni non sine solennitate et deo alicui sacrari solebat. v. ad III, 186. et XIII, 58. Hinc *nondum barbatus* dicitur puer sup. v. 15. 16. *barba* juventus inf. v. 215. (*senior, cujus barbam,* juventutem, h. e. quem juvenem, *tua janua vidit,* qui a juventute tuas ædes frequentavit) *prima barba* iniens juventa VIII, 166. *barbati* et *barbatuli* juvenes, qui nondum lanuginem deposuere vel tondentur, XIII, 56. v. ad XIII, 58. Hanc vero mollem teneramque barbam juvenes tondebant tantum (cf. I, 25. X, 226.) usque ad virilitatem vel annum ætatis XL, quo, quum viri vellent videri, primum *radebantur;* quare h. l. innuitur, Sergium ad virilem jam pervenisse ætatem. Quotidie radi primus instituit Scipio Africanus minor, ut levis esset facies; unde et psilothro aliove medicamento postea pili exstirpabantur, de quo v. ad II, 107.[24] — 106. *lacerto secto,* vulnerato vel exciso nervo, *sperare requiem,* missionem; quam sperare ac petere licebat gladiatoribus, membro aliquo mutilatis, vel gravi vulnere ictis. 107. *sicut,* verbi causa. 108. *galea adtritus* fronte. At v. Var. Lect. Apparet eum secutorem fuisse; vet. Schol. Sed *galea* si non omnes gladiatores, præter retiarium, (cf. VIII, 203.) plerique certe utebantur. 109. *Gibbus,* tumor, forte ex percussione crebra. *acre,* grave vel pertinax *malum;* nisi potius epitheton ad acritudinem succi humorisque spectat. *stillantis,* lippi; quo oculorum morbo multi laborabant Romæ. *ocelli,* non *oculi,* quo deformitas augetur, inpr. ob *ingentem gibbum* in medio naso. — 110. Lector dudum suspenso animo exspectat, quæ tandem causa insani amoris, quæ Sergio dotes fuerint virtutesque vel animi vel corporis, quibus capta sit Hippia: et jam repente nihil aliud in laudem ejus dici posse audit, quam: *gladiator erat.* — *illos,* gladiatores. *Hyacinthos,* formosos et amabiles, ut *Prometheus* IV, 133. pro figulo perito. *Hyacinthus* puer formosissimus, cujus amore capti Zephyrus, Apollo et Thamyris.[25] — 112. *Ferrum,* gladius et gladiator, *est, quod amant* tales feminæ, qualis Hippia fuit. Amant eos, qui arma pertractant, ut viros ad coitum validos; Brit. Multæ mulie-

10. Plin. VII, 59. Lips. ad Tac. Ann. XIV, 15. Gell. III, 4. et Hard. ad Plin. VII, 59.

[24] Cf. Ferrar. Elect. II, 12. Lips. Excurs. B. ad Tac. Ann. XIV, 15.

[25] v. Ovid. Met. X, 162 seq. Apollod. III, 10, 3. Heyne *Antiquar. Aufsätze*

res Rom. insanierunt in hoc hominum genus, in gladiatores: notantur præcipue Faustina senior, M. Antonini Pii, Faustina junior, M. Aurelii Anton., Lucilla, L. Aurelii Veri uxor et aliæ; Grang. et Ach. 113. *Idem Sergius accepta rude*, signo libertatis, missione, h. e. si missus esset e ludo, vel desiisset gladiator esse et arma tractare, quod tantopere Hippiæ placet, *cœpisset* ei *Veiento*, tam vilis quam maritus, *videri*, Hippia eum æque ac maritum fastidivisset et dereliquisset. Cf. sup. ad v. 82. *Rudis* vel gladius ligneus, quo batuebant tirones, vel ferula, qua utebantur lanistæ et qua donati gladiatores seu vacationem dumtaxat a pugna munusque lanistarum, seu libertatem impetrabant. [26]

114 seq. Si jam miraris et indigne fers libidines privatæ mulieris; audi nunc simile exemplum Messalinæ, Augustæ, uxoris Claudii Imp. Hujus libidines notæ. [27] *Privati* magistratibus, et temporibus Imperatorum etiam his opponuntur. Conf. I, 16. IV, 66. XII, 107. et Ernesti clav. Cic. *Rivales Divorum* salse h. l. dicuntur vel ipsi Imperatores, divinam sibi majestatem arrogantes, inpr. Claudius, (de quo v. ad v. 622 seq.) vel potius, propter ea, quæ mox memorantur, omnes, etiam infimi generis, homines, concumbentes cum uxoribus Imperatorum Rom., qui post obitum inter Deos referri *Divique* appellari solebant; non solus Silius, de quo v. X, 329 seq. *Rivales* proprie vocantur, qui eamdem amant mulierem. 116—120. Confer Excurs. ad h. l. *virum*, Claudium. *uxor*, Messalina. — 117. *Palatino*, imperatorio, in palatio. *tegetem*, v. ad V, 8. — 118 seq. Cf. Horat. Sat. II, 7, 53 seq. Suet. Ner. 26. Calig. 11. et Oth. 12. Manso hæc adnotavit: " *Sumit Augusta cucullos*, (v. ad III, 170.) quo facilius lateat obviosque fallat, sed *flavi galeri* non obliviscitur, quo, detractis cucullis, mœchorum gratiæ se commendet; nam *flavo* meretrices, *nigro* matronæ utebantur. *Palatino cubili* opponitur *calidum veteri centone lupanar*. Illud, ut cum Mart. XIV, 147. loquar, purpureis tapetis lucet et calet, hoc vilibus pannis vix a frigore et ventis defendit. *Cella*, quam *vacuam* h. e. modo derelictam occupat Messalina, proprie est, ut c v. 123. constat, *Lyciscæ;* sed in ea Augusta haud secus habitat, ac in *sua:* adeo frequenter eam jam adiit et

P. I. et Creuzer's Symbolik T. IV. p. 59.

[26] Cf. inf. ad VII, 171. Lips. Saturn. Serm. I, 15. II, 23. et Schott. Nod. Cic. II, 6.

[27] v. Sat. X, 331 seq. Tac. Ann. XI, 12. 26. 30. Suet. Claud. 26. 29. 36. 37. Dio Cass. LX, 14 seq. Plin. X, 63. s. 83. Aurel. Vict. Cæs. 4.

quasi sedem ac domicilium ibi fixit. *Linquebat*, licet apte suppleri possit *cubile*, rectius tamen ad *virum* referri puto." *meretrix Augusta*, ut *meretrix regina* Cleopatra ap. Prop. III, 11, 39. et Plin. IX, 35. s. 58. Ferrarius: (de Re Vest. IV, 20.) "*Cucullus*, inquit, ad latendum et dissimulandam personam aptissimus, ideo fere *noctu* in discursationibus sumebatur. *Galerus* autem h. l. est quid diversum a cucullo; est enim id. qd. galericulum s. adscititium capillamentum. Vetus Schol. interpretatur crinem suppositum, rotundum maliebre capitis tegumentum in modum *galeæ* factum, quo utebantur meretrices. Quod vero adjicit, ideo *flavum* sumtum, quia *nigro crine* matronæ, *flavo* meretrices, utebantur, (quod etiam Servius notavit ad Virg. Æn. IV, 698.) Grammatici deliramentum est. Credibile est, Messalinam, quum *nigris* capillis esset, *flavum galerum* sumsisse, sive ne dignosceretur, sive ut formosior amantibus videretur." v. ad V, 115. et inpr. ad XIII, 164. 165. *Galerus*, πηνίκη, *(perruque) crines emti* ap. Ovid. A. A. III, 165. et *gausape* ap. Pers. IV, 37. VI, 46. quo priscis temporibus non nisi meretrices fere utebantur, donec necessitas primum et deinde mos usum fecit honestiorem. v. ad XIII, 164. Salmas. ad Tertull. de pall. p. 317 seq. Lips. ad Tac. Germ. c. 4. et inpr. Böttigeri Sabina p. 104. 121. 122. 140. 141. 145. 262. ed. pr. *comite ancilla non amplius una*, ne agnosceretur Augusta, quæ multis famulis et in publico et in palatio stipari solebat. 122. *Papillæ auratæ*, aureis catellis ornatæ et tectæ. v. Böttigeri Sabina p. 408. *nuda*, ut XI, 170. nam nudæ prostabant scorta, ne occulta labes fraudi esset amatoribus. 123. *Prostitit* voc. prop. de scortis publicis ac venalibus, quæ corpore quæstum faciunt, ut I, 47. III, 65. IX, 24. v. Lips. ad Tac. Ann. XV, 37. et Wernsdorf. in Poet. min. T. III. p. 69. *Constitit* quidam libri; ut *stare* XI, 170. et ap. Claudian. XVIII, 95. — 123. *titulum mentita*, commenta, h. e. falso addito titulo, ut pro Lycisca haberetur. Cellis meretricum, in fornice prostantium, præfigebantur *tituli*, in quibus nomina earum ac stupri pretium (*æra* v. 125.) consignata erant: unde Martialis XI, 46, 1. *inscriptæ limina cellæ*. Conf. locus class. Senecæ Controv. I, 2. Wernsdorf. l. l. p. 78. et inf. ad VIII, 168. *Lycisca*, meretrix famosa, nota etiam ex Martiali IV, 17. — 124. *Ostendit ventrem* in loco non plane tenebroso, *sub clara nuda lucerna* Horat. Sat. II, 7, 48. *tuum ventrem*, in quo tu conceptus, et e quo natus prodiisti: nam *Britannicus* Claudii et Messalinæ filius, princeps juventutis; unde *generosus*. Cf. ad II, 145. 125. *blanda*, blande, more meretricum. *poposcit æra*, stupri mer-

cedem, earundem more, et ut pro Lycisca haberetur. 126. Cf. Plin. X, 63. s. 83. *resupina jacens*, ut III, 112. et VIII, 176. *absorbuit*, ut *exsorbere viros* (Gall. *épuiser*) X, 223. et *vorare puellas* ap. Martial. II, 51, 6. VII, 66, 3. et 15. *absorbuit ictus multorum*, ut *excepit turgentis verbera caudæ* ap. Horat. Sat. II, 7, 49. — 127. *dimittente puellas*, sub vel post mediam noctem. Aditus ad fornices vel ex more, vel ex lege, patebat a nona hora; unde meretrices *nonariæ* dicuntur Pers. I, 133. ubi v. Casaub. 128. *Tristis*, nondum expleta libidine. *quod potuit* solum, non denegante lenone. *Quod*, quoad, *potuit*, quantum licuit per lenonem : Ach. *Tentigo* non solis virorum, sed mulierum quoque pudendis tribuitur, (v. Hennin.) at illis propr. *rigiditas;* unde forsan leg. *rigidæ t. venæ*, ut ap. Martial. VI, 49, 2. et XI, 17, 5. *Vulvam* abusive pro parte genitali virorum, quæ *extendatur*, dici putabat Brit.

131. *Obscuris*, obscuratis fumo lucernæ, vel potius *turpis obscuris genis*, turpatis ac sordidis squalore et illuvie, crebris osculis et tactu impurorum hominum. *fœda*, fœdata, *fumo* et fuligine *lucernæ*, notæ lupanaris, solitæ suspendi ad lenonias ædes et januas; nam scorta olim ad vesperam prostabant.[28] — 132. *pulvinar*, torum in palatio, cujus pulvini mollibus plumis farti sunt.

133—135. Poeta breviter h. l. (sed copiosius inf. v. 610 seq.) alia memorat mulierum scelera, adulteriis graviora, philtrorum usum, incantationes, veneficia. *Hippomanes*, τὸ ἱππομανὲς, vel herba Arcadica, qua gustata equi in furorem incidunt; (v. Theocrit. II, 48. 49.) vel liquor virulentus, ab inguine equæ, ardore coeundi flagrantis, destillans;[29] vel caruncula nigra, caricæ magnitudine, fronti pulli recens editi adhærens, quam equa feta statim edito partu devorare, quaque prærepta in rabiem olfactu agi, nec partum ad ubera admittere dicitur.[30] His omnibus superstitio utebatur in veneficiis et philtris, quod ex locis infra laudatis intelligitur. Præterea sagæ adhibebant *carmen*, magicas formulas, ἐπῳδὰς, et *venenum*, τὰ κακὰ φάρμακα. 134. *Privigno datum* a sæva noverca, bonis ejus inhiante. Ἐχθρὰ γὰρ ἡ ἐπιοῦσα μητρυιὰ τέκνοις Τοῖς πρόσθ' ἐχίδνης οὐδὲν ἠπιωτέρα,

[28] v. ad v. 127. Lips. Elect. I, 3. Horat. Sat. II, 7, 48. Mart. IV, 4, 9. Senec. Controv. I, 2. extr. *Redoles adhuc fuliginem fornicis.* In Priap. *Ergo quilibet huc licebit intret, Nigra fornicis oblitus favilla.*

[29] v. intpp. Plin. XXVIII, 11. s. 80. Virg. Ge. III, 280 seq. Ovid. Am. I, 8, 8. Tibull. II, 4, 58. Prop. IV, 5, 18.

[30] Cf. inf. v. 616. intpp. Plin. VIII, 42. s. 66. et Virg. Æn. IV, 515. 516.

Eurip. in Alcest. [31] *Faciunt graviora* adulteriis flagitia mulieres *coactæ imperio sexus*, muliebri cupiditate imperandi, vel potius dominatu, impetu, vi, *sexus* sui, qui acrioribus incenditur cupiditatibus affectibusque, ira, odio, dominandi cupiditate, superbia, invidia cet., eorum imperio facile obsequitur, et sic ad omne rapitur scelus, quia nimis infirmus est, quam ut illis resistere possit; *minimumque libidine peccant*, peccata libidinis, vel quæ sola libidine impulsæ committunt, sunt minima.

136—141. Mulieres, ob grandem ductæ dotem, omnia agunt ex arbitrio, et avari ita libertatem imperiumque vendunt. Conf. v. 30. et 457 seq. Plaut. in Asin. I, 1, 47. in Menæchm. V, 2, 15 seq. in Aulul. III, 5, 60. et inpr. similia Alexidis verba ap. Athen. XIII, 1. (7.) p. 558. Ὦ δυστυχεῖς ἡμεῖς [μὲν οἱ] πεπρακότες Τὴν τοῦ βίου παῤῥησίαν καὶ τὴν τρυφήν, Γυναιξὶ δοῦλοι ζῶμεν ἀντ' ἐλευθέρων. Ἔπειτ' ἔχειν προῖκ', οὐχὶ τιμὴν πάσχομεν; Πικρόν γε καὶ μεστὴν γυναικείας χολῆς. Ἡ τῶν γὰρ ἀνδρῶν ἔστι πρὸς κείνην μέλι. Οἱ μέν γε συγγνώμην ἔχουσ' ἀδικούμενοι· Αὗται δ' ἀδικοῦσαι καὶ προσεγκαλοῦσ' ἔτι. Ὧν οὐκ ἐχρῆν ἄρχουσιν, ὧν δ' ἄρχειν ἐχρῆν Ἀμελοῦσιν· ἐπιορκοῦσιν· οὐδὲ ἓν κακὸν Ἔχουσι, καὶ κάμνειν λέγουσιν ἑκάστοτε. Anaxandrides ap. Stob. πένης, τὴν γυναῖκα πλουσίαν λαβὼν, ἔχει δέσποιναν, οὐ γυναῖκ' ἔτι. Contra apud Scythas Getasque *non regit virum dotata conjux*, Horat. Od. III, 24, 19. — 136. Verba vel poetæ, vel Postumi, ut et inf. v. 142. 161. et al. *Optima* mulier et pulcerrima censetur s. jactatur *teste marito*, judicio mariti. *Cesennia*, nomen divitis mulieris. Cf. Var. Lect. — 137. *dedit*, attulit marito avaro grandem dotem, *bis quingenta*, mille sestertia, vel, ut Romani dicunt, decies sestertium: inf. X, 335. *decies centena* scil. sestertia vel sestertiorum millia. Quæ ab Augusti inde temporibus fuit summa census senatorii; h. l. posita pro maxima dote vel ingenti. Eumdem numerum in dote inter honestiores quasi legitimum fuisse et solennem, putabat Lips. ad Tac. Ann. II, 86. [32] Sed quomodo summa dotis certa ac solennis esse vel adeo legibus constitui potest? Verba autem *ritu decies centena dabuntur antiquo* X, 335. ita interpretor: ritu antiquo dos dabitur, et quidem amplissima; ut verba *ritu antiquo* ad morem dotis dandæ, non ad solennem ejus summam spectent. Conf. ad II,

[31] Cf. v. 628. Virg. Ge. II, 128. III, 282. Horat. Od. III, 24, 17. 18. V, 5, 9. Tac. Ann. XII, 2. Ovid. Met. I, 147.

[32] Id colligebat ex X, 335. Senec. ad Helv. 12. extr. Martial. II, 65, 5. XI, 24, 3. et al. locis Cf. etiam Plin. Ep. II, 4. L. 6. § 1. D. de usur. et fruct. Papinin. Quæst. lib. 29. et Novell. Constit. D. Justin. 22. e. 18.

117. *tanti*, tanto pretio, ob tantam dotem. 138. 139. Non incalescit et flagrat amore uxoris, sed opum ejus; non uxorem amat, sed dotem. *Pharetræ* respondent *sagittis*, et *lampas facibus*. *Sagittas* (et quidem ardentes, *ἰοὺς πυρφόρους*)[33] poetæ ac sculptores non modo Amoribus et Cupidini, et *lampadem* s. *facem* non modo iisdem et Hymenæo,[34] sed et *Veneri* tribuunt.[35] *macer est* acri amore, qui macerat, urit, consumit, conficit.[36] *Inde*, ob dotem, et ab ea. 140. *Libertas* impune ex arbitrio omnia agendi et imperium *emitur* ab uxore grandi dote. Conf. ad v. 136. *coram*, præsente marito, *licet* uxori ut *innuat* mœchis s. amatoribus, *atque rescribat* literis eorum.[37] *locuples*, bene dotata mulier, *quæ nupsit avaro*, *vidua est*, quibuscum libuerit concumbit et æque libera est, ac si esset vidua et sui juris, nec maritum haberet; *vivit tamquam vicina marito* inf. v. 509.

142—160. Aliæ uxores ob solam amantur pulcritudinem, quæ forma pereunte repudiantur, sed, quamdiu illa viget, imperiose agunt et, quodcumque libuerit, a marito exposcere vel extorquere solent. — 142. Cf. ad v. 136. — 143—148. Cf. Terent. Heaut. II, 3, 9. et sup. ad II, 138. *Excutere*, scrutari, expendere; propr. videre, si quis quid absconditum secum habeat, quod fere fit excutienda toga. v. Ernesti in clav. Cic. 144. *Tres*, vel paucæ, *rugæ subeant*, veniant, a senectute aut morbo. *Cutis arida*, succo exhausto, *se laxet*, fiat laxior, macilenta et flaccida. Cf. Ovid. A. A. III, 73. et Plaut. Mil. glor. III, 1, 45. 46. — 145. *Dentes fiant obscuri*, putrescant et nigrescant.[38] *Oculi fiant minores*, contrahantur, ob defectum humoris et senectutem. — 146. Ejusmodi mulier ædibus exigetur. Solennes divortii formulæ erant, *collige sarcinulas; exi, vade foras; res tuas tibi habeto; res tuas tibi agito*, ut *migra* inf. v. 171.[39] Divortia vero, a Romulo plane interdicta, (v. Plut. in Rom. p. 31.) et lege X. Tab. VI. non sine gravissima causa concessa, nec ante a. U. C. DCC. (v. Valer. Max. II, 1.) vel DXXIII. (v. Dionys. II.) vel DC. (v. Tertull. in Apolog.) consueta, moribus Romanorum corruptis tam vulgaria

[33] De quibus v. ad Sil. V, 19. et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 8, 15.

[34] v. Phurnut. nat. deor. c. 25. Catull. LX, 6. et al.

[35] v. Maffei gem. ant. fig. P. III. t. 8. Beger. Thes. Brand. T. I. p. 170. et Bothon. Chron. ap. Leibnit. Script. rer. Brunsv. T. III. p. 287.

[36] Cf. Horat. Od. I, 13, 8. V, 14, 16. Virg. Ecl. III, 100 seq. al.

[37] Conf. ad I, 55 seq. Tibull. I, 2, 21. Ovid. Am. I, 4, 17 seq. II, 3, 23 seq.

[38] Cf. Horat. Od. II, 8, 3. Ovid. A. A. III, 197. et 279.

[39] v. Brisson. ad Leg. Jul. de adult. et de Form. L. VIII. Cuiac. Obss. I, 19. VIII, 26. et Schott. Obss. IV, 4. et 39.

erant, ut mariti, quin et uxores, (quibus olim ea facere non licebat) sæpe ea vel levissima, vel adeo sine causa facerent per diffarreationem aut remancipationem aut usurpationem, utque Seneca de Ben. III, 16. conqueratur, *nullam jam repudio erubescere, postquam illustres quædam ac nobiles feminæ non consulum numero, sed maritorum, annos suos computent, et exeant matrimonii causa, nubant repudii.* Cf. inf. v. 229. 230. *Sarcinæ* et vasa *colliguntur* a militibus iisque, qui in alium locum migrant. *dicet libertus:* nam dimissuri uxorem cum septem testibus ad eam mittebant libertum, qui illam jubebat res suas sibi habere. Paulus in L. IX. ff. de divort. *Nullum*, inquit, *divortium ratum est, nisi septem civibus Romanis præsentibus, præter libertum ejus, qui divortium faciet.* 147. *Jam nobis es gravis*, fastidio. *sæpe emungeris*, emungis nasum mucoris plenum, mucosa es s. mucida et vetula, ut contra mox *altera sicco naso*, nova nupta, cui cedas, pulchrior et juventute florens. Apud Plaut. Mil. glor. III, 1, 52. *Minime sputator, screator sum, itidem minime mucidus.*

149. *Interea*, dum s. quamdiu ætate floret ac specie, *calet*, fervet, *et regnat*, imperitat; ardenter omnia et imperiose agit; fervida est ingenio et superba. *poscit maritum*, vel a marito, res pretiosissimas et quodcumque ipsi placuerit.[40] 150. *ovem* et lanam *Canusinam*, quæ nobilissima erat et pretiosissima. *Lana laudatissima Apula — Tertium locum Milesiæ oves obtinent. — Circa Tarentum Canusiumque* (opp. Apuliæ) *summam nobilitatem habent;* Plin. VIII, 48. s. 73.[41] *ulmos*, vites, ulmis fultas. v. inf. ad VIII, 78. *Falernus* ager in Campania ferax vini generosissimi. v. ad Sil. VII, 162—211. 151. *Quantulum in hoc* sc. poscit? Hæc, quæ dixi, quam parvi momenti sunt præ aliis, quæ postulat! *Pueros omnes* et *ergastula tota* scil. poscit, h. e. servos quam plurimos, tam in urbe, quam in agris ac villis. Quindecim plerumque servos confecisse *ergastulum* ex Apulcio docet Lips. Elect. II, 15. Cf. inf. ad XIV, 24. — 152. Avara atque invida mulier appetit, quodcumque alius habet, et jubet, ut *ematur* sibi.

153—157. Verba obscura, quæ non male ita exponunt: *Mense brumæ*, hiberno vel Decembri, in quo est *bruma*, solstitium hyemale, adeoque ipso tempore hyemali, quo *mercator Iason*, audax mercator et longinqua trajiciens maria, vel proprie ipsum mare *clausum* est

[40] Conf. Plaut. Aulul. III, 5, 24—61. [41] Conf. Colum. VII, 2. et Martial. Prop. III, 13. al. 11. Ovid. Am. I, 10. XIV, 155. et Tibull. II, 4.

frigore, (nam hyems gelu rura et *maria* a III. Id. Nov. ad VI. Id. Mart. *claudere, ver* autem *aperire navigantibus maria* ejusque *grata vice hyems solvi* dicitur Veget. IV, 39. Plin. II, 47 pr. et Horat. Od. I, 4, 1.) et *nautæ* quidem *armati,* ad navigandum jam parati sunt, (nam *arma* et *armamenta* dicuntur omnia navium aliaque instrumenta, et *armari* omnia ea, quæ rebus necessariis instruuntur) sed a navigatione prohibentur frigore, (*nauiis obstat casa* in navi *candida,* conspersa nive, vel tugurium pruinis albicans, h. e. frigus) ornamenta pretiosissima et peregrina vel transmarina, non sine summis difficultatibus impensisque paranda, uxor sibi jubet comparari et afferri, vel ab ipso peti marito.[42] Sed veram h. l. sententiam e veteri Scholio satis perplexo (v. not. 42.) eliciendam esse monuit Lenz in Annal. liter. Goth. a. 1802. p. 262. scil. hæc: Decembri mense Saturnale festum excipiebant *Sigillaria,* quibus sigillarii et mercatores sigilla s. imagunculas cereas gypseasque, libros aliaque mercium et manusculorum, quæ sibi invicem missitabant Romani, genera exponebant venalia, (v. Macrob. Sat. I, 10 extr. intpp. Gell. II, 3. V, 4. et Böttigeri Sabina p. 217. 218. 236. 237.) plerumque in tabernis linteis s. linteo obductis, (*casis candidis*) quæ tum aliis Urbis locis, tum in primis in porticu Neptuni s. Argonautarum (v. Reimar. ad Dion. Cass. LIII, 27. poni solebant et hujus parietibus ita se acclinare, ut conspectum tabularum, quibus illi erant ornati et navigatio Argonautarum depicta, eriperent: hinc *mercator Iason,* qui mercaturæ potissimum causa Colchidem petiit, *clausus,* et *nautis,* qui fere heroes et *armati* erant, vel proprie conspectui eorum in pictis tabulis aut cælaturis *obstat casa candida.* Saturnalibus autem et Sigillaribus munera mitti solebant, et uxor itaque hanc occasionem, pretiosissima munuscula *tollendi* h. e. emendi, vel potius auferendi et extorquendi a marito, non prætermittit.[42] — 155. *crystallina* vasa; nisi simul innuuntur globi crystallini, (krystallkugeln) quos delicatiores feminæ manibus gestabant, ut refrigerarentur, et immenso pretio emebant. v. Plin. XXXVII, 2. s. 10. 11. (ubi etiam hæc leguntur: *non alibi crystallus reperitur, quam*

[42] Vulgo h. l. ita explicant: Uxor luxuriosa etiam tempore hiemali, quo summa navigantibus imminent pericula et frigus obstat, maritum navigare jubet, ut peregrina sibi conquirat supellectilia. Vetus Schol. "Illud significat, quod Romæ in porticu Trajanarum thermarum tempore Saturnaliorum sigillaria sunt. Tunc mercatores *casas* de linteis faciunt, quibus picturæ *obstant.* Ideo autem dicit *mercator Iason,* quoniam antea in porticu Agrippinarum sigillaria proponebantur, in qua porticu historia Argonautarum depicta est, et casæ quum fierent, picturæ obstabant." — *tolluntur,* ex mercatoris officina elevantur, ut Gall. *enlever de chez le marchand;* Grang.

ubi maxime hibernæ nives rigent et glacies, unde et nomen Græci dederc ; nam *κρύσταλλος*, de quo v. Græv. ad Flor. IV, 3, 76., propr. *gelu* s. *glacies* dicitur) intpp. Prop. II, 18, 60. IV, 3, 52. Beckman. ad Marbodi librum lapidum s. 41. p. 71. et Böttigeri Sabina p. 432 seq. et 450 seq. ed. pr. — *murrhina* s. *myrrhina*, *murrhea*, *murrea*, *myrrhea*, scil. vasa, et quidem potorii potissimum generis.[43] Quibusdam *murrha* videtur esse crystallus, a quo tamen h. l. et ap. Plin. distinguitur, aliis porcellana Sinica, aliis onyx, species marmoris, non gemmæ, aliis scoria ferri, Christio dendrachates, Veltheimio lapis, qui vulgo *Chinesischer speckstein* dicitur. Hæc conjectura arrisit S. V. Gurlitto et aliis eamque ceteris prætulit Ill. Böttiger in Sabina p. 38. et 307. ed. pr. qui tamen nunc (v. Morgenblatt für gebildete Stände a. 1807. No. 87. 88.) probat, quæ Mariette loco infra laudato scite disseruit de perantiqua porcellana Sinica, quo refert *picta murrhina* Martial. XIII, 107. Idem fervida vina ex ejusmodi pateris s. vasis potoriis commodissime sorberi potuisse monet, et in dubium vocat conjecturam Hageri (in Description des medailles Chinoises du Cab. Imp. de France Paris 1806. 4to. p. 150 seq.) de pretioso lapide Sinico, qui Yu dicitur et ex quo vasa conficiuntur ingentis pretii. Cf. Ideen über die Politik u. s. w. von Heeren I, 1. p. 124.—156 seq. Conf. Goguet Origine des Loix T. II. p. 117. ed. Paris. in 4to. et Böttigeri Sabina p. 394. et 413. ed. pr. *dcinde adamas notissimus* cet. h. e. talis, qualis fuit ille *notissimus et pretiosior factus* cet. De *adamante*, qui duritie, nitore ac pondere in gemmis primum tenet locum, cujusque usus primum in solis annulis et monilibus, postea vero et in vasis potoriis aliaque supellectile fuit, v. Plin. XXXVII, 4. et Ernesti Archæol. liter. P. I. c. 3. § 5. Annulis magnum dabat pretium fama et dignitas priorum possessorum. Mordaci hinc joco poeta dicit, pretium adamantis vel annuli adamantini, quem Bibula s. uxor superba poposcerit, eo auctum esse, quod eum in digito gestaverit *Beronice* s.

[43] De *murrha* vasisque inde confectis et immenso pretio emtis v. intpp. Plin. XXXIII, 2. XXXVII, 2. 7. et 8. Suet. Aug. 71. et Prop. III, 10. (al. 8.) 22. IV, 5, 26. Rader. ad Martial. XIV, 113. p. 860. Mariette Recueil des pierres gravées, à Paris 1750. T. I. p. 218 seq. le Blond Diss. sur les vases murrhins, Biscari ragionamento dei vasi murrhini 1782. Schellhorn. Amœnit. Eccl. T. II. p. 890. Raspe in d. Einleit. zur Beschreib. von Tassie's Gemmen p. 47. Salmas. Exerc. Plin. p. 144. 769. 1063. Rezzonici Disquis. Plin. T. II. p. 213. Caylus de lap. Obsid. Ernesti Archæol. liter. P. I. c. 3. § 7. 8. 25. 26. inpr. Christ. Diss. de vasis murrhinis Lips. 1743. v. Veltheim in d. Abhandl. über die murrhinischen Gefässe, Helmst. 1791. (Sammlung seiner Aufsätze T. I. p. 191 seq.) et Gurlitt über die Gemmenkunde, Magdeb. 1798. p. 5 seq.

Berenice, (v. Var. Lect.) quæ regina quidem, sed *incesta* fuerit, eumque ab incesto fratre dono acceperit. Nam Agrippa major, rex Judææ, filius Aristobuli et Beronices neposque Herodis Magni, tres filias, *Beronicen*, Mariam s. Mariamnen et Drusillam (uxorem Claudii Felicis, qui frater fuit Pallantis) habuit, unumque filium *Agrippam* minorem s. juniorem, ultimum Judæorum regem, qui multum auctoritate apud Claudium Imp. valuit, quemque incestus cum Berenice sorore commissi suspectum fuisse et accusatum, memorat Josephus Ant. Jud. lib. X. p. 673. unde præterea discimus, hanc Berenicen primum Herodi, patruo suo, deinde Polemoni, regi Pontico, nupsisse bisque fuisse Romæ, ut Titum Cæsarem amore inflammaret: de quo v. Dodwell. Annal. Quintil. § 18.[44] Poeta autem h. l. verba *hunc dedit* in affectu repetiit, et jungenda sunt *barbarus Agrippa* et *incestæ sorori*. Plerique intpp. perperam h. l. vel aliam innui putant Berenicen aliumque Agrippam, (nam plures utriusque nominis fuere) vel annulum duplicem Berenicæ a duobus datum, alterum a *barbaro*, Herode, ejus patruo et marito, vel Ptolemæo Philadelphi filio ejusque marito ac fratre, alterum ab *Agrippa* fratre illius. *Barbari* Græcis dicebantur peregrini, qui haud Græci, Romanis, qui nec Romani nec Græci erant. *incestæ*, v. ad IV, 9. — 159. *ubi*, h. e. in Judæa, ubi ipsi *reges mero*, puro ac nudo, (quæ tamen vocis significatio insolens est) *pede sabbata observant festa*, festa agunt s. celebrant. Nam Josephus Bell. Jud. II, 15. et Hegesippus Bell. Jud. lib. II. tradunt, Berenicen reginam, Agrippæ regis sororem, ut Deo vota solveret pro salute, Hierosolymam venisse ac pro more hostiis cæsis capillisque derasis nudipedem tum sacra fecisse, tum ante tribunal Festi, Præsidis Syriæ, atroci cæde in Judæos sævientis, stetisse, ut pro his supplicaret. Eo respexisse videtur poeta h. l. ubi obiter Judæos ritusque eorum ridet. Ἀνυποδησίαν vel nudipedalia in sacris antt. populorum, (cf. v. 525. et Casaub. ad Suet. Aug. 100.) inpr. Hebræorum, in gravi luctu vel statis jejuniis et quum vota solverentur, usitata fuisse, sed Juvenalem ignoratione Judaicorum rituum eam in genere ad *sabbata* retulisse, vel hac voce significasse jejunia, copiose et eru-

[44] De Agrippa majore v. Joseph. Ant. Jud. XVIII, 1—9. XIX, 17. p. 638. 642 seq. 670 seq. Act. Apost. XII. (ubi *Herodes* dicitur) Dio Cass. LX, 17. p. 545. et 607. Mém. de l'Acad. des Inscr. T. XIX. p. 428 T. XXI. p. 289 seq. de juniore Joseph. l. c. p. 679. 683. 690 seq. Dio Cass. p. 752. Tac. Ann. XII, 23. XIII, 7. et Hist. II, 81. V, 1. Act. Apost. XXV. et XXVI. Conf. Noldius de vita et gestis Herodum ad calcem Opp. Josephi ed. Haverc. T. II. p. 333. et Schleusneri Lex. N. T. voc. Ἀγρίππας et Ἡρῴδης.

dite docuit Spanhem. ad Callim. H. in Cer. v. 125. Cf. inf. ad XIV, 96. Perizon. ad Ælian. V. H. XII, 35. et Kœnig ad Pers. V, 185. ubi notat, sabbatorum religionem apud Romanos frequentissimam, Judæos autem in propagandis cærimoniis ritibusque suis ambitiosos fuisse. Bynæus de calceis Hebr. II, 4. poetam imperitiæ arguit, et Braun. de vest. Hebr. I, 3. § 2. eum commoda interpretatione juvare ac defendere conatur. Plathnerus hæc adnotavit: " Merula Judæorum Nudipedalia denotari opinatur: sed hæc extra sabbatum celebrabantur, ut tradit Scalig. Emend. Temp. III. *Sabbatum* h. l. quamlibet festivitatem et septimum cumprimis diem, qui semper sanctus Judæis, notat. Per *reges* autem intelligo sacerdotes, qui sanctum intrabant sanctorum. Nam qui Agrippam hic notari putant, non audio; nec id ex Hegesippo, minime vero ex Josepho probari potest." 160. Et ubi Judæi clementia ducti jam a priscis temporibus et ritu a majoribus tradito suibus parcunt eosque senescere patiuntur, unde *senibus porcis;* nisi forte poeta Judaicorum rituum æque ignarus fuit, ac vetus Schol. qui monet, Judæos majoribus porcis parcere, et minores manducare. Non minus urbane Augustus dixisse fertur: *Melius est, Herodis porcum esse, quam filium.* Cf. ad XIV, 98.

161. Verba Postumi, quibus poeta v. 162 seq. respondet. Conf. sup. ad v. 136. *gregibus,* multitudine puellarum, ut inf. v. 175. — 162 seq. Fac in una eademque muliere plures inesse dotes fortunæ ac virtutes, (quod tamen rarissimum est) propter eas ipsas superba erit, qua uxore nihil est intolerabilius. Fastum vero gignunt mulierum pulcritudo, (v. Ovid. Fast. I, 429. et al.) divitiæ, (v. inf. v. 457 seq.) fecunditas, (v. 172 seq.) nobilitas generis et castitas. (v. 167 seq.) *Formosa* et *decens* h. l. junguntur tamquam diversæ significationis vocabula, ut *pulcer* et *decens* ap. Suet. Dom. c. 18. pr. Bene Iani ad Horat. Od. I, 18, 6. " *Decens,* perpetuum Veneris et Gratiarum (v. c. Od. I, 4, 9.) epitheton, cum perfectam totius corporis pulcritudinem designans, tum gratiam illam pulcritudini adjunctam, quæ te tibi subripiat." *vetustos porticibus disponat avos,* eorum imagines; h. e. sit nobilis. v. ad VIII, 1. *intactior,* castior, ut ap. Prop. II, 6, 21. *rapere intactas Sabinas,* κουριδίας ἀλόχους: nam *tangere* feminam de re Venerea dicitur honesto vocabulo, ut γυναικὸς θίγειν ap. Eurip. Hippol. 1044. v. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 11, 10. Cf. Horat. Od. I, 7, 5. et Sat. I, 2, 54. Virg. Æn. I, 345. et Calpurn. Ecl. II, 1. ad quem Wernsdorf in Poet. Lat. min. T. II. p. 90. monet, *intactas* non solum dici integras et castas, sed et severas ac duriores

adversus amantium illecebras. Hinc non est, quod *sit castior* reponatur pro *intactior* suadente Marklando, cujus nota ad Stat. Silv. II, 3, 73. est: " Virgo *intacta* est i. e. a viro non tacta; (quod verbum in sensu obscœno accipitur) matrona vero non potest esse *intacta*, sit casta licet, quando conjugi fidem servat. Sabinæ autem, quum bellum Sabinos inter et Romanos diremerunt, matres erant, ergo non *intactæ*. Quam emendationem firmat vetus Schol. cujus est glossa: *sit castior Sabinis*. Quum igitur Prop. II, 6, 21. dixit: *Tu rapere intactas docuisti impune Sabinas*, de Sabinis adhuc *virginibus* ideoque *intactis* locutus est, non de iisdem *bellum dirimentibus*, quæ tunc *matres* erant ideoque *tactæ*." Juvenalem quoque quæsiisse istam argutiam, nemo credat; Ach. Heinecke monet, *intactam Sabinam* esse non tactam ab alio, quam a viro suo, et vulgatam bene defendi a Schradero ad Musæum p. 204. 205. coll. Stat. Silv. III, 5, 6. ubi idem loquendi usus. 164. *Sabinæ mulieres*, (a Romanis raptæ) *quarum ex injuria bellum* (inter Tatium et Romulum) *ortum erat, crinibus passis scissaque veste, ausæ se inter tela volantia inferre, dirimere infestas acies* cet. Liv. I, 13. pr. Sabinarum autem castitas et ipsarum virorumque rigidi mores passim laudantur. [45] — 165. Qualis mulier admodum rara est, phœnicis instar nigrive cycni, et vix ac ne vix quidem reperitur. Proverbiales poetæ locutiones passim obviæ. [46]

166. *Quis feret* (ut sup. v. 30.) *mulierem*, h. superbiam mulieris, *cui omnia* corporis animique bona *constant*, sunt, insunt; ut passim. Ita jam Serv. ad Virg. Æn. III, 518. *Si qua voles apte nubere, nube pari* Ovid. Heroid. IX, 32. ut τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα ap. Suid. et Plut. T. II. p. 13. F. et Callim. Epigr. 37. in Brunck. Anal. T. I. p. 470. [47] — 167. Repetitio verbi *malo* auget ejus vim. *Malo* uxorem ducere *Venusinam*, h. e. pauperem atque humilem, s. simplicem, peregrinam et rusticam, cujus animus et incorruptus est, et a superbia alienus. Cf. ad I, 51. Ei cum delectu opponitur *Cornelia*, Scipionis Africani majoris filia, Ti. Sempronii Gracchi uxor, Tiberii et Caii *Gracchorum mater*, quæ ornata quidem fuit *magnis virtutibus*, nobilitate, opibus, eximia castitate, facundia, fecunditate, (nam XII

[45] v. III, 169. inf. X, 299. et ad XIV, 180. Martial. I, 63, 1. *(Casta nec antiquis cedens Calvina Sabinis)* IX, 41, 5. Liv. I, 13. Ovid. Met. XIV, 797. et Amor. I, 8, 39. 40. II, 4, 15. III, 8, 61. Horat. Epod. II, 39 seq. et Epist. II, 1, 25.

[46] Cf. VII, 202. Pers. I, 46. Erasm. Proverb. II, 1, 21.

[47] Quidam: quæ novit, sibi omnia hæc

liberos peperit) pietate, animi magnitudine cet.,[48] sed non sine fastu nobilium feminarum, quæ majorum cognatorumque facta laudabilia vel stemmata sua crepare solent et jactare. Quod vulgo probatur e Plut. in vita Ti. et C. Gracchi Opp. T. I. p. 843. Magis tamen huc spectat, quod idem Plut. l. l. p. 827. E. memorat, eam sæpe filiis, ut ad res magnas gerendas eos excitaret, exprobrasse, quod a populo Rom. nondum *Gracchorum mater,* sed socrus Scipionis vocaretur. His occisis, eidem statua ænea publice posita cum inscript. Cornelia mater Gracchorum, quo poeta respexisse videtur. Cf. Plut. l. l. p. 836. E. Plin. XXXIV, 6. Gentilis Orig. p. 395. et Senec. l. l. Alia Cornelia, non minus fere clara, jactantius de se et gente sua loquitur ap. Prop. IV, 11. — 169. *Supercilium,* v. ad II, 15. *numeras in dote triumphos,* gloriam majorum cognatorumque in dotem quasi imputas, loco dotis, vel pro dote habendam censes. Poeta ipsam alloquitur Corneliam; quo vivida fit oratio. 170. 171. Apage te cum laudibus patris tui, quem prædicas devicisse *Hannibalem, Syphacem,* (v. Liv. XXX, 5. 11. 13. 17.) et *Carthaginem.* *In castris,* quæ Scipio et Masinissa concremarunt. v. Liv. l. l. et ad Sil. XVII, 88 seq. Verba *cum tota Carthagine* etiam simul ad Scipionem Africanum minorem referri possunt, qui hanc urbem diruit et cui nupta erat Sempronia, Corneliæ filia. *migra,* v. sup. ad v. 146.

172—177. Aliarum mulierum arrogantiam gignit fecunditas, et nonnumquam eam, quæ ipsos lacessat Deos et totam eamque innoxiam familiam in perniciem agat. Id probatur exemplo *Niobes,* quæ filia Tantali et *Amphionis,* Thebani regis clarissimique lyricinis, uxor, multitudine atque insigni forma liberorum ferox, *Latonam,* matrem Apollinis et Dianæ, insolenter despexit, et ita offendit Deos, ut liberos omnes, Apollo mares, Diana filias, sagittis transfigerent: nam antiquus sermo, quod acuta febri factum est, sagittis et iræ illorum deorum tribuit. Recte Gellius XX, 7. hæc notavit: *Mira et prope adeo ridicula diversitas fabulæ apud Græcos poetas deprehenditur super numero* (et nominibus) *filiorum Niobæ: nam Homerus pueros puellasque ejus bis senos dicit fuisse, Euripides bis septenos, Sappho bis novenos, Bacchylides et Pindarus bis denos: quidam alii scriptores tres fuisse solos dixerunt.*[49] Egregie autem (quæ προσωποποιΐα vulgo dici-

bona inesse. Alii: quæ singulis magnum quasi pretium constituit.

[48] v. Plut. in vita Ti. et C. Gracchi Opp. T. I. p. 824. et 843. Quintil. I, 1. Valer. Max. IV, 4, 1. et 6. 1. Sen. Consol. ad Marc. c. 16. Pighii Annal. T. III. p. 43. 44. et Cic. Brut. 27.

[49] Conf. de hac re et de tota fabula

tur) Amphion ejusque sermo inducitur: *Parce* liberis meis, qui *nil* mali *faciunt*, commiserunt, nulla injuria affecere vos et matrem vestram. *Pæan*, nomen Apollinis, deinde hymnus, carmen.[50] *Dea*, Diana. Conf. Var. Lect. 173. *matrem*, quæ sola est noxia. In ed. Ach. est nota F. Didoti: " Satiricum magis aliud sub his latere opinor, scilicet: jam dudum *mater ipsa* (nota *ipsam*, non *solam*) gravis fuit mihi, jam dudum sua me quoque superbia lacessivit; vestræ illam iræ libenter permitto." Hanc conjecturam versibus 169 et 181 seq. firmari putat. 174. *Sed Pæan*, nil motus Amphionis precibus, *arcum* (propr. ejus cornua) *contrahit*, adducit, intendit, ἕλκει s. ἀνέλκεται νεῦρα s. τόξον. — 175. *Extulit* domo mortuos, ut I, 72. *gregem natorum*, ut sup. v. 161. *ipsumque parentem* liberorum, Amphionem, qui ferro per pectus adacto vitam doloremque finiit, (v. Ovid. Met. VI, 271.) vel una cum liberis ab Apolline sagittis est confixus. v. Heyne ad Apollod. III, 5, 6. qui aliter hoc ab aliis tradi docet. — 176. *nobilior Latonæ gente*, conf. ejus verba ap. Ovid. Met. VI, 172 seq. — 177. Hæc non sine sarcasmo dicta, quasi fecunditas tam justa superbiæ causa sit, quum eadem et vel major in animalibus iisque immundis reperiatur. *Scrofa* s. sus *alba*, triginta enixa fetus, quæ h. l. innuitur, notissima e Virg. Æn. III, 388 seq. VIII, 42 seq. 81 seq. ubi v. Heyne Exc. II. ad lib. VII, 29 seq.

178 seq. *Gravitas* uxoris (h. e. auctoritas, quam debet splendori natalium et morum honestati, qualis Corneliæ fuit) vel *forma* non *tanti* est facienda, ut propterea feras superbiam ei admixtam, qua inflata perpetuo *tibi se* suamque nobilitatem et formam *imputet*, jactet exprobretque, quantum illi debeas. (v. ad V, 14.) *Hujus* enim, quamvis *rari summique, boni*, np. gravitatis et formæ, *nulla* est *voluptas* cet. *plus aloes*, amaritudinis, (v. Plin. XXVII, 4.) *quam mellis*, dulcedinis. Forsan poeta simul respexit ad *Amorem et felle et melle fecundissimum* et ad ejus γλυκύπικρον, de quo v. Kœnig ad Claudian. X, 69. 181. *deditus*, ut inf. v. 206. *uxorius*, uxori obnoxius, vel ejus amore captus. *quam laudibus effert* propter nobilitatem et formam. *in die*, quovis die, *horis septenis*, septem, adeoque maxima parte diei naturalis, (nam is in XII horas dividitur) h. e. magis *oderit*, quam amet.

Homer. Il. ω, 602 seq. (ibique Eustath. et Heyne) Schol. Eurip. Phœn. 160 seq. Eudocia p. 306. 307. Hygin. fab. 11. et 69. Tzetza Chil. IV, 420 seq. Ælian. V. H. XII, 36. intpp. Ovid. Met. VI, 146 seq. 271 seq. et Horat. Od. IV, 6, 1. Heyne ad Apollod. III, 5, 6.

[50] v. Valcken. ad Eurip. Hippol. 315. Hœpfner ad Eurip. Cycl. 660. Creuzer's Symbolik T. II. p. 357. 361.

184. *Quædam,* alia mulierum vitia, sunt *parva* cet. — 185—199. Ridet poeta stultitiam feminarum, quæ tum temporis Græcorum (ut hodie Francorum) sermonem moresque affectabant. Conf. III, 58 —125. *rancidius,* ingratius vel putidius. Nam *rancida,* ut σαπρὰ, propr. dicuntur cibaria, oleum, carnes aliæque res diutius adservatæ et corruptæ; hinc etiam res deformes et ingratæ, quæ fastidio sunt, vel ineptæ, turpes ac malæ.[51] — 186. *Formosam,* satis venustam atque delicatam, secundum mores geniumque sæculi. *Tusca* et *Sulmonensis* pro Romana et Italica, vel provinciali. *Sulmo* Pelignorum opp., patria Ovidii. Cf. ad Sil. VIII, 510. *Græcula,* v. ad III, 58. — 187. *mera,* pura, vera ac tota, *Cecropis,* Attica s. Atheniensis: nam Cecrops Athenarum conditor primusque rex fuit; hujus autem urbis incolæ urbanitate et elegantia sermonis morumque ceteris antecellebant Græcis. *Omnia Græce* (ut hodie Gallice) exprimunt et loquuntur mulieres *nostræ, quum* tamen *turpius sit* iis, *nescire Latine.* Grangæus verba v. 188. per parenthesin non solum in feminas, sed in omnes Romanos, patrium sermonem contemnentes ac negligentes, dicta putat, et confert verba Cic. Brut. c. 37. *Ipsum Latine loqui, est illud quidem in magna laude ponendum; sed non tam sua sponte, quam quod est a plerisque neglectum. non enim tam præclarum est scire Latine, quam turpe nescire: neque tam id mihi oratoris boni, quam civis Romani proprium videtur.* Conf. tamen Excurs. ad h. l. 189. *Hoc,* Græco, *sermone pavent* h. e. pavorem exprimunt reliquosque animi affectus et sensus. 190. *effundunt,* proferunt, indicant, inpr. ea, quæ ante reticuerant, aut quæ reticenda erant; qui verbi significatus h. l. aptissimus. *Quid ultra* sc. faciant, vel facere possint? quid ultra est, quo progredi possit stulta Græcorum imitatio et æmulatio? Venuste pro simpl. immo, quin adeo, vel quod pessimum est et turpissimum. 191. *Concumbunt Græce,* Græco more; Græcos non in sermone tantum, sed in omnibus, etiam turpibus, æmulantur rebus, et in his quoque lingua eorum utuntur. *Dones,* condones, condonanda sunt et excusanda. 192. 193. At quis condonabit id vetulis? *Pulsat,* sollicitat, vexat, vel debilitat. Sic *senectus pulsat* ap. Sidon. Apoll. Epist. V, 9. et Carm. II. Similiter *quatere, quassare, ferire* cet. Cf. Barth. ad Stat. Theb. IV, 477. *adhuc Græce* sc. loqueris, vel loqui affectas? *pudicus,* honestus, qui vetulam s.

[51] Conf. XI, 135. Casaub. ad Pers. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. I, 33. Hard. ad Plin. XXII, 22 extr. p. 506.

anum deceat. 194. *quotics intervenit* sermoni, verbis, *lascivum illud* dictum Ζωὴ καὶ ψυχὴ, quo meretrices uti solent; v. 197. vox blanda et nequam, λόγος πορνικὸς in Straton. Epigr. VI. (in Brunck. Anal. T. II. p. 360.) Sic et: Ζωὴ καὶ ψυχὴ *lascivum congeris usque* ap. Mart. X, 68, 5. ubi tamen Gron. ex Thuan. cod. legendum putabat: Κύριέ μου, μέλι μου, ψυχή μου *congeris usque*. *modo sub lodice relictis*, h. e. verbis, quibus paulo ante in lecto usa es, *uteris in turba*, cœtu hominum, palam. Cf. Martial. l. l. et Ovid. Am. III, 14, 7 seq. *Lodix* propr. opertorium lecti. 196. *excitet inguen*, ejus pruritum et tumorem, *vox* cet. Cf. Martial. IV, 5, 6. inpr. VI, 23. et XII, 99, 6 seq. *Vox blanda et nequam* s. improba, ut ap. Ovid. A. A. III, 795. 6. De proprio voc. *nequam* usu, etiam in libidinibus, v. Gell. VII, 11. *Vox* illa etiam *habet digitos*, h. e. vim digitorum, qui palpando excitant inguen.[52] 197. *Ut*, forte *Et* (v. Var. Lect.) *tamen omnes subsidant pennæ*, h. e. vereor, ne tua voce non excitetur inguen s. libido, sed potius flaccescat. Conf. ad X, 205. 206. Proverbialis locutio, cui fere respondet illa: *incidere alicui pennas* sive *pinnas*, quæ in piscibus natationis et in avibus volatus instrumenta sunt. Sic et nos dicimus, *die flügel hängen oder sinken lassen*, et, *einem die flügel beschneiden*. Metaphora illa petita videtur ab avibus, quæ, vel volatu fatigatæ viribusque exhaustæ, vel correptæ morbo, alas demittunt. Cf. Gonsal. ad Petron. p. m. 392. 393. *Subsidant pennæ, quamquam hæc* blanda verba *dicas mollius*, lascivius, vel dulcius, delicatius mollibus mimis vel histrionibus *Hæmo* (cujus et III; 99. mentio fit) *et Carpophoro*: nam *facies tua* senilis et rugosa *computat*, indicat, *annos*, numerum annorum tuorum, senectutem tuam, te arguit vetulam; ut ap. Martial. VI, 23, 3. *Tu licet et manibus blandis et vocibus instes; contra tc facies imperiosa tua est.* *Computare* proprie significat rationem putare, ponere, inire, subducere, et hinc numerare, ut X, 249. Cf. inf. ad v. 651. — Alii aliter, sed, ni fallor, minus apte obscurum hunc locum interpretantur.

200—224. Poeta Postumum ferit hoc dilemmate: aut uxorem amaturus es, aut non: si non amaturus es, non est cur eam ducas et inutiles facias sumtus; si amaturus es, miser eris et veluti servus; Brit. et Prat. *tabellis* nuptialibus, ut II, 119. *ducendi* rite, matrimonio legitime contracto et nuptiis paratis. 202. *cœnam* nuptialem. *perdas*, quia magni illi sumtus inutiles sunt. *Mustaccum* sc. libum,

[52] v. Martial. VI, 23. IX, 42. XI, 23. Cf. Casaub. ad Pers. I, 20. 21.

s. *mustaceus* sc. libus, (μουστάκια ἐξ οἰνομέλιτος, μουστάκια σησαμᾶτα ap. Athen. XIV, 15. s. 57.) genus placentæ nuptialis, de quo Cato R. R. c. 121. ita: *Mustaceos sic facito. Farinæ siligineæ modium unum musto conspergito; anisum, cuminum, adipis P. II. casei libram, et de virga lauri deradito, eodem addito; et ubi definxeris, lauri folia subtus addito, quum coques.* Hinc *laureolam in mustaceo quærere* proverbii loco ap. Cic. ad Att. V, 20. dicitur pro, gloriam quærere in rebus minimis. Cf. Hard. ad Plin. XV, 30. 203. *Labente officio,* quod jam monuere vet. Schol. et Grang., dilabente, dissoluto cœtu eorum, qui *officii* causa convenerant: (v. ad II, 132.) nam convivis discedentibus dabantur apophoreta; de quibus v. Martial. XIV. et Potteri Archæol. lib. IV. c. 20. extr. *crudis,* convivis cruditate laborantibus ob lautiores epulas. *danda,* concoctionis adjuvandæ causa. 204. 205. Solidi ita signati, qui pro virginitate deposita novæ nuptæ donantur; vet. Schol. Donum illud matutinale h. l. notatur, quod Græci ὄρθριον δῶρον, leges Longobard. *morganaticam* et nos hodie *morgengabe* vocamus; Plathner. qui laudat Cuiac. lib. IV. Feud. tit. 32. et Godofr. ad L. IX. § 11. ss. de jur. dot. Cf. Brisson. de ritu nupt. *Lanx,* in quam cognati aureos conjiciunt numos. *quum* in *lance beata,* divite, pretiosa, argentea s. aurea, (v. ad I, 39.) *radiat Dacicus et Germanicus,* ut *Philippus* et *Darius* ap. Auson. Ep. V. XVI. et al., ac Gall. *Louis d' or,* scil. numus, et quidem cusus s. signatus effigie Domitiani, qui cognomina *Dacici* sumsit et *Germanici,* quibus tamen titulis indignissimus fuit.[53] Sed nota Ach. est hæc: "nullum reperi numum Domitiani Imp. cum inscript. *Germ. Dac.,* sed passim obvia Trajani Imp. numismata cum hoc titulo; unde de ejus numis h. l. agi verisimile magis existimo et hanc satiram Trajano imperante scriptam esse videtur." *auro scripto,* in numis aureis, quibus literæ sunt quasi inscriptæ, h. e. insculptæ. Inscriptione circum caput, *la légende;* Ach. Sic et γράφειν pro insculpere dicitur, et ap. Martial. XI, 5, 3. *scriptus æterno Jupiter auro.* Conf. ad XIV, 291. et Var. Lect. 206. *Si tibi* est *simplicitas uxoria,* stolidum obsequium uxorium, (nam *uxorius* dicitur, qui totus pendet ab uxoris arbitrio, Virg. Æn. IV, 266. et Horat. Od. I, 2, 20.) vel cupiditas femineæ voluptatis, mulierositas, φιλογυνεία (Cic. Tusc. IV, 11.); Brit. Sed Grangæus: "Ludit in ambiguo; vocat enim *simplicitatem uxoriam,* unam et

[53] De quo v. Suet. Dom. 2. 6. 13. Tac. 65. al. Stat. Silv. I, 1. II, 180. IV, 1. Agric. 39 seq. Martial. II, 2. VIII, 26. 89. al. Dodwell. Ann. Stat. § 8.

simplicem uxorem habere, at ironicos, quum nihil sit minus *simplex*, quam femina." *deditus*, ut sup. v. 181. *uni* mulieri, uxori. 207. *submitte*, inclina, *caput cervice parata ferre*, ad ferendum, *jugum*, servitutem et imperium uxoris, vel simpl. amorem conjugalem: poeta enim amantes pullis s. equis, juvencis et bobus, sub jugum missis, amorem vero jugo comparant, unde πῶλος, ἄζυγος s. ἀδάμαστος κόρα, *jugare*, *conjugium* cet.[54] 208. *quæ amanti parcat*, non molesta sit viro, et quidem eam amanti. 209. *Ardeat*, ardenter maritum amet. *gaudet tormentis amantis et spoliis*, vexare virum et spoliare. Conf. v. 149 seq. — 210. 211. Uxor tanto gravior erit et damnosior marito, quanto melior is est. — 212 seq. Cf. Plaut. Men. I, 2, 5 seq. — 214. *Hæc dabit*, imperabit quasi et injunget marito *affectus*, jubebit eum odisse et amare, quem ipsa volet. *excludetur*, ejicietur e domo tua, non amplius amittetur. — 215. v. sup. ad v. 105. — 216 seq. *Testandi* ex arbitrio potestas, *libertas quum sit lenonibus*, *lanistis* et *arenæ* (h. e. arenariis, qui in arena amphitheatri depugnant) hominibus sordidissimis atque infamibus, *tibi* contra testamentum scribendum erit ad arbitrium uxoris, quæ tibi *rivales* tuos, mœchos suos, et quidem *non unum*, sed plures, *dictabit*, quos scribas heredes.

219—223. Imperiosa et obstinata mulier servum, sibi invisum, quamvis innocentem, jubebit occidi. Verba uxoris *pone crucem servo*, et mariti *meruit — longa est*, quibus deinde illa respondet *O demens — voluntas*. 219. *Crux* apud Romanos supplicium hominum viliorum plurimumque servorum. v. Lips. de cruce, inpr. I, 12. *Crucem pone*, fige, (ut ap. Cic. Verr. V, 6.) *servo*, eum cruci s. in cruce fige, affige, subfige. — 219. 220. Conf. X, 69. 70. *quis detulit* nomen ejus et crimen ad prætorem, h. e. quis accusavit eum? Nam qui aliquem accusare suscipit; *nomen* ejus *defert* sc. ad prætorem, ut illud *recipiat*, h. e. inter reos scribat. Cf. inf. v. 552. — *audi* partes et testes, delationem et defensionem. 221. *Nulla cunctatio*, deliberatio, *de morte hominis* nimis *longa est*, quæstio de tam gravi re non subito et inconsiderate, sed lente et accurate habenda. Nonnulli putant, hæc esse verba poetæ; alii uxoris, quæ dicat, de nece hominis, ne ingenui quidem, nedum servi, diu deliberandum esse. Sed præstat, ea marito tribuere, blande roganti uxorem, ut non temere aget in re tam gravi, quæ ad mortem hominis, quamquam servi, spectet. Tum hoc v. 222. refellit mulier, cui id stolidum videtur. — 222.

Cf. ad XIII, 22. et intpp. Horat. Od. I, 33, 12. 35, 28. II, 5, 1.

Demens es, qui servum putas esse hominem. His verbis et superba mulier, et Romani taxantur, qui servos vix hominum loco numeroque habebant.[55] *ita*, itaque, vel ita, ut putas et dicis. *Esto* autem, quod *nil* mali *fecerit;* fac, eum nihil mali vel flagitii commisisse. — 223. Verba, ut tyrannis, ita et mulieri, qualem poeta adumbravit, aptissima.

224—230. Uxores nonnumquam, primis maritis relictis, aliis et multis nubunt. *regna*, maritum, cui imperaverat, vel domum ejus lectumque, in quo regnare et deliciis frui solebat.[56] *Permutat domos* maritosque crebris divortiis. *flamea conterit*, v. ad II, 124. — 226. Ad priorem maritum revertitur. 227. 228. *Ornatas fores et in limine ramos*, v. sup. ad v. 51. *Vela*, (ut IX, 105. *vela tegant rimas*) aulæa, peristromata s. peripetasmata vel proprie παραπετάσματα, (*gardinen und teppiche zu vorhängen*) prætenta conclavibus thalamisque in interiori ædium, in quibus olim paucæ vel nullæ erant fores; unde ut *ostiarii*, sic et *velarii* servi. v. Pollux X, 32. Pignori de servis p. 227 seq. Winkelmann Storia delle Arti T. III. p. 69. ed. Fea et Böttigeri Sabina p. 37. 38. 327. 328. ed. pr. *pendentia — et adhuc virides*, adeoque paulo post nuptias. 229. 230. Conf. ad v. 146. et Martial. VI, 7. *numerus* maritorum. *auctumnos*, annos. *titulo res digna sepulcri* mordaci joco dixit poeta, ut Martial. IX, 16. *Inscripsit tumulo septem celebrata virorum Se fecisse Chloe. quid pote simplicius?* Mulieres univiræ in laude erant apud Romanos.[57] Nomina autem maritorum inscribi solebant sepulcris uxorum.

231—241. Nulla est conjugalis fides et concordia, *salva* i. e. vivente socru, quæ præterea filiam malis artibus moribusque instituit. 232. Cf. v. 149 seq. et 210. *docet* filiam suam. *nudi*, nudati opibus, vel ad paupertatem redacti ab uxore. Nota antitheses *spoliis* et *nudi;* Ach. 233. 234. Cf. v. 277. 278. XIV, 25—30. et verba Luciani adscripta ad v. 434 seq. — 233. *tabellis*, literis amatoriis: nam Romani in tabulis cera inductis scribebant; unde et *tabellarii* dicti, et *ceræ* eodem sensu XIV, 29. — 234. *rescribere*, ut sup. v. 141. *Nil rude*, rusticum et impolitum, h. e. scite, concinne, venuste. *nil simplex*, stolidum, h. e. callide, cum arte et ingenio. 235. *Custodes*

[55] Cf. XIV, 16. 17. Senec. epist. 47. Macrob. Sat. I, 11. Flor. III, 20. Dionys. Cato distich. IV, 45. et verba Menandri ibidem a Scalig. laudata, Böttigeri Sabina p. 34. et 442. ed. pr.

[56] Conf. Prop. II, 16, 28. IV, 7, 50. et Græv. ad Cic. Ep. ad Div. IX, 18. n. 6.

[57] v. Koppiers. Obss. philol. p. 161. Brœkh. et Santen. ad Prop. IV, 11, 36. et Ge. Fabricii antiq. monim. p. 208.

pudicitiæ, uxori a marito adhibitos, *illa* socrus aut *decipit* variis commentis artibusque, *aut ære domat*, pecunia expugnat et corrumpit. Cf. ad v. 347. 348. *corpore sano*, quum filia sana sit et salva, *advocat* socrus *Archigenem* medicum, simulans morbum filiæ maritumque a congressione filiæ prohibens, ut aditum locumque det mœchis, qui specie officii vel absente marito adveniunt et in ipso lecto latent. Cf. Ovid. A. A. III, 641 seq. et al. *Archigenes* h. l. et inf. XIII, 98. XIV, 252. pro quovis medico ponitur, ut *Heliodorus* inf. v. 373. Clarissimus fuit medicus, ab Apamea, Syriæ oppido, oriundus, qui multos physici ac medici argumenti libros scripsit artemque suam Romæ exercuit temporibus Domitiani, Nervæ ac Trajani. Cf. Böttigeri Sabina p. 309. ed. pr. Henninius et alii putant, obiter h. l. taxari medicos, adulteria exercentes sub specie faciendæ medicinæ, de quo v. Plin. XXIX, 1. Martial. XI, 72. et al. *pallia*, stragula, operimenta.[58] *jactat*, rejicit, sc. uxor, *onerosa pallia*, quasi nequeat ferre, quod in febris æstu fieri solet. Ita Grang. et alii, coll. Ovid. Ep. Her. XXI, 169. 170. Sed reliqua verba, *docet*, *decipit*, *domat* et *advocat*, ad matrem spectant; unde rectius forte interpretaberis: mater multa pallia filiæ, velut ægræ, injicit, quæ ei sunt oneri. Conf. Plaut. Truc. II, 5, 26. — 237. Interea, dum hæc agitur comœdia, *adulter secretus*, secreto introductus, vel sub palliis, *latet abditus*, donec testes omnes amoveantur, et *impatiens moræ* (ut v. 327.) *pavet*, fluctuat inter spem et metum. 237. 238. Cf. Var. Lect. *præputia*, virilia, *ducit*, extendit, paratus ad rem veneream; Grang. Sed rectius, puto, Ferrarius Elect. II. 19. "præ impatientia masturbat, μαστροπεύει, sive, ut vetus interpres, manu sua penem sibi *fricat*, quæ vox nunc quoque Romæ inter cacophata; unde *ducere* et *ductare* obscœno intellectu non absimili voce apud Italos cet." 239 seq. Conf. simill. loc. XIV, 25 seq. *Scilicet exspectas*, v. ad v. 75. et II, 104. — 240. *Utile porro*, præterea, est *vetulæ*, matri, *turpi*, *filiolam turpem producere*, quoniam ex adulteriis et scortationibus filiæ quæstum facit. *producere*, parere,[59] vel potius educare, instituere, formare.[60]

242 — 245. Femina promta est ad lites contrahendas, ut ait Valer. Max. unde eis interdictum postulationibus, propter Caiam

[58] ut ap. Ovid. Am. I. 2, 2. et Ep. Her. XXI, 170. Prop. IV, 3, 31. (ubi v. Paserat.) et 8, 87. Sic et ἱμάτιον. v. Ferrar. de re vest. VII, 3.

[59] ut VIII, 271. Cic. Verr. I, 12. Sil. I, 112. et al.

[60] ut XIV, 228. Plaut. Asin. III, 1,

Afraniam Licinii Bructionis uxorem; Grang. — 243. Exemplum hoc (præter quod alia v. ap. Valer. Max. VIII, 3.) notum putant e Gell. IV, 14. Ibi tamen in bonis quoque libris *Manulia, Mamilia* et *Mamilla* legitur et designatur a poeta mulier litigiosa, quæ non modo causam suam ipsa agit, si rea est, sed alios quoque, *si rea non est, accusat.* Conf. verba Alexidis ad v. 136. adscripta. — 244. *ipsæ per se,* non adjuvante pragmatico s. juris perito, *componunt libellos* accusatorios seu petitorios. — 245. Juris adeo peritæ sunt, ut vel summos JCtos, quæ scribenda sint, docere possint. *Dictat* propr. magister discipulis. *Principia et locos,* modum actionis instituendæ causæque probandæ. *Loci,* ut Gr. τόποι, in arte tam oratoria quam memoriæ dicuntur fontes sedesque argumentorum, quibus res aliqua vel probatur vel refutatur.[61] *Celsus,* orator illis temporibus, qui VII libros Institutt. scripsit; Schol. Designatur forte *Celsus* æqualis poetæ, P. Juventius Celsus, Prætor a. U. C. DCCCLIV sub Trajano et Consul II. a. U. C. DCCCLXXXII sub Hadriano, celeberrimus JCtus, qui Commentarios librosque Epistolarum, Quæstionum et Digestorum scripsit; (v. Heineccii de eo Diss.) vel pater ejusdem nominis, cujus nonnumquam in Digestis fit mentio.

246 seq. Mulieres etiam non pudet, artes inhonestas et gymnicas athletarum vel gladiatorum exercere. Cf. ad I, 23. *Endromidas,* v. ad III, 103. *Tyrias* vulgo explicant purpureas et molliores, refrag. Ferrar. de re vest. IV, 11. ubi monet, omnes omnino endromidas pingues crassasque fuisse, quippe arcendo frigori, sed divites, ut saltem colore distinguerentur, eas absurdo luxu purpura suisse, quales fuerint purpureæ χλαῖναι heroum Hom. vel Petronii *coccina gausapina,* et sup. III, 283. *coccina læna.* De *ceromate* v. ad III, 68. — 247 seq. Commentarii instar sint verba Vegetii I, 11. *Antiqui ad palos exercebant tirones. Scuta de vimine in modum cratium corrotundata texebant, ita ut duplum pondus cratis haberet, quam scutum publicum habere consuevit: iidemque clavas ligneas, dupli æque ponderis, pro gladiis tironibus dabant. — Palorum autem usus non solum militibus, sed etiam gladiatoribus* (quo poeta h. l. respexit) *plurimum prodest. A singulis tironibus singuli pali defigebantur in terram, ita ut nutare non possent et sex pedibus eminerent. Contra illum palum, tam-*

40. et Bacch. III, 3, 51. al. Alii: prostituere, προαγωγεύειν.

[61] Cf. Ernesti clav. Cic. et Wernsdorf. Poet. Lat. min. T. IV. p. 252. *Principia et locos* legum, quarum initialia tantum verba veteres, ut nostri, pragmatici allegabant (v. Godofr. ad XII Tab.); Plathn.

quam contra adversarium, tiro cum crate illa et clava velut cum gladio se exercebat et scuto: ut nunc quasi caput aut faciem peteret. — In qua meditatione servabatur illa cautela, ut ita tiro ad inferendum vulnus insurgeret, ne qua parte ipse pateret ad plagam. Itaque *vulnera* h. l. sunt imaginaria *palo* inflicta *sudibus*, h. l. clavis ligneis, quibus tirones utebantur pro gladiis; unde *rudibus* suspicari possis.[62] *scuto*, texto de vimine in modum cratis rotundato. v. sup. Veget. — 249. *omnes implet numeros*, omnia lanistæ dictata peragit, et simul perfecte, accurate, secundum regulas artis.[63] *dignissima prorsus Florali tuba* cum gravi indignatione dictum pro: hæc *matrona*, quæ ad palum ita exercetur, *dignissima* est, quæ sit inter impudicas mulieres ac meretrices, quæ summa lascivia et petulantia verborum celebrant *Floralia* et flagitante populo nudæ etiam prodeunt in scenam.[64] Qua ratione admissa, *tuba* paulo durius dicta pro ipsis ludis Floralibus, qui, ut omnes ludi, etiam scenici, tuba canente committebantur vel incipiebant; nam tuba non nisi signum erat hujus commissionis, non ad ejus cantum in his ludis saltabatur, quod nonnulli h. l. monuere.[65] Forsan tamen proprio hæc verba sensu et sic capienda sunt: dignissima, quæ tubæ cantu ad ludos Florales cum meretricibus agendos vocetur. — 250. 251. Festive dicit poeta: *nisi si in illo pectore* muliebri *quid plus*, aliquid virilius et magis masculum, altior sensus animusque, *agitat* h. e. se agitat s. movet, agitatur, movetur. Ita enim sæpe verba activa passive, absolute et intransit. adhibentur.[66] *nisi si*, ut passim. v. Heins. ad Ovid. Her. IV, 111. *veræ arenæ*, ad veram gladiaturam justamque pugnam in arena amphitheatri, omissa illa umbratili figurataque pugna, vel exercitio ad palum. *paratur*, se præparat. 252. 253. Omnem exuet pudorem femina, quæ, muliebribus armis, exercitiis officiisque contemtis, virilia eaque inhonesta amat et sectatur: nisi malis cum vet. Schol. "Si nudo vultu pudorem non capit, cooperta quando erubescat?" *galeata:* nam *galea* non modo

[62] Cf. Liv. XL, 6 extr. et 9 extr. Sil. I, 321. VIII, 552. Ovid. A. A. III, 515. Veget. II, 43. Prop. VI, 1, 29. *Vectes* dicuntur Veget. I, 9. (ubi v. Schwebel.) et *ράβδηκες παχεῖς* Xenoph. Cyrop. II. forte et *rudes* Liv. XXVI, 51. nisi *rudes* ubivis pro *sudibus* substituendas censueris. Conf. Var. Lect. sed et Heins. ad Ovid. Fast. II, 367. Vetus Schol. "obtundendo illum ferulis in meditatione pugnandi."

[63] ut ap. Plin. Ep. IX, 38. et Paneg. 71. Cic. Div. I, 13. al.

[64] De hoc festo et origine ejus v. Lactant. Inst. I, 20. Ovid. Fast. V, 183—330. Valer. Max. II, 10, 8. Sen. Ep. 97. Plin. XVIII, 29. Varr. L. L. IV, 10. VI, 3. et Nardin. Rom. ant. IV, 6.

[65] Cf. X, 214. Virg. Æn. V, 113. et Lips. Sat. Serm. II, 19.

[66] v. ad Sil. I, 47. 288. 539. 647. 693.

militibus, sed et gladiatoribus, excepto Retiario, communis erat. (v. ad I, 168.) *fugit*, abhorret, *a sexu* suo et studiis ejus, spernit et repudiat, quæ mulieribus conveniunt. *Vires amat*, h. e. appetit fortitudinem virorum eorumque exercitationes et studia, quæ duriora sunt majoresque exigunt vires. — 254. Lepida ratio: *nam quantula*, quam parva, *nostra*, virorum, *voluptas* rei Venereæ præ feminea? [67]

255 seq. Salse dicitur: Quam pretiosæ *res* venderentur, et quantus earum apparatus, *si conjugis* h. e. armorum s. instrumentorum opumque ejus *auctio* fieret? 256. Hæc sunt arma gladiatoria et quidem omnia Samnitium, quorum armaturam, ut nobiliorem, forte affectabant feminæ nobiles; quod non male suspicabatur Lips. Sat. Serm. II, 11. ubi etiam comparavit loc. class. Liv. IX, 40. de armis Samnitium: *Duo exercitus erant: scuta alterius auro, alterius argento cælaverunt. — spongia pectori tegumentum*, (h. l. *balteus*) *sinistrum crus ocrea tectum, galeæ cristatæ*, (h. l. *cristæ*) *quæ speciem magnitudini corporum adderent, tunicæ auratis militibus versicolores, argentatis linteæ candidæ. — Et Romani quidem* (cæsis Samnitibus) *ad honorem Deum insignibus armis hostium usi sunt: Campani, ab superbia et odio Samnitium, gladiatores* (*quod spectaculum inter epulas erat*) *eo ornatu armarunt Samnitiumque nomine compellarunt.* Eadem itaque, quæ h. l., arma memorantur a Livio, non vere *manicæ*, sed *tunicæ*; et ita h. l. recte forsan legit vet. Schol., nisi *manicæ* non sunt chirothecæ s. χειρίδες, manuum tegmina, quæ feminis quidem, non vero gladiatoribus in usu fuisse novimus, (v. tamen Ruben. R. V. 1, 4.) sed tunicæ manicatæ s. manuleatæ, χειριδωτοί, quod genus tunicæ mollius erat feminisque aptius quam viris. [68] Tunica vero eaque sola induti erant retiarii, (v. ad II, 143. et VIII, 200—208.) et forsan alii quoque gladiatores. Cf. ad v. 263. *Cruris sinistri dimidium tegimen* s. *tegmen* ocrea, qua *dimidium* crus tegebatur, et quidem *sinistrum*, quod in pugna vel certamine singulari protenditur. [69] Reliqui gladiatores (vet. Schol. Retiarii aut Secutores) utrumque crus ocreis tegebant,

III, 466. XVI, 373. et Burm. ad Petron. c. 47.

[67] Cf. XI, 166. Ovid. Met. III, 320 seq. (ubi v. Burm.) et A. A. I, 342. Prop. III, 19. Heyne ad Apollod. III, 6, 7. Muncker. ad Hygin. fab. 75. Lucian. in Dial. Menippi, Tiresiæ et Ἔρωτες, Avicenn. de animal. IX. Galen. de morbis IX. Aliter tamen sensisse Hippocratem s. Polybum in libro περὶ γονῆς, (Ἧσσον δὲ πολλῷ ἥδεται ἡ γυνὴ τοῦ ἀνδρὸς ἐν τῇ μίξει, πλείονα δὲ χρόνον) docent Grang. et Rigalt.

[68] v. Gell. VII, 12. Casaub. ad Sueton. Cæs. 45. et intpp. Virg. Æn. IX, 616.

[69] Cf. Liv. IX, 40. Sil. III, 279. VIII, 419. Lips. Mil. Rom. III, 7. Cerda ad Virg. Æn. VII, 689. et ibid. Heyne in not. et inpr. Exc. VIII.

unde mox poeta *ocreas* in plur. num. dixit. — *si* uxor *diversa* a Samnitium pugna, vel varia aliorum gladiatorum, *prælia movebit*, aliamve armaturam eliget, elegerit. Ironice autem, ut reliqua: *tu*, marite, *felix* prædicandus es, quoniam tum uxor non unam, sed plures *ocreas* in auctione vendit. *puella*, uxore adolescentula. v. ad II, 59.

258. 259. Eædem mulieres, quæ virorum robur et exercitationes, etiam inhonestas, sectantur et tam fortiter arma tractant, nec ullum in turpi facinore sentiunt laborem, in aliis rebus temporibusque femineam produnt mollitiem et tam delicatæ sunt, ut tenuissimis vestibus indutæ sudent. Conf. I, 27—29. et ad II, 65 seq. — 259. *Cyclas*, κυκλὰς, tunica muliebris, cujus oram extremam ambiebat paragauda s. limbus, (κύκλος) auro intextus eique in circuitu, κύκλῳ, adsutus. v. Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. c. 41. Barth. ad Prop. IV, 7, 40. (qui in ea rotundi quid fuisse nomine ipso innui dicit) Serv. et Heyne ad Virg. Æn. I, 649. et Burm. ad Prop. IV, 7, 40. p. 836. — 260. *delicias*, delicatum, molle tenerumque corpus. *panniculus bombycinus*, vestis s. indusium tenue e telis bombycum textis araneorum modo. Cf. ad VIII, 101. De triplici genere bombycum, qui omnes toto genere, ortu, forma, nido et opere differunt a vermiculis nostris s. moris, e quibus sericum ducitur, v. Aristot. hist. anim. V, 18. 19. Plin. XI, 22. et 23. ibique Harduin. qui præter alia dicit, hos bombyces perperam et inter se et cum vermiculis illis confundi a Salmasio.[70] *urit*, propr. fervefacit; vel etiam vexat, premit, cruciat. Conf. Burm. ad Lotich. I, 2, 33.

261 seq. Graphica descriptio s. imago pugnæ gladiatoriæ mulierum, ut virorum VIII, 200 seq. *Adspice, quo fremitu*, clamore, anhelitu, gemitu et vociferatione, (ut v. 267. *gemit ad palum uxor*) *ictus monstratos* a lanista gladiatoribus ut militibus a campidoctore.[71] *perferat*, adversario inferat. Bene comparant Cic. Tusc. Qu. II, 23. extr. *Nec vero umquam ne ingemiscit quidem vir fortis ac sapiens, nisi forte ut se intendat ad firmitatem, ut in stadio cursores exclamant, quam maxime possunt. Faciunt idem, quum exercentur, athletæ: pugiles vero, etiam quum feriunt adversarium, in jactandis cæstibus ingemiscunt; non,*

[70] ad Aristot. l. l. p. 1148. et ad Tertull. de Pall. 85. 138. 226 seq. Conf. Voss. ad Melam p. m. 266 seq. Barth. ad Claud. Eutrop. II, 337. p. m. 1363. Forster de bysso antiq. Linn. et al.

[71] de quo v. Salmas. ad Lamprid. Alex. Sever. 53. Scalig. ad Manil. IV, 227. Lips. de re mil. V, 14. Lindenb. ad Ammian. Marcell. XV, 3. et Intpp. Veget. c. 13.

quod dolcant, animove succumbant, sed quia profundenda voce omne corpus intenditur venitque plaga vehementior. Conf. ibid. cap. 24. — 262. *Galea* omnes utebantur gladiatores præter retiarium. *curvetur*, non, ut ictus declinet, sed quia tam gravis est galea. 263. *quanta*, quam grandis ac firma s. valida, *poplitibus*, genibus positis s. flexis, *sedeat*, subsidat in s. sub clipeo aliisque armis, more mirmillonis, pugnantis cum Threce, qui contra ἐπιβαίνει, insurgit in eum. [72] Manso hæc adnotavit: "Unice probo et amplector verborum sponte sese offerentem juncturam: *quanta fascia* et *quam denso libro* vincta *poplitibus sedeat* h. e. genua cingat; simulque affirmare audeo, hic non loricam, sed tegumentum aliquod significari, quo gladiatores, sive impetum in hostem facerent, sive factum exciperent, genua munire solerent. Cui interpretationi si quis controversiam movens locum e veteribus desideret moneatque, notas quidem esse *fasciolas* tibiales, sed ægrotorum et mollium, (v. Pitisc. ad Suet. Aug. 82.) non gladiatorum et militum, hunc jure suo mecum agere lubenter fateor et concedo. Verum eumdem mihi contra largiturum esse confido, nec *manicarum* apud veteres mentionem fieri, nisi cum contemtu et criminatione mollitiei et luxus, (v. loc. class. ap. Gell. VII, 12.) quas tamen ipse noster Juvenalis v. 256. inter arma corporisque præsidia ponit." Probanda omnino videtur illa verborum junctura, neutiquam vero interpretatio eorum. Nam primum poetam illo sensu dixisse *sedeat poplitibus*, vix crediderim; deinde passim legimus quidem, crura gladiatorum ocrea, at nusquam, ea alio tegumento fuisse munita, neque hæc difficultas removetur eo, quod supra v. 256. mentio facta est *manicarum*; præterea sic verba *quo fremitu* et *quanto galeæ pondere* minime congruerent cum his *quanta fascia* et *quam denso libro*, quibus non minor mollitiei pavorisve irrisio, quam illis laus virilitatis, a feminis illis affectata, contineretur. — Locus hic et lucidus foret et venustus, si poeta rudem pro *fascia* memorasset, vel huic voci, quæ sola loco nostro tenebras offundit, alia ejusdem generis, saltem aptior, substitui posset. In mentem mihi venit *fuscina*, ex qua lectione hæc exoriretur sententia: *quanta fascina* et *quam denso libro*, ligno, (nisi id potius reponendum) in *poplitibus sedeat*, posita sit in crure, quod in certamine protenditur: (v. ad v. 256.) quo graphice designaretur status pugnantis. Nec tamen me fugit, quæ difficultates hanc conjecturam

[72] Cf. Lips. Saturn. Serm. II, 10. et de vi verborum *subsidere* (ὑφιζάνειν) et *insurgere* not. ad Sil. I, 401. 492. IV, 382. 610. V, 294.

premant. Nam ad palum (cf. v. 247 et 267.) fortasse non nisi rudibus pugnabatur et retiarii soli fuscina utebantur, non autem *galea*, cujus mentio fit v. 262. Enimvero h. l. forsan tum de justa pugna sermo est, in qua mulieres (ad *veram arenam* præparatæ v. 251.) *monstratos* a lanista in exercitiis ad palum (v. 247 seq.) *ictus perferunt*, adversariis inferunt, tum de duplici pugnantium genere, quarum aliæ horum, aliæ illorum gladiatorum partes agunt. — Verba *quam denso fascia libro* vulgo male interpretantur: quam densis voluminibus complicatas sinuatasque vestes colligat fascia, h. e. ut succincta (*subligata* ap. Martial. VII, 66, 4.) pugnet.[73] Ferrarius Elect. II, 14. suspicabatur, quemadmodum Samnitibus, teste Liv. IX, 40., *spongia* fuerit pectori appressa pro lorica, (v. sup. v. 256.) ita pro eadem lorica fuisse huic matronæ *fasciam*, ex pluribus tiliarum contabulationibus *densatam*, veluti quamdam tabellarum, instar *libri* s. codicis, compaginationem, muniendo pectori adversus ictus. — 264. Ridebis, quum videris eam armis virilibus positis muliebria sumere et mulierem esse, quam virum esse credideras. Hoc lepide expressit poeta, ut fere Plaut. Bacch. I, 1, 35 seq. *Scaphium*, *σκαφίον*, vas concavum et oblongum, et hinc vel poculi rotundi genus, (v. Ernesti clav. Cic.) vel trulla s. matula, matella, vas, cui immeiunt mulieres, quodque iis proprium est, ut *lasanum* viris.[74] De hac matula plerique intpp. capiunt h. l. et nonnulli Plaut. l. l. vetus autem Schol. de vase potorio, (neutrum vero h. l. satis convenire videtur) Turnebus Advers. II. cap. ult. de capillitio *scaphæ* similitudinem et formam habente meretricibusque usitato; et Grang. simpl. de capitis muliebris ornamento, Gall. *escoiphon*, adjuncta hac ratione: "Tunc enim risui locus, quum positis armis videmus sumere vestimenta muliebria eas, quas antea viros credebamus." Recte; sed hæc notio vocis non minus dubia est, quam quæ a Turnebo ei affingitur.

265 seq. Poeta præclare alloquitur ipsas feminas, *neptes* summorum virorum, et quidem vel turpes illas posteras, tunc temporis viventes, de quibus antea sermo fuit, quæque dedecorant majorum nobilitatem, vel probas potius honestasque principum antiquitatis virorum filias ac neptes. Has rogat, num suo ævo vel infimo loco natæ mulieres tam nefaria commiserint, quam nunc matronæ. Nomina

[73] Vetus Schol. volumen in specie libri i. e. longa fascia. Alius in cod. Gud. I. *densum librum* vocat revolutionem crebram *fasciæ*, qua subligabantur feminæ.

[74] De his vasis, quæ et argentea erant, et de servis *ἐπὶ τοῦ λασάνου* v. Böttigeri Sabina p. 54—58. ed. pr. Ernesti clav. Cic. voc. *scaphium*, Martial. XI, 12, 6. et Pollux X, 9.

autem virorum illorum cum delectu posita. M. Æmilius *Lepidus* Censor a. U. DLXXIV, bis Consul, Pont. Max. et princeps Senatus. Idem nomen etiam Triumviro pluribusque Consulibus fuit. De *cœco Metello* v. ad III, 139. — Q. (al. M.) *Fabii Gurgitis* Cos. a. 462 et 478. ac princ. Sen. qui juvenis a devorato patrimonio cognomen illud accepit, sed prioris ætatis vitia multis postea virtutibus compensavit.[75] Idem Fabius, Maximi Rulliani filius, aliquot matronas, stupri damnatas, mulctavit pecunia et ex hoc mulctaticio ære Veneris ædem prope circum faciendam curavit. v. Liv. X, 31. *ludia,* comœda s. mima, nec non gladiatoris uxor, (v. sup. ad v. 82.) sed mox sequitur *uxor Asylli,* quod gladiatoris nomen esse putant. *Hos habitus* scil. gladiatorum. *ad palum gemat,* v. sup. ad v. 247. et 261.

268 seq. Conjux semper litigat cum marito, ita ut hic ne noctu quidem capere possit quietem.[76] *Lectus habet lites,* in eo lites sunt s. seruntur. — 270. *Tunc,* quum in lecto jacet. *gravis,* molesta, irata, *viro,* maritum vexat. *tunc pejor,* iratior, sævior est, *tigride orba,* orbata catulis, a venatore subreptis: tum enim nullum animal nec velocius dicitur esse, nec truculentius.[77]

271—278. Uxor *conscia* sibi *occulti facti,* h. e. adulterii, ut omnem de se suspicionem amoliatur, ultro *fictum* marito exprobrat adulterium, *simulat gemitus,* gemens ac plorans, quasi *pellex* ab eo magis ametur, *aut odit* vexatque *pueros,* servos, tamquam fidos ejus in furtivis amoribus ministros et adjutores, vel servos meritorios, quos marito in deliciis esse fingit, scorta masculina; (non filios) qua *simulata* tristitia et *zelotypia* ita illum decipit, ut utramque ex vehementi in se amore proficisci lætus sibi persuadeat. Cf. Ovid. A. A. III, 677 seq. et Am. I, 8, 79. 80. 273—275. De *lacrumis* mulierum manantibus, quo tempore et *quo modo jubeant,* cf. ad XIII, 132 seq. Ovid. Am. I, 8, 79. 83. 84. A. A. III, 291. 292. 677 seq. et Epist. Her. II, 51. 52. Martial. I, 34. (*jussæ prosiliunt lacrumæ*) Prop. IV, 1, 144. — 274. Metaphora desumta a militibus, qui *stationes* s. custodias excubiasque agunt, vel, acie disposita, parati stant in loco sibi designato et sig-

[75] Cf. Macrob. Sat. II, 9. Plin. VII, 41. Plut. vit. Fabii.

[76] Conf. Ovid. A. A. II, 153 seq. III, 373 seq. et Am. II, 2, 35 seq. Plaut. Casin. II, 5, 9 seq. et facetum epitaphium viæ Tiburtinæ, a Grang. laudatum: *Heus viator miraculum. heic vir et uxor non litigant. qui sumus non dico. at ipsa dicam. hic Bæbius ebrius ebriam me nuncupat. hei uxor etiam mortua litigas.*

[77] Cf. Plin. VIII, 18. s. 25. Mela III, 5. Solin. c. 17. Senec. Med. 861 seq. Lucan. V, 405. Martial. III, 44, 6 seq. VIII, 26.

num profectionis aut impetus *exspectant.* — *exspectantibus illam, quo jubeat manare modo,* doctius et Græcorum more dictum videtur pro *exspectantibus, illa* cet. " Usitata et optimo cuique frequentata est loquendi ratio, qua Accusativus, qui a verbo prægresso pendet, infertur, ubi exspectares Nominativum;" Hein. qui laudavit Munck. ad Hyg. fab. 34. Davis. ad Cæs. B. G. I, 39. Perizon. ad Sanct. II, 5. et Ursin. institutt. T. II. p. 556. — 275 seq. Cf. ad XIII, 132 seq. Ovid. A. A. III, 679 seq. *Jussæ prosiliunt lacrimæ* Martial. I, 34, 2. Facete autem poeta adumbrat credulitatem et incautum stolidumque errorem mariti, qui fraudes uxoris non intelligit. *Tu tibi tunc places,* gratularis, et gaudes, quod tantopere ab uxore ameris. *Curruca* s. *curuca,* ut vulgo putant, avicula dicitur, (Gr. ἐπιλαΐς vel ὑπολαΐς, Germ. *die singende grasmücke,* Linn. motacilla modularis) fovens pullos alienos, scil. cuculi, qui in ejus nido ova parit.[78] Quæ si vera sunt, sensus h. l. est: tu similis curucæ, adulterinos educans liberos, quos tibi uxor tamquam tuos peperit; qualis nobis *hahnrey,* Gallis *cocu* dicitur. Aptissima sane sententia, modo et vox ipsa et notio ejus minus dubia esset. Conf. Excurs. ad h. l. *fletum,* lacrumas uxoris falsas, *labellis,* ore et osculando, *exsorbes,* consolans plorantem. Conf. Ovid. A. A. II, 325 seq. et Fast. III, 509. et Ep. Her. XI, 54. — 277. *scripta et tabellas,* literas a mœchis scriptas. Conf. sup. ad v. 233. Vox *quæ* ad indolem argumentumque epistolarum, et *quot* ad earum mœchorumque, a quibus scriptæ sunt, multitudinem spectat. *zelotypæ,* quæ zelotypam simulaverat, ut ita te deciperet suaque celaret adulteria.

279—285. Uxores non modo ad quævis flagitia et adulteria, cum *servis* et *Equitibus* h. e. infimis ac summis viris promiscue committenda, propensæ sunt, sed etiam in iis deprehensæ mira audacia defendunt causam suam, quæ tamen tam anceps est, ut vel *Quintilianus,* summus rhetor, *hæreat,* h. e. nesciat, quo pacto quibusque argumentis rem adeo manifestam turpemque excusare, nedum tueri possit. Colorem orationis e veteri aliqua comœdia ductum esse suspicabatur Schurzfl. *jacet in servi complexibus;* conf. Petron. c. 126. — *Dic* δεινῶς repetitur. *Quintilianum* h. l. et VII, 186 seq. ob invidendas opes eamque artem, quam profitebatur et mire callebat, struendi ac destruendi versutia ancipitem, a poeta perstringi irato, quem nusquam

[78] de quo v. Aristot. hist. anim. VI, 7. Bochart. de animal. P. II. lib. I. c. 12. XI, 29. et 57. Hard. ad Plin. X, 9. p. 88.

laudaverit in opere suo, aut hoc factum esse propter iram Quintiliani in poetam, suspicabatur Rigalt. in Diss. de Sat. Juven. Verba tamen h. l. etiam in laudem tanti rhetoris dicta videri possunt, et satiræ Juvenalis nondum scriptæ erant, saltem non editæ, quum scriberet Quintilianus. Cf. ad VII, 188 seq. et Dodwellus in Annal. Quintil. § 45. De voce *sodes* v. Schelleri Lexic. *colorem*, χρόαν, speciem honestatis, prætextum, excusationem, speciosa ac splendida verba, quæ culpæ huic prætendere possis. Forma loquendi ducta a picturis, quibus *colores* inducuntur. Hinc Quintil. III, 8, 3. (10.) dixit *colorem dare rebus deformibus*, ut nos, *der sache eine farbe, einen anstrich geben.* Cf. ad VII, 155.

281. Respondet Quintilianus: *hæremus*, hæreo, dubius ac nescius, qua ratione rem tam manifestam possim defendere; (vel *hæremus* sc. ego, poeta, et Quintilianus) itaque *dic ipsa*, uxor. *Olim convenerat — homo sum* verba uxoris protervæ, adulteria sua argute non minus, quam audacter excusantis. 283. *Indulgere*, concedere, *mihi* scil. quod vellem, vel *indulgere*, obsequi, *mihi*, animo et cupiditatibus meis. *mare cœlo confundas*, v. ad II, 25. *homo sum*, qui erroribus obnoxius est, et mulier, quæ ex imbecillitate sexus peccat, adeoque digna sum, cujus peccatis, ex infirmitate humana profectis, veniam des. Cf. Terent. Heaut. I, 1, 25. Cic. Off. I, 9. et Plaut. Merc. II, 2, 46 seq. — 284. 285. Acerbe notatur ingenium quarumdam mulierum, quæ *deprehensæ in crimine* non animo perturbantur ac mente concidunt, sed *iram* potius inde concipiunt *atque animos*, animum, h. e. audaciam superbiamque; quod summæ est protervitatis improbitatisque perditæ.

286—300. *Hæc* vitiorum flagitiorumque muliebrium *monstra* luxu, opulentia et otio gignuntur, unde priscis Romanis, caste ac frugaliter viventibus, ignota erant. Præclara autem h. l. est veterum recentiorumque temporum morumque descriptio et comparatio. Conf. ad XI, 77—180. *Monstra*, ut *prodigia* sup. v. 84. Conf. ad II, 122. *quo de fonte* profluxerint, *requiris*, quæras forsan, Postume. 287 seq. Conf. sup. v. 5—24. Paupertas laboris, castitatis aliarumque virtutum mater, magistra et custos.[79] *contingi*, contaminari, pollui. 289. *Tecta parva*, casæ humiles ædesque lateritiæ, h. e. homines in iis habitantes, laboriosi et frugales. *vellere*, lana, h. e. lanificio, *vexatæ*, fati-

[79] Conf. Horat. Od. I, 12, 41 seq. III, 2, 1 seq. et 6, 17—48. (ad quæ loca v. intpp.) Ovid. Rem. Am. v. 135—168. et 745 seq.

gatæ, et *duræ*, induratæ. *Tusco* epith. orn. ut paulo ante *Latinas*. Latium et Etruria pro tota Italia poni possunt: non memini certe, lanam lanificiumque Etruscum ab aliis laudari. Lanificium autem *Tuscum* dici a vico Tusco, quod in eo potissimum Romæ illud exercitum sit, parum probabile est. 290. 291. *Metus hostilis in bonis artibus civitatem retinebat*, Sallust. B. Jugurth. 41. (45.) Pro bello metuque hostili exquisite dicitur *proximus urbi H. — mariti*. Res ipsa nota vel ex Liv. XXVI, 10. et Sil. XII, 541 seq. *Collina in turre*, ad portam Collinam turribus munitam, vel in castris, quæ ad portam Collinam posita erant turribusque munita. 292. *longæ pacis mala;* nam nimium otium gignit luxuriam, et hæc multa mala. Cf. ad I, 87. et Kœnig ad Claudian. XV, 99. ubi dicitur *perfert miserabile pacis supplicium*, sed non sensu plane eodem. 293. *Luxuria* cum malis, quæ inde proficiscuntur, *incubuit*, ingruit, irruit in nos, Romanos, nos oppressit: præclare de vi et gravitate mali. Nam res noxias poetæ comparant hostibus vel exercitui hostili irruenti omniaque infestanti. Conf. X, 218. et Horat. Od. I, 3, 31. ibique intpp. *sævior armis:* nam plura, quam bellum, gignit mala ipsosque victores vincit ac domat, ut olim Alexandrum, Hannibalem, Romanos, Græcos. *ulciscitur orbem* terrarum, a nobis *victum* et injurias malaque ei a nobis illata, dum nos victores domat ac perdit. Conf. Rutil. Itin. I, 395 seq. et Horat. Epist. II, 1, 56. *orbem*, (*τὴν οἰκουμένην*) quem totum a se subactum esse Romani jactabant. 294 seq. Cf. Horat. Od. III, 24, 42 seq. ibique intpp. Liv. Præf. extr. et Petron. de mutat. reip. Rom. *Hinc*, inde, ex eo tempore, *fluxit ad istos colles*, h. e. Romam, in septem collibus conditam, (cf. IX, 131.) *Sybaris, Rhodos, Miletos et Tarentum*, h. e. luxus, deliciæ et vitia istarum urbium, quæ cum delectu nominantur, quippe quum omnes luxuria fuerint infames. Conf. III, 62. et 69 seq. *Sybaris* opp. Lucaniæ, cujus perditos mores Athenæus atque Ælianus copiose descripsere, et a quo *luxus, libelli, sus* et *mensa Sybaritica* vel proverbii loco dicuntur. *Rhodos*, v. ad VIII, 113. *Miletus*, caput Ioniæ, urbs clarissima divitiis mercatura partis. *Tarentum* vel *Tarentus* opp. antiquissimum ac celeberrimum Messapiæ s. Calabriæ, cujus luxuria h. l. tribus epithetis adumbratur. Ex his *coronatum* spectat ad lautas epulas, in quibus convivæ sertis redimiuntur, *petulans* ad ebrietatem vel jocos, sales hilaritatemque, aut dicax ingenium, *madidum* ad eamdem ebrietatem, (ut uvidum, *βεβρεγμένον*, fluere, diffluere et alia, de quibus v. ad Sil. XII, 18. in Var. Lect. et Mitscherl. ad Horat. Od. III, 21, 9. IV, 5, 39.) ad unguenta

et divitias affluentes. Similiter *Tarentum* dicitur *molle* et *imbelle* Horat. Sat. II, 4, 34. et Epist. I, 7, 44. it. *unctum* Sidon. V, 430. ut *uncta Corinthus* inf. VIII, 113.[80] — 298 seq. Liv. XXXIX, 6. *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est: inde primum lectos æratos* cet. Poetæ ante oculos fuisse verba Phocylidis et inpr. Creontis in Soph. Antigona, putabat Hennin., verissime autem dixisse Eurip. in Phœn. Τὰ χρήματ' ἀνθρώποισι τιμιώτατα Δύναμίν τε πλείστην τῶν ἐν ἀνθρώποις ἔχει. *Obscœna pecunia,* quæ mores primum molles et effeminatos efficit, ac deinde obscœnos, quum homines, voluptatibus licitis satiati, sese in fœda obscœnitatis atque impudicitiæ fœce volutat, *intulit peregrinos mores* Græcorum et Persarum; Ach. 299. *fregerunt,* corruperunt, prop. enervarunt, emollierunt, quo sensu τὰ ὦτα κατεαγότας dixit Phot. c. 242. τὰ κατεκλασμένα μέλη, molles effeminatosque modos, et τὴν κατεαγυῖαν μουσικὴν oppositam τῇ ἀνδρώδει Plut. de Mus. Opp. T. II. p. m. 1136. et 1138. *Frangitur ipsa suis Roma superba bonis,* Prop. III, 13, 60. *Divitiæ molles,* quæ homines faciunt molles et effeminatos.

300—351. Nonnumquam et *Venus ebria* h. e. libido vinolentiæ juncta est, et sic furor furore auctus nihil *curat,* nullam honestatis rationem habet, nec ulla turpitudine abstinet. Cf. inf. ad v. 418 seq. Valer. Max. II, 1, 5. Sen. Ep. 83. Prop. II, 33, 25 seq. — 301. *Inguinis et capitis,* coitus et fellationis, obscœnissimi generis libidinum, quod Græcis dicitur τὸ λείχειν s. λειχάζειν, λεσβιᾶν s. λεσβιάζειν, φοινικίζειν, μολύνειν τὸ στόμα s. τῷ στόματι μολύνεσθαι, Latinis *ore morigerari* et *capiti illudere,* (Suet. Tiber. c. 44. et 45.) vel *basium Florentinum,* osculum, lingua in os alterius inserta linguamque ejus lambente, datum, de quo v. Michaelis Biblioth. orient. T. VII. p. 169. 170. Aristoph. in Equit. Act. IV. extr. de Ariphrade fellatore s. irrumatore: Τὴν γὰρ αὐτοῦ γλῶτταν αἰσχραῖς ἡδοναῖς λυμαίνεται, Ἐν κασαυρίοισι λείχων τὸν ἀπόπτυστον δρόσον, Καὶ μολύνων τὴν ὑπήνην καὶ κυκῶν τὰς ἐσχάρας.[81] De *mediis noctibus* et *Falerno mero* v. ad IV, 137. 138. *Ostrea* et vinum ardens, quale *Falernum* est, Venerem excitant. *Grandia ostrea* et *mediæ noctes* ad rem augendam pertinent. 303. *Unguenta* olim delicatuli in potus addebant, μύρῳ οἶνον μιγνύντες οὕτως ἔπινον, qui οἶνος μυρρίνίτης s. μυρρίνης dicebatur. v. Ælian. V. H. XII, 31. Plin. XIII, 3.

[80] Cf. Strabo VII. Athenæus passim, et Barth. ad Claud. Cos. Manl. v. 158. p. m. 150.

[81] Cf. Lambin. ad Horat. Epod. 8. extr. et Brodæi Miscell. II, 21.

s. 5. XIV, 3. Martial. XIV, 110. et 113. et inf. ad IX, 128. et XI, 122. *Merum* vinum bibebant ebriosi, aqua mixtum sobrii homines. 304. *Concha* vas ad conchæ formam factum, et forte h. l. amplum. Cf. ad v. 419. — 304. 305. Egregie adumbratur conditio temulentorum hominum, quibus *vertigine* correptis omnia *ambulare* (h. e. circumagi, ἀναστρέφεσθαι) et simul, nervis oculorum nimio potu debilitatis ac distentis radiisque eorum distractis, vel musculis oculorum nimio vini ardore contractis solutisve humiditate, congeminari videntur. Conf. Sen. Ep. 83. Horat. Sat. I, 2, 25. et Theogn. Sentent. v. 503 seq. (Οἰνοβαρῆ κεφαλήν, — τόδε δῶμα περιτρέχει).[82] Similia de furiosis v. in Eurip. Bacch. v. 916 seq. — 306—313. Turpissimi ebrietatis effectus nimis ad vivum quasi resecantur summusque, qui tum temporis vigebat, deorum contemtus et libidinis furor adumbrantur. *I nunc*, verba reprehendentis et irridentis vel irati, ut X, 166. 310. XII, 57. *Sanna*, derisio, μῶκος, cum distortione oris vel crispatione et corrugatione nasi, vel nudatione dentium, vel alio gestu. Hinc *subsannare*, Gr. μυχθίζειν, μυκτηρίζειν, χλευάζειν, naso suspenso deridere. Cf. Pers. I, 58. (ubi de variis sannarum generibus et origine vocis disputavit Casaub.) 62. III, 86. V, 91. *qua sorbeat aera sanna;* his verbis Grangæus et alii non, et Schol. vetus, morem stertentis temulentiæ et rhonchos ducentis exprimi putant, sed gestum irridentium, qui extentis paululum labiis cum certo sibilo aera sorbere soleant; ut adeo sensus sit, Tulliam ore distorto et hiante respirare, quum *prætereat aram Pudicitiæ*, h. e. cum contemtu et irrisione eam præterire. C. Valesius comparat verba Ammiani XIV, 6. *turpi sono fragosis* (f. *rugosis*) *naribus introrsum reducto spiritu concrepantes*, Petri Alex. ap. Theodoret. eccl. hist. IV, 22. τὴν ξῆνα σιμώσαντες, ψόφον ἀσελγῆ διὰ τῶν μυκτήρων μακρὸν καὶ, ἵν' οὕτως εἴπω, ὡς ἀπὸ κρουνοῦ προχέοντες, et Severi epist. in Baronii Annal. T. V. ad a. Chr. 418. de Meletio quodam, qui verba profana et turpia loquatur et nunc *naribus corrugatis aerem sorbens inhonestos strepitus promat*, nunc fœtidis risibus cachinnetur.

307. *Pudicitiæ* templum s. sacellum duplex Romæ erat, *vetus* majusque patriciæ in foro boario, recentius minusque plebeiæ in vico Longo; et in utriusque templi *ara* priscis temporibus non nisi spectatæ pudicitiæ matrona et quæ uni viro nupta erat jus sacrificandi habebat: quæ religio dein vulgata a pollutis, nec matronis solum, sed

[82] Cf. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 87. Voss. et Burm. ad Valer. Fl. III, 66. 67. Heyne ad Virg. Æn. IV, 469. 470. Farnab. ad Senec. Agam. v. 728. Lactant. de opif. dei c. 9.

omnis ordinis feminis, postremo in oblivionem venit. v. loc. class. Liv. X, 23. et Fest. voc. *Pudicitia* et *Plebeia*. *Maura prætcrit aram* ridens, non ritu antiquo et religioso, quo adorandi gratia manus labris admovetur. 308. *collactea*, σύντροφος, ὁμογάλακτος, eodem lacte nutrita. Hinc et *notæ*, familiari; nisi malis: famosæ. Cf. Var. Lect.

309. *Hic*, ante aram ædemve Pudicitiæ, *ponunt lecticas*, lecticis vectæ conveniunt et egrediuntur, ut micturiant et concumbant. *micturiunt*, mictum eunt, vel simpl. mingunt in aram, in contemtum Deæ et ob furorem libidinis, ut deinde coeant. Conf. ad I, 131. — 310. *Siphon*, Gr. σίφων, canna s. stipula, deinde canalis, tubus et fistula, a sono, quem efficit, sic dicta, qua vinum e pleno dolio elicitur, vel per quam emittitur liquor, ut cernimus in salientibus aquis (*la fontaine*): h. l. forte urina diu retenta ac deinde longo tractu projecta, et quidem in *effigiem* deæ venerabilis.[83] 311. *In vices equitant*, se invicem ineunt, ut Λεσβιάδες vel τριβάδες, (*frictrices* ap. Tertull. de pall. 4. extr. Gall. *tribaudes*) quæ se mutuo solebant ὀλίσβῳ τρίβειν, (membro virili, quod ex corio effictum erat, fricare) vel masculam libidinem exercere, quæ τριβακὴ vel τριβαδικὴ ἀσέλγεια dicitur Luciano in Ἔρωτες, ob cujus inventionem Philænis, et exercitium mascula Sappho male audiit.[84] *Equitare* de re Venerea, (ut nostrum *reiten*, et Gall. *chevaucher*) *in vices*, ut *facere vicibus* VII, 240. *Luna teste* ac conscia flagitiorum, quæ matronæ pudoris oblitæ ne obscura quidem nocte, sed splendente luna committunt. Sidera *testes* esse et, tamquam oculi cœli, videre omnia ac despectare dicuntur.[85] *moventur*, agitantur voluptati indulgentes et equitantes. Τὴν κεφαλὴν σείεις καὶ τὴν πυγὴν ἀνασείεις· Ἐν μὲν μαινομένου, ἓν δὲ πεφαινομένου, Epigr. XXV. in Huschkii Anal. crit. p. 246. — 312. *Conjugis* tuæ *urinam calcas*, præteriens aram Pudicitiæ et *visurus*, salutaturus, *amicos magnos*, potentes ac nobiles, patronos, qui a clientibus *luce* prima salutantur. Cf. I, 33. et III, 184.

314—345. Alii nec minus fœdi describuntur nimisque ad vivum quasi resecantur effectus ebrietatis et stupra nefanda, quibus sacra etiam et cærimoniæ Deorum, inpr. *Bonæ Deæ*, polluuntur. De hac Dea ejusque sacris, quæ in summam sensim turpitudinem degenera-

[83] Cf. Scalig. ad Varron. p. 182. Intp. Plin. Ep. V, 6, 22. X, 42. Kuster. ad Aristoph. Thesmoph. 564. Musgrav. et Hœpfner ad Eurip. Cycl. v. 458.

[84] Cf. ad v. 322. Phædr. IV, 14, 1 seq. (ubi v. intpp.) Martial. I, 90. VII, 66. et 69. Koppe ad Pauli epist. ad Rom. I, 26. 27.

[85] Conf. VIII, 149. Manil. I, 283. Zinzerling. Critic. Juvenil. p. 202. et Heins. ad Ovid. Fast. IV, 885.

bant, v. ad II, 86 seq. *Nota* propter summa flagitia, in his sacris committi solita. Et hæc utique notiora sunt, quam ipsæ, quibus Dea colebantur, cærimoniæ. *Nota* autem facete dicuntur *secreta*, h. e. arcana Deæ sacra, a solis feminis et hinc in locis *secretis*, forte subterraneis ac fornicatis, ut Priapi sacra non minus impura in cryptæ recessu, celebrata, unde *antrum* inf. v. 328. et *opertum* Cic. Parad. 4. et Lactant. de falsa relig. I, 22. Conf. Gonsal. ad Petron. p. m. 42. *tibia incitat lumbos* ad saltandum, (nam ad tibiam in his sacris saltasse mulieres et hinc Clodium quoque habitu psaltriæ iis affuisse, præter alios docet Plut. in Cæs. et Cicer.) vel potius ad libidinem et pruritum venereum, ut *crissent* lumbis ; (ut mox v. 322.) nam *lumbi* sedes libidinis, et hæc maxime excitatur lascivo cantu sonoque : unde ἡ ὀσφὺς ἡμῖν ὑγρῶς ἐπικινεῖται Lucian. asin. aur. 6. Cf. IX, 59. Kœnig ad Pers. I, 20. (*carmina lumbos intrant*) IV, 35. et Burm. Anthol. Lat. T. II. p. 495. — 315. *Cornu* forte id. qd. *tibia*, nisi in his sacris utriusque fuit usus. Cf. ad II, 90. *vino*, ut *magno cratere* II, 87. *vino adtonitæ*, ut ap. Liv. XXXIX, 15. *Adtonitus*, ut ἐμβροντηθείς s. ἐμβρόντητος, voc. propr. de sensuum stupore ac furore, etiam sacro, vel enthusiasmo divinitus immisso. Conf. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 19, 14. *Ferri* inpr. dicuntur furentes quique animo ita commoventur, ut nesciant, quid agant.[86] — 316. *crinem rotant* saltantes et jactantes capita. Quintil. XI, 3. *Caput jactare et comas rotare fanaticum est.* Poeta ad has matronas transtulit verba Lucani I, 566. de Gallis, fanaticis sacerdotibus : *crinemque rotantes Sanguineum populis ululârunt tristia Galli.* Apul. Met. VIII. p. 214. ed. Elmenh. de sacerdotibus Isidis : *Demisso capite cervices lubricis intorquentes motibus crinesque pendulos rotantes in circulum.* In Antipatri Sidonii Epigr. XXVII, 2. (Anal. Brunck. T. II. p. 13.) Gallus ἑομβητοὺς δονέων λυσσομανεῖς πλοκάμους, et v. 18. ἐδίνησε δ' εὐστροφάλιγγα κόμαν. Cf. Epigr. adscriptum sup. ad v. 311. Catull. LXIII, 23. illud ἐίψαι πλοκάμους ap. Eurip. in Bacch. v. 150. 864. et Iph. in Aul. 758. aliaque loca, quæ laudavit Ill. Huschke in Anal. crit. p. 106 seq. *Ululare* de quovis sono et cantu vel clamore, tam læto quam tristi, adhibetur, ut ὀλολύζειν et ὀλολυγή. v. intpp. Callim. H. in Del. v. 258. *Mænadès*, ut Μαινάδες, propr. furiosæ et ἔνθεοι mulieres, inpr. Bacchæ, ἀπὸ τοῦ μαίνεσθαι sic dictæ. *Mænades Priapi* facete dicuntur matronæ tam vino quam libidine furentes, et Priapum, Deum impurum, tum colentes, tum in

[86] v. Ernesti clav. Cic. et Burm. ad Ovid. Her. XV, 140.

sacris Bonæ Deæ, quæ Priapeiis et Bacchanalibus similia erant, (v. Plut. in Cæs. et Cicer.) ut Bacchæ Bacchum, cum *ululatu* invocantes. Vetus Schol. " Non Liberi patris Bacchæ, (s. Mænades) sed Priapi." Conf. tamen Var. Lect. et de *Priapo* inf. ad v. 375. — 318. *quæ vox*, quam lascivæ sunt et canoræ voces earum! Verbum *saltare* de vehemente cupiditate dicitur, ut καρδία πηδᾷ vel ἐκπηδᾷ Aristoph. Nub. v. 1393. (ubi v. Kuster.) et Aristænet. Epist. II, 5. forte et ἄλλεται ὀφθαλμὸς Theocrit. III, 37. inpr. vero κακὰ δ' ἐξάλλετο γαστὴς ap. Callim. H. in Cer. v. 89. ubi v. Ernesti. Cf. Moll. ad Longi Pastor. p. 53. — 319. Quantum *meri veteris* (utrumque cum delectu) ad pedes defluit matronis lascivis, se commingentibus! — 320. *Saufeia* vel *Laufella* (v. Var. Lect.) matrona lasciva et tribas, cujus etiam mentio fit IX, 117. et ap. Martial. III, 72. Conf. inf. ad XII, 45. *Lenonum ancillas*, meretriculas, prostibula, *provocat* in certamen libidinis, *posita corona* in medio, vel potius proposito victoriæ præmio, ut τιθέναι ἄεθλα ap. Hom. Il. ψ, 653. 740. et *corona* ap. Virg. Æn. V, 355. Sil. XVI, 299. 505. Possis etiam exponere, deposita corona convivali: nam a v. 300—351. sermo est de Venere ebria lautisque conviviis, in quibus veteres coronari solebant. Sed illa ratio firmatur verbis *præmia* (coronam) *tollit*, h. e. accipit victrix, *pendentis coxæ*, ut quæ scitius pluresque subagitarit ceterasque Λεσβιάδας s. τριβάδας in hac muliebri κλινοπάλῃ vicerit vel, ut Photis ap. Apul. Met. II. p. 122, 19. ed. Elmenh. *crebre subsiliens lubricisque gestibus mobilem spinam quatiens, pendulæ Veneris fructu se satiaverit.* Poeta autem h.l. respexisse videtur simile certamen victoriamque Messalinæ, (v. sup. ad v. 126.) nisi ei h. l. *Laufellæ* nomen dedit. Bahrdt perperam cepit *coronam* de mitra matronali, ante certamen deposita; vetus autem Schol. *coxam pendentem* de perna in carnario suspensa et præmii loco proposita. (v. ad XI, 82.) *Corona*, servantibus virginitatem data, nunc proponitur Tribadibus: *coxæ pendentis*, nam quæ succumbit, sublimi coxa excipit tribadem incumbentem; Brit.[87] — 322. *Ipsa* Laufella s. Saufeia subigitur et agitatur subsultu frequenti a *Medullina*, sub qua jacet cujusque *fluctum* h. e. motum fluctuantem *adorat*, maximi putat, tamquam nihil eo divinius dici aut cogitari possit. *fluctum* pro vulg. *frictum* (v. Var. Lect. et ad v. 311.) substitui cum Pith. et Henninio, prob. Wakef. ad Lucret. III, 721. et IV, 1264. ubi hanc flexibilem corporis mollitudi-

[87] *Coxa* membrum virile, propter magnitudinem, Omnib. et Gloss. in cod. Alex. teste Ach.

nem designari etiam notat verbis Priap. carm. 18. *Crissabit tibi fluctuante lumbo,* Virg. Cop. v. 2. *Crispum sub crotalo docta movere latus,* Apul. Met. III. p. 213. *membris leviter fluctuantibus,* Arnob. lib. II. p. 73. *coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuare,* l. VII. p. 239. *clunibus fluctuare crispatis,* Achill. Tat. I, 12. ὁ δὲ ἵππος τοῖς νώτοις ἐκυμαίνετο. Cf. et Mart. XIV, 203. *Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum Masturbatorem fecerit Hippolytum.* Vetus Schol. "*adorat fluctum,* habet potiorem in obscenis moribus motum sive sinum; *crisare* autem mulierum, *cevere* virorum est, unde *cevetes* molles et obsceni appellantur." Grangæus: "*Crissare* verbum Tarentinum, quod *prurire* significat, a Gr. κνισσᾶν seu κνιζᾶν." *Medullina* mulier impudica, vel ficta vel vera. Alia, opinor, fuit sponsa Claudii, de qua v. Suet. Claud. 26.[88] — 323. *Inter dominas* et matronas, quæ tam turpiter de principatu in libidinis exercitio contendunt, nulla nobilitatis ratio habetur, sed *virtus,* major ars vel vis et potestas coeundi et masculam libidinem exercendi, *palmam* s. victoriam in hoc obsceno certamine *æquat natalibus,* summæ nobilitati, h. e. talis victrix non minoris æstimatur, quam quæ nobilissima est. Conf. Var. Lect.

324 seq. Non simulacra ibi rei Venereæ effinguntur vel ludus phantasiæ; sed *omnia fiunt ad verum* ac vivum, verus est ac manifestus concubitus mulierum cum mulieribus, tamquam cum viris; *quibus incendi* ad libidinem vel decrepiti possint senes. 325. 326. Conf. Ovid. Amor. III, 7, 41. 42. et Martial. VI, 71, 3. XI, 61, 3. 4. XIV, 203. *frigidus ævo,* senectute, ut contra *calidus* et *fervidus juventa. Laomedontiades,* filius Laomedontis, Priamus, ut ap. Virg. Æn. VIII, 158. *Nestoris hernia,* (ut *pondus Nestoris* ap. Plaut.) h. e. Nestor, quamvis herniosus; quo rei miraculum augetur. *Hernia* tumor scroti, (κήλη,) qui, delapsis in scrotum intestino (ἐντέρῳ) et omento, (ἐπιπλόῳ) *ramum* (ἔρνος) facere videtur, unde dicta *hernia, ramex,* (inf. X, 205. et al.) *enterocele,* Gr. ἐντεροκήλη, ἐπιπλοκήλη, ἐντεροεπιπλοκήλη. Cf. Cels. III, 24, 9. V, 18. et intpp. Mart. XI, 85, 5.

327 seq. Ad sacra Bonæ Deæ, de quibus v. 314—345. agitur, non nisi mulieres admittuntur. Quæ itaque postquam aliquamdiu rebus

[88] Male Schol. vetus: "Duæ Medullinæ eodem fuerunt tempore, ex quibus una Val. Claudio nupta fuit, altera Neroni: prior nota omnibus probris, quam hic significat, posterior famæ honestioris." Error a nemine notatus et a Bahrdtio aliisque adscitus. Messalinæ fuerunt illæ, non Medullinæ, et quidem Valeria Messalina et Statilia Messalina. Hinc in Schol. pro *Val.* lege *Valeria:* sed ipsum *Messalinæ* nomen respuit versus, et aliena ab h. l. est nota.

divinis interfuerunt et masculam exercentes libidinem eam excitarunt magis quam satiarunt, *moræ impatientes* (ut v. 238.) et *prurigine* s. lascivia ac libidine incensæ virorum præsentiam verumque desiderant coitum. *Tunc femina simplex est*, ingenue prodit desideria animi, concubitus cum viris; vel potius *tunc femina* qualiscumque *simplex* est, inscita, imperita sanationis artisque desideratæ, quam soli viri callent, quoniam, ut verbis Martial. XI, 61, 6. (et 72, 7.) utar, harum mulierum *ulcus* (pruriginem, lasciviam) *sanare Criton*, (medicus) *non Hygea* (medica) *potest*.[89] 328. 329. *clamor* mulierum *ab antro* (v. sup. ad v. 413.) *repetitus: admitte viros! Jam fas est*, eos admitti ad nos sacra Bonæ deæ agentes, ex quo admissus est Clodius et nec ipse pœnam culpæ luit, nec Pompeia. v. inf. ad v. 337 seq. 345. Verba hæc mulierum, sacra Bonæ Deæ agentium, ædituæ vel ancillæ dicta; quæ mox respondet: *jam dormit adulter!* Hæc tamen et ita exponi possunt: si *jam dormit adulter*, (v. ad XI, 30 seq.) non adest spemque mulieris eum exspectantis fallit, *illa jubet* alium quemcumque, et quidem *juvenem, properare*, quam primum arcessi et accedere; nisi *juvenis* est potius ipse *adulter*, e somno excitandus et arcessendus. *sumto cucullo*, v. ad III, 170.—331. *Si nihil est*, si inanis est illa spes, venturum esse adulterum, aut si nihil est amatorum et ingenuorum, qui venire velint aut cupiant, *incurritur servis*, cum iis concumbitur, et quidem summo cupiditatis ardore. Lips. in Epistol. Quæst. lib. II. epist. IX. v. 331. 332. expressos putabat ex Aristoph. Θεσμοφ. v. 491. 492. ubi Mnesilochus simulata mulier eadem de hoc sexu fatetur: Ταῦτ' οὐδεπώποτ' εἶφ', ὁρᾶτ', Εὐριπίδης Οὐδ' ὡς ὑπὸ τῶν δούλων τε κἀρρεωκόμων Σποδούμεθ', ἢν μὴ ᾽χωμεν ἕτερον, οὐ λέγει. — Si *abstuleris* his mulieribus *spem servorum, venit aquarius*, arcessitus ab iis et *conductus*. Henninius: "*Aquarii* aquam in ædes portabant, qua mulieres ad balnea utebantur: inde illi male cœperunt audire, tamquam ποργοδιάκονοι. Glossæ: *aquaculut; lenocinatur*. Festus: *Aquarii sunt impudicarum mulierum sordidi asseclæ: iis enim tamquam amorum internunciis solebant uti mulieres.* Hinc patet, cur Noster *conductum* vocet."[90] Plathnerus huc refert

[89] *Femina simplex* ab aliis alio sensu capitur. Lubinus: nihil virile potens, sed virum desiderans, quæ ante virili quidem instrumento se armarat, sed videt illud fictitium instrumentum non sufficere et feminam illo armatam esse tamen et manere *simpliciter feminam*. Grangæus: ironice, quæ virum nondum cognovit, (ut ap. Martial. IX, 41, 4. XII, 35, 3.) vel quæ non agit virum, non tribas, non fricatrix, sed partes suas sustinere contenta. Britan. tunc simpliciter omnia agit mulier, neque turpitudinem aliquo pudoris velamento tegit.

[90] *Aquarii* s. *aquarioli*, qui in lupanaribus, ut mediastini in balneis, aquam ministrabant, βαλλίωνες, περιχύται, παραχύται. Conf. Salmas. ad Vopisci Carin. c.

loca Ovid. Amor. III, 7, 84. et A. A. III, 620. — *333. mora nulla per ipsam, quo minus submittat,* h. e. non cunctatur, nec dubitat submittere cet. ut XII, 111. — *334. clunem submittat,* succumbat, *asello;* cujus prodigiosæ libidinis mentio quoque fit in libris Mosaicis, (Exod. XXII, 19. Lev. XVIII, 23. XX, 15. 16. Deut. XXVII, 21.) in Luciani Asino et Apul. Miles. X. et XI.[91] Per gradationem poeta pervenit ad ultimum infamiæ et libidinis gradum: primum *amator* requiritur, eo deficiente quivis *juvenis,* deinde *servus,* post *aquarius,* demum *asinus* vel quodcumque jumentum; Ach.

335 seq. Etiam sacra tali turpitudine polluuntur, et vel antiquissima ac publica. *ritus* religiosi. *337. omnes noverunt Mauri atque Indi* proverbii loco dicitur de re pervulgata, ut *omnibus et lippis et tonsoribus notum* ap. Horat. Sat. I, 7, 3. Res autem eo augetur, quod populi nominantur tam longinqui, ad quos fama hujus rei pervenerit. *337* seq. Innuitur Clodius, qui habitu *psaltriæ* sacris Bonæ Deæ interfuit stuprumque intulit Pompeiæ, Cæsaris uxori. v. Suet. Cæs. 6. — *338.* Mentem poetæ recte cepit Grangæus: " Facete significat mentulam Clodii duplo majorem Cæsaris mentula fuisse, et propter tam opulentum peculium Pompeiam Cæsaris uxorem magis dilexisse Clodium, quam Cæsarem. Quare autem Cæsaris mentulam *Anticatonem* vocet, in promtu est. Nam Cæsar corrupit Serviliam Catonis sororem; unde merito illius penis *Anticato.* (v. ad X, 319.) Præterea Cæsar librum adversus librum Ciceronis, cui titulus *Cato,* composuit *Anticatonis* nomine. At studiosi antiquitatis sciunt, libros (qui ob id dicti *volumina*) in orbem plicatos et penis quodammodo seu longitudine seu rotunditate similitudinem præ se tulisse." *duo Anticatones;* nam duo fuere libri. v. Suet. Cæs. *56.* At totius quoque operis titulus *Anticato* fuit, et ita h. l. *ἐνάργεια* augetur.[92] — *339.* Facete et ad sceleris Clodiani atrocitatem declarandam apte fingit poeta, tantam Bonæ Deæ pudicitiam et sacrorum ejus religionem fuisse, ut non modo haud admitti fas fuerit animalia mascula, nedum viros, sed illa quoque sponte sanctissimo e loco sacrorum profugerint: plurimum etiam salis orationi eo admiscuit, quod non canem memoravit, sed *murem,* nec masculum dixit, sed *testiculi sibi conscium,*

21. Casaub. ad Lamprid. Comm. c. 2. et Turneb. Adv. XIV, 12.

[91] Conf. Michaelis Jus Mos. § 258. et And. Tiraquelli legum connub. comment. p. 233.

[92] Cf. Plut. vit. Cæs. Opp. T. I. p. 733. C. Gell. IV, 16. Cic. ad Att. XII, 41. XIII, 48. et de Div. II, 9. it. Top. 94.

qui meminerit, se habere testiculos. — 340. 341. De iisdem Bonæ Deæ sacris Seneca epist. XCVII. *Submotis extra conspectum omnibus viris, ut picturæ quoque masculorum animalium contegantur* cet. — *alterius,* masculini, *sexus,* maris, *figuram,* imaginem, *imitata est,* expressit, exhibuit. — 342 seq. Et pauci jam *tunc,* Clodii temporibus, ita, ut ille, antiquam sacrorum religionem spernebant: at *nunc Clodii,* h. e. scelesti homines, Clodio similes, (cf. ad II, 39.) qui ipsa templa et aras adulteriis probrisque profanent, ubivis reperiuntur. Nam Clodii temporibus jam magna quidem, nec tamen tanta, quanta iis, quibus poeta vixit, morum corruptela fuit. Vulgo *tunc* de prisco vel adeo aureo accipitur seculo, cui et reliqua verba magis conveniunt. Sed nulla ejus mentio præmissa est; nisi forte existimes, poetam inde a v. 286. descriptionem commutationis temporum morumque persequi. 343 seq. Nemo olim contemnebat ridebatve adeo vel ipsa numina, vel vasa parva, sive lignea, sive fictilia, quorum usus in sacris servabatur. Cf. Apul. Apol. p. 285, 41. ed. Elm. De *simpuvio* vel *simpulo* v. Excurs. ad h. l. *Numæ,* qui sacra cum cærimoniis totumque Deorum cultum instituit. *Catinus* s. *catinum nigrum,* vas fictile e nigra terra. *patellas,* bene, non *patinas; fragiles,* non aureas, sed fictiles, quales in *monte Vaticano* et ex ejus terra argillosa fingebantur.

346 — 351. *Audio,* non ignoro quidem, quale consilium mihi *olim,* h. e. jam dudum, (ut IV, 96. et al.) tamquam optimum ac primum, dedissent *amici veteres,* ætate et usu docti; sed illud vanum est et inutile nostris temporibus, quibus *summæ* æque ac *minimæ* h. e. infimæ mulieres ad quamcumque libidinem pronæ sunt. *Pone,* appone, *seram* januæ conjugis, (v. Heins. ad Ovid. Am. III, 14, 10.) et *cohibe,* include eam, adhibitis etiam custodibus, more Græco. (v. Potter. Archæol. IV, 13.) — 347. 348. Lepidus lusus verborum: *custodire custodes.* — *ab illis incipit uxor,* custodes vel pecunia corrumpens, vel adeo ad concubitum sollicitans.[93] 350. Describitur puella vaga et paupercula, quæ *pedibus* nudis incedit per *silicem atrum,* h. e. plateas lutulentas silice stratas, ut ap. Prop. II, 23, 15. et Prudent. contra Symm. v. 582. *Silicem atrum* ad pavimentum Rom. ex liquefactis montium ardentium ejectamentis congelatisque compositum refert Wakef. ad Lucret. I, 316. — 351. Descriptio

[93] Cf. sup. v. 235. Lips. et Gron. ad Tac. Ann. XI, 35. Ovid. Amor. III, 4, 1 seq. et Prop. II, 6, 37 seq. Art. Am. III, 611 — 658. ibique Brœkhus.

matronæ nobilis, quæ lectica vel sella vehi et a *Syris*, h. e. servis, gestari solebat. *longorum Syrorum*, v. ad III, 240. et I, 64.

352 — 365. Vitium aliud mulierum notatur, quod, quamvis pauperes, tamen prodigæ, in libidines potissimum, et ambitiosæ sint adeoque divites nobilesque videri cupiant. Cf. ad III, 180 — 183. *conducit vestem*, cet. cf. VII, 143. et ad III, 180. 181. Μὴ πρίασθαι θεραπαίνας, ἀλλὰ μισθοῦσθαι εἰς τὰς ἐξόδους, apud Theophr. Char. XXII. ἀνελευθερίας, illiberalitatis, ut h. l. stolidæ ambitionis, indicium est. Cf. ibi Casaub. qui etiam monet, raro olim matronas in publicum prodiisse nisi stipatas gregibus *comitum*, ancillarum. *sellam*, in qua deferatur in publicum et theatrum ibique sedeat.[94] *Cervical*, προσκεφάλαιον, pulvillus sericus, quo brachium negligenter jacentis fulcitur. Conf. ad I, 65. Scheffer de re veh. II, 4. p. 75. et Böttigeri Sabina p. 436 et 455. *amicas*, quas *honestas clientas* dixit Horat. Od. II, 18, 8. ubi v. intpp. *354. Nutricem*, ut tam dives ac nobilis, quam fecunda videatur mater. *flavum*, pulcram. v. ad V, 115. *puellam* cet. quæ in Gloss. *ābra* et *favea* dicitur. *335. 336.* Cf. Martial. IV, 28. *athletis*, quos amat et quibuscum concumbit. Grangæus: Hoc est obscœnum verbum pro iis, qui cum ea caput limarent, Gall. *les piqueurs*. *Levibus*, (v. Var. Lect.) mollibus, teneris, imberbibus, (v. ad III, 111.) vel depilibus s. vulsis, qui exemplo mollium virorum, glabri ut essent, barbam pilosque sibi vellebant vel evelli curabant. *vasa novissima*, extrema, quæ adhuc reliqua sunt. Cf. XI, 42.

357—365. Multis mulieribus uxoribusve est *res* familiaris *angusta*, exigua, parva; sed *nulla* earum *habet pudorem paupertatis*, reformidat ejus turpitudinem et infamiam, vel nullam pudet paupertatis, in quam se sua culpa, prodigalitate luxuriaque, detrusit; nisi malis, *nulla habet pudorem paupertatis*, modestiam honestatemque, quæ cum paupertate conjuncta esse solet. Judice Brit. ille *non habet pudorem paupertatis*, qui non timet, ne reprehendatur paupertatis, si quid ultra modum facultatum fecerit. Alio ac proprio sensu *pudor paupertatis* dicitur Horat. Epist. I, 18, 24. — *358, 359.* Cf. XI, *35* seq. *ad modum* rei familiaris (ut *mensura census* XIV, *316.*) *se metitur*, vitam disponit. — *361. Formica magistra*, conf. Horat. Sat. I, 1, *33* seq. — *363* seq. Conf. Var. Lect. Versus *363.* pulcherrimus delectu verborum.

[94] Cf. ad I, 65. Lips. Elect. I, 19. et Wernsdorf. in Poet. Lat. min. T. II. p. 166 seq.

Vox *recidivus* et metaphora vel petita est a *cædendo* et surculis s. plantis arboribusque, quæ recidendo renascuntur vel e radicibus repullulant, (unde et h. l. *pullulat*) vel potius, quoniam syll. sec. brevis est, a *cadendo* et a seminibus, quæ, etsi temere cecidisse aut penitus adeo interiisse videantur, tamen resurgunt ac renovantur.[95] *e pleno semper tollatur acervo*, ut ap. Horat. Sat. I, 1, 51. *gaudia*, voluptas Venerea, ut ap. Tibull. I, 5, 39. et al.

366—378. Aliæ mulieres amore *Eunuchorum* capiuntur, quod molles sunt isti et ad libidinem, non vero ad generationem idonei.[96] *imbelles*, inutiles ad concubitum; vet. Schol. coll. Virg. Ge. III, 98 seq. Immo effeminati. Cf. Claudian. in Eutrop. I, 271—283. *oscula mollia*, suavia, vel muliebria, quia os imberbe et glabrum est, unde ea *duro ori* opponit Martial. IX, 23, 1. *desperatio barbæ*, quod nulla iis spes est barbæ alendæ, quod barbam alere nequeunt, vel semper sunt imberbes. 368. *quod abortivo* medicamento, quo conceptum abigant, (ut II, 32.) *non est opus*, quia scil. non concipiunt, vel gravidæ fiunt ex spadonibus. 368 seq. Matronæ Rom. ut eo majorem ex et cum eunuchis voluptatem caperent, vernas suos non, ut vulgaris mos ferebat, ab ipso ubere materno raptos, sed jam bene adultos, quorum genitalia satis grandia et ad rem Veneream aptiora essent, castrandos curabant. Domitianus (non tam amore virilitatis, quam odio Titi fratris, cui spadones in deliciis) aliique post eum Imperatores mares castrari vetuere.[97] *calida juventa*, v. ad v. 325. *matura*, justæ magnitudinis et ad coeundum generandumque idonea. 370. *traduntur*, ut testiculi exsecentur. *pectine nigro*, inguine nigris crinibus horrido; ut Gr. κτείς. v. Polluc. II. p. 126. — 371. *spectatos*, insignes, justæ magnitudinis. *Spectata*, certis experimentis, an proba sint, nec ne, explorata et cognita, dicuntur proprie metalla, numi, histriones ac gladiatores; unde *spectatio, spectamen, spectaculum*. Conf. Ernesti clav. Cic. in hh. vv. — 372. *bilibres*, ut *pugillares* XI, 156. Sic *pondera* dicuntur genitalia Catull. LXII, 5. Stat. Silv. III, 4, 77. et al. — 373. *Tonsoris damno*, quia tum in genis spadonis

[95] Conf. Heins. ad Claud. Phœn. 66. et Ovid. Fast. IV, 45. Intpp. Virg. Æn. IV, 544. et Gron. ad Senec. Troad. 472.

[96] Cf. ad I, 22. Martial. VI, 67. Mureti Var. L. X, 11. Brodæi Miscell. IV, 21. et Scalig. Exerc. 157. *Si puerum quis castraverit et pretiosiorem fecerit, Vivianus scribit, cessare Aquiliam* Ulpian. l. 27. § 28. D. ad leg. Aquil.

[97] v. intpp. Suet. Domit. c. 7. et Martial. VI, 2. IX, 7. et 9. Barth. ad Stat. Silv. III, 4, 53—80. IV, 3, 13 seq. Xiphil. 67, 2. Philostr. vita Apoll. VI, 17. Photius in Bibl. p. 529. Ammian. Marcell. XVIII, 4. 5. ibique Lindenbr.

barba non crescit, e cujus tonsura lucrum capere possit: unde *leves genas* eunuchis tribuit Claudian. XVIII, 341. Eodem joco Aristoph. in Nub. dicit, Socraticorum nudipedalia sutoribus fraudi esse; quod monuit Hennin. *tantum* tonsoris damno, non matronarum. *rapit*, avellit, excidit chirurgus, *tantum*, solius, unius *tonsoris damno*, ut I, 136. *tantum ipse*, i. e. ipse solus; quæ parum Latina sunt omnino; H. Vales. *Heliodorus* pro quovis medico vel chirurgo (nam veteres medici omnes erant chirurgi) et castratore, ut *Archigenes* sup. v. 236. De eo v. Paul. Ægineta IV, 49. — 374. *Conspicuus* et *notabilis*, insignis, spectabilis tam genitalium, quam staturæ et corporis magnitudine, qualis spadonibus esse solet; unde *grandes Galli* Pers. V, 186. et *ingens semivir* inf. v. 512. ubi Grang. notat, semen, in veris viris effluens, proceritatis causam esse eunuchis. *Balnea*, quæ probris infamia erant, *intrat*, nudus, ut adspectu grandis mentulæ oculos pascant lavantes mulieres virique molles. Cf. IX, 35. XI, 156. Martial. I, 97, 11 seq. et al. *Provocat* magnitudine penis ipsum *custodem vitis et horti*, Priapum, cujus mentula enormis fingitur, et cui non modo hortorum, sed etiam vinearum, agrorum villarumque custodia committebatur.[98] *a domina*, ejus jussu. *Domina*, uxor. Cf. sup. ad v. 30.

376—378. Obscurus locus, cujus sensum ita recte mihi cepisse videor: Talis eunuchus, etsi bene mentulatus, *dormiat*, concumbat cum *domina*, conjuge tua, Postume, quæ ex eo non gravida fiet; sed *Bromium*, puerum vel servum, concubinum tuum, (forte juvenem, ut putant, delicatum, formosum et comatum, ut Βρόμιος, Bacchus) qui *jam durus* est, h. e. duratus ac firmus ad labores corporis, vel robustus ac virilis, *jamque tondendus* h. e. barbatus, hujusmodi *cunucho committere noli*, h. e. cave patiaris, illum quasi cum hoc descendere in certamen stupri, uxori tuæ inferendi, quum verendum sit, ne hæc ita confestim concipiat. *Committere* est id. qd. *componere* et *comparare*, quæ sunt verba theatri, arenæ et certaminis publici, (ἀγῶνος μουσικοῦ) de poetis, histrionibus, mimis, musicis et inpr. gladiatoribus, quorum paria componebantur, ut invicem pugnarent. Similis locus sup. I, 162. 163. ubi v. not.[99]

[98] Cf. Antipatri Epigr. IV. in Brunck. Anal. T. II. p. 7. Heyne in Obss. ad Tibull. I, 5. 27. Catull. XIX, 15. Diodor. IV, 6. et al. De Priapo v. Creuzer's Symbolik T. II. p. 46 seq. 107 seq. T. III. p. 225.

[99] Interpretationi meæ paucis subjungam alias. Scaliger ad Catull. monet, quemadmodum ibi *asino tradere* significet facere asinum, vel ut asinus pistrinarius sit, vel *asino tradi*, in locum asini, qui verset molas, suffici, ita h. l. Juven. *com-*

379—397. Aliæ mulieres maxime delectantur citharœdorum histrionumque cantu ac musicis instrumentis, quæ in maximo pretio habent. Nota Britann. est: " *nullius fibula durat* i. e. nullus adolescens vel cantor infibulatus potest tam diutinum canendi laborem perferre. Alii interpretantur, quod mulieres pretio corrumpant citharœdos et cantores ad coitum, ut sic fibulam solvere cogantur: at poeta h. l. non mulieres notat, quæ citharœdos amant, ut coeant cum iis, (quas jam v. 73 seq. taxavit) sed ut voluptatem ex cantu eorum capiant, adeoque eas, quæ studio citharœdorum canentium tenentur." Cf. v. 398. Mulieres tamen, de quibus h. l. agitur, musicis instrumentis potissimum gratia eorum, qui illis utuntur, et cantu propter canentium pulcritudinem, qua capiuntur, delectari videntur; unde exponere malim: nullus est citharœdus vel cantor, qui non, pretio ab ea corruptus, ad fibulam solvendam impellatur, ut cum illa coeat. De *fibula* et infibulatis cantoribus v. ad v. 73. *nullius* cantoris, *vocem vendentis Prætoribus*, qui ludos ac munera edunt, et hinc cantores, histriones et gladiatores emunt vel pretio conducunt. Similiter *funera sua vendere* lanistis et *Prætoribus* VIII, 192. (ubi v. not.) *vendere verba solicitis reis* et *vendere vocem Siculis plausumque theatris* ap. Martial. V, 16, 6. VII, 63, 9. et *voces prostituere foro* ap. Ovid. Am. I, 15, 6. *Organa*, ὄργανα, instrumenta quævis, inpr. musica. *In manibus* mulierum sunt. — 381. *Testudo*, lyra, χέλυς, sic dicta a testudine, ex qua eam primum Mercurius fecisse dicitur, intensis nervis ovium vel boum Apollini abactarum.[100] — 382. *Sardonyx* gemma pretiosissima, (cf. XIII, 138. 139.) lapis Sardius, (Σάρδιος) colorem humani unguis (ὄνυχος) referens. v. Heeren's Ideen über d. Politik u. s. w. I, 1. p. 119. 120. et Brückmann über den Sarder, Onyx und Sardonyx p. 3. Sensus h. l. est: tota cithara pretiosis gemmis adornata est; non,

mittere eunucho dici pro eunuchum tradere s. facere, castrare, et exprimi proverbium βρόμιον εὐνουχίζειν, q. d. noli castrare catamitum jam grandiorem, ne forte uxori tuæ usui sit. Suffragantur ei Grang. et Voss. ad Catull. p. 164. et inpr. 526. nisi quod ille putat, adolescentes puberes castrandos doceri h. l. non exoletos et jam barbatos; hic vero, ipsis eunuchis traditos fuisse castrandos, et illorum id fuisse officium. Lubinus, Farn. et Bahrdt, quibus Ach. adsentitur, h. l. explicant: talis eunuchus dormiat cum conjuge tua, quæ illius membri enormitatem facile sustincre et tolerare poterit; at concubinum tuum Bromium cave hujusmodi eunucho tradas: nam si cum illo dormiret, eum enormitate mentulæ suæ prorsus diffinderet et corrumperet. C. Valesius planissimum omnino sensum putabat esse hunc: spadoni, qui consuevit uxori tuæ, concubinum tuum instar Bacchi capillatum, sed *jam durum* et exoletum, noli committere, ne a spadone, ut uxor tua, corrumpatur. Alii interpretes vel his adsentiuntur, vel prorsus tacent.

[100] v. intpp. Horat. Od. 1, 10, 6. et III, 11, 3.

quod alii putant, mulieris, testudinem pulsantis, digiti, gemmis et annulis ornati, in testudine micant. *chordæ* lyræ s. citharæ a muliere *numerantur*, numero h. e. ordine justo scite pulsantur, *pectine*, plectro, *crispo*, fisso, vel potius chordas crispante, h. e. tremulo celerique motu agitante ac percutiente. Sic *linguæ bisulcæ jactum crispum* dixit Pacuv. ap. Non. *crispum movere latus* Virg. Cop. 2. *crispare hastilia* Virg. Æn. I, 313. — 383. *tener*, ut sup. I, 22. ubi v. not. vel juvenis, vel delicatus, h. e. pulcer, jucundus, dilectus. *Hedymeles*, citharœdus, cujus nomen a dulci cantu (ἡδὺ μέλος) fictum videtur. *operam dedit* cantui, in canendo usus est. *hunc* pectinem *tenet*, semper in manibus habet, memor amoris et consuetudinis cum citharœdo, vel absente vel mortuo, cujus et grato plectro vel cithara *solatur se*, h. e. amati viri desiderium et absentiam vel mortem, gaudens se instrumenta vel reliquias tam *grati* carique viri possidere, quæ ipsi tam gratæ sunt, ut et *basia* iis *indulgeat*, h. e. frequenter oscula det. Proprie amori *indulget*, dum osculatur. 385 seq. Fuit matrona quondam nobilissima, quæ Deos, facto prius sacrificio, (ut voti sui fieret compos) rogaret, an Pollio citharœdus, cujus amore arderet, victoriam consecuturus esset in certamine Capitolino. Poeta forte historiam veram, nobis ignotam, memorat. *Lamiarum*, h. e. nobilium. v. ad IV, 154. *nominis alti*, antiqui, h. e. veteris originis ac nobilitatis. [101] — 386. *Farris*, vel molæ salsæ, ac *vini* perpetuus fere usus fuit in sacris. *Janum Vestamque* cur potissimum e Diis memoravit poeta? In eo non argutandum est vel ratio potius petenda ex Cic. Nat. D. II, 67. *Quum in omnibus rebus vim habeant maximam prima et extrema, principem in sacrificando. Janum esse voluerunt. — Vestæ vis ad aras et focos pertinet: itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis et precatio et sacrificatio extrema est.* Præterea *Janus* antiquissimus Divum, (v. ad v. 393.) et qui ad quoscumque Deos aditum dare (Ovid. Fast. I, 172 seq.) primusque in Italia tum diis templa fecisse, tum ritus instituisse sacrorum, et ideo in sacrificiis præfationem perpetuam meruisse credebatur. v. Macrob. Sat. I, 9. A *Vesta* autem Græci principium sumserunt sacrificiorum et, quum hæc non sine igne essent, in omnibus eam invocarunt. v. Lips. de Vesta c. 2. *Vesta*, symbolum ἑστίας et ignis deaque tutelaris ædium et familiarum, sanctissime olim et ante omnes deos colebatur, potissi-

[101] Conf. VIII, 40. 151. et, qui multa exempla congessit, Heins. ad Ovid. Fast. IV, 305.

mum libationibus: unde ortum proverbium ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος, et ἀνίστιος dictus impius. v. Pausan. V, 14. Spanhem. ad Callim. H. in Cer. v. 129. Creuzer's Symbolik T. II. p. 152. 418 seq. 489. T. III. p. 225. 278. 448 seq. 493. De *Jano* ibid. T. II. p. 450 seq. 489. *Janus* forsan propr. prudentia in personam mutata, ut Prometheus. (v. ad IV, 133.) 387. *Capitolinam quercum,* h. e. coronam quernam, præmium victoris in agone Capitolino, quem Domitianus exemplo Olympicorum ludorum instituit, quique quinquennalis et triplex fuit, musicus, equester ac gymnicus.[102] Similiter *Tarpeias quercus* et *frondem* dixit Martial. IV, 1, 6. 54, 1. 2. VIII, 82, 7. IX, 4, 8. 41, 1. *Pollio* citharœdus, cujus et mentio fit VII, 179. et ap. Mart. IV, 61, 9. 388 seq. Amor conjugalis ac maternus non major, quam amor, quo citharœdum complectebatur, esse aut luculentius significari, nec mulier magis anxia esse poterat pro salute et convalescentia ægrotantis mariti ac filii, quam pro fama victoriaque citharœdi fuit! Exclamatio poetæ cum justa indignatione. 389. *medicis tristibus,* si medici tristes essent *erga,* propter, *filiolum* ejus, de cujus salute desperant. *Medicis* autem poeta dixit, non *matre,* quæ adulteri magis, quam filii cura et amore tangitur. 390. 391. Qui precabantur deosque salutabant, primum *aram* tangere, (v. ad Sil. III, 82.) et *stare* ante eam *capite velato,* ne sacrificii religio malis ominibus turbaretur,[103] tum corpus dextroversum in orbem circumagere, procumbere etiam dextramque ori admovere (adorare) solebant. Cf. Suet. Vitell. 2. *cithara,* citharœdo. 392. *Pertulit verba dictata* a sacerdote s. haruspice, qui precantibus solennes precum formulas de scripto præire solebat, ne quid præteriretur verborum, aut præposterum diceretur. Ita Plin. XXVIII, 2. *Pertulit,* ab initio ad finem repetiit, vel ad Deos. Ita Schol. prob. Gronov. ad Plin. XVIII, 4. qui id dictum putabat genere loquendi Satiram admodum decenti in precibus præsertim parum probatis. *Dictata magistri omnia peragere* poeta dixit V, 122. Cf. Var. Lectt. *palluit* anxia de responso haruspicis, ex *apertæ* h. e. dissectæ sive mactatæ *agnæ* extis futura mox divinaturi. *pecudum reclusis pectoribus inhians spirantia consulit exta* Virg. Æn. IV, 63. 64.

393—395. Apostrophe ad Janum cum summa indignatione, nec

[102] Conf. ad VII, 86. Intpp. Sueton. Domit. c. 4. Scalig. de Emend. Temp. L. V. p. 476 seq. et Auson. Lect. I, 10.

[103] Conf. Martial. XII, 77, 1. 2. Intpp. Virg. Æn. III, 405 seq. Plut. Quæst. Rom. 2. 10. et 13. Macrob. Sat. I, 8. III, 6.

sine irrisione deorum. Conf. II, 126—132. ibique not. Magna vis inest in repetitione vocis *dic* et in verbis *antiquissime Divum.* Janus *antiquissimus* Italiæ deus vel heros. v. Heyne Exc. V. ad Virg. Æn. VII. Hinc et κατ' ἐξοχήν *pater* dicebatur: hoc enim est voc. honoris, reverentiæ, amoris ac religionis, quod proprie et primum senioribus majoribusque diis, (etiam maris ac fluviorum) deinde vero et reliquis inditum est. [104] — 394. *his,* tam putidis nefariisque mulieribus, et de talibus rebus, responsa das, vel adeo talibus votis *respondes,* talesque preces exaudis? Quod si facis, *magna* sunt utique *otia cœli,* h. e. magnum est otium Deorum, nec aliud gravioris momenti, quod *agant* et curent. Poeta respexisse et irrisisse videtur dogma Epicureorum, qui Deos in perpetuo otio tempus feliciter transigere, neque res humanas curare putabant. [105] At multo invidiosius dicit, Deos quidem curare res humanas, sed eas tantum, quæ ipsorum cura indignissimæ sint, gravissimas vero negligere. 396. *Hæc* et *illa* sc. mulier, *consulit te,* propr. haruspex exta et deinde, his inspectis, deum. *Varicosus* dicitur, qui *varices,* h. e. venas intumescentes in cruribus, *(flemina* ap. Plaut. Epidic. V, 2, 5. ubi v. Gron.) habet, sanguine crassiore, propter diuturnam potissimum stationem, deorsum in pedum venas delapso, [106] quales fuere Cicero, [107] Marius [108] et alii; h. l. *haruspex,* quem importunæ mulieres, responsa ab eo petentes, nimis diu stare cogunt. Male alii: dum diutius stare cogitur haruspex, fiet *varus* sive *varicus,* pedibus cruribusve divaricatis, h. e. præter justam mensuram late extentis s. distentis et introrsum retortis; quod vel naturæ vitium est, vel rusticæ consuetudinis; quam h. l. innui putabat Heins. ad Ovid. Art. Am. III, 304. qui tamen jam recte vidit, *varicum* a *varo,* et *varicosum* a *varicibus* dici, et in illis vocibus primam produci syllabam, in his corripi: de quo vid. etiam Salmas. Exerc. Plin. p. 363.

398—412. Magis tamen toleranda est uxor, quæ musicam artem tractat et summam ex ea voluptatem capit, quam vagabunda et curiosa, quæ vagatur per urbem et res novas perscrutatur. — 398. 399. Mulieres ingenuæ Romanorum non in gynæceis quidem includeban-

[104] Conf. XIII, 81. Intpp. Virg. Æn. I, 155. Valer. Fl. I, 11. et Petron. c. 41.

[105] Conf. Lucret. VI, 57. Horat. Sat. I, 5, 101 seq. Sen. de Ben. IV, 4. Menag. ad Diog. Laert. lib. X. § 77.

[106] v. Hippocrat. Aphor. VI, 21. Cels. VII, 8. 17. et 31. Ægineta VI, 82. et Avicenna passim. Ad militarem corporis speciem et rusticitatem refertur hoc epitheton Pers. V, 189.

[107] v. Quinctil. XI, 3, 143. Macrob. Sat. II, 3. Sidon. Ep. V, 5.

[108] Cic. Tusc. Qu. II, 15. Plut. vit. Marii pr. et Plin. XI, 45. s. 104.

tur, ut in Græcia; eas tamen in publicum conventumque virorum prodire nefas habebatur et inhonestum. *ducibus paludatis,* jam ad iter paratis, nam consules prætoresque paludati vel chlamydati Roma proficiscebantur ad bellum. 401. *Loqui facie recta,* erecta, ut *rectis oculis intueri,* ὀρθοῖς τοῖς ὀφθαλμοῖς s. ὄμμασιν, ἀσκαρδαμυκτὶ βλέπειν, ἀντοφθαλμεῖν, quod vel audaciæ animique intrepidi vel impudentiæ signum est: nam pudibundi ac timidi oculos non adtollunt, sed demittunt in terram et avertunt. [109] *mamillis strictis,* h. e. *strophio, mamillari fascia,* ταινίᾳ, (busenbinde) nimis constrictis papillis, et ita turgentibus, exsertis ac nudatis; more impudicarum mulierum. [110] Ita coarctatis, ut in summo natent sinu; Brit.

402—412. Venusta ac luculenta summæ curiositatis vel πολυπραγμοσύνης et λογοποιΐας descriptio. Conf. Theophr. Char. 8. Theocr. XV, 64. Martial. IX, 36. Plaut. Trinum. I, 2, 168 seq. *Seres* (Sinenses) et *Thraces* pro extremi orientis septemtrionisque populis, in Scythia Asiatica et Europæa. *secreta,* secretos amores, *novercæ et pueri,* privigni. [111] *quis diripiatur adulter,* a pluribus ametur mulieribus; Ruben. et post eum Græv. qui recte jam viderunt, *diripi* eleganter dici, qui multis sint in amoribus et deliciis. [112] Quis spolietur a mœcha, quis ab amica sua denudetur; H. Vales. — 406. Conf. Ovid. Am. II, 8, 27. 28. quem locum poeta ante oculos habuisse videtur. *quibus verbis,* colloquiis. Alii: Græcis an Romanis, coll. v. 191.

407—412. Ex h. l. Lipsius in Epistol. Quæst. IV, 20. conjicit, Juvenalem Trajani temporibus vixisse, et Achaintre, hanc quoque satiram eo regnante fuisse scriptam: hæc enim referenda esse ad Trajani expeditionem in Armenios ac Parthos et ad famosum terræ motum, qui eodem tempore Antiochiam et vicina loca concusserit, et in quo subsederint montes fluviique eruperint. [113] Sed nostro loco similior est ille Suetonii de Vespas. c. 23. *Ne in metu quidem ac periculo mortis extremo abstinuit jocis: nam quum inter prodigia cetera Mausoleum Cæsarum derepente patuisset et stella in cœlo crinita apparuisset;*

[109] v. ad X, 189. et Bentl. ad Horat. Od. I, 3, 18.

[110] Conf. Martial. XIV, 66. et 134, 1. Catull. LXIV, 65. Heins. ad Ovid. A. A. III, 274. Magius var. lect. III, 3. Ernesti clav. Cic. v. *strophium* et Böttigeri Sabina p. 376.

[111] Cf. Tiraquell. de legg. connub. IX, 103.

[112] Conf. Martial. VII, 75, 1. Sen. de brev. vit. c. 7. et de ira III, 23. Stat. Theb. V, 722. et Silv. V, 3, 129. Sic et nos dicimus, *sich um einen oder etwas reissen.*

[113] Conf. Dio Cass. LXVIII, 24 seq. et Xiphil. LXVIII, 17—23.

alterum ad Juliam Calvinam, e gente Augusti, pertinere dicebat, alterum ad Parthorum regem, qui capillatus esset. Poeta enim h. l. tum superstitionem vulgi ridet, cometæ apparitione eversionem regnorum, clades, pestem, famem aliaque mala generi humano portendi atque immitti credentis, [114] tum vanitatem et hujus divinationis, ex feminea interpretatione siderum ac superstitione suspensæ, et rumorum, et muliebris metus, qui illos augere solet, et affingit *diluvium* motumque terræ, quo urbes nutaverint et subsederint terræ: de qua λογοποιΐᾳ v. loc. simil. in Theophr. Char. VIII. et ibi Casaub. Notanter autem ait, *cometen* seu crinitum sidus *instare regi Armenio Parthoque,* qui populi erant prolixa coma criniti; Hennin. [115] — *Instantem,* imminentem exitio eorum et minantem illud. 408. *Famam* Quintilianus Inst. Or. V, 3. dicit esse consensum civitatis, velut publicum testimonium; *rumorem* vero sermonem sine ullo auctore certo dispersum, cui malignitas ortum dederit, incrementum credulitas. *rumores excipit ad portas* urbis, sciscitans singulos peregre redeuntes, ecquid novi audierint. *Excipere* auribus *rumorem,* ut *sermonem* et *voces* ap. Liv. II, 4. XL, 7. quod nos dicimus *auffangen, aufschnappen,* locutione desumta a venatoribus, qui ex insidiis vel dolo ac fraude feras *excipere* solent s. capere, δέχεσθαι et ἐκδέχεσθαι. *Niphates* mons Armeniæ majoris et pars Tauri, unde Tigris oritur, sed h. l. fluvius, [116] cujus tamen mentionem non faciunt geographi; [117] forsan ejusdem Armeniæ vel ipse Tigris. *quosdam* rumores *facit,* ipsa fingit et affingit. *Niphaten isse,* ivisse, h. e. irruisse, [118] *in populos,* vel eos inundasse. 411. *urbes nutare,* concuti terræ motu. *subsidere terras,* in imum desidere, in profundum ruere, ut passim *sidere* (ad ima) et *desidere.* Cf. ad Tac. Ann. II, 47, 3. et Cort. ad Sall. Fragm. p. 1003.

413—418. Gravius est iracundiæ sævitiæque vitium, cui aliæ mulieres obnoxiæ sunt. *id vitium* curiositatis credulitatisque. 414. *Vicinos humiles,* pauperes miserosque, *rapi* ad supplicium, vel corripi, comprehendi et *loris* cædi jubet, si forte somnus ei interruptus fuerit latratu canum. Tale quid tum temporis evenisse videtur, quod poeta

[114] v. Plin. II, 25 et 26. Cic. N. D. II, 5. Senec. Natur. Quæst. lib. VII tot. Plut. placit. philos. III, 2. Suet. Ner. 36. et Claud. 46. Tac. Ann. XIV, 22. XV, 47. Virg. Ge. I, 488. Lucan. I, 526 seq. Val. Fl. V, 370 seq. ubi conf. Burm.

[115] v. Tristan. comment. T. II. p. 85. et Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. V. p. 427. et 459.

[116] ut ap. Lucan. III, 245. et Sil. XIII, 768.

[117] Cf. Plin. V, 27. s. 27. et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 9, 20.

[118] ut ap. Virg. Æn. IX, 424. et Ovid. Fast. V, 715.

respexit. Idem valet de v. 418 seq. *Exorata,* quamvis valde orata, rogata a miseris vicinis, qui immeritam deprecantur pœnam. Lubinus non male : quum exorata et quodammodo placata est, loris illos concidit, alias illos plane occisura vel ad mortem mulctatura. 417. *dominum,* herum canis.

418—433. Eadem mulier sæva et imperiosa, de qua v. 413 seq. sermo est, nocturno demum tempore lavat, et postquam diu convivas, frustra eam exspectantes, fame maceravit tandemque domum rediit ex balneo, sitim ibi contractam largo vini haustu explet ante cœnam. Romani non modo post cœnam, (cf. I, 143.) sed et ante eam et tum quidem ab hora plerumque octava ad nonam lavabant. Ante Imperatorum tempora nona hora balnei et decima cœnæ erat ; sed postea hyeme nona, æstate octava hora balnei haberi cœpta.[119] Mulieres autem vinum bibere, nefas olim habebatur, nec minus, quam adulterium, vel mortis pœna dignum : abstemiæ etiam mulieres Italicæ, bibaces potissimum Græcæ.[120] *gravis occursu,* aspera et terribilis est occurrentibus. *Balnea* privata, puto. *conchas et castra,* instrumenta balneatoria a servis ancillisque tanto tumultu ad balnea perferri jubet, quanto *castra moventur. Conchæ* proprie vasa parva, formam concharum referentia, quibus unguenta, oleum aliaque servabantur ; sed h. l. forsan grandiora vasa, integro corpori lavando apta, ut λουτῆρες Veneris, quod suspicabatur Barth. ad Claud. Epigr. 14. p. m. 1030. ubi de vario voc. *conchæ* significatu copiose egit.[121] — 420. *gaudet magno tumultu,* labore motuque corporis vehementi, *sudare,* sudorem elicere in sudatorio seu cella caldaria, quod potissimum fiebat vel ferendo vel movendo pondera, inpr. halteres (ἁλτῆρας) s. *massas graves* h. e. plumbeas, (μολυβδίνας χειροπληθεῖς ap. Lucian. de gymn.) quibus utebantur ad saliendum seque velut librandum, aut agitandum corpus, manibus plumbo gravibus sive sublatis ac depressis, sive huc illuc jactatis.[122] — 422. *aliptes,* forte eunuchus et nudus, quales mulieribus ministrare solebant in balneis. v. ad III, 76. Terent. Eun. III, 5, 29 seq. et Claudian. XVIII, 107. *Imprimere digitos,*

[119] Cf. inf. XI, 204 seq. Lips. Excurs. ad Tac. Ann. XIV, 2. Salmas. Exerc. Plin. p. 648. Intpp. Spartiani Hadrian. c. 22. Lamprid. Sever. c. 24. Plin. Ep. III, 1, 8. Vitruv. V, 10. Artemidor. Oneirocrit. I, 66. Martial. III, 36. IV, 8. VII, 50. X, 48, 1 seq. 70, 13. XI, 53.

[120] v. Athen. X, 11. (56. 57. 58.) p. 440. 1. Plin. XIV, 13. et sup. ad v. 300 seq.

[121] Cf. Colum. XII, 5. et 50. Cato R. R. 13 et 66.

[122] Cf. Martial. VII, 66, 6. XIV, 49. Sen. Ep. 15. 56 pr. (ubi v. Lips.) 58. Aristot. de anim. incessu c. 3. et problem. V, 8. Pausan. Eliac. I, 26. 27. Mercurial. de arte gymn. II, 12.

infricare unguenta, *cristæ*, *μεσομηρίοις*, interfeminio sc. membro ap. Apud. Apol. p. 296. ed. Elm. Grang. *κλειτορίζειν*; nam *crista* pars muliebris pudendi, Gr. *νύμφη*, *μύρτον*, *ὑποδερμὶς* s. *κλειτορίς*. *Callidus*, versutus et dolosus, qui sciat dominam suam hujusmodi titillatione et contrectatione gaudere, cujus mœchus forsan est; Lubin. 423. *Summum femur dominæ* (v. ad v. 30.) *exclamare cogit*, hac fricatione flatus ejus (*les vapeurs*) expellit. *exclamare* resonare s. crepare, ut *clamare*, *gemere* et *βοᾶν* de quovis sono et strepitu. [123] Similiter *clamosus cunnus* Gallæ ejusque *garrulitas* et *poppysmata* dicuntur Martial. VII, 17. Nota H. Valesii est: *cristæ* i. e. labro pudendi, a colore *cristæ* galli gallinacei sic dicto; quod si *digito* trahas, necesse est, *summum femur* i. e. pudendum vel naturalia *exclamare*, h. e. resonare ac *ποππύζειν*. Poeta tamen designavit forte *crepitum manus aliptæ*, *humeris illisæ*, *quæ*, *prout plana pervenit aut concava*, *ita sonum mutat*, ut utar verbis Sen. Ep. LVI. pr. *Uncti verbere vapulat magistri* Mart. VII, 66, 8. Cunnum certe sive nates dici posse *summum femur*, vix crediderim. [124] — 424. *interea*, dum lavatur domina. — 425. *rubicundula* a balneis et sudore, vel quia ibi indulsit libidini, quod in balneis facere solebant viri et feminæ, quum promiscue lavarentur; quem morem fœdissimum, a Græcis petitum, sustulit Trajanus. v. Martial. III, 51. VII, 34. XI, 48. Plut. Cat. maj. c. 22. Xiphil. in Hadr. et Spartian. — 426. Conf. Martial. VII, 66, 9 seq. *sitiens*, bibere gestiens, postquam sitim sudore collegit. *Œnophorum*, *οἰνοφόρον*, vas, quo vinum fertur, vel propr. quod vinum fert; vas vinarium, et quidem h. l. amplum. Romani, ut stomachum cibo large sumto exonerarent et provocarent appetitum, solebant statim a balneis uno ductu vel *ἀμυστὶ* bibere et post cœnam vomere; quod Erasistratus improbavit, quasi oculis noxium et ventrem quoque sistens. [125] *quod tenditur*, plenum est, repletur, urnæ capax est. *Urna* continebat quatuor congios, vel XXIV sextarios et dimidiam amphoram. 427. *admotum pedibus*, mensæ; vel advolutum pedibus dominæ, ob magnitudinem, non ma-

[123] v. ad Sil. I, 425. III, 471. et Gronov. Obss. II, 17.

[124] Minus tamen probanda est hæc Henninii interpretatio: "*Aliptes* dum *callide* matronæ *digitos* per blanditias *impressit cristæ*, seu acuminato operculo, vel et conchæ seu vasis unguentarii acumini, *coegit dominam* ea impressione dolentem *femur* percutere, ut sonitum ederet: consueverant enim Veteres in dolore et magna animi commotione femur percutere." Si *crista* eo sensu capitur, aliptes certe, non matrona, digitos ei impressisse censendus est.

[125] Cf. v. 429 seq. Cic. pro Deiot. 7. Sen. ad Helv. 9. extr. *(vomunt, ut edant; edunt, ut vomant*, et *vinum omne vomitu remetiuntur)* Cels. I, 3. Athen. XV, 1. Mart. V, 79, 16 seq. VII, 66, 10. Parrhas. epist. 36. Ernesti ad Suet. Aug. 77. et clav. Cic. in Ind. Gr. v. *ἱμιστικὴ*, Casaub. ad Suet. Vitell. 13.

nibus allatum. Plerique intpp. perperam exponunt, appositum servis, ut pessimum vinum ; idque putant bibisse, qui vomere voluerint. Immo a domina bibitur *Falernum*, (v. 430.) deinde *ante cibum*, forte et vinum, aqua calida mixtum, more Romanorum, (v. ad V, 63.) denique *sextarius alter* s. secundus, adeoque duo sextarii. Hinc vomitus. *Sextarius* sexta pars congii, capiens XII cyathos vel binas cotylas s. heminas. 428. *ducitur*, exhauritur, defunditur ex œnophoro; vel bibitur, ut passim, v. c. ap. Horat. Od. I, 17, 22. et IV, 12, 14. *rabidam orexin*, ὄρεξιν, appetitum, h. l. edendi, *facturus*, excitaturus, exinanito per vomitum ventriculo alvoque exonerata. *Ex longo rabies collecta fatigat edendi*, Virg. Æn. IX, 64. — 429. *Dum redit* e stomacho, remittitur vomitu, evomitur. *loto intestino*, abluto ventriculo et alvo purgata. 430. *Marmoribus*, in marmoreo pavimento, (quale in magnifico triclinio esse solebat) *rivi properant*, δεινῶς pro, multum vini fluit, ejectum ex *pelvi*, in quam illud inspuerat, quæque inde *olet*. *lata*, ampla, *pelvis*, vomitione repleta. *Falernum* vinum exquisite dictum ; est enim nobilius vini genus. *Heres mero Tinguet pavimentum superbum Pontificum potiore cœnis*, Horat. Od. II, 14, 26 seq. *Natabant pavimenta mero, madebant parietes*, Cic. Phil. II, 41. Cf. XI, 173. et Var. Lect. — 431. 432. Serpentes avidissimi sunt vini, unde et eo in sepibus imposito olim capiebantur ebrii.[126] — 433. Maritus *oculis opertis*, clausis ob tantam turpitudinem, *substringit bilem*, iram et indignationem coercet ac reprimit: non effundit, metuens iram imperiosæ uxoris.

434—456. *Gravior* tamen, h. e. molestior et minus tolerabilis est uxor, quæ nimis docta esse aut videri vult, cujusque oratio est volubilis. Sic ap. Lucian. *περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων* cap. 36. *Αἱ δὴ οὖν γυναῖκες (καὶ γὰρ αὖ καὶ τόδε ὑπὸ τῶν γυναικῶν σπουδάζεται, τὸ εἶναί τινας αὐταῖς πεπαιδευμένους, μισθοῦ ὑποτελεῖς ξυνόντας καὶ τῷ φορείῳ παρεπομένους) ἔν γάρ τι καὶ τοῦτο τῶν ἄλλων καλλωπισμάτων αὐταῖς δοκεῖ, ἢν λέγηται, ὡς πεπαιδευμέναι τέ εἰσι καὶ φιλόσοφοι, καὶ ποιοῦσιν ἄσματα οὐ πολὺ τῆς Σαπφοῦς ἀποδέοντα· καὶ διὰ δὴ ταῦτα μισθωτοὺς καὶ αὗται περιάγονται ῥήτορας καὶ γραμματικοὺς καὶ φιλοσόφους. Ἀκροῶνται δ' αὐτῶν πηνίκα ἤτοι μεταξὺ κοσμούμεναι καὶ τὰς κόμας περιπλεκόμεναι*, (ut fere inf. v. 483.) *ἢ παρὰ τὸ δεῖπνον· ἄλλοτε γὰρ οὐκ ἄγουσι σχολήν· πολλάκις δὲ καὶ μεταξὺ τοῦ φιλοσόφου τί διεξιόντος, ἡ ἄβρα προσελθοῦσα ὤρεξε παρὰ τοῦ μοιχοῦ γραμμάτιον· οἱ δὲ περὶ σωφροσύνης ἐκεῖνοι*

[126] v. Aristot. hist. anim. VIII, 8. Plin. X, 72. s. 93. XXII, 23. et Erasm. Prov. III, 10, 98.

λόγοι ἐστᾶσι περιμένοντες, ἔστ' ἂν ἐκείνη ἀντιγράψασα τῷ μοιχῷ ἐπαναδράμῃ πρὸς τὴν ἀκρόασιν, quibus verbis cf. sup. v. 233 seq. et *les Femmes Savantes de Mr. Moliere.* *discumbere* ad mensam: nam modo sermo fuerat de uxore, quæ ante cœnam in balneum iverat. Antiquo autem et a Græcis recepto more etiam in conviviis de rebus, ad philosophiam aliasque artes ingenuas pertinentibus, disputari et potissimum in missuum intervallis aut remotis mensis loca quædam poetarum recitari solebant; unde mox convivis occasio fabulandi data. v. Wolf. ad Plat. Symp. IV, 1. Facile tamen intelligitur, quanti habenda sint hæc judicia, a parum sobriis profecta et ab iis, qui oblectandi sui causa, non serio literas tractant. Tales tum temporis plerique procerum erant, iisque similis femina, quæ h. l. describitur. Conf. ad v. 448 seq. XI, 177 seq. Petron. 55. et 59. Pers. I, 30. 31. ibique intpp. — 435. *perituræ ignoscit Elissæ,* non tam miseretur Didonis et excusat eam, quod ex impatientia amoris perire voluerit post discessum Æneæ; quam excusat laudatque Virgilium, qui tam scite et amores Didonis in carmen suum intulerit et justas struxerit finxeritque causas, quare ipsa sibi mortem consciverit. De utraque re v. Heyne in princ. Æn. IV. et Exc. I. Præclare autem h. l., ubi de laude Virgilii agitur, amorum Didonis mentio fit, quoniam et mulier judicium fert, et poeta ille in hac carminis sui parte summam artem vario modo declaravit. *Elissæ,* Didoni. v. Var. Lect. 436. *Committit et comparat,* verba synon. de quibus v. ad v. 378. et ad I, 163. *Comparat Maronem et Homerum,* ut Critici tam recentiores, quam veteres. (v. ad XI, 178.) 437. *in trutina suspendit,* ponit, h. e. Criticorum more eorum virtutes examinat eosque comparat.[127] *Trutina* proprie foramen, in quo lingula lancis (*examen* Pers. I, 6.) movetur et vergit, deinde ipsa bilanx libra.

438 seq. Tam clara est vox ejus et tanta orationis copia, ut, qui his virtutibus in primis excellant, immo magna hominum *turba,* ei ce-

[127] Conf. VII, 113. Pers. I, 7. IV, 10. *(Scis enim justum gemina suspendere lance ancipitis libræ)* Tibull. IV, 1, 40 seq. (ubi v. Heyne) Horat. Sat. I, 3, 72. et Epist. II, 1, 30. Statera autem (Germ. *schnellwage*) accuratius rerum pondera indicare putabatur, quam trutina. v. Cic. de or. II, 38. et Kœnig ad Pers. V, 100. Rigaltius arbitrabatur, his versibus ab ipso poeta, etsi obscure, plus ponderis et majestatis tribui Virgilio, idque facile intelligi posse ab iis, qui in trutinarum et examinum ratione leviora pondera a gravioribus *suspendi* adtollique non ignorent. Enimvero femina h. l. non modo Homerum, sed et Maronem, hunc *inde* h. e. ex una parte, ex *alia* s. altera *parte* illum *suspendit;* et suspenduntur s. suspensæ sunt h. e. alte pendent propr. trutinæ, indeque et res iis impositæ. Cf. inf. VII, 113. 114.

dant ipsaque loquente taceant. *loquatur*, loqui conatur. 440. *Altera nec mulier:* nam multæ mulieres et vocales sunt vel sonoræ, et loquaces vel disertæ. Xenarchus ap. Athen. XIII, 1. (7.) p. 559. Εἶτ' εἰσὶν οἱ τέττιγες οὐκ εὐδαίμονες, Ὧν ταῖς γυναιξὶν οὐδ' ὁτιοῦν φωνῆς ἔνι; *verborum vis*, ut Gr. δύναμις, orationis copia et simul vocis contentio ac vigor vel claritas. *cadit*, excidit ore, effunditur. 441 seq. Egregia volubilis et sonoræ linguæ descriptio! Quot verba (plerumque inania) fundit mulier loquax, tot *pelves* ac *tintinnabula pulsari dicas* ac putes. Similiter Silenus Ulyssem appellat ἄνδρα κρόταλον ap. Eurip. in Cycl. v. 104. ubi v. Hœpfner. Hinc et *tympana eloquentiæ* dixit Quintil. V, 12, 21. et τύμπανον φυσᾷν Theodor. in Brunck. Anal. T. II. p. 43. ad q. l. vid. Jacobs ad Anthol. Gr. T. II. P. I. p. 126. 127. Eodem spectat proverb. Δωδωναῖον χαλκεῖον, (quia Dodonæ ἀσίγητος λέβης fuit, continuus æreæ pelvis tinnitus, vento aut instrumentis effectus, de quo v. Spanhem. ad Callim. H. in Del. v. 286. Erasm. Prov. I, 1, 7. Serv. ad Virg. Æn. III, 466. Suidas et Steph. Byz.) et Sympos. Ænigm. LXXIX. de tintinnabulo: *Ære rigens curvo patulum componor in orbem; Mobilis est intus linguæ crepitantis imago; Non resonat positus, motus quoque sæpe resultat:* ad quæ verba Wernsdorf in Poet. Lat. min. T. VI. p. 554. hæc notavit: " Malleolum mobilem, quo tintinnabulum pulsatur, similem esse dicit linguæ, quæ appulsu suo ad palatum vocem et sonum efficit: quod expressit Horat. Serm. II, 3, 274. *Quid? quum balba feris annoso verba palato.* Ob eam causam videtur Juvenalis mulieris argutam garrulitatem tintinnabulis adsimulare." 442. 443. Festiva sententia, qua simul vulgaris superstitio ridetur: Nil opus est amplius tot tubis et pelvibus, quibus plebs laboranti Lunæ succurrere conatur; quod iis effici creditur, hæc mulier solo linguæ suæ strepitu ac sono præstare potest. Veteres, rerum physicarum ignari, Lunam propterea, quod magicis sagarum incantationibus cogeretur in terram descendere et spumam vel virus, quo veneficæ uterentur, in herbas effundere, deficere putabant ac reluctari vel *laborare:* ne itaque vinceretur carminibus et cœlo devocaretur, sed ad carmina illa obsurdesceret, in hac lucta ei *laboranti ærium* sono, crepitu *pelvium* ac *tintinnabulorum*, *tubarum* cornuumque concentu *succurrere* conabantur. Quæ anilis superstitio est notissima et per omnem fere Orientem etiam nunc divulgata. [128]

[128] v. ad Sil. VIII, 500. Heyne ad ad Tibull. I, 8, 21. 22. Gierig ad Ovid. Virg. Ecl. VIII, 69. Broukhus. et Vulp. Met. VII, 207. Hardnin. ad Plin. II,

444 seq. Vide, ut inflectat se sensim oratio ad gravitatem. Sensus nexusque vss. 444 seq. hic et: Sapiens etiam pulcris honestisque rebus modum ac finem ponit s. statuit: (cf. Horat. Sat. I, 1, 106. 107. I, 2, 111 seq. et al.) hinc ingenium quidem tam disciplina, quam bonorum librorum lectione subigere, vel animum liberali doctrina excolere, non feminas minus quam viros decet; at omnem curam operamque ad studium philosophiæ, rhetoricæ, grammatices aliarumque artium conferre, non nisi viris proprium vel decorum ac fas est, et, si mulier hæc virorum studia sectatur, eorum quoque et habitu utatur et reliqua negotia agat adeoque plane mulier esse desinat. 445. Epitheton *docta* in feminis non ad artis tantum poeticæ, sed philosophiæ etiam, historiæ omniumque, quæ lectione addiscuntur, studium esse referendum, ex vss. 448 seq. intelligitur, et contra Broekhus. probavit Heyne Obss. ad Tibull. IV, 6, 2. — In vss. 446. 447. habitus negotiaque virorum, non philosophorum tantum aut oratorum poetarumque, (quæ communis fere interpretum sententia est) designantur: quod jam monuere Schol. et Ferrar. de re vest. III, 24. — 446. Virorum tunicæ erant substrictæ et breves, circa humerum desinentes, feminarum autem molliumque hominum manicatæ ac talares, h. e. prolixæ et ad talos demissæ.[129] Bene vetus Schol. *accipere debet virilem habitum et cingi, ut vir;* et *Silvano mulieres non licet sacrificare.* Huic agresti horridoque Deo viri sacrificabant, feminæ Junoni et Cereri. Cf. Ferrar. l. l. Agricolæ tamen prisci *Tellurem porco, Silvanum lacte piabant*, teste Horat. Epist. II, 1, 143. De *Silvano* v. Creuzer's Symbolik T. II. p. 487. T. III. p. 219. *quadrante lavari;* nam lavaturi vulgo quadrantem dabant balneatori; non pauperes tantum philosophi, quod male colligitur ex Horat. Sat. I, 3, 37. Conf. sup. ad II, 152. Enimvero feminæ quoque lavabantur in publicis thermis balneisque, e quibus alia iis, alia viris propria erant. v. Vitruv. V, 10. et al. Non itaque vs. 446. 447. sola ac propria virorum negotia memorantur, quod supra monui. Si tamen Glossis mss. ap. Ferrar. l. l. fides habenda, mulieres lavabantur gratis, aut se ipsas pro pretio dabant.

448 seq. Grangæus comparat verba Martialis II, 90, 9. *Non sit doctissima conjux*, et Eurip. Hippol. v. 640 seq. Σοφὴν δὲ μισῶ. μὴ γὰρ ἔν γ' ἐμοῖς δόμοις Εἴη φρονοῦσα πλεῖον, ἢ γυναῖκα χρῆν. Τὸ γὰρ πανοῦρ-

12. s. 9. Kœnig ad Claudian. III, 147. Lips. ad Tac. Ann. I, 28. et Elmenh. ad Minuc. p. 128.

[129] Cf. Salmas. ad hist. Aug. T. II. p. 556 seq. et VV. DD. ad Gell. VII, 12. et Plaut. Pœn. V, 5, 24.

γον μᾶλλον ἐντίκτει Κύπρις Ἐν ταῖς σοφαῖσιν. Poeta vero, mulieres insectans literatas, feminam forte, nescio quam, tunc temporis viventem, toto h. l. inde a v. 436. respexit. Vetus Schol. ad v. 434. "Statiliam Messalinam insectatur, quæ, post quatuor matrimonia diverso exitu soluta, postremo Neroni nupsit: post quem interemtum et opibus et forma et ingenio plurimum viguit et consectata est usum eloquentiæ usque ad studium declamandi." Ingeniose Henninius: "Suspicor per transennam notari h. l. Sulpiciam, Caleni uxorem, feminam doctissimam, quæ et ipsa ad Satiras accessit, unde Juvenalis, invidiæ œstro forte percussus indignatusque feminam in gloriæ partem venisse, stilum in feminas literatas generatim, sed obliquo in Sulpiciam oculo strinxit. Ipsa fatetur: *Primaque Romanas docui contendere Graiis;* et in satirica illa querela de exactis Urbe philosophis sane non *unum curtum sermone rotato enthymema,* non una *historia.* Quod autem *Palæmonis artem volverit,* ipsa fatetur, quum in illa Satira ait sibi *lusa multa millia Phalæcorum, Iambicorum, Scazontum* cet. ut non immerito loquacitatis a Nostro v. 438 seq. accusata videri possit. Quod *antiquaria* fuerit, et ea ipsa Satira docet." — 448. *Non habeat dicendi genus* accuratum, ad rhetoricæ grammaticesque regulas exactum; (cf. v. 453.) vel *non habeat* h. e. non noscat diversa *dicendi genera,* rectum ac pravum vel sublime, mediocre et tenue, vel demonstrativum, deliberativum et judiciale, vel denique Asiaticum, Rhodium, Atticum et Laconicum, quæ in libellis rhetoricis memorantur. — 449. *aut curtum* cet. h. e. aut Dialecticæ artis perita sit. *Enthymema,* ἐνθύμημα, proprie quælibet cogitatio, et deinde conclusio e sententiis contrariis, vel forma syllogismi, qui Aristoteli μονολήμματος dicitur, in quo una præmissarum propositionum deest, quam ἐνθυμέομαι, cogito, h. e. in mente retineo.[130] *Curtum* vocatur, quoniam est decurtata et trunca quædam argumentandi ratio. Cf. Heins. ad Ovid. Fast. II, 408. Verba *sermone rotato* spectant ad rotundam brevitatem propositionum vel sententiarum omnisque conclusionis, quæ, quo brevior ac rotundior est, eo fortius ferit.[131] Hinc et præclare dicitur *torqueat,* metaphora petita a jaculis, quæ, quum brevia sunt, *rotando torquentur.* Id jam animadvertit Muretus Varr. Lectt. VIII, 21. ubi etiam adscripsit locum Platonis de Spartanorum loquendi consuetudine, quos ab initio rudes imperitosque videri, sed postea torquere et

[130] Cf. Cic. Topic. 13. et 14. Quintil. V, 10. pr. V, 14, 24. et VIII, 5, 9.

[131] Cf. Wernsdorf Poet. Lat. Min. T. IV. p. 253.

vibrare brevem aliquam sententiam dicit. Hinc *jaculator* dicitur rhetor inf. VII, 193. et ap. Senec. in Epist. *Eadem illa sententia, velut lacerto excussa, torquetur,* ap. Cic. Or. 70. *Demosthenis vibrant fulmina,* ap. Petron. 109. et Quintil. XI, 3. § 120. *jaculari dicta et sententias.* [132] — 452. *artem Palæmonis,* h. e. Grammaticam. Nam M. vel Q. Remmius *Palæmon,* magister Quintiliani, sub Tiberio et Claudio principem locum inter Grammaticos tenuit et arrogantia fuit tanta, ut secum et natas et morituras literas jactaret. [133] *volvit* verbis et lingua, vel secum s. animo, expendit, examinat vel tractat; quæ notiones etiam verbo simili *versare* subjectæ sunt. 454. *Antiquarii* dicuntur vel veterum poetarum, historiarum et antiquitatis studiosi, vel qui usu et investigatione antiquarum obsoletarumque vocum ac locutionum eruditionis famam affectant, vel denique qui priscos libros legunt et tractant. Cf. intpp. Suet. Aug. 86. — 455. *amicæ opicæ,* quæ Opice s. Osce, Oscorum more, h. e. barbare, indocte ac male loquitur. *Opicum* inter convicia fuisse, quibus Græci Romanos peterent, et hinc mulierem putide doctam h. l. *opicam* dici, monet Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. I. p. 232. coll. Plin. XXIX, 1. s. 7. Cf. sup. ad III, 207. *verba nec curanda viris,* ne viris quidem anxie circumspicienda et attendenda, nedum ab his in mulieribus reprehendenda et castiganda. — 456. Hinc Martial. XI, 20. *Quæris, cur nolim te ducere, Galla? diserta es; Sæpe solœcismum mentula nostra facit.* [134] *Solœcismum liceat fecisse marito,* h. e. uxor non sit tam docta, ut intelligat, maritum barbare et vitiose loqui, neque tanta ejus sit eruditionis affectatio, ut mariti barbarismos castiget. Cf. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 495.

457 seq. Aliæ mulieres, in primis divites, (*les coquettes*) nitorem munditiemque affectant, ut non maritis, sed mœchis placeant, earumque mira est impudentia superbiaque. Cf. ad v. 30. et 136 seq. *virides gemmas,* smaragdos (v. ad V, 38.) vel zmaragdos. [135] — 459. *commisit,* tradidit, h. e. appendit. *magnos elenchos,* uniones s. margaritas oblongas, in piri modum turbinatas. [136] *auribus extentis*

[132] Turnebus Advers. III, 17. *sermonem rotatum* h. l. putat esse orationem conversione conclusam atque comprehensam ambitu; quod genus dicendi a Cicerone (Partit. 5.) *versum,* ab Aristotele *συνεστραμμένον* appelletur, et quo contorta oratio sit ideoque brevior, quam sponte naturæ fusa.

[133] Cf. VII, 215 seq. Suet. de ill. Gramm. 23. Voss. Gramm. I, 4. et Dodwelli Annal. Quintil. p. 181 seq.

[134] *Solœcismus* quid sit, vel tironibus notum. v. Cic. ad Heren. IV, 12. et Gell. V, 20.

[135] De hujus vocis scriptura v. Schwabe ad Phædr. III, 18, 7. et Heyne ad Tibull. I, 1, 51.

[136] v. Plin. IX, 35. s. 56. ibique

pondere margaritarum; ut Sen. Herc. Œt. v. 661. *gemmiferas detrahit aures Lapis Eoa lectus in unda.* — 460. Cf. ad v. 30. et 136 seq.

461 — 473. Femina, ut mœchis placeat, pane siligineo, in lac asininum intincto, et unguentis oblinit faciem. Verba *pane tumet facies*, ut et ea, quæ sequuntur, referenda ad incrustationem panis madidi, (cf. v. 472. 473.) quo femina domi apud maritum, ut cutem molliret, linebat faciem eique velut *tectorium* quoddam, h. e. crustam vel *κατάπλασμα* et *ἐπίχρισμα*, (*kalchanwurf, kalch-gyps-kleisterüberzug*) inducebat, quod deinde foras proditura abstergebat lomento (einer aus bohnenmehl und reis gekneteten masse) vel *σμήγματι* ex lacte asinino, ut mœchis placeret et cutis poliretur: nam *tectorium, κονίαμα*, proprie est incrustatio parietum ex arena et calce.[137] Hinc *fœda adspectu ridendaque facies*, nondum lota ac polita, et mox *tectoria prima:* nam *tectorium* proprie dicitur albedo et incrustatio, quæ creta potissimum et gypso muris aut parietibus et pavimentis inducitur. Hinc et *labra mariti*, faciem incrustatam exosculantis, *viscantur* et agglutinantur, h. e. tamquam in visco et glutine inhærescunt: unde *miseri mariti.* — *Poppæana*, quod Britan. jam monuisse video, non videntur esse medicamina faciei, ex madido pane et lacte asinino confecta, quæ nec *pinguia* sunt, nec *spirant*, sed unguenta suavis odoris aut magni pretii, ita (forsan primum a poeta nostro) appellata a Poppæa, Neronis uxore, (ut *Cosmiana* et *Nicerotiana*) ob inventionem ejus vel usum frequentem. *Poppæa* notissima e Suet. Ner. 35. et Tac. Ann. XIII, 45. 46. XIV, 1. 60. XV, 23. XVI, 6. *Spirat, πνέει, Poppæana*, odorem eorum emittit s. fundit. 464 — 466. Cf. Var. Lect. Lipsius Epist. Quæst. IV, 25. poetæ menti obversata putabat verba Lucilii Sat. XV. *Quum tecum est, quidvis satis est: visuri alieni Sint homines, spiram, pallus, redimicula promit.* — *lota cute*, v. ad II, 105. — 465. *Foliatum* unguentum s. nardinum et malobathron, paratum ex nobili oleo, quod habent *folia* nardi vel potius malobathri, *μαλοβάθρου* s. *μαλαβάθρου*, inpr. in *India;* de cujus magno pretio et indole v. Plin. XII, 26. s. 59. XIII, 1 extr. et 3 extr.[138]

Hard., Isidor. Orig. XVI, 10. Schakii Myrothec. I, 47. Bartholin. de inaur. vett. p. m. 6 seq. 30 seq. et Böttiger in Sabina p. 391. 409. 410. qui Germ. eos reddit *respectsperlen, girandolen aus drei glockenperlen*, unde *margaritam tribaccam* dici monet Petron. c. 55. ubi conf. Burm. p. 271 seq. Matronæ etiam alterutri sæpe auri unam tantum eamque ingentem margaritam appendebant, quæ inde *unio* dicebatur, ut a forma guttarum *stalagma*. v. Böttigeri Sabina p. 390. et 409.

[137] Conf. ad II, 107. Salmas. ad Spartian., Gons. ad Petron. p. m. 81. et Böttigeri Sabina p. 12. 19. 33. 42 seq. ed. pr.

[138] Cf. intpp. ad hh. ll. it. Martial. XI, 28, 9. XIV, 110, 2. Gesner. et Barth. ad Claud. Eutrop. I, 226. Cruqu.

mœchis parantur, in eorum gratiam præparantur, vel ut mox *his emuntur.* 466. *quidquid* odorum, aromatum, gemmarum cet. quibus India abundat. *huc,* Romam. *mittitis,* pro vulg. mittunt. *Indi graciles,* v. sup. ad V, 53. — 467. *aperit,* retegit, *vultum,* (ut ap. Martial. III, 3, 4.) crusta quasi obtectum, forte per totam noctem, ut eo mollior fieret, (unde *tandem*) et *reponit,* removet, *tectoria prima,* incrustationem panis: (v. ad v. 461 seq.) nam *tectoria secunda,* quæ nunc faciei *inducit,* sunt lac, unguenta (*foliata*) et fuci. Jam facies *incipit agnosci atque fovetur,* abluitur, tenerescit et candorem accipit *lacte* asinino. v. ad II, 107. *Formosam faciem nigro medicamine velas: — Aut aperi faciem, vel tunicata lava,* Martial. III, 3, 1. 4. — 469. 470. Id fecit Poppæa, in exilium missa. Vid. loca Plinii et Dionis laudata ad II, 107. *ad axem Hyperboreum,* h. e. ad extremas easque septemtrionales terræ partes. *axem,* plagam cœli, ut passim. De *Hyperboreis* loc. class. Plin. IV, 12. Conf. Heyne ad Virg. Ge. III, 196. et Creuzer's Symbolik T. II. p. 39. 130. T. III. p. 226 seq. T. IV. p. 177. — 471 seq. *Sed facies, quæ mutatis — madidæ, facies dicetur, an ulcus?* Henninius notat, Patres quoque ecclesiæ nostræ bile plus quam satirica in hos fucos, quorum ope deformes naturam quasi ulcisci videantur, insurrexisse.[139] *mutatis,* variis. 472. *offas,* micas vel frusta, (Grang. *de la farine reduite en masse,* quo sensu *offa* dicatur Plin. XV, 7.) *coctæ et madidæ* lacte asinino *siliginis,* v. ad II, 107. et V, 70. — 473. *facies dicetur, an ulcus:* nam et ulcera sic medicamentis et emplastris foventur.

474 — 485. Alia crudelis feminæ negotia, quæ mane agit, postquam e lecto surrexit. Sævit in familiam et iram, in maritum quacumque de causa conceptam, in servos servasque effundit. Talis Circe ap. Petron. c. 132. p. 627. ed. Burm. Cf. Barth. Advers. V, 8. Lepida vero causa iræ h. l. affertur: *si nocte maritus aversus* ab uxore *jacuit,* (καθεύδει ἀποστραφείς Lucian. in Dial. Merc.) h. e. libidini uxoris non satisfecit. — 476. *periit,* actum est de ea, δεινῶς pro, male tractatur, vel magnum ei impendet malum. *Libraria* vel serva prælegens et eleganter scribens librosve describens, cujus etiam in lapidibus mentio fit, (v. Pignori de servis p. 115. schönschreiberin)

et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 7, 8. Salmas. ad Solin. p. 749. et in homon. hyles iatr. c. 87. Barth. Adv. II, 6. et Arriani Peripl. maris Erythr. p. 178 seq. ed. Blancardi. *Tinge caput nardi folio* Mart. XIV, 146, 1.

[139] v. c. Tertull. de cultu fem. c. 3. Cyprian. de hab. virg. Tract. II. Ambros. de virg. lib. I. Hieron. de virgin. serv. ad Furiam et ad Demetriad. VIII, 10. inpr. Petr. Martyrem in Loc. Comm. et ad II Reg. IX.

vel *lanipendia*, (spinnmeisterin) quæ lanam *librat* et *quasillariis* (spinnemädchen, spinnkorbmädchen, a *quasillo* sic dictis) *appendit*, pensa lanificis ancillis distribuit.[140] 477. *Cosmeta*, ut vulgo putant, non κοσμήτρια, ornatrix, ancilla, quæ dominam exornat, componens crinem cet., (conf. v. 492 seq.) sed κοσμήτης, servus, qui mundum muliebrem curabat.[141] *Cosmetæ* tamen dicebantur olim omnes puellæ virique, a quibus fucari facies, (schminkmädchen, schminkärzte) supercilia pingi, purgari dentes et medicamina, quibus fœtor halitus arcebatur, parari solebant, quorumque ars κοσμητικὴ dicebatur. v. Böttigeri Sabina p. 18. 41. 214. ed. pr. *ponunt*, deponunt, *tunicas*, exui jubentur, et ad mammas usque nudatæ ministrant dominæ, ut facile vapulent. Cf. Pers. III, 1, 35. Ovid. Amor. I, 6, 19. et Böttigeri Sabina p. 247. 263. *Liburnus*, v. ad III, 240. *pœnas somni alieni*, non sui, sed mariti, qui nocte aversus jacuit. 479. *frangit ferulas* dorso suo, efficit, ut frangantur ferulæ, dum iis cæditur. Cf. ad VIII, 247. *Scutica*, parvum flagellum, e loris vel corio bubulo (τὸ σκύτος corium) factum. Levia peccata *ferulis*, graviora *scuticis* et gravissima *flagellis* (quales fuere μάστιγες ἀστραγαλωταὶ, de quibus v. Hemsterh. ad Polluc. X, 54. p. 1210. et Böttigeri Sabina p. 247. et 264.) puniuntur. Cf. Horat. Sat. I, 3, 119. 120. ubi similiter hæ voces junguntur. — 480. *Sunt, quæ tortoribus* s. carnificibus *præstent annua* salaria, quia sæpissime servos cædi jubent: nisi poeta rem in majus auxit. Conf. tamen de immani crudelitate feminarum, etiam mollissimarum, Böttigeri Sabina p. 251 seq. 263 seq. 276 seq. *Lorarii* dicebantur servi, qui conservos flagellare jubebantur, (zuchtknechte, knutmeister) *tortores* et *carnifices* publici, (peitschenknechte) qui reos potissimum, capitis damnatos, virgis cædebant. v. Pignori de servis p. 5 seq. et 15. Heyne in opusc. acad. T. III. p. 189 seq. et Böttigeri Sabina p. 246. 262. 263. 442.

481 — 485. Sævissima mulier adeo omnem exuit humanitatem et tam parum suppliciis servorum innoxiorum movetur, ut, dum hi, quos ne homines quidem esse putat, (cf. sup. v. 219 — 222.) cæduntur, *obiter*, quasi aliud agens, (v. ad III, 241.) *faciem linat* medicamentis s. fuco, *audiat amicas* secum confabulantes cet. *Verberat*

[140] Vet. Schol. *lanipendia*, de qua v. Paul. in L. XXXI. D. de donat. inter vir. et ux., Dufresnii Glossar. et Cujac. Obss. IX, 30. Cf. de triplici illo servarum genere Böttigeri Sabina p. 89. et 366. ed. pr.

[141] Vetus Schol. "Eos dicit, qui ornamentis præsunt, non tamen et ornatrices." Cf. Spanhem. ad Calim. H. in lavacr. Pall. v. 21. et Wower. ad Petron. p. 472.

et v. 483. 484. *cædit* pro: verberari et cædi jubet vel cædendos curat: nam quod per alium quis facit, ipse fecisse putatur et dicitur. Cf. ad III, 37. 116. 186. 482. *considerat* et miratur *aurum pictæ vestis*, vestem acu pictam auroque intextam. De tali veste v. Plin. VIII, 48. *latum aurum*, ut X, 27. v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. IX, 127. — 483. Conf. locus Luciani adscriptus ad v. 434 seq. *Diurnum* s. diarium sc. scriptum, ἐφημερίς, liber, in quo acta diurna s. quotidiana rationesque potissimum accepti et expensi ab ancillis consignantur. Cf. Gell. V, 18. intpp. Nep. XXV, 13. et Böttigeri Sabina p. 191. *Diurnos commentarios* dixit Suet. in Aug. *Transversa diurni* vet. Schol. recte forsan interpretatur, ratiocinium diurnum, in transversa charta scriptum. (Gr. ὀπισθόγραφον.)[142] — 484 seq. Cf. Böttigeri Sabina p. 250 seq. Exi, jam abi, furcifer cet. 485. *Intonet horrendum*, horrende femina, ut ap. Virg. Æn. XII, 700. et inf. v. 517. *grande sonat* sc. semivir; nisi jugenda sunt verba *horrendum Exi*, aut *intonet* impersonaliter accipiendum. *Intonet* autem gravius, quam resonet. Verba *cognitione peracta* vulgo interpretantur: finita cognitione causæ et delictorum cujuslibet servi sumtoque de omnibus supplicio; rectius autem Brit. et Ach. jam omnibus rationibus diligenter recognitis et excussis, finita lectione longi diurni. — 486—507. Cf. Böttigeri Sabina p. 251 seq. *Præfectura*, administratio et gubernatio, *domus non mitior* est *aula Sicula*, h. e. matrona s. femina, quæ domui et familiæ præest, non minus crudelis in servos, quam tyranni Siculi, Phalaris et Dionysii, in cives.

487. *Nam si constituit*, statuit, *ornari* cet., non, ut alii exponunt, *constituit* scil. mœchis locum et tempus conveniendi. v. ad III, 12. — 488. *exspectatur in hortis* a mœchis. — 489. *Sacraria*, ædiculas et templa *Isidis* in octo Romæ regionibus, apud quæ (in porticibus) et in quibus multa admittebantur stupra et adulteria a mulieribus, quæ prætendebant, se in casto Isidis esse et pervigilia, excubias vigiliasve agere in ejus honorem. v. Böttigeri Sabina p. 199 seq.[143] *lenæ*

[142] Similiter fere *adversaria* Cœl. Rhodig. XII, 21. Ita dicuntur libelli, in quibus et *adversa* parte perque *transversum* scribebatur, et in quos sine ordine omnia conjiciebantur, transferenda deinde in tabulas accepti et expensi. v. Salmas. de Usur. p. 147. Minus probanda Grang. explicatio: legit diurnum *transversa* h. e. transverse, obiter; ut sit enallage. Sic fere *transversa tueri* ap. Virg. Ecl. III, 8. et Valer. Fl. II, 154. ubi v. Burm. Sed ita saltem *diurnum*, non *diurni*, dixisset poeta.

[143] Cf. IX, 22 seq. Ovid. A. A. I, 77 seq. III, 635 seq. Ouzel. et Elmenh. ad Minuc. p. m. 257. Alex. ab Alex. VI, 8. inpr. Joseph. Antiq. XVIII, 4. et 10. *Inachidos limina* dixit Mart. XI, 48, 4.

Isiacæ, mulieris, quæ apud ædem Isidis lenocinatur, vel potius sacerdotis; nam sacerdotes Isidis lenocinium quoque faciebant.[144] Malim de ipsa Iside quasi lenocinante et lena magna (in cujus templo plurimæ prostant feminæ) accipere; quæ tamen ratio paulo durior est: nam sic *Isiacæ* poeta dixit pro *Isidis*. *Multas* (pellices, meretrices) *illa facit, quod fuit ipsa Jovi*, Ovid. A. A. I, 78.

490—507. Conf. Senec. de brev. vitæ c. 12. Martial. II, 66. et Claudian. de nupt. Honor. et Mar. carm. X, 101 seq. de ancillis ornatricibus variisque earum officiis. *Disponere crinem*, ut *ponere, componere, fingere, aptare, colere, onare*, κόμην vel τρίχας διατίθεσθαι vel συντιθέναι. v. Spanhem. ad Callim. H. in Pall. v. 22. *capillis laceratis* ab irata et crudeli domina et *nuda humero*, veste ab eadem discissa. Sed verba hæc iis, quæ præcedunt, magis congruent, si ea cum Dusaulx et Ach. retuleris ad summam festinationem, qua Psecas, vocata a crudeli domina, accurrat *capillis* sparsis, solutis et *laceratis*, nec non seminuda, ut confestum *disponat crinem* dominæ *properantis* et clamantis. Pœnæ, ab irata domina ei inflictæ, mox memorantur v. 492 seq. et jam memoratæ sunt sup. v. 476 seq. *Psecas* puella ornatrix, et hinc forte comes Dianæ ap. Ovid. Met. III, 172., sic dicta a ψεκάζειν, irrorare, (ψεκὰς ros) quæ unguentis pretiosissimis (v. ad IX, 128.) capillos dominæ delibuit, irrigat, (ut ap. Claudian. l. l. *largos hæc nectaris imbres irrigat*) aut, quod cel. Böttiger in Sabina p. 106. et 125. docet, quæ unguenta pluviæ tenuis instar (ψεκὰς s. ψακὰς feiner staubregen) arte nunc ignota ore (unde hoc?) inspergit dominæ crinibus. Ornatrices rarum ac parvum aquæ solent mittere ac velut ψεκάζειν, minutum s. rarum pluere; vet. Schol. *Psecas* dicta a ψεκάζειν, ut *Plecusa* Martial. II, 66, 4. a πλέκειν. Cf. Spanhem. l. l. Reines. Inscr. I, 89. et quæ ibi disputat p. 125. 126. de arte puellæ ornatricis s. comtricis, (κομωτρίας, κομιστρίας, κομητρίας, πλεκτρίας, κοσμωτρίας) capillis balsamum aut odoratos pulveres, medicatos succos cet. instillantis eosque apte disponentis. — 492 seq. Cf. Martial. II, 66. *Altior hic quare cincinnus*, (ap. Martial. *comarum annulus*, ut inf. v. 496. *orbis*) verba dominæ increpantis servam. *Taurea* non nomen matronæ a *tauri* feritate fictum, sed scutica e corio taurino. 493. *crimen*, quasi grave peccatum commiserit Psecas. *capilli* non bene, apte et æqualiter *flexi*, non decenti inflexione crispati. 494. 495. Verba poetæ miserantis ancillam et dominæ defor-

[144] v. Joseph. et Böttiger ll. ll.

mitatem deridentis. *Si tibi displicuit nasus tuus,* h. e. facies, quam in speculo contemplaris, non placet, quia deformis est, nec pulcra reddi potest arte; unde ira. — 495. *Altera* ancilla *lævum,* a sinistra parte, *extendit,* componit, *comas* confusas. Nota Hein. est: " Dubitari potest, an hoc usus loquendi ferat. Unum exemplum scio, ubi *lævum* ita usurpatum videtur, Valer. Fl. I, 156. Igitur amplius cogitandum censeo." Sed alia exempla sunt Virg. Æn. II, 693. et IX, 631. *volvit in orbem,* v. ad v. 492. et 502. 497—501. Recte Grang. " Satirice, quod matronæ, tamquam senatores, de ornatu capillorum deliberent et sententiam dicant. Similis jocus IV, 73. et ap. Sen. de brev. vit. c. 12. *Dum de singulis capillis in consilium itur* cet." *matrona* ancilla vetula, ob ætatem usumque peritior, quæ nunc *lanis,* lanificio, *admota* est, facta est quasillaria, (v. sup. ad v. 476.) postquam *cessavit emerita acu,* h. e. emeritis quasi stipendiis, propter ætatem et hebetatam oculorum aciem, vacationem accepit a tenuiori ac subtiliori manuum opera, a suendo vel pingendo acu, vel potius comendo, crispando et componendo crine, ut *acus* sit crinalis vel discriminalis, de qua v. Böttigeri Sabina p. 127. Vox *emerita* præclare petita est e re militari et gladiatoria, ut reliquæ, *sententia prima Hujus erit, post hanc ætate atque arte minores Censebunt* e curia vel senatu, in quo princeps senatus senioresque Patres primi *sententiam* dicebant vel *censebant* et ceteri ordine rogabantur. — 500. Tamquam *fama* aut *anima,* ipsa vita, in periculum et discrimen vocetur, vel in discrimine versetur. — 502. *Tot ordinibus* vel gradibus cincinnorum cirrorumque *premit caput, tot compagibus,* cincinnis, cirris, in nodum collectis, tabulatis quasi et contignationibus, (*etagen*) *altum,* alte, *ædificat,* quod καταχρηστικῶς καὶ σκωπτικῶς dicitur. Cf. ad XIII, 165. Grangæus: " Antiquæ, inquit, matronæ crines ad verticem capitis convolutos habebant et aggestos quasi in turrim aut metam in primore parte capitis." Talis structura vel strues capillorum, a fronte in verticem reductorum et in gradus formatorum instar turris et coni, dicitur *nodus* et *tutulus,* Luciano ἐπανάστασις τριχῶν, Statio Silv. I, 1, 113. *celsæ frontis honores suggestusque comæ,* Lucan. II, 358. *corona matronæ,* Hebræis Syrisque בנית ædificium, et (quod Græcus Thucydidis interpres, a Scriverio laudatus, docet) κρώβυλος in viris, in feminis κόρυμβος et σκόρπιος in pueris. Cf. Böttigeri Sabina p. 64. 108. 114. 127. 131. 135 seq. ed. pr. Hoc est *alienis capillis turritum verticem struere* ap. Hieron. ad Demetriad. 130. sect. 7. *Turritum tortis caput accumulare in altum Crinibus* ap. Prudent. Psychom. 183. *comam*

in gradus et *orbes formare, volvere,* (sup. v. 495.) *frangere, sinuare;* et *tortos in fluctus ponere crines* ap. Manil. V, 147. Conf. laudata ab Henninio verba Tertull. de cultu fem. et Marc. Capell. de Nupt. IV. Optime tamen mens poetæ percipietur e numis, ex quibus Ach. colligit, hanc satiram regnantibus Trajano et Hadriano in lucem prodiisse.[145] *Ædificat caput altum tot compagibus,* ut fere *Corpora ædificant celeri crescentia nexu* ap. Claudian. XVII, 321.

503 seq. Mulier, cui ita in priori capitis parte crinis in formam turris alte structus est, *a fronte* videtur esse procera, ut *Andromache,* uxor Hectoris,[146] *post,* h. e. a tergo, aversa, *minor est,* ut *aliam credas.* Similiter Mart. XIV, 122. de pumilione: *Si solum spectes hominis caput, Hectora credas: Si stantem videas, Astyanacta putes.* Quæ poeta h. l. asperioribus facetiis perstringit, nostris quoque temporibus ridendi occasionem dabunt. 504 seq. *cedo,* dic, quid credas? quid deinde? vel, quanto magis scil. *aliam credas, si breve* cet. German. verterem: *wie, wenn sie gar von natur sehr klein oder verwachsen ist?* Hæc interpretatio firmatur simili loco XIII, 210. Hinc v. 507. interrog. signum posui.[147] Staturæ brevitas facete mox adumbratur v. 506. et inpr. v. 507. *virgine Pygmæa,* conf. ad XIII, 167. *Cothurni* calceamenta sublimiora subere conserta, quibus multi, ut grandiores fierent, inpr. tragœdi, (ut comœdi *soccis*) utebantur, augustam referentes deorum heroumque speciem: unde etiam stilus tragicus vel grande dicendi genus ipsaque tragœdia *cothurnus* dicitur inf. v. 634. VII, 72. et XV, 29. — 507. *ad oscula* non tam mariti, quam mœchi; ut cum osculetur. *levis,* agilis, ἐλαφρὰ, κούφη.

[145] Conf. Valesiana p. 99 seq. vel notæ H. Valesii in Juvenalem, (in quibus docet, in numis cuspici Trajani Imp. uxorem, Plotinam, et sororem Marcianam hujusque filiam Matidiam, nec non Sabinam, Hadriani conjugem filiamque Matidiæ, habentes a fronte in modum turriculæ vel turbanti capillos admodum elatos et in altum suggestum exaggeratos, retro autem depressos et plexos vel in varios orbes volutos; hunc vero morem non nisi Trajano imperante et deinde XL circiter annos (in aula) durasse et damnatum ab Annia Galeria Faustina, Antonini Pii uxore, ut invenustum, nec postea repetitum esse) Æneæ Vici Imagg. Augustarum, Bartholin. de Inaur. Vett. p. 9—12. Junius de Coma c. 7. Salmas. ad Tertull. Pall. p. 246. al.

[146] de qua v. Eurip. Androm. Ovid. A. A. II, 645 seq. III, 777 seq. et al.

[147] Verba obscura, quæ alii sic interpretantur: Da et concede hoc parvis illis mulieribus, permitte et indulge, ut altiores videantur ac videri velint, ut naturam arte corrigant, si brevioris sint staturæ. Alii ita: Et quidni illa alia videatur a fronte, quam a tergo, *cedo* enim et dic, an non alia videri queat, quum a natura parva sit et brevis? Britann. "*cedo* h. e. dic mihi, quomodo facit, tam brevi statura, quum maritum vult osculari? erigit se in plantas." Nihil horum satisfacit: nam sententiæ illæ vel languent, vel ex verbis poetæ perperam eliciuntur; et *cedo* neutiquam significat *concede.* v. Lexica.

508. Mulier talis, quæ et adultera est et cultus studiosissima, nullam mariti rationem habet, vel sumtuum, quos facit, et *damnorum*, quæ patitur: dum se ornat et mœchatur, non curat rem familiarem. *Vivit tamquam vicina marito*, non conjux ejus esset. Cf. ad v. 141. — 510. 511. Festive et σκωπτικῶς poeta dicit: *Hoc solo propior* est, h. e. ostendit, se uxorem, non vicinam esse et in iisdem ædibus habitare, *quod amicos et servos conjugis odit*, eique *gravis est rationibus*, multis expensis. Cf. Var. Lect.

511—592. Aliud feminarum vitium est nimia propensio ad stultam cujuscumque generis superstitionem, quam potissimum peperit futurorum scrutandorum et præsciendorum cupiditas, qua homines omni ævo flagrarunt. Qua ratione et quo ordine singula hujus rei momenta tractaverit poeta, Henninius jam docuit his verbis: " Subtilissime ab hoc versu usque ad v. 592. traducit omne genus divinationum, quæ in usu erant apud Judæos 542—550. Armenios et Syros 550—552. Chaldæos 553—571. Ægyptios, quorum mirificam superstitionem obiter exagitat 572—581. Phrygas 582—592. Indos 592. Perstringit Romanorum Bellonarios 511. 512. Græcorum Gallos Magnæ Matris 513—541. hi enim populi, quos modo dixi, maxime divinationum erant studiosi. Ridet lustrationes cujuscumque generis et expiationes 518—529. noctes viduas diebus sacris 535. 536. preces meditatas vel et cum lacrimis fusas 539. sacrificia 541. 542. procurationem fulgurum 587. quin immo per satiram etiam adoritur revelationes sacras 544. 545. dein enthusiasmos 511. 512. somnia et prædictiones ex illis 530. 531. extispicinam, haruspicinam, ubi obiter impia homicidia ad expiscanda futura notat 549—553. auguria et auspicia 585. Satirica hinc bile perfundit oracula in genere, speciatim Hammonis Libyci et Apollinis Delphici 554—556. Mathematicos 557—568. Apotelesmaticos 569—571. Astrologos 572—581. Ophthalmomanticen 578. 579. Medicos, qui Medicinæ Astrologiam accommodant 580. 581. sortes, metoposcopos, chiromanticen 583. 584. Paucis, omnem Gentilium religionem subsannat, quam acutissime ad ineptas superstitiones, in quas sequior sexus est proclivior, refert, et summa styli acrimonia omnes etiam absurdissimas aliarum gentium superstitiones Romam, tamquam in sentinam, confluxisse indignatur." De iisdem superstitionibus earumque causis et classibus v. inpr. Heyne in Opusc. Academ. Vol. III. p. 203 seq. 270 seq. 291. et 312 seq.

511 seq. De sacris *Bellonæ* et Bellonariis cf. IV, 123 seq. et loc.

class. Tibull. I, 6, 43 seq. ubi v. Heyne. Similia erant sacra magnæ *Matris Deum* s. Cybeles, similesque Bellonariis ejus sacerdotes, Galli. Epitheton *furentis* et Bellonæ et Matri Deorum earumque sacerdotibus sacrisque fanaticis aptum est. *chorus* sacerdotum *Ecce intrat:* facete poeta, de sacris fanaticis locuturus, ipse quasi enthusiasmum et tam vividos excelsosque phantasiæ sensus concipit, ut coram cernere jam omnia sibi videatur; quæ etiam abrupti forte transitus causa est. *intrat* ædes feminæ, arcessitus ab ea, ut consulatur: nam sacerdotes Bellonæ, Cybeles, Isidis cet. a superstitiosis hominibus consulebantur. 513. *Semivir,* eunuchus, (ut *semimares* ap. Ovid. Fast. IV, 183.) *ingens,* Archigallus, antistes sacrorum Gallisque præfectus. *Ingens* et corpore, et auctoritate ac veneratione. v. sup. ad v. 374. *facies,* persona, *reverenda minori obscœno,* reliquis Gallis, dignitate inferioribus: unde *minori.*[148] *Obscœni greges* dicuntur Galli Ovid. Met. III, 537. et *viri molles, obscœni* ac *semiviri* junguntur Liv. XXXIII, 28. — 514. v. ad II, 116. *Testa* Samia (de qua v. ad XVI, 6.) citra perniciem Gallos sibi virilitatem secuisse tradit Cœlius ap. Plin. XXXV, 12. s. 46. extr., (ubi v. intpp.) at *ferro* Lactant. V, 9. *saxo acuto* Ovid. Fast. IV, 237 seq. Catull. LXIII, 5. *Devolvit illa acuto sibi pondera silice,* h. e. cultello lapideo. Conf. Scalig. ad Auson. II, 12. et verba Lucilii: *Testam homo sumit Samiam sibique illico Proscidit caulem tectesque una computat ambo.* Conf. Var. Lect. et ad II, 116. 515. *Cui* Archigallo *cedunt,* ob summam dignitatem, sanctitatem ac reverentiam, adeoque eum vel venerantur vel sequuntur, dato ei primo loco, *cohors* reliquorum sacerdotum, Gallorum, *rauca,* ob continuum clarumque cantum, ut sup. I, 2. (conf. ad VIII, 59.) vel potius propter acutam exilemque vocem; quæ cur eunuchis ac mulieribus sit, docent Macrob. Sat. VII, 10. Aristot. et alii. 516. *Plebeia tympana,* sacerdotes minores vel inferioris ordinis, tympana pulsantes, more Gallorum in sacris Cybeles. *Tiara,* ut *mitra,* passim dicitur fascia et diadema, ut et X, 267. (de cujus figura v. ad VIII, 259.) sed h. l. *tiara Phrygia* est pileus, de quo fimbriæ s. fasciæ pendebant, quibus sub mento constrictis *bucca vestitur,* malæ ac tempora obducuntur s. operiuntur.[149] Galli autem sacerdotes erant deæ Phrygiæ.

517—521. Archigallus, a muliere consultus, (more superstitioso-

[148] Male vetus Schol. "quia *minorem penem* habet." et Bahrdt: *ehrwürdiger durch den obscönen stumpf;* etsi *obscœnum* scil. membrum virile dicitur Ovid. Fast. VI, 631. et Justin. I, 6.

[149] v. Heyne ad Virg. Æn. IV, 216.

rum hominum) jam oraculum edit, in quo magna minatur mala, ab irato numine mox peccatoribus immittenda, hortaturque, ut ira Deorum tam donis ac muneribus, quam expiationibus lustrationibusque mitigetur. Similiter vaticinatur sacerdos Bellonæ ap. Tibull. I, 6, 51 seq. et oracula eduntur ap. Aristoph. in Equitibus. Eamdem vero superstitionem Seneca de vita beata c. 27. ita irridet: *Quum sistrum aliquis concutiens ex imperio mentitur, quum aliquis secandi lacertos suos artifex brachia atque humeros suspensa manu cruentat, quum aliqua genibus per viam repens ululat,* (ut inf. v. 525.) *laurumque linteatus senex et medio lucernam die præferens conclamat, iratum aliquem Deorum; concurritis et auditis et divinum esse eum, invicem mutuum alentes stuporem, affirmatis* cet. — *Grande sonat,* ut *conclamat* ap. Senec. l. l. Cf. ad v. 485. Britan. non ad vocem claram refert, sed ad faciem rei horrendam, ut sit, miranda prædicit et grandia; more Gallorum sacerdotumque Ægypti, qui per Urbem cum insignibus suis vaticinantes, fanatico carmine talia populis ventura minabantur. Possis etiam ad grandiorem vaticiniorum orationem referre. Præclare autem et facete v. 517—521. designatur versuta Archigalli similiumque sacerdotum avaritia ac fraus, qui morborum aliorumque malorum imminentium metu terrent superstitiosas mentes suadentque, ut iræ numinis sedandæ causa dona ac munera Diis vel, quod idem sit, sacerdotibus eorum dent. Religionem sacerdotum omnibus profecto temporibus eamdem fuisse, notat Bahrdt. *metui jubet adventum Septembris et Austri,* h. e. auctumni, in quo morbi ac febres grassari solent. v. ad IV, 56. Facilis prædictio rerum, quæ vulgo fiunt, et apta ad designandam vanitatem vaticinii et superstitionis stultitiam. Sed graviores quoque morbos vel insolentiores eique mulieri, quæ eum consulit, impendentes divinasse censendus est Archigallus. 518. *Ovorum* usus erat solennis in lustrationibus et incantationibus; unde ap. Lucian. τὰ ἐκ τῶν καθαρσιῶν ὠὰ non edenda, sed foras projicienda; Grang.[150] 519. *Xerampelinæ,* ξηραμπέλιναι sc. vestes, quæ colorem arefacto (ξηρῷ) pampino (ἀμπέλῳ) vel vitis folio similem adeoque pullum forte vel subrubrum ac pallidum (Gall. *feuille morte*) referebant. Alii: vestes coloris siccæ rosæ, qui Gall. *rose sêche* dicitur, nec multum differt.

VII, 247. IX, 616. Burm. ad Valer. Flac. VI, 700. Salmas. Exerc. Plin. p. 556. Gesner. ad Claudian. in Rufin. I, 198. et locus Hieron. in Gesneri et Schelleri Lexic. laudatus.

[150] v. ad V, 85. intpp. Ovid. A. A. II, 330. Lakemacheri Antiq. Græc. sacr. p. 477. Brodæus Misc. I, 25. Mitscherl. ad Horat. Epod. V, 19 seq. et Kœnig ad Pers. V, 185. Quæ ova non foris projiciebant, ut mos ferebat, sed e conspectu ablata ipsi sacerdotes manducabant; Ach.

Vetus Schol. vestes *ampelini* coloris, quin inter coccinum et muricem medius est. Suidas in voc. Ἀτραβατικὰς de Romanis: ἐν ταῖς ἑορταῖς καὶ τοῖς ἐπινικίοις, καὶ παρόντων πρέσβεων, ἐνεδύοντο χιτῶνας καὶ χλαμύδας ποικίλας, ἀπὸ χρυσοῦ καὶ πορφύρας, καὶ ἄλλως πως πολυτελεῖς, ἐν δὲ ταῖς κοιναῖς συνόδοις ξηραμπελίνας τὸ χρῶμα, ἃς ἐκάλουν ἀτραβατικὰς ἀπὸ τοῦ χρώματος· τὸ γὰρ μέλαν, ἄτρον καλοῦσιν· ἢ ὅτι μετὰ τραβαίας ταύταις εἰώθασι χρῆσθαι· τραβαῖαι δὲ λέγονται αἱ πολυτελεῖς χλαμύδες. *veteres*, cf. Var. Lect. *donaverit Ipsi*, Archigallo. — 521. En astutiam sacerdotis, qui superstitiosis mulieribus, quæ et stupidæ vulgo sunt et credulæ, facile persuadet, omnia infortunia, ipsis impendentia, in has vestes derivatum iri, et sic *totum annum*, h. e. totius anni peccata *expiata* esse *semel*, hoc uno munere, ita ut jam in totum annum libera ipsis denuo sit peccandi potestas. *In tunicas* has *eat* forte per risum dixit poeta pro, tali donatione avertatur: is certe verborum sensus est. At ipsa hæc oratio ab ingenio talium præstigiatorum non abhorret. Grangæus, coll. Ascon. ad Orat. Cornel. pr. et Festo in v. *Pilæ*, putabat, hæc dicta esse ex ritu Romanorum, qui effigies et simulacra habuerint circum Lares in unaquaque domo, ut, si quid mali accideret, Dii in ea rejicerent. At Voss. ad Catull. p. 168. hæc notavit: "Vestes illas ipsimet Galli induebant, utpote qui exsectis virilibus illico habitum virilem muliebri permutarent: unde in antiquis marmoribus passim Galli visuntur in stola muliebri, quod et de Deæ Syriæ Gallis tradit Lucianus. Habitus autem Gallantium erat lugubris; et *xerampelinum* colorem Plinius rectissime *pullum* interpretatur."

522—530. Nihil non mulieri suadent superstitio et astutia sacerdotum. — 522—524. Genus hoc lustrationis notissimum ex Pers. II, 15. 16. Horat. Sat. II, 3, 290 seq. et al. *Hibernum*, congelatum. Ipsa quoque hyeme fluvio mergi non recusabit mulier et *abluet timidum caput*, h. e. se ipsam, cui superstitio ac versutia sacerdotum timorem incussit. 523. *mergetur Tiberi matutino*, h. e. matutino tempore, ut *mane* ap. Pers. et Horat. ll. ll. Nam homines cum diis acturi aut sacra iis facturi corpus totum, saltem manus, aqua, vel marina vel fluviali vel fontana, abluere solebant, (quo ritu adumbratur purgatio animi a vitiis) et ipsa nox polluere credebatur.[151] *Ter*, ut ap. Pers. l. c. Virg. Æn. VI, 229. Ovid. Met. VII, 261. et al. Hujus quoque numeri et mystica fuit vis, et vulgaris usus apud poetas.[152]

[151] Cf. Prop. III, 10, 13. et Kœnig ad Pers. II, 16.

[152] Hinc nolim cum Hennin. hæc referre ad τριῶν βαπτισμάτων ritus femina-

— 525. 526. Hunc superstitiosorum ritum memorant etiam Tibull. I, 2, 85. Seneca loco sup. ad v. 517. adscripto, et Joh. Mabilius, a C. Valesio laudatus, in Itin. Ital. p. 50. (*Vidimus haud raro mulieres reptando in genua non solum ad Scalam sanctam, ad quam vix umquam aliter adscenditur, sed etiam ad sanctam Mariam majorem et ad Basilicam, quæ Ara Cœli dicitur, ex vicinis domibus progredi.*) Minus apte comparant Ovid. Fast. VI, 397—412. *Regis* Tarquinii *Superbi agrum* inter Urbem ac Tiberim, consecratum Marti, unde campus deinde Martius fuit; quod vel tironibus notum e Liv. II, 5. *Totum agrum erepet,* quo ridicula superstitionis vanitas augetur. *genibus cruentis* rependo super arenam, lapides cet. *nuda,* v. ad. v. 159. — 526. *candida Io,* Inachi filia, in *candidam* vaccam a Jove mutata, quæ in Ægypto, recepta forma humana, nupsit Osiridi regi, post mortem vero in Deos relata est et *Isis* appellata, symbolum fecundantis et alentis Ægypti. Fabula notissima vel ex Ovid. Met. I, 588—747. de cujus origine et indole v. Heyne ad Apollodor. II, 1, 3. et Creuzer's Symbolik T. I. p. 309. 349. 355. T. II. p. 157. 384. T. IV. p. 17 seq. 31. 91. 239—256. *candida Io,* v. Ovid. Met. I, 743. Hoc epitheton ad pulcritudinem vel ad vestes lineas Isiacorum sacerdotum (cf. v. 533.) referendum putabat Brit. Cf. Brœkhus. ad Tibull. I, 3, 31. *si Io,* h. e. Isis, *jusserit* scil. per sacerdotem, qui hoc mandatum sibi per somnium a Dea datum esse mentitur. Cf. v. 530. 531. Nam aliæ nunc superstitiones ridentur earumque auctores, sacerdotes Isiaci s. Isidis, qui non minus versuti præstigiatores, quam Bellonarii, Galli cet., erant et fraudulenti conjectores, h. e. somniorum interpretes, (conf. Cic. Div. I, 58.) quique recte *sacrificuli vanæ superstitionis* dicuntur Suet. Domit. c. 1. — 527 seq. Grangæi interpretatio forte non repudianda: quamvis Romæ in templo Isidis non vera sit Nili aqua, qua Ægyptii utuntur in hujus deæ templis, sed tantum simulata, (v. Virg. Æn. IV, 512. ibique Serv. et Cerda) tamen, *si Io juberet,* mulier hæc religiosa seu potius superstitiosa vel ipsa (pedibus) *ibit ad Ægypti finem* eam petitura. Alio sensu hæc verba esse capienda putat Ill. Böttiger in Sabina p. 184. 211. 212. ed. pr. ubi dicit, sacris Nili aquis magnam olim vim adsignatam easque propterea ex Ægypto Romam et aliorsum fuisse delatas, (v. Maillet Descr. de l'Egypte T. I. p. 29.) cultores vero Isidis, templum

rumque conversionem ad nomen Christi; neque v. 535 seq. ad ἔθος Ἰουδαίων, ὡς καὶ τὸ πολλάκις ἐπὶ κοίτῃ (post coitum) βαπτίζεσθαι, Clem. Alex. Strom. IV. et Levit. XV, 18.

deæ ingressos, aqua lustrali se ipsos ædemque adspersisse aut a sacrificulis adspersos esse: (v. Casaub. ad Theophr. Char. XVI.) fingere itaque poetam, Isidis cultricem eo superstitionis progredi, ut ab Ægypto arcessat aut ipsa potius petat aquam Nili, et quidem eum tantum in finem, ut *in ædem* statuamve Isidis spargat; neque eam magis superstitiosam fuisse, quam reges Persarum, qui aquam Choaspis in quovis itinere secum duxerint, de quo v. Brisson. de regno Pers. I. p. 59. Sed hæc interpretatio non differt a nostra; aquas autem Nili Choaspisve *propter insignem earum vim aut arcanam* a superstitiosis olim petitas esse, vix crediderim. Reges certe Persarum secum duxisse Choaspis aquam, quia fuerit levissima et suavissimi saporis, (ὕδωρ ἐλαφρότατον καὶ ἥδιστον) tradunt Herodotus I, 188. et Ctesias ap. Athen. II, 6. (23.) p. 45. Hinc et *Nili aqua* a multis petita et tum Berenicæ a Ptolemæo Philad. patre, tum regi Persarum, et huic quidem tributi loco, (v. Athen. l. l. et II, 25. (74.) p. 67. et Plut. vit. Alex. p. 686. D.) missa videtur, non propter magnam sacramve vim, quæ olim ei tributa sit. Firmatur hæc conjectura verbis Sen. Nat. Quæst. IV, 2. extr. *Quare Nilus dulcis est, si illi e mari unda est? Nec enim ulli flumini dulcior gustus.* Non ignoro quidem, in ejusdem Sen. Nat. Quæst. III, 25. hæc legi: *Quorumdam causa non potest reddi — quare aqua Nilotica fecundiores feminas faciat, adeo ut quarumdam viscera longe sterilitate præclusa ad conceptum relaxaverit; quare quædam in Lycia aquæ conceptum feminarum custodiant, quas solent petere, quibus parum tenax vulva est. Quod ad me attinet, pono ista inter temere vulgata.* Ea tamen huc non referenda. *Ibit* non modo in Ægyptum, sed etiam *ad Ægypti finem*, quin ultra aut supra Ægyptum, ubi *Meroe* sita est. *Meroe*, quæ aliis insula maxima Nili in Æthiopia, cujus urbs ejusdem nominis regia fuit sedes, (v. Strab. I, 75. et p. 1134. Herod. II, 29. Diodor. I. p. 38. Ptol. IV, 8. Plin. II, 75. V, 9. VI, 29. 35.) aliis peninsula dicitur,[153] est hod. *Atbar*, quæ provincia maximam regni Senaar et minorem Habessiniæ partem versus meridiem complectitur et non prorsus quidem et semper, sed pluvio tempore tota fluviis restagnantibus, Tacazzé s. Atbar, (Astabora) Nilo ejusque brachiis, cingitur. Docte et copiose de ea disputavit Heeren in *Ideen über die Politik u. s. w.* T. II. P. I. p. 363—452. ed. III. *calida Meroe*, ut *calida Coptus* XV, 28. aliaque oppida Æthiopiæ et Ægypti, terrarum in oriente sitarum; vel *Nilus*

[153] v. Hard. ad Plin. V, 9. s. 10. et d' Anville Mémoires sur l' Egypte III, 51.

tepens s. *tepidus,* irrigans tepentem Ægyptum, X, 149. Prop. II, 33, 3. Claudian. XV, 476. Lucan. III, 199. VII, 823. *ut spargat in ædem Isidis ;* ut ap. Tac. Ann. XV, 44. aqua ex proximo mari hausta *templum et simulacrum deæ* Junonis *prospersum est.* — 529. Vetus Schol. *In Martio campo templum Isidis vetustum, proximum ovili,* h. e. ei loco, *ubi Romulus et pastores adsueverant pecora pascere ; aut regiam dicit Romuli, ut* (leg. *aut*) *palatium.* Alii *ovile* h. l. dici putant *septa,* h. e. locum in campo Martio, in quem coibant in comitiis, quibus suffragii jus erat, ut ap. Liv. XXVI, 22. Lucan. II, 197. et al. Non male: sed quoniam *antiquum* vocatur *ovile,* cum Britan. et aliis accipere malim de eo loco campi Martii, ubi priscis temporibus ovilia fuerint Tarquiniorum et postea, horum agro Marti consecrato, septa sint exstructa. *Antiquum* itaque *ovile* poeta dixisse videtur facete, quia campum Martium sup. v. 525. *agrum regis Superbi* vocaverat. *surgit* doctius quam *est,* ut passim. Nam *surgere, exsurgere, exstare, existere, erigi* et *adtollere se* dicuntur montes, aggeres, muri, columnæ, ædificia, quæ alta sunt, vel quasi emergunt et eminent, vel conspiciuntur.[154] — 530. *Credit enim* mulier superstitiosa, quæ et credula esse solet, quod astutus sacerdos comminiscitur, *se moneri voce ipsius Dominæ,* Deæ, Isidis, quia per somnium id sibi Deam indicasse ac jussisse fingit sacerdos, et hujus vox ipsi oraculi instar divini est, vel Deam per eum loqui putat. *Domina,* ut δέσποινα, etiam passim Dea dicitur.[155] Vocabulum est honoris, ut *regina, rex, mater, pater.* — *Monere* et *monita* vocabb. propria de oraculis, Diis ac vatibus, qui vel somniis vel prodigiis aliisque signis voluntatem suam et futura significant.[156]

531. Ἐπιφώνημα εἰρωνικόν, q. d. scilicet vel utique dignus est talis sacerdos, quocum Dii nocte loquantur! 532. *Ergo,* quia cum ipsa Dea eum colloquia habere existimant mulieres superstitiosæ, præcipue illum colunt.—533. *Qui,* antistes forte vel princeps sacerdotum Isidis. *grege,* choro sacerdotum Isiacorum, qui et *linigeri* erant, vel lineis vestibus induti, (ut ipsa Isis, quæ regina Ægyptiorum fuisse videtur eosque lini usum docuisse) et *calvi,* capite raso; unde *Linigeri fugiunt calvi sistrataque turba* ap. Martial. XII, 29, 19.[157]

[154] v. Burm. ad Ovid. Met. II, 264. et Drak. ad Liv. XXV, 21.

[155] v. c. Ovid. A. A. I, 148. Virg. Æn. III, 113. 438. Prop. III, 3, 31.

[156] v. Heins. ad Ovid. Met. XIII, 216. Brœkhus. ad Tibull. I, 6, 50. III, 4, 2. Burm. ad Val. Fl. I, 29. 231. et ad Ovid. Met. II, 639. al.

[157] De illo vid. Brœkhus. ad Tibull. I, 3, 30. et Heins. ad Ovid. A. A, I, 77. de hoc Casaub. ad Lamprid. Commod. c. 9. Ferrar. Elect. II, 13. Hieron.

Causas utriusque rei pete ex Plut. de Iside et Osir. (Opp. T. II. p. 352. ed. Frft. vel T. VII. p. 390. ed. Reisk.) in quo libello de utroque Ægyptiorum numine et de *Anubi* copiosissime disputatur. *Anubis,* Osiridis vel Typhonis filius, perpetuus Isidis et Osiridis, h. e. Lunæ et Solis, comes atque custos, factus nuntius inter Superos et Inferos, (ut Mercurius et Ἑρμῆς Græcorum) qui symbolice horizontem sive ortum occasumque solis designabat et quasi janitor cœli et ostiarius erat, qui soli in hemisphærium nostrum ingredienti januam quasi aperiret eumdemque abeuntem in hemisphærium inferius emitteret: unde capite etiam canino effingebatur, quia canis olim ædium januis tamquam ostiarius vel custos ac vigil addebatur hujusque symbolum erat. Quod caput caninum, ejus effigies, humeris sacerdotum impositum per urbes circumferebatur.[158] Hoc loco innuitur summus Isidis sacerdos, qui personam *Anubidis* sustinet, forte ut risum moveat, vel quod derisoris partes agit. Alii rationem inde petunt, quod sacerdos vel statuam Isidis, æque ac Anubis, custodiat, vel nuncius sit inter Isidem et mulieres, ut Anubis inter Superos et Inferos, Henninius h. l. conspiciendam dedit imaginem Anubidis, qualis servabatur in cimeliis Parisinæ Genofevæ: est figura humana, excepto capite, quod caninum est, ipsoque rictus ductu exprimit et excutit sannam.[159] *currit* per urbem *derisor,* deridens ipse stultitiam et credulitatem *populi plangentis,* cum luctu et planctu quærentis Apim; de quo v. ad VIII, 29. Poeta forte respexit illa sannæ genera, quæ exprimunt, qui ringuntur vel risu diducunt rictum quique linguam exsertant. Utrumque et canibus proprium est, et hoc quidem *currendo* fessis ac sitientibus. Conf. Pers. I, 60. ibique Casaub. Inde elucebit ars et ingenium Juvenalis, superstitionem subsannantis. Alii jungunt verba *grege calvo plangentis populi.*

535—541. Sensum et sales h. l. recte, opinor, cepit Britann. cujus hæc nota est: " *Ille* sacerdos, qui se cum Iside colloquium habere simulat, *petit veniam* mulieri huic vel uxori admodum superstitiosæ ab Iside, *quoties* illa mulier non abstinet *concubitu* cum marito suo vel

ad Ezech. XLIV, 29. Ouzel. et Elmenh. ad Minuc. p. 166.

[158] v. ad XV, 8. Plut. de Iside et Osir. Opp. T. II. p. 355 seq. 368. 380. 407. Herodot. II, 66. 67. Casaub. l. l. Jablonsk. Panth. Ægypt. lib. V. c. 1. T. III. p. 4—14. et 35 seq. Apul. Met. XI. p. 262. et Apol. p. 315. ed. Elm. Diodor. I, 18. et 87. II, 4. inpr. Creuzer's Symbolik T. I. p. 293 seq.

[159] Cf. Apul. l. l. et similes imagines ap. Struv. Synt. Ant. Rom. Tab. V. Fig. 21. Wilde gem. ant. tab. 31. Gorlæi Dactyl. T. II. n. 386 seq. et Montfauc. Ant. expl. T. II. P. II. p. 314.

adeo cum adulteris suis; unde forsan *violato cadurco*, lecto, i. e. non servata castitate lecti matrimonialis per eos dies ac noctes, quibus sacra Isidis peragebantur: nam tunc nefas erat conjungi marito. *Et movisse caput* cet. ironicos: et profecto ipse Osiris precibus sacerdotis adnuit; nam *visa est serpens argentea movisse caput* i. e. adsensisse. *Illius* sacerdotis *lacrymæ m. m. præstant, ut Osiris*, scil. *corruptus* muneribus, *non abnuat veniam culpæ*, crimini mulieris, quæ cum viro concubuit." [160] Jam videamus de verbis singulis. — *535—537.* In sacris Isiacis, ut Bacchi et Cereris, feminæ ac matronæ, (ut Θεσμοφοριάζουσαι apud Athenienses) novem per dies ac noctes debebant abstinere concubitu et stramentis incubare in templo vel pervigilia in eo agere, quod vulgo dicebatur *secubare* et *in casto Isidis* vel *Cereris esse.* De quo secubitu v. intpp. Prop. II, *33*, (al. 24.) 1 seq. IV, *5*, *34*. Ovid. Am. III, 10, 1. et Tibull. I, *3*, *23* seq. ubi nota Heynii legitur, quæ etiam ad h. l. transferri potest: " Admodum superstitiosam *uxorem* fuisse necesse est, quippe quæ etiam peregrina sacra coluit; nec id genus animorum adeo alienum ab amore esse aiunt." *536. diebus* tam *sacris* et *observandis* cum reverentia, religiose, pie ac rite colendis; quibus maxime *violatur* castitas lecti matrimonialis. *Cadurcum* stramentum s. stragulum, lodix, culcita, ut VII, 221. et deinde totus lectus, ut h. l. Vetus Schol. laudavit hos Sulpiciæ versus: *Ne me cadurcis destitutam fasciis* (h. e. remotis stragulis) *Nudam Calæno concubantem proferat.* [161] Originem vocis docet Plin. XIX, I. *Nullum est candidius* (linum) *lanœve similius, sicut in culcitis præcipuam gloriam obtinent Cadurci* in Gallia, quorum regio nunc *Quercy* et oppidum *Cadurcum* olim Divona s. Dueona hodieque *Cahors* dicitur. [162]

[160] Ita quoque hunc locum explicuere Voss. Etymol. p. 87. et Salmas. Exerc. Plin. p. 341. 938. et 1170. nisi quod perperam putarunt, non mulierem, quæ sacris diebus haud abstinuerit concubitu, sed maritum ejus adiisse sacerdotem, ut pro ea veniam peteret, magnaque mercede ac *pœna* culpam illius redemisse.

[161] Eos interpretati sunt Brœkhus. ad Tibull. IV, 2, 1. vir doctus in Miscell. Obss. crit. Vol. VII. T. III. p. 331 seq. et Wernsdorf in Poet. Lat. min. T. III. p. 96.

[162] Vetus Schol. male: *membrum mulieris intelligitur, quum sit membri velamen; vel, ut alii, est instita, qua lectus intenditur.* Illam vocis vim notavit etiam Isidorus in Glossis; *Cadurcum* (nam ita leg. pro *cadurdum*) *membrum femineæ*, et *cadurca labra pudendi muliebris aut sponda lecti;* eamque h. l. unice veram esse, contendebat H. Vales. mirans hoc latuisse omnes interpretes. Idem tamen Schol. inf. ad VII, 221. " *Cadurcum* quidam cucullum dicunt candidum, propter hiemes et nives comparatum; alii tabernaculum, aut tentorium dixere, quibus merces suas protegere consueverunt." Cf. Ferrar. de re vest. IV, 22. Soler. de pileo § 15. et Voss. Etymol. p. 87.

538. *movisse caput,* adnuisse capite precibus sacerdotis; (ut κατανεύειν κεφαλῇ ap. Hom. Il. I, 524 seq. et *adnuisse deam* ap. Liv. V, 22.) nisi malis, *movisse,* quassasse, *caput* præ ira, ut ap. Horat. Sat. I, 5, 58. Virg. Æn. VII, 292. κινήσας κάρῃ Hom. Od. V, 285. Tum minor distinctio post *cadurco* ponenda. *visa est;* quod fingit sacerdos. *argentea serpens,* simulacrum Isidis in templo. Nam inter varias hujus Deæ species ac symbola etiam hæc pertinent, quod vel caput ejus vel dextrum brachium *serpentibus* cinctum est, vel currus duobus draconibus vehitur.[163] — 539. *murmura,* ut *susurri* et ψιθυρισμός, preces (h. l. sacerdotis) et vota cum murmure s. susurro concepta: nam vota, quæ clara voce facere pudebat precantes, in primis parum honesta vel improba vel invidiosa, tacite aut cum murmure concipiebantur, ne quis ea audiret, aut faceret contraria. Tacitas ejusmodi preces memorant Sophocles Electr. 638 seq. et Persius II, 6 seq. Bene autem Sen. Ep. 10. ex Athenodoro: *Tunc scito, te esse omnibus cupiditatibus solutum, quum eo pervenceris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum? Turpissima vota diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent et, quod scire hominem nolunt, Deo narrant. — Qui aperto vivit voto nec labra movet metuens audiri* cet. ut ap. Martial. I, 40, 6. *nihil arcano qui roget ore deos.* Hinc Pythagoræ præceptum μετὰ φωνῆς εὔχεο.[164] *meditata,* præclare, quia non sunt justæ preces, ex vero animi sensu profectæ, sed murmura inania, fraudulenter excogitata. 540. 541. Facete ridetur superstitio mulieris, cujus preces exaudiuntur cuique datur *venia culpæ,* concubitus, quia *Osiris,* vel uxor ejus Isis, donis *corrumpuntur,* h. e. sacerdos munera accipit. *Anser* vero et *popanum* s. placenta *tenuis* (λαγαρὸν) et Isidi sacra, et in deliciis erant sacerdotibus Ægyptiis,[165] Henninius: "Si vis, inquit, hunc locum penitus intelligere, vide Petri Bellorii Ægyptium illum sacrorum ministrum, cum florum fructuumque primitiis nec non multis *anseribus* onustum, e manu pendulis, et, ut videtur, qua-

[163] Conf. Ælian. hist. an. Diodor. I. Macrob. Sat. I, 20. Ovid. Am. II, 13, 13. et Met. IX, 693. (ubi v. Heins.) Burm. ad Valer. Fl. IV, 418. Casal. de rit. vet. Ægypt. c. 24. Patin. Imp. Rom. num. f. 33. Montfauc. Antiq. expl. T. II. P. II. liv. 1. chap. 3 — 7. pl. 105 — 117. al. Salmas. ad Solin. p. 341. Creuzer's Symbolik T. I. p. 324.

[164] Cf. X, 289. 290. et intpp. Pers. II, 4—9. Tibull. II, 1, 84 seq. et Horat. Epist. I, 16, 59 seq.

[165] v. Jablonski Panth. Æg. lib. V. c. 1. T. III. p. 8. 9. Philostr. vit. Apollon. V, 9. Spanhem. Us. et Pr. Num. p. 266. Herodot. II, 45. Ovid. Fast. I, 453. 454. (ubi v. Heins. et Burm.) Philippi Epigr. X. in Brunck. Anal. T. II. p. 214. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 150. 151. et Böttigeri Sabina p. 217.

dra, in qua non obscure mihi videor observare *tenue popanum*. Vide ejus figuram æri incisam ap. Spanhem. de Pr. et Us. Num. Diss. IV. p. m. 266. et integram in Sandrart Academia Picturæ Germ. edita P. I. L. II. tab. 4." De *Osiride* v. ad VIII, 29.

542 seq. *Quum ille* Isidis sacerdos *locum dedit* aliis superstitionis auctoribus et recessit, *Judæa* mulier vel Judæi succedunt, qui *cophino fœnoque relicto*, h. e. relicta sylva ac supellectile sua, in Urbem venerunt, et mendicandi et vaticandi causa. Vid. ad III, 14 seq. Nonnulli putant, Judæos h. l. poni pro Chaldæis, somniorum interpretibus. Sed de his potius agitur v. 553 seq. *arcanam mendicat in aurem*, in aurem matronæ superstitiosæ clam insusurrat fata ejus futura. *Mendicare* facete pro susurrare, quoniam mendici Judæi susurrant, vel simul clam stipem rogant. Clam vero vaticinantur et mendicant ac *trementes* h. e. timide, pavide; quoniam Judaicam religionem professi vel Urbe ejiciebantur, vel gravius tributum pendebant. Cf. intpp. Suet. Dom. 12. Sed v. sup. Excurs. ad V, 11. — 544. *Interpres legum Solymarum*, Hierosolymitanarum, h. e. Judaicarum; nam *Solyma* olim dicta Hierosolyma et *Solymi* Hebræi. *Arboris magna sacerdos*, v. ad III, 15. *internuncia*, quæ voluntatem Dei hominibus indicat, unde *Jovis internuncii et interpretes* dicuntur augures et aves Cic. Phil. XIII, 5. et Div. II, 34. *fida*, cui fides est habenda; εἰρωνικῶς. *summi cœli*, h. e. Dei. v. ad XIV, 97. — 546. *Implet et illa* Judæa s. sacerdos sibi manum prædicendo futura, *sed parcius*, quam ille sacerdos Isidis, (de quo antea sermo fuerat) et clam. *ære minuto*, trientibus, quadrantibus cet. — 547. Fallaces Judæi pro mercede ad consulentis votum et somnia aliorum interpretantur, et quæ ipsi somniaverint confingunt. *Somnia* erant aut vera aut falsa, et magna illis olim vis tribuebatur ad futura prospicienda, quum natura somniorum non satis perspecta esset. v. König ad Pers. II, 57.

548—552. *Armenius* quoque *vel Commagenus haruspex* superstitiosis mulieribus, quæ peregrinis haruspicibus non minorem, quam Romanis fidem habent, ex inspectis extis futura prædicit, et huic *spondet amatorem tenerum*, dulcem vel tenero ac blando amore flagrantem, illi *testamentum ingens*, ampla bona testamento legata ei vel relicta. *Spondere*, ut *promittere* III, 43. sed gravius est fidissimamque promissionem ac prædictionem significat.[166] *Commagene* pars

[166] Conf. Cic. pro Mur. 41. extr. Senec. Ep. 19. Burm. ad Ovid. Ep. Her. XVI, 114. et Valer. Fl. VI, 117. Similiter Suet. Tiber. 14. (*de infante Scri-*

Syriæ inter Amanum montem et Euphratem. Haruspex *tractabat*, h. e. inspiciebat exta, et quidem potissimum *pulmonem*, jecur et cor. [167] In contemtum hujus artis, quæ profecto admodum inepta erat et ridicula, non majorum animalium, sed *columbæ*, *pullorum* et *catelli exta* memorari videntur. *columbæ calidæ*, recens mactatæ et adhuc fumantis, vel spirantis, h. e. palpitantis, ἀσπαιρούσης. *rimatur*, solerter scrutatur, inspicit et consulit exta. Parrhasius (Epist. XVIII.) *exta catelli* dicit ad ritum magicæ damnatæque artis facere, et laudat hæc Pausan. VI, 2. § 2. verba: Ovis hœdique et vituli exta passim consulebant haruspices, etiam suis apud Cyprum; *canis* autem nemo, nisi Thrasybulus augur et vates arcano peculiarique quodam ritu. 552. *Interdum et pueri exta rimabitur*, et pueros occidet, ut ex eorum extis talia perscrutetur. Conf. Ammian. Marc. XXIX, 2, 17. ubi Lindenbrog. laudat Vierium de præstigiis dæm. I, 7. Euseb. hist. eccl. VIII, 14. p. 98. Cassiodor. in hist. tripart. VI, 48. Theodoret. III, 21. et al. —*faciet* ita, *quod*, si alius faciat, *ipse deferat*, v. sup. ad v. 220. Patrabit infanticidium, quod indicio suo postea detegat, (accusans feminam superstitiosam) ut propositum præmium delationis adsequatur; Parrhas. l. l. Ach. et C. Vales. At Schol. vetus: "Heic Egnatium philosophum significat, qui filiam Bareæ Sorani, quam, quum ipse ad magicam discendam esset (ita Dorleans legit pro *descendisset*) hortatus, detulit, Neroni, ob quam rem mori cum patre jussa est a Nerone. Egnatium autem poeta ob delationem hanc ipsam sæpe lacerat, ut III, 116." Conf. Tac. Ann. XVI, 30.

553—581. Locus class. de alia superstitione et arte, de qua hæc disputavit Kœnig ad Pers. V, 46 seq. "A stellarum compositione et inclinatione ea, qua quis lucem adspexisset, indolem ejus et naturam, studia, commoda et incommoda vitæ futuræ pendere, antiquitatis superstitio sibi persuasit. Opinio hæc, rudibus ingeniis familiarissima ideoque et vetustissima, ex eo fonte profluxit, unde plurimi et maximi errores, quibus mortales ducuntur et exagitantur, originem traxerunt. Proclivis est enim omnis ætas, a literarum studio nondum philosophiæ luce collustrata, ad indagandas causas earum rerum, quæ vel magnitudine sua in admirationem sui rapiunt, vel utilitate aliqua ad hominum vitam insignes sunt, vel omnino ad genus mortalium aliqua ratione pertinent. Quo in studio lapsi sunt homines eo gra-

bonius mathematicus præclara spopondit cet.) et Oth. 4.

[167] Conf. loca class. Lucan. I, 621 seq. Cic. de harusp. resp. 9. et Div. I, 39. 58. al.

vius, quo minore rerum cognitione instructi illud aggrederentur, quum rerum simul exsistentium, quæ nulla societate inter se conjunctæ essent, in alterutra alterutrius causam et rationem sitam esse existimarent. Id quod non solum omnibus astrologiæ deliramentis locum fecit, sed et mater fuit omnium errorum, quos quidem futuri præsciendi amor foverat, innumeraque mala in vitam hominum induxit. Quantum prava hæc studia Ptolemæorum ætate viguerint, docet Heyne Opusc. acad. T. I. p. 109. Ceperunt autem nova semper incrementa omni memoria, qua homines debilitatis et fractis per luxum et mollitiem corporis et animi viribus rerum futurarum metu cruciarentur. Ceterum cur a genethliacis Saturni stella malefica, Jovis salutaris habeatur, (Macrob. Sat. I, 19.) ignorabant vulgo: una ratio affertur ex Ptolemæo in Fabric. Bibl. Gr. T. IV. c. 14. p. 449. Multi jam ex veteribus huic superstitioni anili bellum indixerunt. v. c. Favorin. ap. Gell. XIV, 1. Cic. de div. II. et Sext. Empir. V. Mansit tamen persuasio vulgaris, ut, sub quo quis signorum Zodiaci esset natus, ab illius signi natura et indole colorem animi traheret, ut a Libra æquitatem, a Geminis propensum ad intimam familiaritatem animum, (in hoc autem videntur sibi veteres non semper constitisse; v. intpp. Petron. 39.) malignitasque unius stellæ bonitate et salubritate alterius quodammodo coerceretur et temperaretur." Similia et alia copiose disseruere, quos infra laudavi in nota 168. Astrologiam vero hanc profitebantur homines ubivis vagantes, qui *Chaldæi*, (v. 553.) *astrologi*, (v. 554.) *mathematici*, (v. 562.) Babylonii, astronomi, genethliaci, planetarii, ἀποτελεσματικοί, (Germ. *nativitätsteller*) vocabantur, ut ars eorum *mathesis*, ἀστρολογία πινακική, γενεθλιαλογία, μετεωρολογία, ἀποτελεσματική. Hæc ars nitebatur superstitione, quæ magnam vim in res humanas tribuebat planetis et sideribus, præcipue iis, quæ in zodiaco sunt quæque eo momento, quo quisque nascebatur, et surgebant et his vicina et ab iis remota et denique iis opposita erant. Ex his sideribus quædam putabantur esse felicia ac benigna, (ἀγαθοποιοὶ ἀστέρες) ut *Venus*, (v. 570.) Jupiter, Luna, Virgo, Libra, Taurus; alia infausta, *tristia* et malefica, (κακοποιοὶ ἀστέρες) ut *Saturnus*, (v. 569. 570.) Mars, (cf. X, 313. 314. et Ovid. Am. I, 8, 29.) Scorpio, Capricornus; alia vero communia, (ἐπίκοινοι ἀστέρες) ut Mercurius. Prosperorum tamen salutariumque siderum et conjunctione et oppositione (quæ proprie *constellatio* dicitur) noxiorum vis infringi et felicissima sæpe genesis effici credebatur. Hinc astrologi illi e *genesi* (v. 579.) s. genitura et sidere natalitio ejusque *inspectione* (v. 579.) vel

observatione ac comparatione, quæ *horoscopus* et *thema*, (Suet. Aug. 94. extr.) ὡροσκόπος et θέμα, vocabatur, fata cuivis imminentia augurari et diem horamve, qua aliquid agendum esset, ut prospere succederet, definire solebant. Eo consilio utebantur *libris*, (v. 578.) sive *tabellis*, (v. 558.) *ephemeridibus* (v. 574.) et diariis, quæ Græcis ἐφημερίδες et πίνακες (unde astrologia πινακικὴ, judiciaria, ut contra κανονικὴ, quæ est ἀστρονομία) nobisque *Calender, Journale, Almanache, Tagebücher* dicuntur, et in quibus designaverant ortus, motus, conjunctiones, distantias et oppositiones planetarum siderumque, ad quemcumque diem notatas, adeoque indicia τῶν καταρχῶν, inceptorum, et dierum horarumque, ad quælibet vitæ negotia eligendarum aut vitandarum, τῶν ἐμπράκτων s. εὐχρήστων et ἀπράκτων. Conf. v. 575 seq. His ephemeridibus consultis et hora inde natali explorata, omnis Astrologorum ars in illis diebus horisve constituendis continebatur calculationibus et supputatione, quæ fiebat per *numeros*, h. e. calculos computatorios, et tabulam calculatoriam: unde *numeri Thrasylli* v. 576. *Babylonii numeri* Horat. Od. I, 11, 2. *Chaldaicæ rationes* Cic. Div. II, 47. et ψηφίδες; ut omnis illa exploratio αἱ Χαλδαίων μέθοδοι in loco Luciani sup. ad III, 43. adscripto. [168]

553 seq. Chaldæis majorem fidem habebunt superstitiosæ mulieres, quam Bellonæ, Cybeles Isidisque sacerdotibus, vel Judæis et haruspicibus, quorum antea mentio facta est. 554. *Quidquid dixerit Astrologus, credent*, tamquam ab ipso Jovis *Hammonis fonte*, h. e. oraculo, *relatum*, petitum ac profectum esset; (cf. ad VIII, 125.) et quidem duplicem ob causam credent, quoniam tum *oracula* ubivis fere terrarum, ne Delphico quidem, clarissimo omnium, excepto, *cessant* aut silent, adeoque ea ab illis non amplius consuli possunt, tum *genus humanum futuri caligo damnat*. Juvenalis tangit ridetque primum et superstitionis et oraculorum vanitatem, deinde astutiam vaticinatorum, non a Delphico oraculo, quod obticuisse nemo ignorabat, sed e longinquo mendacia, quæ difficilius ita exquiri possunt, petentium, denique v. 554. fabulosam oraculi Jovis Hammonis originem. Quum

[168] v. ad v. 574 seq. III, 43 seq. VII, 194 seq. IX, 33. XIV, 248 seq. XVI, 4. Cic. Div. II, 42 seq. Manil. III, 160 seq. IV, 122 seq. 294 seq. Ovid. Ibis 209 seq. Macrob. Somn. Scip. I, 19. Plin. II, 8 seq. VII, 49. (ubi v. Hard.) Prop. IV, 1. Dorvill. ad Charit. p. 773 seq. Burm. ad Lotich. El. I, 1, 44 seq. II, 8, 55. intpp. Horat. Od. I, 11. et II, 17, 17—24. (ubi v. inpr. Mitscherl. Anal. T. II. p. 696—704. et Jani in Excursu) Casaub. et Fülleborn ad Pers. V, 50. Ernesti ad Tac. Ann. IV, 58. Salmas. de ann. clim. p. 52 seq. 818 seq. Lindenbr. ad Ammian. Marc. XXVIII, 4, 24. Menag. ad Laert. p. 81. et Herrmann. in Mythol. T. III.

enim Bacchus in expeditione Libyca aquæ inopia laboraret, aries subito ex arena exivisse et ad *fontem* aliquem perduxisse Bacchum, is autem pro Jove habuisse arietem, et hinc eo loco, quo reperta sit aqua, Jovi *Hammoni* magnificum exstruxisse templum perhibetur: unde *Hammonis* nomen vulgo ab arena, ἀπὸ τῆς ἄμμου, deducitur, et arietina ei cornua tribuuntur.[169] Templum quoque Hammonis cinctum est densa silva, quæ in illo terrarum tractu unica est et *fonte* vel multis potius fontibus alitur; in eodem vero vel alio Hammonis nemore est *fons Solis*, fano vicinus, qui medio die friget et calet noctu.[170] Hinc *fons* h. l. pro ipso oraculo. — 555. Scoptice hoc dicit, quasi illi astrologi oraculorum defectum supplere debeant; Ach. Variæ memorantur causæ, cur Delphicum aliaque oracula sensim obmutuerint; Delphicum tamen responsa adhuc dedisse traditur Neronis et Juliani temporibus.[171] 556. *damnat*, vel damno afficit, vel propter noxas et scelera arguit et punit, ita Diis ulciscentibus, ad hominum interrogata non amplius respondendo; Prat. Reliqui interpretes vel tacent, vel nugantur. Saniora attulit Hein. qui ita exponit hæc verba: *caligo futuri damnat humanum genus*, efficit, ut homines sæpe infelices sint, sæpius in perniciem eos præcipites dat, quia futura nesciunt. Ita locum quoque explicat vexatissimum Virg. Æn. XII, 727. *Quem damnet labor et quo vergat pondere letum.* Utrum vero rem acu tetigerit, aliorum sit judicium. Mihi quidem et dubia videtur illa verbi *damnare* significatio, et sententia non satis congrua; aptior autem hæc: *caligo*, ignorantia *futuri* temporis, rerum fatorumque futurorum, homines, qui eorum prænoscendorum cupiditate ardent, angit, cruciat. Poetæ nostri animo, ni fallor, obversabantur verba præclara Horat. Od. IV, 29, 29 seq. *Prudens futuri temporis exitum Caliginosa nocte premit deus, Ridetque, si mortalis ultra Fas trepidat.* Sed pro *damnat*, quod illo sensu non dicitur, aliud vellem substituisset verbum; neque huc referenda crediderim, quæ dixi ad III, 116.

557—564. Eo major fides habetur astrologis eoque major et eorum et artis, quam profitentur, fama est, quo pluribus flagitiis infames

[169] v. Hygin. Poet. Astron. II, 20. et de vera hujus fabulæ origine Herrmann. Mythol. T. III. p. 288.

[170] De silva v. Lucan. IX, 522—527. Curt. IV, 7, 16. Diodor. I, 15. XVII, 50. Herodot. II, 42. IV, 181. de fonte Solis Curt. IV, 7, 22. Sil. III, 669 seq. Diodor. et Herodot. ll. cc. Plin. II, 105. V, 5. Ovid. Met. XV, 309 seq. Lucret. VI, 818 seq.

[171] De illo v. Plut. de orac. def., Cic. de div. II, 57. Strab. XVII. p. 559. Lucan. V, 112 seq. Euseb. præp. evang. l. V. p. 205 seq. et Casaub. antibaron.

sunt, vel potius, quo sæpius vel in exsilium vel in carcerem vel in desertam insulam missi sunt, scil. propter mala, quæ prædixerunt, vel motus tam animorum et civiles, quam bellicos, quos vaticiniis suis excitarunt. Nam si eventus prædictis forte respondit, non modo revocantur et libertatem recuperant, sed magnam quoque famam consequuntur. Historia etiam omnium temporum docet, fanaticis ac vatibus eo melius consilia et cœpta sua processisse, quo pluribus obnoxii fuerint periculis et insectationibus. Ipsi Mathematici vel astrologi sæpius et in exsilium missi, et revocati sunt. *Hoc genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax, quod in civitate nostra et vetabitur semper, et retinebitur,* Tac. Hist. I, 22.[172] *Præcipuus,* judicio hominum vulgari, *est horum* astrologorum, *qui sæpius exsul* fuit, *cujus* cet. h. e. astrologus, qualis fuit ille, ex cujus affirmatione et *tabellis* astrologicis (v. ad v. 553.) spem imperii præcipuam cepit Otho et cujus potissimum instinctu is *magnum civem,* Galbam, summo genere natum et Imperatorem, (v. ad I, 33.) trucidavit. Mathematicus ille, *amicus* Othonis, *Seleucus* dicitur Suet. Oth. 4—6. sed *Ptolemæus* Tacito Hist. I, 22. et Plutarcho, unde nonnulli putant, hæc ejusdem hominis diversa nomina fuisse. v. Burm. ad Suet. l. l. et Ernesti ad Tac. l. c. Alterutrum tamen *sæpius exsulem* fuisse, non alii, quod sciam, tradunt. *tabella conducenda,* cujus vaticinium magna mercede emendum est. *obît* pro *obiit.* v. Heins. ad Ovid. Fast. I, 109. — 560. *fides* est s. fit *arti* astrologicæ. *ferro,* ferreis catenis s. manicis. — 561. In castris stativis carcer erat, iisque motis malefici catenis trahebantur. Cf. ad Tac. Ann. I, 21. et III, 22. — 562. *nemo indemnatus,* non s. numquam damnatus, *habebit* judicio hominum vulgari adeoque habere putabitur, *genium,* peritiam artis vel ingenium; nisi malis: *habebit genium,* Genii favorem, fortunam secundam. Conf. Martial. VI, 60, 10. (*victurus genium debet habere liber*) et VII, 77, 4. (*habes nec cor nec genium.*) Genius albus et ater; Horat. Epist. II, 2, 186 seq. Vid. sup. ad v. 22. 563. 564. *cui vix contigit* tam felici esse, ut relegaretur tantum, non occideretur, utque *tandem,* multos post annos, de exsilio revocaretur. *Cyclada,* unam a Cycladibus ins., v. c. *Seriphum* et alias; vel pro quavis insula, in quam damnati relegabantur. v. ad I, 73. *Seripho parva,* ut X, 170. (et sic forte *parvamque Seriphon* leg. ap. Ovid. Met. VII, 464.) nam Seriphus (hod. *Serfino*)

exerc. I, 12. de hoc Suet. Ner. 40. Themist. orat. XIX. Theodoret. hist. eccl. III, 21. Fontenelle hist. orac. II, 2 seq.

[172] Conf. Suet. Tib. 36. et Vit. 14. Tac. Ann. II, 32. XII, 52. et Hist. II, 62. al.

patuit tantum circuitu XII mill. pass. v. Plin. IV, 12. s. 22. Eadem ins. deserta fuit et saxosa. v. Strab. X. p. 487. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. I. P. II. p. 175.

565 seq. Ejusmodi astrologos *consulit Tanaquil tua,* uxor futura, et quidem *de lento funere,* de sera s. tarda et nimis morante morte (ut III, 43.) *matris* tuæ, *ante* omnia *tamen de te,* de tua morte, Postume, cet. Quæ impia vota tum temporis frequentia erant, et de iis sæpius consulebantur astrologi. v. ad III, 43. *ictericæ;* quo impia mortis spes crescit. *Ictericus,* ἰκτερικὸς, homo laborans *ictero,* morbo regio s. arquato, qui e bile per totum corpus suffusa nascitur et nobis dicitur *gelbsucht,* Gr. ἴκτερος, ab ave ejusdem nominis, quæ eum, si spectaretur, sanare, et tum ipsa mori credebatur.[173] *Tanaquil tua,* ut ap. Auson. Epist. XXIII, 31. h. e. conjux tua, similis Tanaquili, Tarquinii Prisci uxori, quæ et imperiosa ac superba, et astrologiæ divinationumque vel cœlestium prodigiorum, ut vulgo Etrusci, peritissima fuit; quod vel ex Liv. I, 34. 39. et 41. notum est. Alii εἰρωνικῶς ita bonam, prudentem et pudicam uxorem, cujus exemplum eadem Tanaquil fuerit, dici existimant. 567. *Efferat* domo mortuam, h. e. sepeliat. v. ad I, 72. *Quid enim majus,* optabilius, *dare numina possunt,* quam longam adulteri vitam et præmaturam mortem matris, mariti aliorumque consanguineorum, quorum opes hereditate accipiat.

569—581. Tales mulieres, quales nunc multæ sunt qualisque tua forte uxor erit, astrologiam ignorant; at sunt aliæ his doctiores, non minus vitandæ et cavendæ, quæ ipsæ hanc artem callent et profitentur; quæ non amplius *consulunt* astrologos, sed jam ipsæ *consuluntur,* quæque manibus semper terunt *ephemeridas,* nec quidquam negotii suscipiunt aguntque, nisi illis antea consultis consilioque inde capto. *Hæc,* quæ Chaldæos consulit, et contra *illius, quæ nullum consulit* cet.[174] 570. *Saturni sidus triste,* h. e. noxium, (ut *grave* Prop. IV, 1, 84. et *impium* Horat. Od. II, 17, 22.) *Veneris* autem *lætum,* h. e. prosperum et salutare. v. ad v. 553 seq. *quo astro,* cum quo sidere (scii. cum Luna) conjunctum, *læta,* læte, prospere, *se proferat,* prodeat, (ut ap. Suet. Ner. 6. extr.) se ostendat, *Venus,* h. e. salutaris sit. — 571.

[173] v. Plin. XX, 9. XXX, 11. XXXVI, 31. XXXVII, 10.

[174] Ita hos versus cohærere puto, quos vulgo ita separant, ut v. 572 seq. novum argumentum tractetur, et v. 569—571. insultet poeta mulieri, quæ ignoret, quid *sibi ipsi* minentur sidera cet., h. e. quæ talia tanto scrutetur studio, neque curet, quæ in rem suam sint. Quæ sententia quomodo ex his verbis exsculpi possit, haud adsequor.

Quibus anni temporibus sidera vel prospera et salutaria, vel noxia et infesta sint, quibusque vel damnum, vel lucrum ipsis portendant. *lucro dentur,* in lucro ponantur, sint lucro, h. e. prospera. Cf. intpp. Horat. Od. I, 9, 14.

572. *Occursus illius,* tamquam rei mali ominis, cui vel occurrere periculosum sit.[175] *vitare memento;* v. ad V, 71. — 573. *In cujus manibus cernis ephemeridas,* tabulas mathematicas, (v. ad v. 553 seq.) *tritas* adsiduo usu, loco *sucinorum,* quibus ornantur manus mulierum, quæ etiam globos ex electro, (*bernsteinkugeln*) ut alios ex crystallo, confectos manibus gestabant refrigerationis bonique odoris causa; (v. ad v. 155. IX, 50. Plin. XXXVII, 2. Ovid. Met. II, 364 seq. Martial. IV, 59, 1. Böttigeri Sabina p. 432. 434. 452.) vel tamquam monilia ex electro, quæ ab ipsa contrectari solent; vel quas manibus semper terit, quemadmodum teruntur sucina, ut attritu calefacta magis redoleant odoremque spirent jucundiorem. Posterior ratio ceteris præferenda.[176] Hinc forte *pinguia* etiam dicuntur sucina; nisi hoc epitheton spectat potius ad naturam sucini, de qua Tac. Germ. 45. *Si naturam sucini admoto igne tentes, in modum tædæ accenditur alitque flammam pinguem et olentem: mox ut in picem resinamve lentescit.*[177] De *sucino* v. ad V, 24. (in Var. Lect.) et V, 38. 574 seq. Conf. ad v. 553. et loc. simil. Ammiani Marc. XXVIII, 4, 24. *nullum* astrologum. 575. *castra viro patriamve* (ita leg.) *petente,* marito ex Urbe proficiscente vel ad eam redeunte, *non ibit pariter,* una cum eo, quasi periculum ei immineat. 576. *revocata* ab itinere et admonita *numeris Thrasylli,* astrologica calculatione; nam ipsa hanc artem profitetur. De *ephemeridibus* et *numeris* v. ad v. 553. *Thrasyllus* celeberrimus mathematicus, Tiberii Imp. comes, contubernalis et præceptor, qui forte et libros scripsit de re medica, quos Plinius passim laudat.[178] 577. *Ad primum lapidem,* milliarium ab Urbe, *vectari* vehiculo aut lectica, h. e. vel brevissimum iter facere. *hora* vectationi idonea ac prospera *sumitur ex libro,* ephemeride. Ad summam autem superstitionis vanitatem declarandam inpr. valet h. l. rerum frivolarum mini-

[175] Cf. ad v. 572. 601. 655. V, 54. Tac. Ann. IV, 60. et Hist. III, 85.

[176] v. ad V, 38. Dioscor. I, 93. et Martial. III, 65, 5. *(sucina trita)* V, 38, 11. XI, 9, 6. *(sucina virginea regelata manu).*

[177] Grangæus: "Agricola putat, sucinum esse speciem bituminis et pinguedinem terræ; unde h. l. *pinguia.*"

[178] v. Suet. in Aug. 98. in Tib. 14. 62. et in Cal. 19. Tac. Ann. VI, 20. 22. et inpr. Dio Cass. LV, 11. Vetus Schol. "*Thrasyllus* multarum artium scientiam professus postremo se dedit Platonicæ sectæ ac deinde mathesi cet."

marumque, de quibus ephemerides consuluntur, commemoratio. 578. *Pruritus* membri alicujus corporis ominosus, ut et sternutatio ac palpitatio.[179] 579. *inspecta genesi;* v. ad v. 553. *Collyrium* medicamentum oculorum coloris cinerei ex spodio; h. l. forsan crocus vel collyrium διὰ κρόκου, quo *pruritum* tolli dicit Plin. XXI, 20. s. 81. 82. ubi v. Hard. 581. *dederit,* definiverit. *Petosiris* pro quovis astrologo, ut *Thrasyllus* sup. v. 576. *Petosiris* enim Ægyptius clarissimus fuit astrologus ac philosophus.[180]

582—584. *Si mediocris* conditionis aut pauper *erit* mulier superstitiosa, mediocres etiam s. viliores et circulatorios hariolos consulet mediocri pretio. *lustrabit,* adibit vel pervagabitur, *spatium utrimque metarum,* h. e. ab una meta ad alteram percurret Circum, qua in longum patet, inpr. Maximum, in quo circumforanei et viliores astrologi, divinatores, sortilegi, conjectores, quæstus causa versabantur multi.[181] 583. *Meta,* νύσσα, tres turriculæ s. columellæ, ad *utramque* extremitatem spinæ, qua medius Circus erat diremtus, collocatæ, (unde h. l. *utrimque lustrabit metarum spatium*)[182] circum quas currus sinistrorsum flectendus erat. *sortes ducet,* consulet sortilegos, qui in Circo, foro ac viis passim versabantur.[183] — 583. *frontem manumque præbebit* inspiciendam *vati,* hariolo, et quidem *frontem* Metoposcopo seu Physiognomoni, qui ex fronte et vultu s. ore ejusque lineamentis, *manum* χειροσκόπῳ s. χειρομάντει, qui e manuum lineis et incisuris hominum mores atque fata futura divinat. 584. *Poppysma,* πόππυσμα s. ποππυσμὸς dicitur proprie palpus s. sonus, lingua aut manibus excitatus, quo adsensum vel admirationem significare et blandiri solemus, inpr. equis, qui ποππύζεσθαι, h. e. demulceri et applaudi amant; (v. ad

[179] Conf. Plaut. Mil. II, 4, 44. Bacch. V, 2, 75. et Amphit. I, 1, 139. Isidor. Orig. VIII, 9. extr. (ubi *salisator* dicitur, qui ex palpitatione membrorum divinat) Erasm. ad Prov. 37. cent. IV. chil. II. et Scalig. ad Plaut. Pseud. I, 1, 105.

[180] v. Suidas et ad eum Küsterus, Plin. II, 23. VII, 49. Athen. III, 81. Firmic. Mathes. lib. IV. Præf. et c. 16. lib. VIII, 1. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 470. et Salmas. de ann. clim. p. 76. et 353. ubi monet, eumdem passim Ptolemæo Ἀρχαῖον dici, eumque et Necepsum fuisse auctores τῆς κλιμακτηρικῆς ἀγωγῆς, h. e. artis illius, quæ ex climactericorum annorum enumeratione, habita simul siderum ratione, exponat, quid cuilibet nato contingere possit. Cf. Plin. ll. cc. ibique Hard. et Lambecii Comment. de Bibl. Cæs. Vol. VI. P. II. p. 217 seq. ed. Kollarii.

[181] Cf. mox v. 588—591. Horat. Sat. I, 6, 113. 114. Cic. Div. I, 58. et al.

[182] de qua re v. Suet. Cæs. 39. et Claud. 21. Ovid. Am. III, 15, 2. et Met. III, 144.

[183] Cf. v. 588 seq. Gesner. et Burm. ad Quintil. XII, 10, 74. Heyne ad Tibull. I, 3, 11. 12. et Cic. de Div. II, 41. ubi et verba h. l. apta leguntur: *Hoc genus divinationis vita jam communis explosit. Quis enim magistratus aut quis vir illustrior utitur sortibus?*

I, 35.) hinc favor, assensus, adulatio, blanditiæ, quo sensu ἐποππυσεῖν αὐτὸν dixit Timocles apud Athen. IX, 18. pag. 407. (IX, 73. ed. Schweigh.). Vetus Schol. bene explicuit: *oris pressi sonus, aut* (ita leg. pro *ut*) *labiorum in se collisorum strepitus.* Hinc poeta facete, ni fallor, depinxit ejusmodi hariolos, Zigeunis hodiernis similes, quorum mos erat, per (s. κατὰ) *crebrum poppysma,* vel crebris poppysmis s. basiis jactatis, *rogare,* mendicare, blandiri et ad benevolentiam homines artisque suæ usum allicere, vel honoris ac venerationis signum dare. Sic *blanda basia jactare rhedæ devexæ* IV, 118. (ubi v. not.) et *fulgetras poppysmis adorare* apud Plin. XXVIII, 2. ubi v. Intpp. Hinc forte leg. *crebrum ad poppysma roganti.* Sed præferenda emendatio Cl. Manso *crebrum poppysma sonanti,* et hæc ejus interpretatio: " Ποππύζειν non est jactare basia blanda, sed sibilum ore emittere, seu compressis labris acutiorem quemdam sonum edere. Stat mulier superstitiosa in circo fallaci *frontemque ac manum,* ut læta audiat, divino porrigit. Ille non nisi bona videt et auguratur, quoque majorem mercedem accipiat, se ipsum summo gaudio perfusum simulans, iterum iterumque *poppysma sonat,* h. e. emittit, edit. Eodem sensu legimus apud Theocr. V, 89. de Clearista, pastori, capras præteragenti, amorem et lætitiam suam prodente: Βάλλει καὶ μάλοισι τὸν αἰπόλον ἁ Κλεαρίστα, Τὰς αἶγας παρελῶντα, καὶ ἀδύ τι ποππυλιάσδει, ad quod bene Schol. καὶ ἡδύν τινα συρισμὸν συρίζει. Transitiva autem verbi *sonare* significatio passim obvia, v. c. inf. VII, 108. Tibull. I, 3, 60. II, 1, 32. Virg. Ecl. V. 64." Heineckio vulgata lectio videtur sana et sensus hic: pauperes mulieres ad vates eunt, qui contenti sunt et esse debent, si sibi mercedis loco basia jactentur. Colligit id maxime e loco Mart. I, 77, 13. 14. *Illic* (in foro) *æra sonant; at circum pulpita nostra Et steriles cathedras basia sola crepant.* Quæ si mihi excidissent, ille forsan dixisset: interpretatio hæc nescio quid ridiculi habet. Quærere tamen possis, utrum satis probabile sit, librarios *roganti* substituisse pro *sonanti.* — 585. *Divitibus* mulieribus. *Phryx augur:* nam *Phryges et Pisidæ et Cilices et Arabum natio avium significationibus plurimum obtemperarunt,* Cic. de Div. I, 41. extr. *Indus,* non philosophus, (Gymnosophista, Brachmanes) sed *augur* et, ni fallor, magus: nam *India* Romanis tam lato sensu dici solet, ut etiam Persidem, Arabiam, Æthiopiam partemque Ægypti complectatur,[184] et Persarum Magi tum philosophi, tum augures

[184] v. Heyne et Burm. ad Virg. Ge. II, 116. IV, 293.

erant. v. Cic. l. c. *Conductus* mercede s. pretio, et quidem magno. Pauperes enim mulieres nec conducunt hariolos, nec magnam iis mercedem solvunt. 586. *astrorum mundique peritus,* Astrologus et Mathematicus. *Mundus* etiam passim pro cœlo ponitur.[185] — 587. Cf. Lucan. I, 584 seq. 606 seq. *aliquis senior* Etruscus haruspex, *Ergenna* dictus, qui et fulminum conditor vel procurator erat et expiator, quique mactatis ovibus et intestinis earum inspectis, quid factu opus esset, docebat. *condit* terra, sepulcro *fulgura,* eorum reliquias aut vestigia et fulmine icta: nam fulmine icti, quo loco extincti erant, non cremari solebant, vel inde transferri, sed vel relinqui, vel sepeliri, locus autem sepiri et cæsa bidente (unde *bidental* dicebatur) arisque exstructis expiari et consecrari.[186] Omnem superstitionem, quæ ad fulmina spectat, vulgaresque de iis opiniones copiose exposuit ac perstrinxit Seneca in toto libro II. Nat. Quæst. Fulmina erant aut *publica,* aut privata. v. Plin. II, 52. et Sen. Nat. Quæst. II, 48. qui et plura eorum genera recensent. — 588. *Plebeium,* plebeiarum pauperumque mulierum, *fatum positum est in Circo,* ibi illis prædicitur. v. ad v. 582. *in aggere,* v. ad VIII, 43. — 589 seq. Ferrar. R. V. " Hic plebeiam et vitæ liberioris mulierem inducit poeta, *nudis* (ita vulgo legitur) *cervicibus longum aurum* s. monile gestantem. Nam quum matronæ ita stola talari et manuleata opertæ essent, ut nihil præter faciem appareret; contra libertinæ et quæ licentiam stupri vulgaverant non cervice modo, sed humeris atque lacertis conspicuis ac seminudis erant." Sed adversus eum ita disputat Achaintre: " Primum *aurum longum* dici pro *monili* non certum est; deinde inauditum monile *cervicibus* impositum; præterea meretrices monilibus aureis et *longis* etiam ornari, minime credendum; denique quid ridiculum magis, quam meretrices Syras, Phrygias, Ægyptias, ut erant pleræque, consulere hariolos Syros, Phrygios, Hebræos, atque etiam, an *nubant* potius cum hoc, quam cum illo, (huic quam illi) quasi meretricibus matrimonium et *partus discrimen* (v. 592.) sit frequens atque usitatum? (et optandum vel in votis?) Hinc cum Salm. et Juvencio *nullis* legimus pro *nudis,* ut innuatur mulier plebeia, (ut contra *dives* et nobilis v. 585 seq.) quæ

[185] v. ad Sil. III, 611. et Intpp. Tibull. III, 4, 18.

[186] Cf. Acron ad Horat. A. P. 471. Kœnig ad Pers. II, 27. Plin. II, 52. et 54. extr. Festus voce. *Conditum, Fulguritum* et *Bidental,* Plut. Quæst. Conviv. IV, 2. Artemidor. II, 8. Lips. ad Senec. de Clem. I, 8. Potteri Archæol. Gr. lib. IV. c. 1. et ibid. Rambach. T. II. p. 352. De duobus, quæ olim Romæ fuerunt, putealibus v. Kœnig. ad Pers. IV, 49.

nullis cervicibus, h. e. nullo modo et nulla in parte colli vel potius capitis, *ostendat*, gestet, *longum aurum*, vela auro et argento distincta, ut matronæ divites." Recte, opinor, etsi legere malim *Quæ nullum longis ostendit cervicibus aurum*, aut certe *longum aurum* accipere de smaragdis, unionibus et elenchis, coll. sup. v. 457 seq. ubi designatur *femina dives, Quæ virides gemmas collo circumdedit et quæ Auribus extentis magnos commisit elenchos.* 590. *Consulit* hariolos *ante phalas delphinorumque columnas*, h. e. in Circo. v. ad v. 582. *Phalæ* s. *falæ*, turres ligneæ, non autem erectæ in Circo in usum spectatorum, sed quæ vulgo ab ovali figura *ova* dicuntur, obelisci aut *columnæ* mobiles septem, vel *ovorum* vel *delphinorum* figuram referentes, quæ in spina Circi ponebantur, et quarum una tolli sive auferri solebat, quoties unum e septem curriculis (nam tot fuisse constat) peractum erat.[187] Ludi circenses priscis temporibus Neptuno equestri vel Conso sacri erant, unde machinas illas etiam *delphinorum* imaginem retulisse suspicari possis. Utrum vero et cur præter *ova* etiam *delphines* ejusdem rei causa, ut curricula scil. bigarum quadrigarumque numerarentur, eodemque tempore appositi fuerint, haud liquet, neque satisfacit nobis conjectura Ferrarii, qui Elect. II, 15. hæc de ea re disputavit: " Quum quatuor essent Circi factiones, a tunicæ coloribus distinctæ, *Veneta, Prasina, Alba* et *Russata;* (v. ad VII, 114.) duæ tamen præcipuæ et scriptoribus celebres *Veneta* et *Prasina:* nam altera Venetæ, altera Prasinæ adhærebat. Et *Venetæ* quidem pannus, i. e. tunica cærulea, a colore maris; *Prasinæ* viridis a porraceo colore, sive a terra viridante. Quum ergo duæ illæ factiones in Circo certarent, ut intelligeretur, quænam prius metam septies flecteret, necesse fuit, utriusque factionis curricula et spatia denotari ac numerari. Quumque *Venetæ* factionis agitatores essent rei maritimæ studiosi, Prasinæ autem reliquus populus continentis incola, ut agricolæ, mercatores, et reliqui: factum inde est, ut *Venetæ* aurigationis nota et insigne atque index *delphin* esset, *Prasinæ* autem i. e. terrestris studii *ovum* s. lignea ovalis machina. Quare quum Romæ longe major numerus esset populi, a re maritima alieni, *Prasina* factio

[187] Dio Cass. lib. XLIX extr. de M. Agrippa: καὶ τῷ περιδρόμῳ σφαλλομένους τοὺς ἀνθρώπους περὶ τὸν τῶν διαύλων ἀριθμὸν ὁρῶν, τούς τε δελφῖνας καὶ τὰ ὠοειδῆ δημιουργήματα κατεστήσατο, ὅπως δι' αὐτῶν αἱ περίοδοι τῶν περιδρόμων ἀναδεικνύωνται. Cf. Liv. XLI, 27. Varro R. R. I, 2, 11. (ex quo loco intelligitur hasce machinas ligneas, singulis curriculis confectis, non demum appositas fuisse, sed sublatas) Salmas. Exerc. Plin. p. 640. al. 912. Parrhas. Epist. .28. et inpr. Ferrar. Elect. II. 15.

prævalebat. Unde Juven. Sat. XI, 196. totam Romam magna expectatione fuisse in *eventu viridis panni*, nempe ob victoriam Prasinorum; etiamsi contrarium aliquando imperitantis studium esset. Ex eo etiam factum suspicor, ut in argenteis numis Rom. familiarum sub bigis et quadrigis modo tridens, modo spica conspiciatur, ut illo Venetorum victoria, hac Prasinorum indicaretur." — 591. *caupone*, priore marito, *relicto*, deserto.

592—597. *Hæ* mulieres plebeiæ ac pauperes, quamvis superstitiosæ sunt et de nubendo hariolos consulunt, *tamen* concipiunt, pariunt et editos infantes, non sine multis magnisque laboribus, ipsæ alunt; (cf. ad v. 9.) nobiles vero ac divites feminæ aut non concipere solent, aut certe non parere, sed conceptum partum medicamentis in utero exstinguere et abigere, ut et *partus discrimen*, periculum vitæ, quod parientes subeunt, et *nutricis labores* vel educationis incommoda effugiant. *fortuna* mediocri, vel misera ac tenui, *urgente*, premente eas et cogente, labores suscipere, quos matronæ nutricibus delegant. 594. *aurato* in *lecto*, qualis nobilium est. *Puerpera;* vet. Schol. puella, quæ primitus parit; Donat. et Isidor. quæ annis *puerilibus parit*. Immo, quæ *pueros parit*. Illa tamen notio et h. l. apta. 595. *hujus* sc. veneficæ, vel improbæ obstetricis. *medicamina*, qualia memorat Plin. XX, 21. XXVII, 5. et 9. *homines*, fetus conceptos et formatos, qui jam homines sunt. Id magna cum vi dictum, ut et mox vocab. juris, facete simul translatum, *conducit* pro suscipit certo pretio. Nam *conducere* non modo dicuntur, qui operam suam vel rem opusque faciendum alicui *locant*, sed etiam qui illud *redimunt*, h. e. qui certo pretio aliquid sive faciendum sive præbendum in se recipiunt. [188]

597—601. Lepide ac salse poeta dixit: At *gaude, infelix* Postume s. marite, quod abortum faciat uxor tua, quin ipse ei *porrige quidquid* medicaminis *erit*, quamlibet potionem abortivam; nam alioquin *fortasse* illa pareret nigrum *Æthiopis* mœchi filium, cujus te *patrem* certe profiteri quemque *heredem* scribere deberes. 598. *Distendere* uterum, gravidam fieri et in utero fetum ferre ad legitimum tempus. *vexare uterum*, quoniam *pueri* in eo *saliunt*, h. e. se movent. Quidam pro *parere* dictum accipiunt. Nota etiam plur. *pueris*, quo infortuniuma ugetur. 600. *Æthiopis*, forte servi tui. Cf. Martial. VI,

[188] Sic *conducere* dicitur *redemtor columnam faciendam* Cic. de Div. II, 21. *medicus ægrum sanandum* Plin. XXIX, 1. *pistor panem molendum* Pompon. ap. Non. v. Burm. et Schwabe ad Phædr. IV, 24, 6.

39. *decolor*, fuscus, ex Æthiope patre et matre Romana natus; quum tu sis albus. 601. *Implerct tabulas* testamenti, h. e. heres solus vel ex asse, jussu forte uxoris, scriberetur; quod non minus ad augendam rei indignitatem valet. Cf. ad v. 218. et II, 58. *numquam tibi mane videndus*, cujus conspectus occursusque tibi sedulo vitandus est, tamquam malum omen. Facete ita superstitionem vulgarem in rem suam convertit poeta, ut v. 572. 655. 656. et V, 54. ad quæ loca v. not. *mane;* nam species novæ et insolitæ rei maxime in omen et diras vertebatur, si vel multo mane et omnino sub exordia rerum gerendarum, vel, ut V, 54, *per mediam noctem* offerretur. [189]

602—609. Notantur mulieres divites nobilesque, quæ *suppositos*, h. e. nothos, spurios, subditicios s. subditivos pueros maritis pro suis obtrudunt. *Transeo*, prætereo silentio, jam nihil de iis dicam, ut X, 273. *gaudia* patrum de liberis, et *vota* eorum, quippe qui omnibus votis expetierant, ut sibi nascerentur filii; sed *vota sæpe decepta*, quæ ad irritum ceciderunt *ad spurcos* illos *lacus*, ubi olim liberi recens nati exponebantur: ex his enim expositis infantibus nobiles sterilesque matronæ formosissimos *petebant*, supponebantque pro suis; hi autem spurii et adulterini ita mirifico ac cæco casu in *Scaurorum* h. e. nobilium familiam recipiebantur et ad summos adscendebant honores. Miseri itaque patres, fraudis hujus muliebris ignari, nothos filios pro suis alebant falsoque ducebantur *gaudio*, et quidem *sæpe*. — 603. *Spurci lacus* qui sint, non satis mihi liquet. Interpretes, quotquot vidi, vel lectorem ad alios remittunt et quidem ad Parrhas. de reb. per epist. quæs. Ep. 28. et Alph. de Caranza Misc. de Partu c. IV. sect. 2. p. 359, quos equidem consulere non potui, vel designari putant lacum Velabrensem, ad radices montis Aventini, ubi cloacæ (unde h. l. *spurcos*) confluxerint. At nemo veterum scriptorum, quod sciam, hujus lacus, nedum liberorum ibi expositorum, mentionem fecit. Constat potius, Romæ infantes recens natos plerumque expositos fuisse ad columnam lactariam in foro olitorio. Hoc autem forum fuit propinquum monti Capitolino et Velabro, h. e. planitiei inter Capitolinum, Aventinum et Palatinum montes, in quam sæpe exundabat Tiberis, quæque cloacis in hunc fluvium ductis

[189] Ascensius: "Credebant veteres, quod, quæ prima viderent aut audirent, futuræ lucis qualitatem prædicerent; unde salutandi mos exortus, quo bonum *mane* cuique vovemus." *Omina principiis inesse solent: Ad primam vocem* cet. Ovid. Fast. I, 178 seq. Cf. Heynji Opusc. Academ. T. III. p. 270 seq. Cic. Div. I, 45 seq. Plin. XXVIII, 2.

siccabatur.[190] Eo forte et poeta et interpp. respexere. *inde petitos* infantes spurios, e quibus sic fiunt olim *Salii* et *Scauri*, h. e. summi sacerdotes et magistratus, vel nobiles. *Pontifices Salios*, v. Var. Lectt. *Salios* exquisite dixit poeta: nam non juvenes modo nobiles ad honores per sacerdotia adire solebant, sed in hoc sacerdotum quoque collegium non nisi patricii juvenes, iique patrimi et matrimi, cooptabantur. *Scaurorum* h. l. pro quibusvis nobilibus, quorum *nomina* accipiunt suppositi illi, sed *falso corpore*, h. l. quia falso, per errorem, eorum filii putantur. "Simile tamen aliquid forte accidit in familia Scaurorum, ad quod alludit poeta;" Ach.

605 seq. Venusta Fortunæ imago, quam et personam fecit poeta. *Fortuna improba*, sæpe indignis secunda et dignis adversa, unde et *existimata cæca*, *volubilis*, *vaga*, *inconstans*, *incerta*, *varia*, ut utar verbis Plin. II. *Stat* quasi ad spurcos illos lacus. *noctu*; nam tum pueri clam et exponebantur ad *lacus spurcos* vel columnam lactariam, et *inde petebantur* eum in finem, qui v. 602 seq. designatur. 606. *Fortuna arridens* etiam proverbii loco Romanis ac nobis dicitur. *nudis infantibus*, expositis. *omnes*, v. Var. Lect. *fovet*, adjuvat; aut fovet eos, ut gallina pullos, ne frigore lædantur; aut potius *fovet et involvit sinu* quasi togæ, (quod de intimo amore dicitur, ut *in sinu gestare aliquem*) vel in gremio, amplectens eos et vestimentis involvens. Martis sic aut nutricis persona Fortunæ imponitur. *porrigit*, tradit, infert, ingerit, *domibus altis*, excelsis, h. e. divitum ac principum virorum, vel familiis nobilibus et antiquis, *alti nominis*, v. ad v. 385. — 608. *Secretum sibi mimum parat*, ut *jocatur* III, 39. Cf. ibi not. et Hor. Od. III, 29, 49 seq. — *his se ingerit*, se offert, vel se præbet benignam. Malim tamen: his insciis et pæne invitis sponte quasi se obtrudit, iis favet, non quæsita aut captata; quo fere sensu nos dicimus *das glück sucht sie*, et contra *sie suchen das glück*. Ita *ingerere* pro obtrudere dixere Cic. Verr. III, 28. et Claudian. XV, 193. Cf. Schwarz. ad Plin. Paneg. 86, 2. ubi formæ dicendi *ingerere se* et *subtrahere se* sibi opponuntur. — 609. *producit*, provehit ad honores et opes, (ut ap. Cic. Dom. 9.) nisi malis fingit, instituit, ut inf. XIV, 228. *ut suos alumnos*; quo sensu tales homines etiam nobis, ut Romanis, (v. c. Horat. Sat. II, 6, 49.) *Fortunæ filii* dicuntur.

610—626. Notantur iterum, sed copiosius, non ὡς ἐν παρόδῳ, ut v. 133—5, magicæ artes et philtra, quibus multæ mulieres, et superstiti-

[190] Cf. Liv. I, 38 extr. Ovid. Fast. VI, 401 seq. et Heyne ad Tibull. II, 5, 33.

tiosæ et improbæ, utantur, quibusque nonnumquam maritos in furorem impellant. Nova causa, quare uxor non sit ducenda. Ipsa superstitio notissima et tunc temporis vulgaris; quam et animis mulierum, inpr. misere amantium, valde arrisisse non est quod miremur. Vis autem magicarum artium ad amorem tam inspirandum animo, quam ex eo pellendum spectare putabatur.[191] *Hic* magus et veterator *affert magicos cantus* mulieri, h. e. venit ad eam, ut illam doceat artem suam ejusque vim, profitetur se docturum esse insignem usum artis suæ et hanc commendat, haud nescius, se benigne exceptum iri; *hic*, ille, alter *vendit* mulieri philtra. *magicos cantus*, ἐπῳδὰς, incantamenta. *Philtra*, φίλτρα, pocula amatoria. *Thessala*, ut *Marsa* et *Ibera*, epitheta orn. in re magica passim obvia, quoniam hi populi et veneficii magicarumque artium studio olim infames erant et terræ eorum feraces venenorum, φαρμάκων, h. e. herbarum, in quarum succis non minor vis magica, quam in carminibus inesse credebatur. 611. *mentem mariti vexare*, ad insaniam adigere. Sic *Thessalus veneficus perverse perturbavit familiæ mentem meæ* Plaut. Amphitr. IV, 3, 10. et *venenum exquisitum, quod turbaret mentem* Claudii Tac. Ann. XII, 66. Cf. Ovid. A. A. II, 106. — 612. *solea pulsare nates* mariti, facete pro, indignissimo eum tractare modo, ad lubitum: quid enim gravius esse potest homini libero et viro, quam a muliere affici hac castigatione puerorum aut stultorum, quibus non modo caput, sed et nates *soleis* s. sandaliis (v. ad VII, 192.) cæduntur? Comparant intpp. verba Luciani in Philopseude, (σανδάλῳ γε χρυσῷ εἰς τὰς πυγὰς, ὥσπερ τὰ παιδία, παίεσθαι ἄξιοι) et in Dial. Ven. ac Lunæ, (Ἤδη δὲ καὶ πληγὰς αὐτῷ ἐνέπεινα εἰς τὰς πυγὰς τῷ σανδάλῳ) et Terent. Eun. V, 8. al. 7, 4. Cf. intpp. Pers. V, 169. et Burm. Anthol. Lat. T. I. p. 618. Nos proverbii loco dicimus: *unter dem pantoffel stehen.*

612 seq. Ἀποστροφὴ ad maritum vel Postumum. *inde est*, illo philtro efficitur. — 615. *avunculus Neronis*, C. Caligula, frater Agrippinæ, matris Neronis, qui *credebatur potionatus a Cæsonia uxore, amatorio quidem medicamento, sed quod in furorem verterit*, Suet. Cal. c. 50. quod et tradit Joseph. Ant. XIX. Notissimus est furor hujus monstri, cujus effectus mox v. 618—625. memorantur. Veræ autem immanitatis hujus causæ nec philtrum Cæsoniæ, nec gravis morbus,

[191] v. Heyne ad Tibull. I, 2, 41 seq. 8, 17 seq. et ad Virg. Ecl. VIII, 69 seq. intpp. Hor. Od. I, 27, 20. 21. Φαρμά- κοις γυνὴ τὸν ἄνδρ' ἔμηνεν, Aristoph. Thesm. 568.

in quem octavo imperii mense incidit, sed aliæ fuisse videntur, de quibus alio loco disputavi.[192] De *Cæsonia* v. Suet. Cal. 25. Plin. VII, 5. et Dio Cass. LIX, 12. 23. — 616. *frontem pulli,* hippomanes, de quo v. sup. ad v. 133. *totam frontem* poeta dixit propter summum Caii furorem. *tremuli,* trementis frigore, h. e. recens nati. *Infudit* philtro. 617. *Quæ* mulier *non faciet, quod Principis uxor* fecit, tali exemplo incitata? Cf. ad VIII, 198.—618. *Cuncta,* universum imperium Rom., *ardebant* (*tonante Caio, sc. ex furore,* vet. Schol.) tanquam igne furoris Caligulæ, *et ruebant fracta compage,* h. e. res publica, capite ejus furente, collabebatur, istar ædium, quæ ruunt, commissura lapidum rupta; *non aliter, quam* cœlum totusque orbis terrarum nutaret vel adeo periret, Jove a *Junone* (ut Caligula a Cæsonia uxore) in furorem verso, qui res humanas, ut Caligula Romanas, regit.[193]

620 seq. Scelus *Agrippinæ,* sororis Caligulæ, quæ maritum suum Claudium Imp. *boleto* venenato exstinxit, (de quo v. ad V, 146 seq.) *minus nocens* fuit vel nocuit imperio Romano, quam flagitium Cæsoniæ, quæ venenis philtro infusis Caligulam impulit in furorem, quo instinctus ille in omnes sæviit: illo enim scelere non nisi unus, et quidem senex ac fœdus, homo, hoc permulti periere. *Boletus,* v. ad XIV, 8. — 621. *præcordia pressit,* cor compressit vi veneni, h. e. necavit senem. Claudius excessit anno ætatis LXIV. v. Suet. 45. et ibi Casaub. — 622. 623. Alia et quidem lepida causa, cur facinus Agrippinæ non adeo turpe ac scelestum sit, a deformitate Claudii petitur, quo spectant *tremulum caput* et *labra manantia longam salivam.* Res nota vel e Suet. Claud. 30. et Dion. Cass. LIX. *caput descendere jussit in cœlum,* salse junctisque contrariis de Claudio et de consecratione talis hominis, quem et Seneca in ludo illo de morte C. Cæsaris fingit inter Divos relatum quidem, sed accusante D. Augusto in judicio Deorum damnatum et a Mercurio obtorto collo ad inferos tractum esse. Idem Seneca facete et deos induxit ridentes tremulum Claudii caput vocemque raucam et suum librum non *ἀποθέωσιν* inscripsit, sed *ἀποκολοκύνθωσιν,* quia *ἀποθέωσις* Claudii effecta quasi est esu boleti, *κολοκύνθης* s. *κολοκύντης,* quod cibi genus ei gratissimum erat et in quo acceperat venenum; unde boletos *Deorum cibum* appellare

[192] *Grundriss der Gesch. der Römer* cet. p. 341 seq.

[193] Poeta non respexit h. l. vel cingulum, *κεστὸν ἱμάντα,* Veneris (cujus ope *Juno maritum* non *insanum fecit,* sed in se amorem ejus accendit; v. Hom. Il. ξ, 197—354.) vel, quod Hennin. suspicabatur, exustionem mundi, de qua v. Lucan. I, 72—80. *quum compage soluta Secula tot mundi suprema coegerit hora* cet.

solebat Nero teste Suet. c. 33. Cf. ad V, 147. Vetus Schol. "*In cœlum* ridens pro *ad inferos*, et *apotheosin* deridet." Britan. notat, per eumdem jocum dixisse Senec. *Postea quam Claudius in cœlum descendit*, et Stat. in Silv. *Nondum stelligerum senior demissus in axem.*[194] — 624 seq. *Hæc potio* amatoria, philtrum, a Cæsonia Caligulæ datum, *poscit ferrum* cet., exquisite pro, effecit, ut Caligula in furorem verteretur eoque instinctus *ferro* atque *igni* sæviret in omnes, eos *torqueret*, h. e. exquisitis excruciaret tormentis, (cf. Suet. Cal. 32.) et *laceraret*, h. e. crudeliter tractaret ac perderet, (nisi proprio sensu capere malis coll. Suet. Cal. 28.) *Patres* atque *Equites*, quorum *sanguis mixtus* est quorum cædes sunt mixtæ, h. e. qui simul ac sine discrimine trucidati sunt. Sævitia, qua adversus omnis ævi, ordinis ac generis homines grassatus est Caligula, notissima est ex Dione LIX, 1—26. Phil. legat. ad Cai. et Suet. — 626. *Tanti* pretii *constat*, constitit, h. e. tantopere rei publ. Rom. nocuit; ut nos dicimus: *so viel kostete, so theuer und so hoch kam zu stehen.* *partus equæ*, hippomanes, in philtro Cæsoniæ. v. ad v. 133. et 616. *quanti una venefica constat*, quantam eheu! nocere potest! Sed languent hæc verba, etsi ita explicare ea malim, quam aliorum rationes sequi. Cf. Var. Lect.

627—661. Ultima causa, quare uxores non sint ducendæ, quoniam scil. multæ, quæstus potissimum cupiditate vel turpi amore ductæ, non modo privignis, (v. 628 seq.) sed et suis filiis, (v. 634 seq.) quin etiam maritis suis, (v. 652 seq.) veneno, immo, ut olim Clytæmnestra, ferro mortem moliantur. *Oderunt* uxores liberos, maritis *natos de pellice*, et *nemo repugnet* vel *vetet*, nemo, opinor, eas propterea reprehendet; at minime ferendum est, quod *jam fas est*, h. e. fas esse vel sibi licere putant, quod non dubitant aut verentur, *privignum occidere*, vel quod jam impune hoc faciunt. Novercarum non modo odium in privignos, sed et veneficia passim memorantur. Vid. ad v. 134.[195] 629. *pupilli*, orbi, quorum bonis post patris mortem inhiat noverca. *amplior res* familiaris, magnæ opes. 630. *Custodite animas*, solliciti estote de vita vestra, cavete vobis ab insidiis noverciæ *nulli mensæ*, ne matris quidem. — 631. *Adipata* sc. edulia vel quævis opera pistoria, adipe confecta et condita, pinguia; vel, ut vet. Schol. interpretatur, dulcia placenta. *Livida*, quibus mixta sunt venena

[194] Cf. Scalig. Poet. VI. c Goldast. ad Petron. p. 717. "*Descendere in cœlum* festive pro *adscendere* primum in cœlum et brevi post ad inferos *descendere*." Ach.

[195] Vetus Schol. "Exemplum et in Agrippinam, quæ privignum suum Britannicum veneno necavit, ut filio suo Neroni conferret imperium."

livida, pallidâ, seu lividos facientia; nam veneno necati fiunt lividi. Sic et *lurida* ac *pallida aconita* et *vina* dicuntur.[196] — 632. 633. *Mordeat,* edat, *ante aliquis, quidquid* cibi *porrexerit* tibi *illa quæ peperit,* h. e. mater ipsa, quæ nonnumquam filios ex priore marito venenis necat, ut secundo gratificetur marito et ad hunc bona vel opes illorum transferat, (quod mox probatur exemplo Pontiæ) *et pappas prægustet pocula,* quod facit *prægustator,* προγεύστης, προτένθης, ἐδέατρος et a *potione,* h. e. minister, qui cibos et vina ante quam dominus aut rex gustat, ut is sine suspicione veneni edere ac bibere possit. " Duo *prægustatorum* ordines erant: alii partem aliquantulam cibi edebant ante, alii potum explorabant, et illi propr. *prægustatores,* ἐδέατροι, hi *a potione,* ut in vet. lap. Trajani, vocabantur;" Ach.[197] *timidus,* metuens de vita sua. *Pappas,* πάππας, venerationis nomen, quo blandientes utebantur infantes; propr. pater, et h. l. forsan (ut in Gloss. Isid.) pædagogus, *discipuli custos* VII, 218.

634—644. Dicat forte aliquis, hæc mulierum scelera, quæ tam atrocia sint, a me fingi, ut facinora Procnes et Medeæ a Tragicis Græcorum, et e fabulis vel tragœdiis repeti, adeoque hæc Romanis inaudita iis affingi: sed Pontiæ exemplum docet, vera esse, quæ et a me, et a Tragicis memorantur. *altum satira sumente cothurnum,* (v. ad v. 506.) inducta satiræ meæ tragica grandiloquentia et sublimi stylo, quo res nimis augeri solent: de quo v. Kœnig ad Pers. V, 3. *finem legemque,* terminos normamque, *priorum* poetarum Satiricorum, qui communis tantum vitæ carpserunt vitia, nec nisi vera ac nota vel vulgaria tractarunt argumenta, prout natura carminis satirici exigit. 636. En grandiorem orationem, qua et Satirici utuntur, quoties res, quas tractant, eam admittunt vel adeo postulare videntur. Sic et mox v. 649 seq. *bacchamur carmen grande,* magnifice pro: tragicas cano res divino spiritu ac furore instinctus. *Bacchantur* proprie Bacchæ vagantes ac furentes; hinc et poetæ ἐνθουσιάζοντες (conf. Stat. Silv. I, 2, 258.) ipsique histriones tragici propter oris *hiatum,* vehementemque vocis contentionem. *grande,* sublime, tragicum. *Sophocleo hiatu,* ut *S. cothurno* ap. Mart. III, 20, 7. et

[196] Ovid. Met. I, 147. Lucan. IV, 322. et Prop. IV, 7, 56. al. 44. ubi v. Brækhus.

[197] Quem prægustandi morem a Persis maxime traductum et ab Augusto demum Romæ receptum suspicabatur Lipsius, quem v. ad Tac. Ann. XII, 66. Cf. Athen. IV, 21. (71.) p. 171. Suid. v. ἐδέατρος, Eustath. ad Hom. Od. I. p. 57, 16 seq. Xenoph. Cyrop. I, 3. Mœurs. Animadv. Miscell. I, 12. et Exerc. crit. II, 5.

Virg. Ecl. VIII, 10. pro Sophoclea gravitate ac majestate. *Hiatus* (oris) proprie tribuitur iis, qui grandia sive dicunt sive dicere conantur, et hinc potissimum vel actoribus tragicis, qui personas induebant e cavato factas ligno oreque hiante, per quas sonus edebatur multo gravior grandiorque solito et rebus tragicis aptus, vel poetis tragicis ac dithyrambicis, qui ampullatis et sesquipedalibus verbis uti solent. Sic et Gr. χαίνειν et *οἱ ὑποκριταὶ μέγα κεχηνότες* ap. Callim. H. in Apoll. v. 24. et Lucian. in Nigrino T. I. p. 50. ed. Reitz. Cf. Brœkhus. ad Prop. II, 23, (al. 31.) 6. intpp. Pers. V, 3. et Prudent. c. Symm. II, 646. 637. *Carmen*, argumentum carminis, *ignotum montibus Rutulis cœloque Latino*, Italiæ s. Latio, h. e. res Romanis inauditas, scelera, qualia numquam Romæ et in Latio edita sunt. Cf. III, 84. 85. et XII, 103. 105. — 638. *Nos utinam vani*, mendaces simus, vellem hæc tragica a nobis fingerentur tantum, non vera essent! *Vani* dicuntur, qui sibi vana, inania et speciosa persuadent, vel, ut utar verbis Gellii XVIII, 4. (ubi v. intpp.) *mendaces et infidi et levia inaniaque pro gravibus et veris astutissime componentes.* 638 seq. *Pontia*, Drymionis uxor, T. Pontii filia, quæ Neronis temporibus, mortuo marito, duos filios necavit veneno, ut bona eorum ipsa acciperet aut donaret adultero, sed postea se prodidit ipsa mortemque sibi conscivit incisis venis. v. vet. Schol. et Pith. et Schurzfl., Martial. II, 34, 6. et inpr. ant. lap. in Ge. Fabricii Collect. Antt. p. 234. *Feci* vox reorum fatentium, ut *fecisse videtur* Prætoris s. Quæsitoris, reo convicto. cf. Scriver. ad Martial. IX, 16, 2. — 639. *aconita*, v. ad I, 158. 640. *Quæ* aconita *deprensa*, apud me inventa. Sed quoniam verbum *patent* adjicitur, malim h. l. sic explicare: *Quæ* facinora (h. e. hoc facinus) *deprensa patent*, manifesta sunt. Aptiora tamen hæc, si Pontia non se ipsa prodidit, sed filios veneno necasse convicta est. Illud tradit Schurzfl., hoc Pithœi Schol. *tamen*, ut antea *sed*. 641. *Tune duos — Tune duos?* His verbis iratus poeta alloquitur Pontiam, quæ ipsi respondet: *Septem, si septem forte fuissent.* — O *sævissima vipera*, immanis bellua, an tu *duos* filios *una cœna* occidisti, simul mactasti, h. e. necasti cœnantes veneno? Immo *septem* necassem filios, *si septem forte fuissent* mihi. — Verba *tune duos δεινῶς* repetuntur, et abrupta oratio affectui convenit. *Vipera* dicitur crudelissima mater, monstrum hominis, ut nobis *natter*. 642. Cf. Senec. Med. v. 952 seq.

643 seq. Si nostris temporibus Pontia tale facinus commisit, jam credamus vera esse, quæ tragici poetæ de Medea et Procne fabulose

tradidisse videntur: nam scelus Pontiæ multo gravius est, quia illud non aliqua mentis perturbatione, ut Medea et Procne, sed certa deliberatione animi peregit. *torva*, sæva; nisi malis irata. Conf. v. 647 seq. *Colchide* femina, Medea, Æetæ, Colchorum regis, filia et uxore Jasonis, quæ repudiata ab eo, quum Creusæ vel Glauces amore captus esset, liberos suos jugulavit. *Procne* Pandionis, Atheniensium regis, filia, et Terei, Thracum regis, uxor, quæ marito, ut stuprum Philomelæ, sorori suæ, ab eo illatum vindicaret, Ityn filium coctum epulandumque apposuisse dicitur. Fabulæ tam de *Medea*, quam de *Tereo*, *Procne* et *Philomela* notissimæ sunt multorumque poetarum ingenia exercuere.[193] *nil contra* dicere *conor*; nolim negare, hæc vera esse. 645. *et*, etiam, *illæ*, Medea et Procne, *audebant grandia monstra*, h. e. scelera immania, (ut mox v. 647. et sup. v. 286. ubi v. not.) at *non propter numos*, lucri cupiditate, ut Pontia eique similes mulieres nostri ævi, quæ filios suos interimunt, ut bonis eorum potiantur et hæc ad adulteros suos vel secundos maritos transferant; sed impatientia amoris, doloris et *iræ*, cujus affectu femineus potissimum *sexus* intemperantius propter animi imbecillitatem *incenditur*, (*notum, furens quid femina possit*, Virg. Æn. V, 6.) et quo fit, ut *summa monstra* s. scelera *minorem admirationem* majoremque excusationem habeant, vel minus mira sint et excusatiora, quam si mulier, ut Pontia, *scelus ingens sana*, non perturbato, sed quieto et tranquillo animo, *facit* et *computans*, cogitato et consulto; qualem ego minime *tulerim*, quæ meo judicio multo scelestior est quam ea, quæ iracundia stimulante *præceps fertur* ad omne facinus. Sic et judicat Cicero Off. I, 8. extr.

646 seq. Cf. Virg. Æn. V, 6. Sen. Med. v. 579 seq. et Horat. Od. I, 16, 5 seq. — 648. *rabie*, δεινῶς pro iracundia. *jecur incendente*; v. ad I, 45. *feruntur præcipites*, (nam *furor iraque mentem præcipitant*, Virg. Æn. II, 316.) quanto impetu prona ruunt *saxa jugis* montium *abrupta*, *latere montis*, tamquam fundamento et fulcro eorum, *subtracto* et *recedente*. Præclara comparatio ex ipsa rerum natura petita, quæ simul animi affectionem re sub sensus cadente adumbrat, quod comparandi genus suavissimum est.[199] *clivo*, vertice, *pendente*, et ruinam minitante. — 651. *quæ computat*, reputat, deli-

[193] v. Heyne ad Apollodor. I, 9, 28. et III, 14, 8. ad Virg. Ecl. VI, 79.

[199] Cf. ad I, 165. Hom. Il. N, 137 seq. et Virg. Æn. XII, 684 seq. ubi v. Heyne.

berat, certo judicio scelus ante expendit, quam aggreditur; nisi malis, quæ, ut Eriphyle, rationem rei supputat vel subducit, ad calculum quasi revocat facinus et emolumentum, quod inde ad se redundet. Sic ap. Senec. Epist. 14. *Nemo ad humanum sanguinem propter ipsum venit, aut admodum pauci: plures computant, quam oderunt. Nudum latro transmittit.* Confer ad v. 199. et 638. Vetus Schol. " *Quæ propter avaritiam peccat, ut Eriphyle.*" *Sana*, mentis compos, sine affectu animi, inpr. iræ, quæ homines sæpe reddit insanos, furentes, μαινομένους. Cf. II, 18 seq. — 652. *Spectant* ejusmodi mulieres improbæ in ludis. *Alcestin subeuntem fata mariti*, mortem pro eo; vitam Admeti mariti morte sua redimentem. [200] 653. *permutatio* mortis: nam oraculum vel Parcæ dixerant, Admetum, quamvis finitum esset spatium vitæ, non moriturum esse, si alius pro eo mori vellet.

654. Nostræ mulieres cariores habent catulos suos, quam maritos. — 655. 656. Romæ multas mulieres reperies similes *Belidibus, Eriphylæ* et *Clytæmnestræ*. *Belides* sive *Danaides*, L filiæ Danai et neptes Beli, regis Argivorum, eodem die totidem filiis Ægypti patrui, Memphi regnantis, nuptæ, quæ suum quæque maritum, præter unam Hypermnestram, uxorem Lyncei, prima nocte interfecisse et hinc apud inferos in dolia pertusis fundis aquam infundere dicuntur. [201] *Eriphyle*, Talai filia, soror Adrasti et uxor Amphiarai vatis, quæ maritum, latitantem, ne ad bellum Thebanum, quo se periturum prævideret, proficisci cogeretur, monili Cadmeo a Polynice corrupta, prodidit et postea, quum a Thersandro peplum accepisset, Alcmæonem quoque filium ad arma cum Epigonis capienda adducere conata est. [202] *Clytæmnestram*, quæ Agamemnonem maritum, a bello Trojano reversum, ope Ægisthi adulteri, bipenni obtruncavit. 656. Vox *manc*, quam interpretes silentio prætereunt, his verbis, si vulgarem eorum distinctionem et colon post *Eriphylæ* positum retinueris, tenebras offundit, quas Hein. hac interpretatione sibi dispulisse videtur: " Poeta v. 651. dixerat, talem mulierem ferri non pos-

[200] Res nota ex Eurip. Alcestide, Apollod. I, 9, 15. al.

[201] v. Hygin. f. 170. Ovid. Ep. Her. XIV. Heyne ad Apollod. II, 1, 4. p. 268 seq. et ad Tibull. I, 3, 79. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 11, 23 seq. Creuzer's Symbolik T. III. p. 172. IV. p. 19.

[202] v. Athen. VI, 4. (19. et 22.) p. 231. 232. Heyne ad Apollod. III, 6, 2. 7, 2. et 5. et Mitscherl. ad Horat. Od. III, 16, 11 seq. Fabulas turbavit vetus Schol., deceptus similitudine nominum: de quo v. Wessel. Obss. I, 15. et Munckcr. ad Hygin. f. 112.

se, *quæ computaret et scelus ingens sana faceret,* i. e. nullo animi affectu impulsa, nulla omnino re, quæ judicium et deliberationem tolleret. Jam addit: *Mane Clytæmnestram nullus non vicus habebit,* i. e. vel *mane,* ubi tamen non ebriæ sunt mulieres et omnia certa deliberatione agere possunt, tanta scelera, quantum Clytæmnestra, faciunt. Rara hæc vocis *mane* significatio, sed plane ita est apud Mart. XI, 18. *Non omnis nostri nocturna est pagina libri; Invenies et, quod mane, Sabine, legas.* Nescio an huc trahendus sit Mart. X, 48, 21. 22. *Accedent sine felle joci, nec mane timenda Libertas, et nil, quod tacuisse velis.*" Non rara est hæc vocis *mane* significatio, sed frequentissima apud Horat. (Od. IV, 5, 39. 40. in Sat. II, 3, 282. in Epist. I, 19, 5.) Martial. XII, 12. Ovidium et alios; neutiquam vero, ne quid gravius dicam, congrua h. l., quo agitur tum de feminis, tum de horrendis earum sceleribus, quæ ab avaritia, amore et ira oriuntur, non a vinolentia et ebrietate: cujus vitii poeta quidem ipsas quoque mulieres insimulaverat v. 300—345., quo tamen illas ad libidinem omnemque turpitudinem, non ad atrocia, quæ nunc memorantur, facinora rapi dixerat. Aptior ex his verbis sensus prodibit, si ea sic interpunxeris: *Occurrent — Mane: Clytæmnestram* cet., et ad occursum diri ominis retuleris, de quo vide not. ad V, 54. VI. 572. et inpr. VI, 601.

657—659. Σκωπτικῶς dicit poeta, *hoc tantum referre* sive interesse inter Clytæmnestram et mulieres Romanas, quod illa rudi ac simplici modo, utraque manu et bipenni usa, maritum occiderit, hæ autem majori arte, calliditate ac subtilitate, parva scil. veneni portione clam adhibita, ad eumdem finem perveniant. *Tyndaris illa,* Clytæmnestra, Tyndari, regis Spartani et Ledæ filia. *Insulsam et fatuam,* rudem et inhabilem, neque mulieri, neque rei satis aptam; nisi adjectiva pro adverbiis posita, vel ad ipsam *Tyndaridem* referenda sunt. " Ea hic adumbratur nondum satis apta facinori vel pro sceleris horrore mente turbata;" Ach. 659. *res,* cædes maritorum. *pulmone rubetæ,* v. ad I, 70. — 660. 661. *Sed tamen et ferro* res ageretur a Rom. mulieribus, si maritus se præmuniret antidotis. *Atrides,* Agamemnon, maritus Clytæmnestræ; h. l. quilibet maritus, iisdem, quibus ille, insidiis ab uxore petitus: nam modo Clytæmnestræ mentionem fecerat poeta. 661. *cautus,* ut sibi caveret, utque tutus esset ab insidiis uxoris, quas metuit. *medicamina Pontica regis ter victi,* antidotum, quod magna arte parari, et quo uti solebat Mithridates, *rex Ponti,* qui *ter,* vel tribus bellis, a Sulla, Lucullo et Pom-

peio, victus est. [203] *Pontica* ab anatibus Ponticis sic dicta, ob causam a Gell. XVII, 16. allatam; C. Vales.

[203] De ejus alexipharmaco conf. inf. ad XIV, 252 seq. Plin. XXIII, 7—9. XXV, 2. XXIX, 1. Appian. b. Mithrid. 109 seq. Dio XXXVII, 10 seq. Gell. XVII, 16. Seren. Sammon. c. 60. et 62. Martial. V, 77. Cels. V, 23. et Galen. de antidotis II, 1. 2.

IN

SATIRAM VII.

---

1 seq. ARGUMENTUM Satiræ jam primis versibus continetur. De quo autem *Cæsare* h. l. sermo sit, non constat inter viros doctos. Quidam innui putant Neronem, plures Domitianum, (etiam vetus Schol., qui *Domitianum* plerumque *Neronem* appellat, ut poeta IV, 38.) alii Titum, alii Nervam, (cf. Martial. VIII, 70. IX, 27. XII, 6.) plerique tamen rectius vel Hadrianum, (v. Spartian. Hadr. c. 3. et 16.) vel Trajanum, qui bibliothecam Ulpiam struxit et de quo v. Plin. Pan. c. 47. *Spes studiorum*, præmiorum ex iis consequendorum. *ratio studiorum*, h. e. ratio, quare homines se dedant studio literarum. *in Cæsare* sc. sita est. *Camenas*, Musas literasque, *tristes*, neglectas et quæ nullis præmiis foventur. *respexit*, curat, benigne fovet literas *solus*, quas reliqui civitatis proceres negligunt.

3—97. Tristis *poetarum* conditio illis temporibus adumbratur. 4 seq. Summi jam poetæ, paupertate coacti, Romæ et in aliis Italiæ oppidis ex sordidis ministeriis et balnearia, pistoria, furnaria aliisque artibus, his similibus, quas exercent, victum quæstumque sibi quærunt. *balneolum* diminutive dicitur propter summam egestatem, et *Gabiis* contemtim, de parvo et deserto oppido, ut VI, 56. *furnos*, ut panem coquerent vendendum. Grangæus et alii monent, ita propr. designari pauperes, adsidue frigentes, de quibus etiam proverbii loco dicatur, *numquam de balneo aut furno conducendo cogitare*, ad quam mentem etiam referunt Horat. Ep. I, 11, 12 seq. — 6. *Præcones*, quorum vitæ genus et vile erat et quæstuo-

sum.[1] *desertis Aganippes vallibus,* missis studiis, valere jussis Musis, quæ commorantur in *vallibus* solitariis et amœnis recessibus Heliconis. Conf. ad v. 8. *Aganippe* fons Heliconis in Bœotia, Musis sacer.[2] *Clio* una e Musis, h. l. docte pro poeta. *in atria* divitum nobiliumque, in quibus clientes patronum salutare, vel sportulas petere et accipere solebant; unde Bahrdt non male reddidit Germ. *antichambern.*[3]

8—16. Si studio literarum et poeticæ non parare possis, quæ suppeditent ad victum, satius est, præconium facere et tam vili ministerio vitam inopiamque tolerare, quam per inhonestas et malas artes divitias quærere. *Si tibi ostendatur nullus quadrans,* ne parvæ quidem mercedis spes. *Quadrans,* exiguum numi genus, quarta pars assis, tres unciæ, unde et *teruncius* s. *triuncis* dicitur. *Umbra,* vita umbratilis, obscura ignobilitas, (ut al. *nox* et *tenebræ*) *Pieria,* eruditorum, vel artes ingenuæ, quæ in *umbra,* h. e. domi et in schola, sive in otio et tranquillitate, tractantur; unde *doctor umbraticus* ap. Petron. c. 2. qui obscure in schola vivit, et eruditorum *umbra, umbracula, umbratilis exercitatio* et *otium,* quæ *soli, pulveri* et *aciei,* h. e. administrationi reipubl. publicisque negotiis a Cicerone opponuntur, (Mur. 14. Leg. III, 6. Or. I, 34. et Brut. 9.) ut causidici inf. v. 105 seq. historicis *umbra gaudentibus.* Conf. ad v. 156. Sic et inf. v. 173. *ad pugnam rhetorica descendit ab umbra,* h. e. a vita obscura et scholastica, quæ famæ et celebritatis expers est, ad forum, vel a declamationibus, i. e. orationibus, de rebus fictis in schola exercitationis causa habitis, ad causas publice et in foro agendas, vel ad orationes in concionibus habendas; metaphora simul sumta ab exercitiis militaribus, quæ veris justisque *pugnis* opponuntur. Sed propter epith. *Pieria* crediderim potius, poetam h. l. respexisse antra, nemora, fontes, *umbras* et amœnos solitariosque recessus montium Musis sacrorum, v. c. *Pieriæ* in Macedonia, ubi homines docti et inpr. poetæ cum Musis versari sensusque excelsiores concipere credebantur. Conf. ad v. 6. 58. 59. et intpp. Horat. Od. II, 1, 39. III, 4, 40. — 9. *Machæra* potest esse nomen vel præconis, illis forte temporibus noti, ob seqq., vel, ut alii putant, parasiti, ut hæc verba ad v. 7. et reliqua *vendas potius* cet. ad

[1] Conf. III, 157. Casaub. ad Theophr. Char. VI. p. 185. Martial. V, 57, 11. VI, 8, 5.

[2] Schol. vetus: "Callimachus dicit, fontem esse Permessi fluminis." Ita et Serv. ad Virg. Ecl. X. Conf. Callim. Edit. Ern. T. I. p. 560. Pausan. Bœot. c. 29. et intpp. Prop. II, 10, 25. 26. al. 8, 30.

[3] Conf. v. 91. et ad I, 95. 96. Horat. Epist. I, 5, 31. inpr. Martial. I, 71, 12 seq. et III, 38, 11. 12.

v. 5. 6. referenda sint: nisi malis tonsorem intelligere, qui olim crines non forfice, sed acuto cultro, novacula, *μιᾷ* aut *διπλῇ μαχαίρᾳ*, tondebat. v. Böttigeri Sabina p. 333 seq. ed. pr. — 10. *auctio commissa* tibi a magistratu, vel dominis rerum venalium, qui eam faciunt. Alii jungunt perperam *vendas commissa*, quæ tibi a dominis data sunt, ut vendas: alii vero non male putant *auctionem* (Gall. *enchère*) *committi*, quod licitatores *stantes*, h. e. circumstantes, inter se quasi *committantur*, ut licitando pugnent, et qui in hac pugna pluris liceatur, victor evadat remque pretio *auctam* reportet. Cf. ad I, 163. VI, 378. 436. *Auctio* non proprie *vendit*, sed qui eam facit. 11. *œnophorum*, v. ad VI, 426. *tripodas* vel mensas vel sellas vel vasa, tribus pedibus fulta. *armaria*, scrinia, in quibus libri, vasa, vestes aliaque reponuntur. — 12. vid. Excurs. ad h. l. 13. 14. Hoc satius est, quam si *sub*, h. e. coram, *judice* falsum dicas testimonium. Conf. ad IV, 12. et XVI, 29.

14—16. Faciant hoc, qui, quum olim servi fuissent, ex *Asia*, *Cappadocia* et *Bithynia* Romam traducti, (v. intpp. Petron. 29. et 63.) jam per malas artes ibi ad censum dignitatemque equestrem pervenerunt. Sic omnes interpretes; at rectius forsan Achaintre: "Ego non hæc re vera dici existimo de servis ad censum equestrem provectis, qui tunc temporis non adeo frequentiores erant Romæ, sed de istis nebulonibus pessimis et de industria viris, qui quotidie, ut apud nos nobiles fictitii, *chevaliers d'industrie*, et plerumque *nudis pedibus* ex provinciis in Urbem affluebant, opes et divitias quæsituri, quas mox per furtum, delationes et perjuria sibi pararent." Videntur h. l. obiter tangi tum Romani, quod his peregrinis et infimæ sortis levisque ingenii hominibus magis faveant, quam poetis et civibus, bene de patria merentibus, (de quo etiam queritur poeta III, 58—122. et Martialis passim, inpr. X, 76.) tum Græci et populi Asiæ, potissimum minoris, qui perfidia malisque artibus olim infames fuere; de quo v. sup. III, 58 seq. 69 seq. Suid. in proverb. *τρία κάππα κάκιστα*, *Κρῆτες*, *Καππάδοκες*, *Κίλικες*, Cic. orat. pro Flacco, Brunck. Anal. T. II. p. 56. III. Böttigeri Sabina p. 444 seq. et vet. Schol. Pers. VI, 77. cujus nota est: "Cappadoces dicuntur habere studium naturale ad falsa testimonia proferenda, qui, nutriti in tormentis a pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, et quum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia se bene venum darent." — 16. *Altera Gallia*, Galatia seu Gallogræcia. *nudo talo*, pedibus nudis: nam nudi a mangonibus in catasta, pegmate ligneo, servi venales expone-

bantur, ut vitia eorum conspicua essent neque fraus fieret emtoribus. v. ad I, 111. Kœnig ad Claud. XVIII, 35 seq. et ad Pers. VI, 77. *traducit* sive transmittit Romam; non, risui omnium exponit, ut VIII, 17. — 17. *laborem ferre*, suscipere et sustinere, *indignum studiis*, inhonestum ac turpem doctis hominibus, v. c. *balneolum et furnos conducere, præcones fieri* cet. sup. v. 4 seq. *Cogetur* egestate. 18. *nectit quicumque canoris eloquium vocale modis*, venusta boni poetæ περίφρασις. *Eloquium vocale*, verba sonora s. canora, φωνήεντα, εὔφωνα, ut ap. Quintil. VIII, 3, 16. *Modi*, τόνος, μέλος, numeri, modulationes, (*tact*) certæ ac demensæ carminis singulorumque versuum partes et tempore sibi æquales, pedes. Sic et *numeris nectere verba* dixit Ovid. ex Ponto IV, 2, 30. *Laurum* vel ejus folia *mordebant* s. manducabant non modo veteres contra venena ac fulmina,[4] vel sanitatis gravisque odoris supprimendi causa,[5] sed et vates, quia his morsu illorum præsensio rerum futurarum inspirari credebatur.[6] — 20. *Hoc agite*, verba vel hortantis ad aliquid faciendum, et quidem h. l. ad laurum mordendam, h. e. carmina scribenda, vel animum ad jam dicenda attendere jubentis, ut sit id. qd. attendite, quo sensu passim hac formula utitur Terentius.[7] Grangæus et Brisson. de form. I. jam monuere, *hoc age* proprie verba fuisse præconis, quibus, magistratu res sacras faciente aut auspicia captante, admonuerit, ut attentis animis, non perfunctorie vel oscitanter sacris operam darent. 21. *Materiam*, occasionem bene faciendi et merita persolvendi præmia. Quare id quoque cuilibet agendum, ut his præmiis dignus sit. *Ducis*, Cæsaris, Imperatoris, ut II, 104. et IV, 145. — 22. *aliunde*, ab aliis, quam a Principe. *membrana croceæ tabellæ impletur* docte pro, carmina vel libri a te scribuntur. *Tabella* h. l. non tabula cerata s. pugillaris et codicillus, (πινακίδιον, δέλτος) sed generatim scriptum, libellus, volumen; et *membrana croceæ tabellæ* simpl. membrana crocea, quæ *impletur* carminibus. *Membrana*, in qua veteres scribebant, alba erant ab interiore parte, ab exteriore *crocea*, unde *bicolor* dicitur Pers. III, 10. ubi cf. Casaub. *Membrana* etiam sive pelle, quæ Gr. διφθέρα, εἴλημα, σιττύβα, φελόνη et περίβλημα vocatur, operiebantur involvebanturque nonnumquam libri, ne pulvere opplerentur; quæ ab

[4] v. Plin. VIII, 27. XV, 30.

[5] v. Athen. IV. p. 140. et Reimar. ad Dion. T. II. p. 1221.

[6] Conf. Bentl. ad Horat. Od. III, 30, 16. Spanhem. ad Callim. H. in Del. v. 94. intpp. Tibull. II, 5, 63. Casaub. ad Theophr. Char. XVI, 1. et Meurs. ad Lycophr. qui inde, æque ac Sophocles, Cassandram δαφνηφάγον dixit.

[7] v. c. Eun. I, 2, 19. 50. II, 3, 55. Andr. I, 2, 15. II, 5, 5. III, 5, 8. al.

h. l. aliena est. Præterea extremæ voluminis seu convoluti libri oræ agglutinabatur frustum membranæ, πιττάκιον, quod ornatus gratia *croco* aut minio aut purpura tingebatur et volumini non modo tegumenti seu operculi, sed etiam indicii loco erat: nam in eo titulus libri, σύλλαβος vel potius σιλλύβος, scribebatur ut sic voluminis, in armariis repositi, frons altera ejus argumentum indicaret.[8] Hanc croceam membranulam si cum Vossio l. l. intellexeris, verbum *impletur* refer ad titulum, in ea scriptum. Sed hæc ratio minus forte probabilis est, quam si *tabellas croceas* dici credideris membranas cedratas seu citratas: nam libri veterum oleo cedri, vel, ut alii putant, citri, cujus color croceus est, inungi solebant, ut a carie et tineis tuti essent.[9] Aliam interpretandi rationem proponit Ach. et quidem hanc: " *Membrana* i. e. folium (num. sing. pro plur.) vel potius *folia* ex membranis confecta, *tabellæ croceæ*, libri, cujus *tabella*, i. e. tegmen, *la reliûre*, est crocea, Gall. *un livre relié en maroquin citron*. Nam etsi vulgo Romani membranas, unam alteri jungentes, in modum longi panni, volverent circa teretem baculum citreum, eburneum, aut quovis alio ligno, umbilicum appellatum; aliquando tamen et sæpe libri, ut apud nos, in folia et paginas dividebantur et tabellis cedrinis pro tegmine muniebantur, quod vel ex v. 100. hujus Sat. patet." 24. *Lignorum aliquid ocius posce*, ut libellos a te scriptos accenso igne comburas. Sensus est: renuncia Musis studiisque; nam oleum et operam perdidisti; quo et reliqua verba v. 25—29. spectant. 25. *Veneris marito*, Vulcano, igni, *dona*, trade. Conf. Catull. XXXVI, 6 seq. et Tibull. I, 9, 49. *Thelesinus* h. l. pro quovis poeta, vel is, ad quem Satira hæc scripta est; forte idem, de quo v. Martial. III, 40. VI, 50. XII, 25. — 26. *positos*, repositos, sepositos, clausos. *pertunde tinea*, pertundendos, perforandos et carpendos permitte tineis seu blattis.[10] 27. *Frange calamos*, ut ap. Martial. IX, 74, 9. et Calpurn. Ecl. IV, 23. — *vigilata prælia*, carmina epica s. heroica, de prœliis s. bellis ducum vigilando vel multo labore multisque lucubrationibus a te scripta.[11] *dele* igne; vel superiore eaque obtusa ac

[8] Cf. Voss. ad Catull. p. m. 52 seq. Heyne ad Tibull. III, 1, 9 seq. et Rambach. ad Potteri Archæol. Gr. T. III. p. 338 seq.

[9] Cf. Rambach. l. c. p. 340. Hard. ad Plin. XIII, 13. et Heins. ad Ovid. Trist. I, 1, 5.

[10] Cf. Martial. XI, 1, 14. XIV, 57, 2. Horat. Sat. II, 3, 119. et Epist. I, 20, 12. Ovid. ex Ponto I, 1, 72.

[11] Cf. Heins. ad Ovid. Fast. IV, 109. Burm. ad Virg. Ge. I, 315. et Barth. ad Stat. Theb. XII, 811. Sic et *multo labore sudatum thoraca* dixit Sil. IV, 434. ubi v. not.

plana styli s. graphii parte, qua literæ, inferiore et acuta parte ejus exaratæ, cera obducebantur delebanturque; vel etiam pumice, ut poeta respexerit βιβλία παλίμψηστα, membranas, in quibus, quæ scribenda erant, primum verbis concipiebantur, et deinde scripta pumice *deleri* vel eradi solebant.[12] — 28. *Parva cella*, in qua pauperes habitant, ut ap. Martial. III, 48, 1. VII, 19, 21. et *tertia tabulata* sup. III, 199. ubi v. not. — 29. *venias*, fias, vel sis, ut passim ἔρχεσθαι et *venire*.[13] *Hedera* sacra Baccho, cujus comites sunt Musæ; unde ea olim coronabantur poetæ et oratores, victores in agone musico; (cf. ad v. 60.) et Romæ in bibliothecis, tam privatis, (v. ad II, 4 seq.) quam publicis, inpr. Apollinis Palatini, *imagines* (v. ad III, 219.) et statuæ doctorum non modo dedicari solebant præclaro instituto, sed et semper virenti hedera vel lauro coronari. v. Kœnig ad Pers. Prol. 5. 6. et intpp. Horat. Od. I, 1, 29. Itaque sensus h. l. est: ut dignus fias, cujus imago in bibliotheca dedicetur et coronetur hedera; h. e. ut famam nominis consequaris. *Imago macra* h. l. putatur esse ea, quæ referat maciem ac pallorem poetæ, ex assiduo labore ac studio contractam, quo sensu et *Pirenen* forte *pallidam* dixit Persius l. l. Malim tamen epitheton referre ad vilitatem honoris illius ac præmii, quod tum indignis æque ac dignis deferebatur, neque alebat, nedum ditabat poetas, qui illa ætate conficiebantur inopia et macie. *Macrum* dici potest, quod vilis exiguique pretii est, ut synon. *exile* et Gall. *maigre*, Germ. ac Batav. *mager*. Huic explicationi favent, quæ proxime sequuntur verba.

30. *Spes* præmiorum hac ætate poetis *nulla ulterior*, alia, est, præter imaginem hedera coronatam: nam Romani *divites* et *avari desertos*, doctos homines artesque ingenuas non liberaliter fovere solent, sed *admirari* solummodo ac *laudare*, et quidem, ut *Junonis avem*, pavonem ejusque caudam, *pueri*, qui cæco animi impetu ac stupore, non ratione judiciique subtilitate reguntur. 32. *Sed*, dum in studio literarum inutili versaris, *defluit*, abit, *ætas* juvenilis, robusta viribusque integra, quæ idonea est rebus gerendis et majori utilitate impendi potest *pelago*, mercaturæ, *cassidi*, militiæ, et *ligoni*, agriculturæ. *Defluit* h. l. exquisite positum: nam *fluere* et *labi* dicuntur ea, quæ ita

[12] Conf. Rambach. l. l. p. 300. Cic. ad Div. IV, 47. VII, 18. Martial. XIV, 7. et Catull. XXII, 5.

[13] v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. IV, 113. et Fast. V, 648. Vulp. et Passerat ad Prop. I, 5, 32. Heyne ad Virg. Æn V, 344. VII, 470. et ad Tibull. I, 2, 76.

fugiunt et abeunt, ut vix sentias, instar rivi leniter fluentis. *Paticns* rei vocatur, qui laborem cum ea conjunctum ferre potest. v. Mitscherl. ad Hor. Od. I, 8, 4. — 34. 35. *Tunc*, quum ætas defluxit, *tædium* studii literarum capit *et se suamque Terpsichoren*, Musam, studia, *odit*, accusat damnatque, *facunda et nuda senectus*, poeta senex et pauper, sero dolens, se studiis, nec potius aliis artibus, quibus majora sibi commoda et senectuti præsidia comparare potuisset, ætatem impendisse. *nuda*, inops, *senectus*, ut ap. Ovid. Ep. Her. IX, 154. Cf. sup. IV, 49. et 81.

36 seq. *Accipe*, audi, *nunc artes*, dolos, quibus *iste, quem colis*, sordidus et illiberalis patronus, utatur, *ne quid* tibi præmii s. adjumenti *conferat*, dare cogatur. Prima ars est: *ipse facit versus*, ut carmen carmine compenset, (ita per jocum vices rependisse Augustum Imp. poetæ Græculo refert Macrob. II, 4.) et tam præclaros versus facere, tam egregius ipse poeta esse sibi videtur, *ut uni Homero cedat*, principatum concedat, et quidem non propter ingenii carminumque præstantiam, sed *propter mille* tantum *annos*, h. e. propter vetustatem, quippe quæ a multis magis quam ipsa præstantia in libris respici et ad quam hæc æstimari solet; quod judicium vulgi ridet Horat. Epist. II, 1, 18 seq. Lepide simul in toto h. l. (v. 36—52.) perstringitur *insanabile scribendi* carmina *cacoethes*, quod tum temporis *tenebat* tot homines. Cf. ad I, 1. — 37. *quem colis*, quotidie salutas et sectaris, non sine spe mercedis consequendæ, *relicto* propterea Musarum commercio et conventu poetarum in *æde Musarum et Apollinis*; Brit. Ita et *Callistratus, quem nobilem illam super Oropo causam perorantem ipse Demosthenes, Academia cum Platone relicta, sectatus est*, ap. Ammian. Marc. XXX, 4. quem locum, ex nostro expressum, comparat Heinr. *Ædes Musarum* fuit et in prima et in quarta regione Urbis. v. Onuphr. Panvin. ap. Rosin. Antiq. I, 13. Neutra exstructa a Marcio Philippo, qui potius templum, non Musis, sed Herculi Musarum seu Musagetæ, (de quo v. Creuzer's Symbolik T. III. p. 294.) a Fulvio Nobiliore dedicatum, renovavit. (v. Burm. et Ern. ad Suet. Aug. 29. Plin. XXXV, 10. et Nardini Roma antica VII, 2.) Hoc vero templum nostro loco designari et, æque ac *Apollinis* Palatini ædem, in bibliothecæ usum cessisse atque studiosis vacasse hominibus, ibi disputantibus recitantibusque libros suos, recte, opinor, contendit Bentl. ad Hor. Epist. II, 2, 92 seq. Conf. Wieland ad Horat. Sat. I, 10, 38. et Epist. II, 3, 387. ut de bibliotheca Apollinis Palatini Kœnig ad Pers. Prol. v. 7. *æde* templo, at mox v. 40. *ædes*

privata domus. v. ad III, 31. in Var. Lect. — 39. *Mille anni* numerus magnus et rotundus, sed ad Juvenalis fere ætatem congruens. [14]

39—47. Altera ars, qua dives patronus tuus utitur, ut satis tibi præmii ac favoris contulisse videatur: Si *famæ dulcedine succensus*, accensus, impulsus, carmina tua *recitare* cupias, *ædes* quidem, in quibus recites, sed ruinam minantes omnique supellectile carentes, tibi *commodabit*, (unde magni sumtus tibi erunt faciendi in *conducenda*, disponenda ac *reportanda subsellia* cet.) et clientes tibi applaudere jubebit. Conf. ad I, 1. et 12. 13. Tacitus vel alius auctor Dial. de Orator. c. 9. de Saleio Basso poeta: (cf. v. 80.) *Quum toto anno, per omnes dies, magna noctium parte, unum librum extudit et elucubravit, rogare ultro et ambire cogitur, ut sint, qui dignentur audire; et ne id quidem gratis: nam et domum mutuatur, et auditorium exstruit, et subsellia conducit, et libellos dispergit; et ut beatissimus recitationum ejus eventus prosequatur, omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore præcepta, ad nullam certam et solidam pervenit frugem, nec aut amicitiam inde refert, aut clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed clamorem vagum et voces inanes et gaudium volucre.* Annotatio Heinr. est: " Juvenalis ædes illiberalis patroni *maculosas* dixit, araneosas eas vel textura araneorum, *maculis*, obductas: nam *maculæ* sunt intervalla texturæ, foramina sive aperturæ in reti seu reticulo; (v. Gesneri Thes. L. L. et Ernestii clav. Cic.) inde *macula* dicitur de tela araneorum, ut ap. Plin. H. N. XI, 24. s. 28. *Texere a medio incipit — maculasque paribus semper intervallis — indissolubili nodo implicat.* Quod sponte intelligitur, quam unice congruat ædificio *longe ferrato* ac deserto, hincque in situ ac squalore jacenti; quam bene denique repræsentet fortunam literatorum hominum, quibus ejusmodi ædes ruinam minantes ac plenæ araneorum *commodabantur.* Ceterum, si ab usu, legitimo tamen, quæsitioris vocabuli discesseris, in ipsa re nihil plane Satiricus est ausus, nisi quod multis modis multorum exemplo firmatum esset, quippe nihil frequentius poetis hac descriptione rerum vacuarum neglectarumque, ab aranearum texturis repetita. v. Clark. ad Hom. Od. XVI, 35. Broukh. ad Prop. III, 4, 33. Burm. ad Anthol. Lat. T. II. p. 564. Valcken. Diatr. in Eurip. Fragm. p. 169. Heyne ad Tibull. I, 10.

[14] Fuit enim Homerus annis ante Urbem conditam centum LX. post Ilium captum ducentis LX.; vet. Schol. Conf. intpp. Vellei. I, 5. et Salmas. Exerc. Plin. p. 866.

49. Doer. in Catull. XIII, 8. LXVIII, 49. Jacobs in Anthol. Gr. I, 1. p. 282." Ingeniosa hæc; sed probabilior forte emendatio vulg lectionis, quæ et Schurzfl. et mihi semper displicuit, quam interpretatio illa. Omnes certe scrupuli haud facile eximentur iis, qui contenderint, in illo Plinii loco *maculas* proprie sic dictas (Germ. *maschen*, Gall. *des mailles;*) *et paribus semper intervallis implicatas*, h. e. omnes ejusdem magnitudinis, designari, et neque tales maculas alicubi *intervalla*, neque ipsas aranearum texturas usquam *maculas* dici; præterea has aranearum telas bene *maculosas* dici posse, non item ædes araneosas; denique vetus scholion (v. Var. Lect.) omnino favere lectioni nunc receptæ *maculosas*, sed illud leniori forsan medicina adhibita et sic integritati restituendum: *alii: sordidas dixit* scil. poeta vel *dici, alii pictas*, adeoque illam explicationem ad vulgarem vocis *maculæ* significatum, sordium s. labis, referendam esse, hanc ad illas *maculas*. Conf. ad VI, 80. Postquam hæc scripseram, vidi, interpretationem illam propter similes aliasque rationes in dubium quoque vocatam esse a viro docto in Jen. Allg. Lit. Zeit. a. 1810. N. 285. p. 479. Jam vero ultra quærendum videtur, utrum poeta *maculosas ædes* pro araneosis aut potius sordidis dixerit, an alia usus sit voce. 41. *longe*, et diu, et valde, *ferrata domus*, pessulis ferreis occlusa;[15] vetus et ruinosa, in qua diu jam nemo habitavit, et quæ propterea objicibus clatrisque probe et undique munita est. *scrvire*, usui esse, patere, permitti poetæ recitaturo. 42. *Janua* propr. est privatarum ædium et *porta* urbis. *portas sollicitas*, portas urbis sollicitæ et anxiæ metu hostium tempore belli et oppugnationis, adeoque valde munitas. *imitatur*, non minus fere munita est. 43. 44. Patronus etiam dat *libertos*, qui tibi recitanti applaudant, et *comites*, h. e. clientes et servos, comites divitum nobiliorumque, (conf. I, 46. III, 47. 284. VII, 142.) qui acclament *Euge, Bene, Belle, Recte* cet. quæ laudis assensionisque indicia pretio vestis, cœnæ cet. emuntur. v. ad I, 1 seq. *Ordinis*, subselliorum, *extrema in parte sedentes*, ne conspiciantur, nec quisquam animadvertat, quisnam applaudendi acclamandique initium fecerit, doctus an indoctus. *magnas voces*, clamores, *disponere*, præparare vel commovere, signo concinendi dato a μεσοχόρῳ, de quo v. Plin. Epist. II, 14. — 45. *regum;* v. ad I, 136. Reliqua verba recte, opinor, exposuit Lipsius Epist. ad Belgas Cent. II. Ep. 48. ubi præter alia leguntur hæc: " Juvenalis tria ostendit in his audi-

[15] v. Salmas. Exerc. Plin. p. 649. et Sagittar. de januis, in Thes. Græv. T. VI.

toriis fuisse, Subsellia, Anabathra, Orchestram: *Subsellia*, in medio ac planicie atque, ut ita dicam, æquore atrii; *Anabathra*, ἀναβαθρα, subsellia ad latera, quæ adsurgerent gradatim et per scalas, theatrali more, subselliis exstructis aliis super alia; denique *Orchestra*, e *cathedris*, quæ in fronte ante ipsum recitantis suggestum dispositæ honestioribus, extra auditorum plebem, plane ut in theatris, ubi inferiore et primore illa parte primores et Senatores sedebant." *anabathra*, v. Var. Lect. *pendent*, eleganter, ob altitudinem: nam quæ prælta sunt, *pendere* quasi videntur.[16] *reportandis cathedris*, quia *conductæ* vel ab suis locis huc collatæ; Schol.

48—52. Miratur Juvenalis et ridet stultitiam poetarum, qui, quum nulla laborum præmia consequantur, tamen stolida ambitione ducti certatim scribant carmina et recitent. Cf. ad I, 17. 18. *Nos*, bene et modeste; nam poeta loquitur et suam quoque stultitiam damnat. *hoc agimus*, poesi operam damus; quod studium non modo difficile est ac molestum, sed et præmiorum atque commodi spe caret. *tenui in pulvere sulcos ducimus et litus sterili versamus aratro*, frustra laboramus et studium in poesi ponimus, non majori spe emolumenti, quam si arenosum araremus solum ac litus. Ita proverbii loco dicitur *arenæ mandare semina* et *litus arare*.[17] *aratro sterili*, vano, inutili, sine emolumento ejusque spe, ut *sterilis cathedra* et *amicus* v. 203. XII, 97. Mart. I, 77, 14. X, 18, 3. — 50 seq. Nam adeo huic poeticæs studio dediti sumus, ut, si vel velimus s. cupiamus et conemur *discedere* ab eo et utilioribus studiis animum applicare, prava scribendi libido et ambitio nos quasi vinctos teneant et obtorto collo ad carmina scribenda impellant. Conf. ad XIII, 239 seq. *ambitiosi mali*, ut *ambitiosa paupertas* III, 182. *Ambitio* propr. popularis gratiæ studium et captatio ad obtinendos honores, unde suam quoque ambitionem laudat Cicero: deinde vanæ gloriæ affectatio; quam vocis significationem sub Cæsaribus demum in usum venisse, existimant Gron. ad Liv. XLV, 36, 8. et Spalding ad Quintil. Inst. Or. I, 2, 22. — 52. *Cacocthes scribendi insanabile tenet multos*, ut στέξαι τὴν νόσον οὐ δύναμαι dixit Palladas Epigr. XV, 4. in Brunck. Anal. T. II. p. 410. et *morbum* Ovid. Trist. II, 16. *Cacocthes*, κακὸν ἦθος, malus mos, natura, ingenium. Medicis κακόηθες dicitur, quod curatu difficile vel adeo insanabile est, v. c. carcinoma vel aliud corporis ulcus. v. Plin.

[16] v. ad XI, 107. ad Sil. I, 128. et VI, 645.

[17] v. Erasm. prov. et intpp. Ovid. Ep. Her. V, 115. 116.

XXII, 25. XXIV, 3. et 10. Cels. V, 28, 2. Hinc ad animi quoque vitium inveteratum transferri potest; et quidem h. l. ad scribendi libidinem, quæ aliis *scabies, prurigo, pruritus, insania* dicitur. *scribendi* inpr. carmina, poetandi. *ægro in corde*, in animo, qui scribendi libidine et ambitione, tamquam morbis, laborat. *senescit*, inveterascit.

53—81. Juvenalis, cujus ætate, ut et nostra, multi erant, quos *paupertas impellebat audax, ut versus facerent*, (quod Horatius de se ipso quoque profitetur Epist. II, 2, 51.) præclare docet, poetam egregium esse non posse, cujus mens non vacua sit curis et qui rei familiaris angustia prematur, quæ non det facultatem poeticam, a natura negatam, sed ingenii potius vires frangat. Re vera tamen ingenium naturæ donum est et neque opibus neque paupertate per se aut acuitur, aut minuitur. Hæc sæpe ejus nutrix et artium mater est, (conf. ad III, 78.) quod vel ex Horatii et Persii (v. ei. Prol. v. 8 seq.) exemplis intelligitur. Horatius tamen naturam quoque fautricem habuit in tribuendis animi dotibus nec vitæ sustentandæ causa carmina fecit, sed ut inclaresceret atque in Augusti et Mæcenatis gratiam insinuatus honoribus opibusque augeretur. Neque multi erunt, quibus contigerit tam felicibus esse, ut tales patronos inveniant et hoc modo sibi comparent.[18]

53—56. Ornata poetæ egregii descriptio, sed minus venusta, quam Horat. Sat. I, 4, 43. 44. Displicet certe nimium artis doctrinæque ostentandæ studium; nam eadem res triplici verborum varietate ac metaphora designatur et quatuor epitheta synon. junguntur, *publicum, expositum, commune, triviale.* Farnabius hæc verba pæne conversa putabat ex Aristoph. Ran. v. 96. 97. Γόνιμον δὲ ποιητὴν ἂν οὐχ εὕροις ἔτι, Ζητῶν ἄν, ὅστις ῥῆμα γενναῖον λάκοι. *publica vena*, vulgare ingenium et facultas poetica. *Venam* venuste transferunt poetæ a metallis ac fontibus ad ingenium; unde et nobis dicitur *poetische ader*, Gallis *veine poetique, une veine féconde et tarie, la douceur de sa veine*, Anglis *poetical vein.* — 54. *expositum*, commune, vulgare, vulgo notum.[19] *deducere*, facere, componere carmen, verbo translato a filo vel lana in filum deducta; (cf. inf. v. 224.) unde *tenui deducta poemata filo* dixit Horat. Epist. II, 1, 225. *deducere carmina* s.

[18] Cf. inf. ad v. 62. Jani in vita Horatii ad U. C. 715. et Casaub. ad Pers. Prol. v. 10 seq.

[19] Sic ap. Quintil. Inst. Or. II, 5, 19. (ubi v. Spalding) X, 5, 11. Stat. Silv. I, 2, 24. et Theb. II, 188. ubi Schol. vetus exponit: faciles oppido, obvii, parati.

versum Ovid. Trist. I, 1, 39. ex Ponto I, 5, 13. alii *texere, contexere, detexere, subtexere carmina,* νήθεσθαι ἀοιδάς Antipater Epigr. LXX. in Brunck. Anal. T. II. p. 25.[20] 55. *Carmen feriat communi moneta,* ornate pro, stylo vulgari scribat et ingenio parum subtili; similitudine petita a numis vulgaribus uniusque notæ ac formæ et, qui eos procudunt, monetariis, unde *Græcas voces Latina moneta percutere* dixit Apul. Apol. p. 298, 33. ed. Elm. et *omnia facta dictaque una forma percussa* Sen. Ep. 34. extr. Cf. Bentl. ad Horat. A. P. v. 59. *Moneta* h. l. nota impressa, forma, χαρακτὴς, κόμμα s. σφράγισμα, Germ. *stempel. Carmen triviale,* inconditum, rude ac plebeium, quale canitur a plebe in vicis, (unde *maledictum arripere ex trivio* ap. Cic. pro Mur. 6. pr. et Germ. *gassenlied*) vel ex tempore ab agrestibus componitur hominibus viatoribusque in triviis, ut otium aut laborem fallant.[21] — 56. Venuste de poeta egregio.[22] *monstrare,* ostendere, vel adumbrare verbis. *sentio,* concipio mente, qualis sit et esse debeat. — 57. Cf. Ovid. Trist. V, 12. et Horat. Od. I, 26, 1. *omnis acerbi impatiens,* active, qui nihil acerbi patitur, nihil mali aut molesti sentit. 58. *cupidus silvarum,* amans secessus, solitudinis agrestis et rusticarum amœnitatum, quæ poetas fingunt, dum alunt eorum ingenium et phantasiam inflammant.[23] 59. *Aonides* et Aoniæ, h. e. Bœotiæ, sorores dicuntur Musæ, quoniam Aonia pars montana Bœotiæ et non modo Helicon mons in ea, sed etiam in hoc *fontes* fuere Musis sacri, Hippocrene et Aganippe; de quibus qui *bibebant,* repente afflari numine Musarum atque Apollinis et sic poetæ fieri credebantur, quod tamen recentioris ævi commentum esse videtur.[24] Hinc *aptus bibendis fontibus Aonidum* dicitur, cui tributum est a natura ingenium poeticum, quod divino quasi spiritu inflatum exquisitiores excelsioresque, quam vulgus hominum, concipit sensus. 59. *cantare sub antro Pierio,* φωλεοῖς Parnassi s. Heliconis, carmina digna Musis et Apolline, h. e. apta et præclara, non sine aliquo cœlesti mentis instinctu fundere.[25] Hinc ἀποφωλεοὶ indocti; Grang. 60. *thyrsum,* hastam hedera pampinisque cinctam, qua Bacchus et Bacchæ utebantur, *contingere,* h. e. furorem, ἐνθουσιασμὸν, concipere, quem thyrsi tactus et percussio immittere credebatur;

[20] Cf. Scalig. Poet. IV, 20. Casaub. ad Pers. V, 5. et intpp. Tibull. IV, 1, 211.

[21] Cf. X, 22. Ovid. Trist. IV, 1, 5 seq. Calpurn. Ecl. I, 28. ibique Wernsdorf in Poet. Lat. min. T. II. p. 80.

[22] Cf. Engeri Comment. ad Horat. loca quædam p. 18.

[23] v. ad v. 8. Tacit. vel alius auctor Dial. de Orator. c. 9. extr. intpp. Horat. Od. I, 1, 30. et IV, 3, 10—12.

[24] v. Kœnig ad Pers. Prol. v. 1. et intpp. Prop. II, 8, 19 seq.

[25] Cf. ad v. 8. Bentl. et al. ad Horat. Od. I, 32, 1. II, 1, 39. III, 4, 40.

unde θυρσοπλῆγες insanientes in orgiis Bacchi. Baccho autem commune cum Apolline Parnassi imperium poetarumque tutela et enthusiasmus tribuitur.[26] *Paupertas*, pauper poeta. Cf. ad v. 53. *sana*, quæ furorem poeticum, ἐνθουσιασμὸν, non concipit, nec concipere potest; quæ non apta est furori sensibusque celsioribus concipiendis. Poetæ autem proprium est *insanire* ac *furere*, ἐνθουσιάζειν, a Baccho aut Apolline ad furorem et insaniam adigi. *Excludit sanos Helicone poetas Democritus*, Horat. A. P. 296. — 61. *quo* ære *nocte dieque corpus eget*, quæ semper fame conficitur et caret pecunia, qua parare possit, quæ ad cultum victumque suppeditent. — 62. Hoc facete dictum pro: non pauper erat Horatius, ἔνθεος et divinus poeta, quum excelsiori sensu phantasiæ plenus carmina præclara funderet, inpr. lyrica vel adeo dithyrambica effrenatioris enthusiasmi plena, quale est Od. II, 19. nam ejus vss. 5 seq. respexisse videtur Juvenalis, quemadmodum mox v. 68 seq. præstantia carminis Virgiliani ex egregia tractatione loci de Alecto Turno immissa Æn. VII, 323 seq. probatur. At quomodo his congruunt ipsa verba Horat. Epist. II, 2, 49—54? Non satis, opinor, est, cum Wielando ad h. l. T. II. p. 162 seq. dixisse, hæc scripsisse Horatium, quum mens ei atra bile mota esset. Sed poetæ forsan in mentem venit, sibi exemplum Horatii opponi posse, qui pauper primum fuerit et ipse l. l. confessus sit, se paupertate ad carmina scribenda impulsum fuisse; ut itaque sensus h. l. sit, Horatium jam liberalitate Mæcenatis et Augusti divitem factum esse, quum plurima optimaque scripserit carmina. Constat etiam, eum initio plures satiras fecisse, quam odas, nec diu in egestate versatum esse: nam ante prœlium Philippense percommoda ejus ac splendida fuit vita, et jam triennio post in Mæcenatis amicitiam receptus et ex paupere dives factus est. Cf. ad v. 53 seq. *quum dicit Euœ*, in summo scil. enthusiasmo, Od. II, 19, 5. 7. v. Excurs. ad h. l. et intpp. Eurip. Bacch. v. 141. 63. *Quis locus*, copia, facultas, *ingenio* exercendo ac promendo. *se vexant*, vexantur, agitantur, et hoc gravius quam vulg. occupantur. *dominis Cirrhæ Nysæque*, ab Apolline et Baccho, vel eorum instinctu et afflatu, *feruntur*, commoventur animo vel in furorem conjiciuntur. *Ferri* et *agi* dicuntur, qui nimia animi commotione quasi excæcati nesciunt, quid agant, et vel cæcis vel furentibus similes agunt.[27]

[26] Cf. ad v. 29. et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 19, 1.

[27] v. Burm. ad Ovid. Ep. Her. XV, 140.

Cirrha Phocidis urbs et navale Delphorum, ubi Apollinis oraculum erat, unde is non modo *Delphicus*, sed et *Cirrhæus* dicitur. *Nysa* urbs vel mons Baccho sacer. Sed undecim hujus nominis urbes montesque a variis scriptoribus memorantur.[28] 65. *duas curas*, poeticæ et rei familiaris.

66—71. *Magnæ mentis*, ingenii tantum animique generosi et excelsi, spiritu divino instincti et magnificis phantasiæ sensibus pleni, *nec de lodice*, lecto, (v. ad VI, 196.) h. e. cultu ac victu vel re familiari *paranda attoniti*, valde solliciti, h. e. sereni curarumque expertis, *opus*, proprium, est, *adspicere*, in enthusiasmo cernere ea, quæ vulgus hominum non videt, v. c. *currus*, *equos faciesque Deorum*, qui rebus in bello gerendis intersunt, vel horrendam faciem *Erinnyos*, Furiæ Alectus, quæ *Rutulorum* regem Turnum *confudit*, animum ejus ita perturbavit, ut in furorem incideret, et quam fingit Virgilius Æn. VII, 450. *geminos erexisse crinibus angues* cet., et v. 511 seq. *gravi* sono *buccinæ* ruricolas convocasse: quam Furiæ machinationem diramque formam non tam præclare comminisci et tam exquisitis coloribus adumbrare potuisset, (Æn. VII, 323—571.) si *puer*, servi vel magnus servorum numerus, et *tolerabile hospitium*, domus, ei *deesset*, defuisset, h. e. si non dives fuisset; tum enim hydros non erectos, sed *cadentes a crinibus* perperam finxisset, et *buccina* fuisset *surda*, non data Furiæ neque tam horrendus ei tributus esset sonitus. Hoc vero dictum est pro: Virgilius, si pauper fuisset, scribere non potuisset Æneidem, divinum carmen, quod non minus rerum, phantasmatum commentorumque delectu atque subtili inventione et narrationis præstantia, quam orationis dignitate et ornatu excellit. Hæc est sententia præclari hujus loci atque nobilitati judicio, quod poeta tulit de loco illo Virgil. Æn. VII, 323 seq. quem egregie quidem tractatum ornatumque, at inventi subtilitate vel sollertia non adeo insignem esse, jam monuit Heyne. Cf. ad v. 62. Virgilius, si Donato fides habenda in vita ejus c. 6., *possedit prope centies sestertium ex liberalitate amicorum, habuitque domum Romæ in Esquiliis juxta hortos Mæcenatis, quamquam secessu* in villa *Campaniæ*, non longe a Nola, (v. Gell. VII, 20.) *Siciliæque plurimum uteretur*. Eumdem tamen fame et miseria, æque ac Horatium, ad versus scribendos fuisse perpulsum, Grammatici ex Ecloga prima perperam colligebant. (v. Heyne

[28] v. Heyne ad Apollodor. III, 4, 3. Symbolik T. III. p. 116. 138. T. IV. et ad Virg. Æn. VI, 806. Creuzer's p. 77 seq. 211 seq. 255.

in vita Virg. ad a. U. c. 713.) — 70. *caderent* pro cecidissent. 71. *Surda* et *κωφὰ* poetis non modo dicuntur, quæ non audiunt, sed etiam quæ non audiuntur, muta, tacita, ut h. l. et XIII, 194. *verbere surdo*, h. e. occulto, cujus sonitum nemo audit, sed animus sentit. v. ad Sil. VI, 75. *gemeret*, v. ad II, 90.

71 seq. *Poscimus* injuste, ut poetæ nostri temporis, qui ab inopia vexantur, ingenii carminumque præstantia et solerti studio non inferiores sint antiquis poetis, qui honoribus opibusque affluebant. 72. *antiquo cothurno*, priscis poetis Tragicis, *non minor*, inferior, *sit*, iis non cedat gravitate ac majestate, vel grandi genere loquendi. Cf. ad VI, 506. *Rubrenus Lappa*, poeta haud dubie tragicus et pauper illius ævi, cujus tamen non alibi, quod sciam, fit mentio. — 73. Hoc exquisite dictum pro: *cujus Atreus*, h. e. qui *Atreum* tragœdiam scripturus *alveolos*, paropsides, (ut V, 88.) et *lænam*, (v. ad III, 283.) h. e. supellectilem suam, *pignerat*, h. e. ob paupertatem oppignerare vel pigneri dare s. opponere cogitur, ut alimenta emat; nisi cum Turnebo (Advers. XXIV, 4.) et aliis verba *cujus lænam pignerat Atreus* docte, etsi eodem sensu, dicta censeas pro: in causa est vel facit, ut oppigneranda sit læna; ut inf. v. 135. *purpura vendit causidicum* pro: efficit, ut causidicus majori pretio conducatur. Cf. ad III, 116. et VII, 92. Satiricam magis et subtiliorem forte interpretationem hanc proposuisse sibi videtur Achaintre: *cujus Atreus*, tragœdia, quam nunc scribit, *pignerat alveolos et lænam*, est pignus pretii vasorum et vestis, quæ ære alieno emit: quod idem est, ac si obrutus alieno ære creditoribus suis se soluturum promisisset, quum, tragœdia scripta et acta, pretium ejus et mercedem recepisset. Non male! sed *pignerare aliquid* non significat pignus ejus aut pretii ejus esse, sed pigneri illud vel dare vel accipere.[29] *Atreus* tragœdia vel ejus titulus, ut *Agave*, *Pelopea*, *Philomela* v. 87. et 92. vel *Telephus*, *Orestes* et *Tereus* I, 5. 6. VII, 12. 74—78. *Numitor*, h. e. Romani divites nobilesque (v. ad VIII, 93.) parci sunt ac sordidi in *amicos*, poetas aliosque clientes et viros bonos, sed prodigi in Venerem ac voluptates. Idem valet de Numitoribus nostræ ætatis. *Infelix εἰρωνικῶς* dicitur dives Numitor, qui et infelix sane fuit perverso judicio et usu opum. v. ad VIII, 93. *Quintillæ*, amicæ, meretrici.

[29] Male alii: qui ob inopiam Atreo feneratori res suas oppignerat. Vetus Schol. "*Atreus* fenerator, vel, quia *Atreum* scribit, ut sumtus habeat, et res suas *pigneri* dat: *alveolus* est tabula calculatoria, lusoria."

Pauper amicitiæ quum sis, Lupe, non es amicæ cet. Martial. IX, 3, 1. — 76. Divites Romani immensos sumtus impendere solebant in feras mansuefaciendas et in vivariis vel caveis pascendas.[30] — 77. 78. Facete et σκωπτικῶς: Poeta non tam paucis sumtibus ali potest et plus comedit, quam leo. *Nimirum,* v. ad II, 104. *capiunt,* v. Heins. ad Ovid. A. A. III, 757.

79—81. Dicas forte, poetas debere *contentos* esse *fama,* sola gloria: ita vero, si divites sunt, ut *Lucanus;* sed quid pauperibus proderit *gloria quantalibet,* quamvis maxima, si præterea nihil habent? *Quotusquisque etiam, quum ex Hispania vel Asia, ne quid de Gallis nostris loquamur, in Urbem venit, Saleium Bassum requirit? atque adeo si quis requirit, ut semel vidit, transit et contentus est, ut si picturam aliquam vel statuam vidisset;* Tac. de Orat. c. 10. M. Annæus *Lucanus,* L. Annæi Mellæ, fratris Senecæ, filius, notissimus poeta et ditissimus Eques Rom., quem etiam Nero Imp. variis auxerat honoribus. De ejus et patris divitiis v. Tac. Ann. XVI, 17. et Wernsdorf Poet. min. T. IV. p. 41 seq. *Famam* ei vivo invidebat Nero, nec tamen mortuo, quod vel intelligitur ex vet. inscr. M. ANNÆO LUCANO CORDUBENSI POETÆ BENEFICIO NERONIS FAMA SERVATA. *jaceat,* in otio vivere potest et jacere in lectulo lucubratorio, in quo veteres studere, legere ac scribere solebant; (v. ad v. 105. in Var. Lect.) adeoque carmina scribere potest in otio, solam sectans gloriam et expers curarum. *in hortis marmoreis,* qui marmore s. marmoreis columnis ac statuis exornati sunt et abundant. In hortis plerumque etiam scribebant poetæ; Ach. coll. Ovid. Trist. I, 11, 37. Sed ibi forsan et h. l. *horti* sunt villæ, ut ap. Plin. XIX, 4 pr. Cic. Off. III, 14. et al. Villæ autem et domus marmoreis pavimentis, columnis signisque ornari solebant. *Serranus* et *Saleius,* poetæ pauperes illius ætatis. Ille memoratur etiam Martial. IV, 37, 3. at notissimus *Saleius* Bassus, poeta egregius ac *tenuis,* h. e. pauper.[31] Cf. Excurs. ad h. l.

82—87. Insignis laus *Statii* poetæ et dulcedinis carminum ejus, at forte non sine subtili cavillatione; quam etiam notasse videtur Suet. in vita Juven. (v. sup. Vol. I. p. XXXIX. n. 6.). Rigaltius et

[30] Cf. Martial. I, 105. Plin. VIII, 17. et 52. Capitolin. in Gordianis c. 33. Lamprid. in Heliog. c. 21. al.

[31] v. Quintil. X, 1. Tac. de Orat. c. 5. et 9. Martial. III, 47. 58. V, 24. 54. VII, 95. VIII, 10. et Wernsdorf. Poet. Lat. Min. T. IV. p. 41—46. ubi ei, non Lucano, carmen vel Panegyr. ad Calp. Pisonem tribuitur.

Hennin. suspicantur, poetam de Statio, propter orationis lenocinia et calamistros, ut de lenone, loqui. Vix crediderim; certe non nisi v. 87. et forte ne ibi quidem, at v. 82—85. ut de meretrice, *amica*, cujus *vox jucunda* est, quæ *promittit* noctem, quæ *dulcedine* magna *captos afficit animos* magnaque *libidine auditur*. Idem Hennin. putabat, Statium satirica bile in transitu notari ob superbam Thebaidos perorationem occultumque odium in Martialem, Juvenali amicissimum. Sed hic poetæ nostri locus laudem potius miserationemque spirat et vana sunt, saltem dubia, quæ de odio illo disputavit et Hennin. et Gevart. Lect. Papin. c. 35. *Curritur* certatim catervatimque *ad jucundam vocem* recitantis Statii, quum is *promisit*, edixit, (nam edicto s. programmate recitationes, ludi cet. indicebantur) *diem*, quo recitaret *Thebaidem*, carmen suum de bello Thebano *amicum*, gratum omnibus et acceptum, vel dulce. — 85. *libidine*, summa cupiditate ac voluptate. 86. Statius Domitiano propter extemporalem carminum componendorum facilitatem gratissimus fuit et ab eo tam coronis et auro, quam agro Albano donatus; idemque ter in Quinquatribus Minervæ s. Albano agone victor fuit et coronatus, quum carmina de rebus a Domitiano in bello Germanico et Dacico gestis recitasset, sed semel victus in Quinquennalibus Capitolinis.[32] In hoc tamen agone Capitolino, in quo non nisi laudes Capitolini Jovis cani solebant, non recitavit Thebaidem suam; neque *fregit subsellia versu* h. l. dictum pro, non stetit, excidit, h. e. non placuit; quod contendebant Plathnerus (qui putabat, salse dici *subsellia fracta* non auditoribus, sed *versu*, h. e. Papinium excidisse) et Scaliger Lectt. Auson. I, 10. quem jam refutavit Casaub. ad Suet. Dom. 4. ubi docet, sensum h. l. esse, Statium vehementissime placuisse, sic ut applausu, κρότῳ et acclamationibus auditorum (sed forte *vulgi* tantum, infimæ plebis) *subsellia* quasi *fracta* sint. v. ad I, 13. Verba tamen hæc et Sidonii, ad I, 13. laudata atque ex h. l. expressa, ita potius explicanda videntur: *versu*, recitatione carminis sui talem hominum multitudinem concivit, ut *subsellia* tantum oneris sustinere non potuerint et *fracta* sint; ut ap. Suet. Claud. 41. — 87. *Esurit*, esurivisset, post tantum favorem et applausum, *nisi Paridi* pantomimo (de quo v. ad VI, 87.) *vendat*, vendidisset, *Agaven*, fabulam s. tragœdiam suam de Agave,

[32] v. Barth. ad Stat. Silv. III, 1, 61 seq. 5, 28 seq. IV, 2, 62 seq. 5, 1 eq. V, 3, 215 seq. 229 seq. et Theb. XII 812 seq. Gyrald. hist. poet. p. 242 seq. Casaub. ad Suet. Domit. c. 4.

(v. ad v. 73.) filia Cadmi et Harmoniæ, uxore Echionis et matre Penthei, de qua v. Ovid. Met. III, 501 seq. et Brunck. Anal. T. III. p. 225. ep. 353. Alia Agave Danai, et alia Nerei filia fuit. Hæc quidem Statii tragœdia neque exstat amplius, (ut nec carmina ejus de bello Germanico et Dacico Domitiani) neque ab aliis memoratur. Nec tamen propterea, et quia Statius Agaves meminerit in Thebaide, (lib. III, 190. IV, 565. XI, 318.) cum Parrhas. Quæst. Epist. 4. intellexerim *Thebaidem* forte tunc nondum editam, ut pars pro toto dicta sit. Nam quis umquam carminis, et quidem tam prolixi, titulum a persona, ter in eo memorata, et ne primaria quidem, petiit? et cur histrio epicum carmen emit? *Vendere* solebant poetæ fabulas suas Prætoribus, vel Ædilibus vel aliis, qui ludos edebant; quod vel ex Terent. Hec. Prol. I, 7. II, 49. Ovid. Trist. II, 507 seq. al. notum est. Histrio h. l. tragœdiam emisse dicitur: sed qualis? v. ad VI, 87. *intactam*, novam, non antea lectam, saltatam, cantatam, recitatam, vel evulgatam et in scena actam, (nam fabulæ, ante quam producerentur in scenam, recitabantur amicis virisque doctis, unde *His necdum commissa choro cantatur Agave* ap. Claud. Eutrop. II, 364.) vel fabulam, cujus argumentum nullus adhuc Romanorum poeta *attigit*, tractavit; (ut ap. Virg. Ge. III, 41. Horat. Sat. I, 6, 66. ipsumque Stat. Sylv. I, 2, 238. III, 1, 67.) nisi simul respexit poeta illam vocis notionem, de qua v. ad VI, 163. Rigaltius et Hennin. hoc loquendi genus petitum putabant a lenone, (v. ad v. 82 seq.) et C. Valesius h. l. ita interpretabatur: *nisi vendat Paridi Agauen intactam*, nisi ad lenocinium se contulisset lepidamque aliquam virginem seu meretriculam, nulli viro cognitam et tactam, Paridi suppeditasset. At leno proprie non *vendere* solet meretrices, neque etiam *intactas* virgines; nisi dicas, eum hoc simulare certe aut dictitare.

88 seq. Salse hæc dicta et in Paridem, qui, histrio quum esset, apud Domitianum gratia plurimum valebat, et in ipsum Imperatorem, qui tali homini etiam *honorum largiendorum* vel vendendorum potestatem indulserat, et in *proceres* Rom., qui non amplius patroni erant doctorum hominum, eosque nec præmiis nec honoribus augebant. Hæc vero figurate potius in se et Paridem, histrionem alium, qui sibi in deliciis fuerit, dicta esse, Hadrianus putabat. v. sup. vit. Juven. *Ille* Paris. *militiæ honorem*, gradus militares, v. c. præfecturas et tribunatus v. 92. — 89. *Aurum*, h. e. annulum aureum, ut sup. I, 28. plerique referunt ad equestrem dignitatem, alii vero rectius ad tribunatum militarem, *vatibus* s. poetis a Paride impetra-

tum ac tributum, quæ ratio cum ex v. 88. (*militiæ honorem*) et 92. (*Præfectos facit et Tribunos*) probabilis fit, tum ex epitheto *semestri*. Veram h. l. sententiam jam declaravit Lipsius Mil. Rom. II, 9. his verbis: " Ævo Augusti aliud discrimen Tribunorum mil. subortum, ut quidam *Laticlavii*,[33] quidam *Angusticlavii* essent; illi, qui ex Senatu, isti, qui ex Equite nati.[34] Utrumque genus ambitiose petitum et datum; et quo pluribus gratificari possent, factum *semestre*, unde *semestris tribunatus* ap. Plin. Ep. IV, 4. Juvenalis appellat scite *semestre aurum*, quia annulo etiam aureo Tribuni utebantur, quod Appianus notavit in reb. Pun. c. 104. χρυσοφορεῖσι γὰρ τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἑλαττόνων διδηροφορούντων. Suetonius vel alius auctor vitæ Juvenalis scribit: *Satiram non absurde composuit in Paridem, pantomimum Domitiani, poetamque P. Statium, ejus semestribus militiolis tumentem.* Sic appellat istas præfecturas et tribunatus, a temporis scilicet modo." [35] — 90. *Camerinos* dixit poeta pro quibusvis nobilibus, ut VIII, 38. ubi v. not. Sic et *Bareas*, quod est cognomen Marciæ gentis. (v. ad III, 116. et ad Tac. Ann. XII, 53.) *Tu curas nobilium atria*, nonne stulti estis, poetæ, qui colitis proceres ac nobiles, nihil vobis dantes per avaritiam literarumque contemtum? quin colite Paridem histrionem, Mæcenatem doctorum hominum! *magna atria nobilium*, ut ap. Mart. III, 38, 11. v. ad v. 7. — 92. Hic versus poetæ causa fuit exsilii Ægyptiaci, quia Hadrianus suspicabatur, *Paridis* nomine figurate notari histrionem, qui tum in deliciis aulæ erat. v. sup. vit. Juven. et ad IV, 58. *Pelopea* et *Philomela*, tragœdiæ de iis scriptæ, et forsan venditæ vel oblatæ Paridi, qui propterea auctores earum *fecit præfectos et tribunos*. v. ad v. 73. *Pelopea*, Πελόπεια, Peliæ filia, de qua v. Heyne ad Apollod. I, 9, 10. Alia fuit filia Thyestæ, e qua ipse Ægisthum genuit, (v. Hygin. f. 88.) nisi hæc Πελοπία dicta, ut et Amphionis e Niobe filia ap. Apollod. III, 5, 6. et mater Cycni ibid. II, 7, 7. De *Philomela* v. ad VI, 644. C. Valesii nota est: Designantur *Pelopeus* et *Philomelus*, histriones divites et potentes, (de hoc v. Martial. III, 31, 6. et IV, 5, 10.) quos nomine feminino vocat Juvenalis *Pelopeam* et *Philomelam*, quod histriones molles et impudici omnes erant; unde Apuleius de quodam ait: *nihil histrionis habuit præter impudicitiam.*

[33] vel *Equites illustres*, qui *egregii* vocantur X, 95. ubi v. not. Cf. ad IV, 32.

[34] conf. Intpp. Suet. Aug. 38. et Oth. 10. Tac. Ann. II, 59. et XI, 4.

[35] Conf. Salmas. Exerc. Plin. p. 450. Kirchman. de Ann. c. 17. et Var. Lect.

93. Non invidendum est *vati*, poetæ, (Statio et aliis) qui fabulas histrionibus Prætoribusve vendendo (v. ad v. 87.) vitam sustentat et parum inde lucratur, inpr. si non placent fabulæ auditoribus et præcipue plebi, ex cujus incerto favore vita ejus ac fama pendet. Quæ misera omnino conditio est et tamen hac ætate sola vitæ tolerandæ ratio poetis reliqua: nam (v. 94 seq.) ubi nunc invenias patronos virorum doctorum, quales olim fuere *Mæcenas, Proculeius, Fabius, Cotta* et *Lentulus,* qui non modo æquum ac subtile judicium de ingeniorum scriptorumque præstantia ferre poterant, sed et *par ingenio pretium,* digna ingeniis præmia, liberaliter tribuere solebant? *Pulpita* h. l. fabulæ, quas vendit, vel scena; non recitatio carminum: nam recte jam Ferrarius Elect. II, 11. monuit, nihil poetas recitatione sterili, præter acclamationes, lucratos esse, nec in *pulpitis* recitationes habitas, sed in iis tacite histriones saltasse fabulas, a poetis emtas. v. ad XIV, 257. — 94. 95. De *Proculeio* v. Mitscherl. ad Horat. Od. II, 2, 5. Lips. ad Tac. Ann. IV, 40. Burm. ad Quintil. VI, 3. et Harduin. ad Plin. VII, 45. De *Fabio* Ernesti in clav. Cic. " Hoc nomine utuntur veteres in iis rebus, quæ liberalium hominum sunt, quum neminem nominare volunt, uti JCti fere nomine *Caii* et *Titii* utuntur." Poeta forte potissimum h. l. respexit Fabium Max. de cujus liberalitate v. Quintil. Inst. Or. VI, 3. et Ovid. ex P. I, 2. 5. 9. II, 3. III, 2, 1. (ubi conf. Heins.) III, 3. 8. *Cotta* haud dubie, certe potissimum ille, quem tantis laudibus celebrat Ovid. ex P. II, 8. III, 2. et 5. IV, 16, 41 seq. Cf. Heins. l. l. Eumdem sup. V, 109. intelligerem, nisi cum Seneca ibi ac Pisone jungeretur. *Lentulus,* v. c. P. Lentulus Spinther, cujus opera Cicero revocatus, et de quo v. Cic. ad Div. I, 1 seq. et al. — 96. *Tunc utile multis* erat *pallere,* studiis adsidue incumbere, et ipso *Decembri,* in quo omnes genio indulgent Saturnalium tempore,[36] *vinum nescire,* ejus usu abstinere, ne multo cibo vinoque completi a studiis abhorrerent. Studia vocant spiritus calentes a ventriculo ad caput, et impediunt cibi concoctionem cruditatesque pariunt, unde *pallor* contrahitur; Grang. *Solitaria et velut umbratili vita pallescere* dixit Quintil. Inst. Or. I, 2, 18. ubi Spalding hæc notavit: " Pallor, infirmæ valetudinis index, doctorum et libris immorientium non minus est quam amantium; dum hi curis occultis tabescunt, illi nimis adsidui domo

[36] v. Macrob. I, 7. et 10. Sen. Ep. 18. in Saturn. *Decembri* mense solet maxime et 47. inpr. Athen. XIV, 10. et Lucian. lucubrari; vet. Schol.

numquam exeunt. Inde notum illud: *Pallet; aut amat, aut studet.* Cf. Quintil. VII, 10, 14. Pers. I, 26. 124. V, 62. Ovid. Art. I, 729. 730. In omnibus hisce exemplis *pallor* iste est a prius contracto morbo, quem aut animi ægritudo fecerit, aut solis et aëris defectus. Gesnerus ad h. l. etiam inanimis pallorem tribui, propter corruptionem a quiete, humore admisso et excluso aëre ortam, docet e scriptoribus rusticis et Vitruvio." Cf. Var. Lect.

98. *labor vester fœcundior,* utilior et fructuosior forte est, vel id ita se habere dicat aliquis: nisi ironice loquitur poeta. — 99. *petit,* exigit certe *plus temporis et olei,* studii ac lucubrationis. 100. *oblita modi,* sine modo ac fine. *millesima pagina surgit,* ut ap. Ovid. Am. I, 1, 17. Cf. sup. ad v. 23. *damnosa papyro multa,* quia tam multum papyri emendum est, etiam damnum apportans et impensam. Labor historicorum et plus temporis, quam poetarum, exigit, et plus sumtuum, in oleum papyrumque faciendorum. De *papyro* v. Plin. XIII, 11. et 12. — 102. *lex operum* et artis vestræ, quæ jubet singulas res plene ac plane memorare eoque ordine ac modo, quo gestæ sunt. De historicæ artis legibus v. Cic. de Orat. c. 15. — 103. Qui tamen usus fructusque duri laboris nostra ætate percipitur ex historia diligenter scripta? quid nunc expedit historicis, res memoratu dignas explicuisse et accurate narrasse? Metaphora petita a *segete,* et *terra* vel humo *aperta* ac reclusa aratro. *Seges* laboris præmium, ut inf. v. 112. *messis.* — 104. *acta,* res gestas, historias, *legenti,* anagnostæ. Vulgo designari putant *actuarium* s. scribam, librarium et tabellionem; (Gall. *notaire, greffier*) sed hoc hominum genus *acta* publica senatus ac populi (de quibus v. ad II, 136.) non *legere,* sed scribere solebant. v. Lips. Exc. ad Tac. Ann. V, 5. Adsentior tamen, si vera sunt, quæ adnotavit Achaintre: " Eorum duplex fuisse videtur officium: primum enim senatus et populi decreta aut privatorum sponsiones, transactiones, matrimonia cet. scribebant, (*in acta referebant* II, 136.) deinde hæc eadem verba legis et actorum publicorum præconi subjiciebant, ut ab eo clare enunciarentur, vel, quum de privatis ageretur, verba et clausulas actorum ipsimet coram partibus *legebant,* enunciabant." [37] — 105. Hoc est, quod divites nobilesque Romani avaritiæ suæ et historicorum contemtui prætendunt: dicunt, historicos esse *ignavum genus* hominum, quod *lecto gaudet et umbra,* domi et in otio studiis vacat, otiosam et umbratilem vitam agit, et publicis ne-

[37] Alii causidicum intelligunt, qui acta forensia legit: at causidicis quoque nulla fere laboris præmia speranda esse, mox v. 106—137. ostenditur.

gotiis, in foro, curia, provinciis et castris vel bello agendis, abstinet. Juvenalis animo oculisque obversata videntur loca Horat. Epist. II, 2, 77. 78. et Ovid. A. A. III, 541. 542. Conf. et Senec. Ep. 67. (*Gratias ago senectuti, quod lectulo me affixit*) et 72. (*Quædam sunt, quæ possis et in cisio scribere: quædam lectum et otium et secretum desiderant*) Pers. I, 53. Plin. Ep. V, 1. Ovid. Trist. I, 10, 38. Dempster. ad Coripp. p. 76. et Casaub. ad Suet. Aug. 78. ubi multa docte disputavit de lecto sive lecticulo lucubratorio, de quo v. sup. ad v. 28. in Var. Lect. et ad v. 79. *Lectus* tamen h. l. de somno etiam accipi potest, ut ap. Horat. l. l. Conf. Var. Lect. et de *umbra* sup. ad v. 8. Ex his autem verbis intelligitur, fuisse etiam tum temporis homines, qui inter otium literatum et desidiosum vel honestum et inhonestum nihil interesse putarent, aut certe judicium hoc simulatum contemtui literarum hominumque doctorum obtenderent.

106 seq. Aptus transitus atque solida refutatio inepti judicii et causæ, a divitibus Romanis ad avaritiæ suæ patrocinium v. 105. prætextæ: Si historicis nihil datur muneris nec dari debet, quia otiosi sunt homines, plurimum certe dandum est *causidicis*; at, quæso, *quid* lucri, quem usum fructumque iis *præstant officia civilia*, civibus præstita, peroratis causis civilibus in foro? — Pleraque, quæ v. 106—138. disputantur, ad omnes, qui causas in foro agunt, ad causidicos, advocatos et patronos causarum, transferri possunt. Sed poeta simul hac data occasione, inpr. v. 108—112. invehitur in rabulas vel clamatores, quod indoctum genus hominum etiam nunc ubivis in foro tinnit et verbosis strophis formularumque forensium notitia aliquam facundiæ astutiæque famam affectat; de quo causidico egregie Sen. Herc. Fur. v. 172 seq. *Hic clamosi rabiosa fori Jurgia vendens improbus iras Et verba locat. Causidicus* quoque semper fere contemtim dicitur. (v. Burm. ad Ovid. Am. I, 13, 21.) 107. *libelli* actionum forensium et commentarii, *comites*, quos secum afferunt in forum *in magno fasce*, ὀγμαθοὶ βιβλίων Theophr. Char. VI. δεσμαὶ δικανικῶν βιβλίων Aristot. ap. Dionys. Halic. — 108. *Ipsi* causidici *magna*, sc. verba, adverb. (ut *magnum*) pro valde vel clara voce, *sonant*, loquuntur, vocem valde intendunt et clamant. Doctæ dicendi formulæ *magna* et *magnum loqui* et *sonare*, (ut *spirare*, *promittere* et *minari*) Gr. μεγάλα εἰπεῖν, ἔπος μέγα ἐξερέειν, μέγα πνεῖν, φρονεῖν cet. passim occurrunt, sed plerumque ad magniloquentiam vel jactantiam spectant.[38] Verba seq. Brit. et alii

[38] v. Burm. ad Valer. Fl. I, 262. et Vulp. ad Prop. II, 15, 53.

ita interpretantur: *sed tum præcipue, quum creditor* adest et *audit*, quum pro creditore dicunt, aut quum adversus creditorem agunt causam, adeoque in re pecuniaria, in qua acrius et majori vocis intentione disceptari solet de jure; vel *si latus* eorum *tetigit*, pulsavit debitor, cujus causam agunt, (ut *lævum qui fodicet latus* ap. Horat. epist. I, 6, 51. et *cubito tangere* ap. Horat. Sat. II, 5, 42. et Pers. IV, 34.) qui creditum negans *acrior* est et esse solet *illo* creditore, et *qui* debitor *venit ad dubium* faciendum, negandum *nomen*, debitum, vel ad causam de incerto debito agendam, *cum grandi codice*, tabulis accepti et expensi, ut ap. Cic. Verr. I, 36. et pro Rosc. Com. c. 1. et 2. Ita tamen poeta parum apte dixisset v. 108. *ipsi*, et *grandem codicem* accepti et expensi perperam tribuisset debitori, cui nec parvo, nec magno codice opus esse, monet Ach. Hic inde colligit, verba v. 109. et 110. referenda esse ad alium *creditorem*, cujus *nomen*, creditum, sit *dubium* quique propterea *veniat* ad tribunal cum *grandi codice* et *acrius tangat*, urgeat, *latus* causidici, quod nomen sit dubium aut controversum. Enimvero locum difficillimum recte exponit Hein. hunc in modum: " Dicit Juvenalis, causidicos non majorem fructum laboris sui percipere, non esse divitiores poetis et historicis, negatque tam lucrosum eorum esse officium, quam *ipsi* jactant, mentiuntur, *sed tum præcipue, quum creditor audit*, vel quum argentarius (ita optime jam vetus Schol.) debitam pecuniam (*dubium nomen*, quod fortasse solvi non potest) ab illis exigit et *cum grandi codice* accepti et expensi ad illos *venit*, quibus non tuto pecunia credita videtur. Taxat igitur Juvenalis grandiloquentiam causidicorum, qua utuntur coram creditoribus suis, quum tamen vix illis præstet eorum officium, ut e paupertate emergere possint. Qua re creditoribus fumum vendere coguntur, ut famæ consulant suæ et sint, qui credere volunt. (!)" — 111. Præclare de rabulis eorumque fraudulentia, clamosa oratione et impudentia. Conf. Pers. V, 10 seq. et, quem et hic et noster poeta imitatus est, Horat. Sat. I, 4, 19 seq. *Folles*, qui auram recipiunt reddunt-que, donec liquefiant metalla, non tam ad os vel buccas referendi, quam potius ad pulmones, vocis ac respirationis instrumenta, quos Augustinus de Civ. Dei XIV, 24. dicit ad vocem emittendam seu modificandam valere, sicut folles fabrorum vel organorum. 112. *Conspuitur sinus*, non unius rabulæ ab altero, sed causidici fervide vel magna orationis contentione, vehementia ac celeritate, perorantis. Theophr. ad δυσχερείας Char. c. 19. refert καὶ ἀποῤῥίπτειν ἀπὸ τοῦ στόματος, sc. τὸν σίαλον, unde, quod ibi Casaub. ex Hesych. et Schol. Aris-

toph. Acharn. IV, 7. notavit, Σιάλοχοι dicti οἱ προσραίνοντες σίαλον ἐν τῷ προσδιαλέγεσθαι, et Athenis Antimachus quidam Ψακὰς cognominatus, quia προσέῤῥαινε τοὺς συνομιλοῦντας διαλεγόμενος.[39] *Veram si libet*, placet, vis, *deprendere*, cognoscere, *messem*, mercedem, præmium laboris causidicorum, (cf. ad v. 103. et Var. Lect.) et trutina quasi examinare: *hinc*, una parte, s. in una libræ lance, *patrimonia ponc centum causidicorum, parte alia*, in altera lance, *solum*, patrimonium (nisi *solum* h. l. dictum pro *modo* s. *tantum*, et suppl. *patrimonia*) *Lacernæ*, aurigæ, et videbis, lances æquas esse, vel hanc adeo propendere, h. e. lucrum et mercedem, vel opes et præmia centum causidicorum et unius aurigæ paria esse, aut hæc adeo majora. Conf. ad VI, 437. — 114. *Lacerna* vel *Lacerta* (v. Var. Lect.) cursor s. auriga *russatæ* factionis; forte ditatus donis populi aut Imperatoris, russatæ factioni faventis. Aurigæ in ludis circensibus olim in quatuor divisi erant factiones, a coloribus vestium denominatas, *Russatam* (s. *russeam* et *russam*, h. e. rutilam) *Prasinam, Albam* s. *Albatam* et *Venetam*, quibus a Domitiano (v. Suet. Dom. 7. et Xiphil.) adjectæ *Aurata* et *Purpurea:* quot vero factiones agitatorum, tot quoque faventium erant, qui in diversa inde partium studia distrahebantur. Cf. ad VI, 590. XI, 196. Heins. ad Petron. c. 25. p. 95. Reimar. ad Dion. LXI, 6. p. 985. 42. et Böttigeri Sabina p. 448—450. ed. pr. *Russati Lacernæ*, ut *Felix Russatus auriga* ap. Plin. VII, 53. (ubi v. intpp.) *Prasinus Porphyrio* s. *Purpureo* ap. Martial. XIII, 78, 2. et *auriga Albatus Corax* ap. Plin. VIII, 42. s. 65. — 115. Facete poeta judices appellat *duces* et causidicum *Ajacem*, respiciens controversiam Ajacis cum Ulysse super armis Achillis coram ducibus Græcorum, de qua v. Sophocl. Ajax et Philoct. I, 2. inpr. Ovid. Met. XIII, 1—398. ex cujus loci principio etiam verba nostra sunt petita. Conf. inf. ad X, 84. et XIV, 286. Nomen *Ajacis* egregie tributum causidico, quoniam vel proverbii loco quisque rixosus et dicax homo eo insignitur.[40] *Surgunt*

[39] Plathnerus hæc adnotavit: "Sinum causidico conspui arbitror ab antagonista, quod summæ contumeliæ esse nemo ignorat, unde *despuere aras, deos, honores, mores* dixere Tertull. de idol., Minuc. Felix, Arnob. VIII. et Claud. IV Cons. Honor. Et frequens sane hæc consputatio non tantum Romanis, (v. Barth. ad Claud. l. c.) sed et Judæis. v. Job. XXX, 10. Deut. XXV, 9. Marc. XVI. Possis tamen et dicere, causidicos in proprium desputasse sinum, quod olim fascini amoliendi causa factitatum. v. Theocr. VI, 39. XX, 11. Tibull. I, 2, 54. 96. Plaut. Asin. I, 1, 26." (Cf. Kœnig ad Pers. IV, 35.) Sic et vetus Schol. "Propter fascinum verborum ter sibi *in sinu spuunt*, et videntur fascinum arcere; ut Persius de matertera. vel, incipiunt multa sibi promittentes, *in sinum spuere*, vel alloquendo multum *spuunt*."

[40] v. c. ap. Claud. in Eutrop. II, 386. et in judicio Vespæ v. 85. ubi v. Werns-

autem dicturi et *stant* dicentes, at *sedent* judices et eorum prætorisve consiliarii ac partium advocati, ut et senatores, qui dicentes audiunt, vel magistratus sive in tribunali, sive pro rostris in suggestu et in sella curuli. *pallidus,* sollicitus de dubio eventu causæ, vel ob malam causam. 116. *Dicturus dubia pro libertate,* pro eo, cujus libertas dubia est et in quæstionem vocata. *Libertas* autem vel est libertinorum atque ingenuorum, quæ servituti opponitur, vel civis Romani, qua omnia ejus jura continentur. Designantur itaque malæ, difficiles gravesque causæ. Has vero causidicus, cujus conditio eo fit miserior, agit *judice bubulco,* rudi seu rustico, barbaro et juris legumque ignaro; (v. ad XVI, 13.) quales homines et olim, [41] et sub Imperatoribus in senatorum judicumque numerum recipiebantur; quod simul h. l. videtur notari. [42] *Tribus urbanæ rusticæque omnes triginta quinque numerantur, ex quarum singulis terni eligebantur ad judicandum hique* centumviri *dicebantur, licet centum et quinque essent;* Ascon. in Cic. Verr. II. Quo fiebat, ut inter eos multi essent *bubulci,* ut apud nos *entre les jurés:* quod scoptice dicit poeta ad augendum miseriem conditionis causidicorum; Ach.

117 seq. Poeta ridet inanem et infructuosum causidici laborem. *Rumpe tensum jecur,* magna cum vi et simul irrisione clamosi rabulæ dictum pro, omnes iræ affectuumque frenos remitte, omnem iram effunde in adversarium cum tanta vocis intentione, ut jecur fere rumpatur. Nam *jecur* primaria olim habebatur affectuum sedes, et tumere vel *extendi* ira credebatur. [43] — 118. Sensus est; ut victoriam in judicio et inanem sterilemque tantum laudem, non quidquam mercedis ac præmii, consequaris. Nam recte jam monuere Grangæus et alii, oratorum causidicorumque morem fuisse, victoriam in foro partam testari appensa pro foribus palma, [44] et *scalarum gloriam* ἐμφατικῶς ac σκωπτικῶς dici ornatum januæ, ut indicetur pauperies oratorum

dorf. Poet. Lat. Min. T. II. p. 237. et T. IV. p. 814.

[41] conf. Suet. Cæs. 80. et Aug. 35.

[42] Quidam putabant, *Bubulcum* esse nomen proprium, et magnum vel gravem ac severum hujus nominis virum significari, qui illis temporibus vixerit, vel quales fuerint C. Attilius Bubulcus consul ac collega Manlii, (cui tamen Regulo cognomen fuit; v. Polyb. I, 39—48.) et Junius Rusticus, de quo v. Suet. Dom. 10. Aptius memorassent C. Junium Bubulcum, qui Censor, ter Consul et bis Dictator fuit. (v. Liv. IX, 20. 28—43. X, 1.) Sed inepti certe judicis nomen magis h. l. consentaneum est.

[43] v. ad I, 45. Alii *jecur* h. l. pro pulmone positum accipiunt, ut sola eaque summa vocis contentio designetur: et profecto intrinseca corporis indoles atque structura veteribus parum, nec nisi ex extispiciis, nota fuit.

[44] quæ et signum et præmium victoriæ fuit, de quo v. Martial. VII, 27, 6. Auson. Profess. II, 7. (ubi *palma forensis* dicitur) Casaub. ad Suet. Domit. c. 23.

causidicorumque, qui, tenuium ac mendicorum more, in cœnaculis plerumque habitaverint, ad quæ non nisi per *scalas* fuerit adscendendum; unde Martial. I, 118, 7. *scalis habito tribus, sed altis.*[45]

119 seq. *Vocis*, orationis, *pretium*, præmia muneraque, quæ causidicis et patronis causarum dari solent, admodum tenuia sunt. Conf. simil. loc. Martial. IV, 46. Horat. Sat. II, 5, 43 seq. et Pers. III, 73 seq. ubi Casaub. monet, ab utroque satirico et patronorum avaritiam in captandis donis contra legem Cinciam notari, et eorum illiberalitatem perstringi, qui talibus munusculis illos donarent. *Petasunculus*, parvus petaso, lardum; et forte posterior, ut *perna* anterior: utramque certe vocem distinguit Martial. XIII, 54. et 55. *siccus*, vetustate exsuccus et ingrati saporis; aut suspensus in carnario et ita fumo siccatus. v. ad XI, 82. — 120. Cf. Excurs. ad h. l. *vas* plenum *pelamydum*, parvorum thynnorum (*thunnfische*) in particulas consectorum et sale conditorum, de quibus v. Plin. IX, 15. s. 18.[46] *Bulbi*, qui etiam ap. Martial. IV, 46, 11. inter munera, causidicis mitti solita, referuntur, non modo tubera vocantur vel crassæ radices arundinum, liliorum aliarumque plantarum, sed plantæ etiam ipsæ, et quidem allium, cepa, squillæ omnesque radices rotundæ ac tunicatæ. Bulbos vero Romanorum nobis ignotos esse neque ad ceparum genus referendos, docet Matthiol. de plantis p. 292. Conf. Excurs. ad h. l. *veteres*, ob vetustatem minus sapidi.[47] Vetustiores improbari bulbos et parvos et longos, docet Plin. XIX, 4. et 5. Idem dicit, bulbos adeo dulces in Taurica Chersoneso nasci, ut crudi mandantur, et post eos optimos esse in Africa, (unde h. l. *Afrorum epimenia*) deinde in Apulia. *Epimenia* putant dici menstrua, ἐπιμήνια, scil. munera, et quidem *vel* exilia munuscula ac veluti xenia sordida, stipendii loco pro navata opera in singulos menses collata, salaria, ut *menstrua*; (v. Muncker ad Fulgent. in Virgil. Contin. p. 142.) *vel* menstruam quasi pensionem (ut ap. Ar-

Sagittar. de Januis vett. c. 30. § 22. Wernsdorf in Poet. Lat. min. T. IV. p. 243. et T. VI. p. 271.

[45] v. ad III, 199. Casaub. l. l. Alciat. Parerg. Jur. IV, 12. Brodæus Miscell. IX, 1. Salmas. de Ann. Clim. p. 70. Male vetus Schol. "*scalarum*, stationum scil. ad instar gladiatoriæ victoriæ. *Scalæ* armaria advocatorum vel, ut quidam, casæ et stationes. Cicero in Corneliana, *Correpsit*, inquit, *in scalas*. Armaria nam advocatorum apud Veteres *scalas* habebant."

[46] Conf. ibi Harduin. et ad XXXII, 11. s. 55. Strab. VII, 6, 2. Dioscor. II, 200. Arist. hist. anim. VI, 16. et 17. Athen. III, 85. et 92. VII, 66. et VIII, 53. ed. Schweigh. Spanhem. de usu et præst. num. Diss. III. p. m. 201. (ubi numus pelamydum effigiem exhibet) et Gesner. de Aquat. p. 963 seq. Gell. II, 18. Athen. II, 22. et 23. Theophr. H. P. VII, 13. et Plin. XIX, 4. et 5.

[47] Cf. Bodæus ad Theophr. VII, 13. et Schweigh. ad Athen. II, 64. et X, 58.

rian. Diss. Ep. I, 7. et Polyb. Fragm. Legat. 94. quos laudavit C. Vales.) seu dona, quæ Afri singulis mensibus miserint Romanis, ut eos sibi conciliarent procerumve Rom. gratiam demererentur; *vel* victum menstruum sive demensum singulis mensibus datum servis, et quidem *Afris*, vilioribus, (v. ad I, 111. et V, 53.) quæ interpretatio nuper commendata est ab Ach. [48] Enimvero servi loco *demensi* non *bulbos* accipiebant, sed quovis mense quatuor vel quinque frumenti modios et denarios totidem. [49] Conf. Excurs. 121. *Quinque* tantum *lagenæ* vini, et quidem vilioris, ut Veientani et Etrusci, quod in *Tiberi*, secundo flumine, non adverso, ex Campania vel Græcia, Romam *advectum* est. Vetus Schol. " Vinum non transmarinum, i. e. cibarium." 122. *Si quater egisti*, perorasti causam. Cf. Var. Lect. *si contigit* tibi tam felici esse, ut vel numus *aureus*, etsi *unus*, tibi detur. Vetus Schol. " pro quatuor actionibus unum solidum." Maximum patrocinii honorarium, quod primus constituit Nero, non certum justumque pro et in quavis causa e legibus fuisse *centum aureos* vel dena sestertia aut decem millia HS. (nam *aureus* vel *solidus*, qui non ejusdem semper valoris fuit ac pretii, illis temporibus valebat XXV denarios vel numos sestertios centenos) [50] patet ex Plin. Ep. V, 4. et 21. Suet. Ner. 17. (ubi v. Ern.) Tac. Ann. XI, 7. et Ulpian. l. I. D. § 12. neque ex h. l. Juvenalis colligendum est, *unum aureum* fuisse licitam illius honorarii summam. Hanc a poeta ὑπερβολικῶς imminui, ut magis efficiat pudenda circi artiumque infamium pretia, monuit jam Gron. de sestert. II, 5. p. 82. — 123. Inde, ex eo, *partes cadunt*, detrahuntur; pars mercedis a te danda est pragmaticis, *ex fœdere*, pacto. *Pragmatici* olim dicebantur juris periti, qui patronis causarum et oratoribus aderant iisque leges ac jura, inpr. formulas JCtorum, suppeditabant; [51] sed seriori ævo qui, quamvis imperiti juris, rerum gerendarum formulas tenebant. v. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 503. 504.

124—149. Tam tristis etiam et iniqua est conditio causidicorum patronorumque causæ, ut ex illis non nisi is, qui *Æmilius*, h. e. dives ac nobilis vel sit, vel habeatur et se esse simulet, doctus ac facundus esse credatur et hinc præmia tantum, certe maxima, capiat.

[48] ut olim a Casaub. ad Athen. l. l. (de quo tamen v. ad IX, 54.) Salmas. de mod. usur. c. 4. et Schweigh. ad Polyb. XXXI, 20, 13.

[49] v. Donat. ad Terent. Phorm. I, 1, 9. et Senec. Ep. 80.

[50] v. Hard. ad Plin. XXXIII, 3. XXXV, 10. Gron. de sest. II, 5. III, 6. IV, 13. 14. et Casaub. ad Lamprid. Alex. c. 39.

[51] v. Cic. Or. I, 45. et 59. Budæus ad Pand. II. p. 132. Quintil. III, 6. XII, 3. et 9. Godofr. in L. IX. § 4. ff. de pœn.

124—128. Verba pauperum patronorum, de indigna sorte sua querentium. 124. Verba *quantum licet*, quæ nemo interpretum, quotquot consului, explicavit, h. l. aptissima sunt. Lege Cincia de donis ac muneribus, a. U. C. DC. a M. Cincio Alimento trib. pl. lata, præter alia cautum, ne quis ob causam orandam donum munusve caperet. Ea quoque lex ad avaritiam patronorum donandique facilitatem coercendam, si non satis, certe multum valere poterat temporibus liberæ rei publicæ, quibus oratoria arte via ad gratiam apud populum et ad honores muniebatur. Quum vero omnis honorum spes ab Imperatorum gratia penderet, et nullus fere fructus caperetur ex patrocinio; quis sine honorario aut mercede gratuitam clientibus præstaret operam? Hinc jam Claudius Imp. dona et petere et dare permisit, facto a. U. C. DCCC. SCto Claudiano, quo *pecuniis ob causas orandas capiendis positus modus usque ad dena sestertia, quem* (modum) *egressi repetundarum tenerentur*. Idem deinde sanxerunt Nero et Trajanus, nisi ille non etiam terminum quasi, ultra quem progredi non liceret, sed certam potius justamque mercedem in unoquoque causarum genere constituisse censendus est.[52] Itaque *quantum licet* scil. dare causidicis ac patronis, sunt dena sestertia. Designatur et avaritia et auctoritas patroni, qui, quantum licet, et postulat et accipit. *et melius* tamen *nos egimus*, peroravimus, ut v. 122. Cf. Var. Lect.

125—128. Significatur nobilitas Æmilii patroni et tam stulta, quam dolosa et alliciendis clientibus accommodata ejus ostentatio. Nota Ach. est: " Stante re publica patricii soli, nobiles atque divites plebeii, qui ad honores provehi studebant, pauperibus clientibus patroni atque advocati erant, eorum partes in foro agebant, idque gratis. At lapsis moribus et virtutibus cum re publica corruit ingenuæ hujus artis liberalitas. Causidici professio, quæ patroni personæ antea fuerat inhærens, Imperatorum temporibus separata et plebeiis atque obscuris hominibus relicta, sensim mercenaria facta est. Unde illa causidicorum prope omnium paupertas; qui, ut iste *Æmilius*, veterem nobilitatis et divitiarum speciem retinere affectantes, eo plus faciebant lucri, quo illustriori gente oriundi viderentur." Recte: sed inter *patronos, causidicos et advocatos* jam stante re publica magnum

[52] v. Lips. ad Tacit. Ann. XI, 5—7. Brummer. comm. de lege Cinc. c. 4. Intpp. Plin. Ep. V, 21. Ern. ad Suet. Schultingii Jurispr. Antejustin. p. 591 Ner. c. 17. Bach. in Trajano p. 92. seq. et Gron. de pec. vet. II, 5.

intercessit discrimen. *currus* triumphalis, in quo aliquem majorum suorum triumphasse ostentat. Multi autem Æmilii triumpharunt, et triumphalia aliaque majorum insignia a familiis et posteris eorum adservabantur et quidem in porticibus vel *vestibulis* s. atriis domus. 126. *Quadrijuges,* equi quatuor currui juncti et non modo albi, sed et *alti,* eximiæ magnitudinis, vel alte jactantes crura, vel denique in sublime surgentes adeoque feroces. 127. *ipse* Æmilius (ut alii causidici ap. Martial. IX, 69, 6.) *feroci bellatore* in equo *sedens,* statua ejus equestris. Cf. intpp. Mart. IX, 69, 6. Hæc verba ad ovationem forte spectant, alterum triumphi genus, certe non ad statuam quadrigatam, quæ est figura hominis, in curru, non in equo, sedentis. 127. 128. Imago, opinor, pugnæ forensis animo poetæ simul obversabatur. *Apud Romanos antiquitus statuæ majorum togata effigie* (etiam paludatæ, chlamydatæ, loricatæ, velatæ) *ponebantur; deinde etiam hastam tenentes:* (quæ *Achilleæ* vocabantur) *equestres quoque statuæ celebratæ sunt; postea vero in bigis et quadrigis,* (bigatæ et quadrigatæ) *unde et triumphales natæ,* cet. Plin. XXXIV, 5—7. *hastile curvatum,* quo tremebunda adumbratur hasta. Tam affabre statua efficta est, ut hastile, quod *minatur,* intentat, videatur tremere adeoque *curvari* et mox jactandum; Ach. *minatur,* intentare videtur. 128. *meditatur prœlia,* ut IV, 112. Verbis *statua lusca* quidam designari putant gestum jaculatoris, alterum oculum claudentis, ut certius ictum dirigat; alii caput statuæ inclinatum, vel obliquum ac detortum, ita ut unus tantum oculus conspiciatur; alii vero statuam dimidiato vultu pictam; (ita Scalig. ad Manil. p. m. 134. qui talem esse dicit illam Sagittarii in palatio Farnes.) alii denique Æmilium sive causidicum unoculum, saltem luscum. Sed veterem Schol., qui interpretatur, *cujus oculus introrsus cedit,* (*holäugig, blödsichtig*) recte mentem poetæ cepisse et tales esse oculos in antiquis statuis, ob planam pupulam, jam docuit Lessing. in Berlin. Monatsschrift 1788. Jun. p. 601.

129 seq. Quoniam divites tantum et nobiles patroni causarum docti habentur ex opinione vulgi et soli præmia, certe maxima, capiunt; hinc *Pedo, Matho* et *Tongillus,* pauperes causidici, ut se plebi, hominum ingenia cultu et magnificentia metienti, commendent, simulant se divites esse ac nobiles, et *sic,* hac imitatione ditiorum et opum nobilitatisque ostentatione, *conturbant,* obruuntur ære alieno. *Pedo* causidicus ignotus; notior Pedo Pompeius vir illustris e Senec. apocoloc. et notissimus Pedo Albinovanus poeta. De *Mathone* v.

ad I, 32. si de eodem ibi sermo est. *conturbat* scil. rationes vel rem familiarem, h. e. opes absumsit et æs alienum contraxit.[53] Hinc *conturbator aper* et *macellus* dicitur Martial. VII, 26, 10. et X, 96, 9. Verbum synon. est *deficit* sc. se, h. e. deficitur opibus, unde *defici facultatibus, nomen defectum* et simpl. *deficere* vocabula juris.[54] *hic est exitus,* finis, postrema eaque misera vitæ conditio, ut pauper sit dilapidatis opibus. Conf. XI, 38. 39. Et hanc interpretationem, et lectionem vulg. improbat Manso, hæc disputans: " Poeta neque ante neque post illos versus æs alienum, quod causidici Rom. contraherent, respicit et perstringit, sed id unice agit, ut artes exponat, quibus adhibitis rivales suos deprimere et eorum reditus minuere conarentur, sumtuosum vivendi genus luxumque nimium et ad ingenia fallenda compositum. Verissima est conjectura Lubini, pro *deficit* suadentis *dejicit,* longeque ad totius loci nexum et sensum aptissima interpretatio hæc: Iisdem artibus, quibus ad tenuiores causarum patronos debellandos Æmilius utitur, *Pedo* eos *conturbat* h. e. pervertit et *Matho dejicit* h. e. vincit; nec alium *exitum* sive finem *Tongillus,* cum superbia et magnificentia per hominum ora incedens, petit, quam ut æmulos supplantet solusque in foro regnet." Sed nostræ sententiæ favent tum v. 135 seq. et *conducta* a Paulo *sardonyx* v. 143. tum notata ad I, 32. Et quis umquam illo sensu dixit *exitum,* ut sit consilium, propositum? Eo *finis* adhibetur passim, at nusquam *exitus. Mathonem* vero ditissimum fuisse, Lubinus perperam collegit ex I, 32. 130. *Tongillus* forte idem, cujus gulam et luxuriem perstringit Martial. II, 40. ubi tamen in plerisque libris *Tongilius* legitur; unde h. l. *Tongilii* reponendum esse suspicari possis.

130—133. Hæc spectant ad luxum hominis, simulantis se divitem esse et populo sese venditantis. *rhinocerote,* vase unguentario et corneo, e naso rhinocerotis, ut ap. Martial. XIV, 52. et 53. nisi cum vet. Schol. interpretari malis: magno gutto, qui, sicut rhinoceros, ingentis est nasi.[55] 131. *vexat balnea,* frequentat, ut I, 100. vel potius, molestus est iis, qui simul lavantur. *turba,* multitudine comitum

[53] Cf. XIV, 94. Martial. IX, 4, 5. Burm. ad Petron. c. 39. p. 169. Ernest. clav. Cic. et ad Cic. Ep. ad Att. IV, 7.

[54] in Pand. XXII, 1, 11. XXIII, 3, 53. et XLIX, 14, 3. Priscianus lib. VIII, " *Deficio,* quando accipitur pro *defetiscor,* neutrum est. Juven. in III. *Matho deficit.*"

[55] Vulgo putant, pauperes gutto (v. ad III, 263.) e cornu tauri, divites e cornu rhinocerotis, in balneis usos esse. Sed ostentatio divitiarum epitheto potius *magno* contineri videtur. Alii solium sive labrum balneare designari putant; alii vero irridendi carpendique libidinem, ut *nasus* et *nasutus* ap. Mart. I, 42, 18.

et servorum, (conf. VI, 419. 420.) *lutulenta,* sordida; nisi innuuntur comites, per *lutum* sive cœnosa sequentes dominum aut octo lecticarii (v. ad I, 64.) per illa eum portantes. Sabinus designari credebat nescio quos pædicones draucos, et Valla ceromaticos. — 132. *Juvenes* lecticarios *premit* onere suo et lecticæ, quæ et in qua ipse gestatur. *assere,* lectica, ut ap. Martial. IX, 23, 9. Cf. sup. ad III, 245. *Medos pueros,* nisi jungere malis *juvenes Medos.* v. Var. Lect. *Emturus,* ut Ἀλαζὼν προσποιούμενος ὠνητιᾶν ap. Theophr. Char. c. 23 extr. ubi tamen Casaub. monet, πτωχαλάζονα etiam emturientem multa, quæ solvere nequeat, venustissime describi a Martiale IX, 60. *pueros,* servos. *argentum,* vasa argentea. *murrhina* s. myrrhina scil. vasa. v. ad VI, 156. — 134. *Spondet,* fidem facit solutionis. v. ad II, 12. *purpura Tyrio filo,* p. Tyria. Cur *stlataria* dicatur, non satis constat. *Stlatarius* in Gloss. vett. ἐξγόμωκος, in aliis πλάνος, et *stlata* πειρατικοῦ σκάφους εἶδος. Caper de orthogr. extr. (ed. Putsch. p. 2246.) *Stlataris a stlata, rate piratica.* Festus: *Stlata, genus navigii latum magis, quam altum.* Hinc vulgo putant, veteres *stlatum* pro *latum,* ut *stlocus, stlotus* et *stlis* pro *locus, lotus* et *lis* dixisse, (v. Festus ac Quintil. I, 4, 16.) et *purpuram stlatariam* esse laticlaviam. At sic *stlatu* certe, non *stlataria* h. l. dicta esset, et, quod jam Ferrarius de re vest. III, 12. notavit, nulli tunc causidici in pretio, nisi qui et senatores quibusque lati clavi jus. (v. tamen ad I, 106.) Alii h. l. *purpuram stlatariam* dici putant peregrinam, vel *stlata* h. e. navi et mari advectam; (quemadmodum fere Petron. 55. margaritas appellavit *phaleras pelagias*) alii denique propter ea, quæ supra notavi, velut piraticam et latrocinantem, cujus splendore spolientur et fallantur venditores, divitem censentes, qui eam gestet, vel fallacem et deceptricem. Hæc explicatio, etsi ceteris præferenda videtur, (ita certe epitheton minus languet et plurimum habet salis) longe tamen repetita est et dubia. Vetus Schol. "*stlataria,* illecebrosa. Ennius: *Et melior natus, quam quæ stlataria portat;* id est multisonalis, quæ vulgo dicitur *Batalaria.*"

135 seq. *Et tamen est illis* causidicis pauperibus *utile hoc,* hæc divitiarum ostentatio, quoniam hac fraude clientes alliciunt: nam *purpura causidicum vendit,* commendat plebi, cui merces quasi suas aut se ipsum venditat, vel quam sic allicit, ut mercator emtores laudan-

XII, 90, 1. 2. XIII, 2, 1. *rhinocerotis narem rhinoceroticam minari* ap. Sidon. *nasum habere* ap. Martial. I, 4, 6. et carm. IX. extr.

dis mercibus ; efficit, ut majori conducatur pretio.[56] Ferrarius R. Vest. I, 33. et V, 2. " *Purpura,* inquit, et *amethystina* h. l. lacernæ aut lænæ purpureæ et amethystinæ, quæ togæ injiciebantur ; nam toga nulla oratoribus purpurea, sed communis : nec de lato clavo intelligi potest, quia non omnes patroni laticlavii, neque ullus *amethystini* usus in clavo. Atqui auctor dial. de Orat. c. 39. eorum temporum æqualis indignatur, *togas* ab oratoribus depositas et sumtas earum loco *pœnulas.* Noster tamen Sat. VIII, 49. *plebem togatam* causas agentem inducit, quæ his videntur contrariari : nisi dicamus a paucis *pœnulas* usurpatas, nec diu obtinuisse, quum sequenti sæculo ad *togam* redierint causidici." Sed v. ad VIII, 197. *amethystina* sc. vestimenta, violacea, qui est color *amethysti,* lapidis pretiosi. Cf. Martial. I, 97. II, 57, 2. X, 49, 1. XIV, 154. Plin. XXI, 8. XXXVII, 6. et 9. ubi præter alia dicit, amethysto Indicæ esse colorem simillimum purpuræ felici, h. e. ardenti, quæ plebeiæ et fuscæ opponitur. — *convenit,* conducit, expedit ; vel etiam proprium et consentaneum est *illis* rabulis, qui sine tali impudentia et ostentatione in egestate versarentur. 137. *Strepitus majoris census,* rei familiaris vel opulentiæ, est ejus ostentatio, jactantia, gloriatio ; *facies,* ejus species externa, ut ap. (Tac.) dial. de orat. 6. *quæ in publico species!* h. e. qui splendor externus ! — 138. Tanta autem est morum corruptela luxuriaque Romanorum, ut omnem impensarum modum transeant ; unde pauperes causidici, ut divites videantur, ingentes coguntur sumtus facere et sic ære alieno obruuntur. Sen. in Epist. 50. *Non ego ambitiosus sum, sed nemo aliter potest vivere : non ego sumtuosus sum, sed Urbs ipsa magnas impensas exigit.* Conf. sup. III, 180 seq.

139 seq. Falluntur, qui, quum eloquentia plurimum valeant, ampla se sperant ingenii præmia consequuturos esse his temporibus, quibus soli divites habentur diserti et homines ex opibus, non ex virtutibus æstimantur. *Fidimus eloquio?* In plerisque libris legitur *Ut redeant veteres,* quibus favet, in quem nunc incidi, locus Martial. XI, 6, 5. nisi ex eo verba illa margini adscripta sunt et deinde recepta. *Ciceroni nunc,* si nostra ætate viveret, *nemo,* nullus cliens, *dederit,* daret, dabit, *ducentos nummos,* tam exile præmium, pro oratione : vel *Cicero* h. l. pro summo oratore et patrono causarum. Poeta supra de rabulis et causidicis vulgaribus egerat : nunc docet,

[56] Sic et nos dicimus : *Kleider machen leute,* vel, *der rock verkauft den mann ;* et Belgæ, *hed kleed maakt de man.* Cf. ad v. 75. Hennin. ad h. l. et Ernesti clav. Cic. v. *vendere* et *venditare.*

non meliorem esse conditionem summorum oratorum ac patronorum. *nisi fulserit* in ejus digito *annulus*, insigne Equitum, h. e. nisi censum equestrem habuerit vel admodum dives fuerit. *annulus ingens*, v. ad I, 29. — 141. Clientes hodie non tam dicendi copiam eloquentiamque oratoris aut patroni causarum, quam censum ejus et luxus ostentationem respiciunt. *servi octo*, qui præcedant vel lecticam octophoron portent. v. ad I, 64. 142. *decem comites*, clientes, deducentes te ad forum, (v. ad I, 46.) vel potius alia comitum (τῷ φορείῳ παρεπομένων, Lucian. laud. a Casaub. ad Suet. Tib. 30.) turba, ad pompam spectans: nam causarum patroni ab ingenti comitum turba in forum deduci amabant et causis actis reduci; unde in (Tac.) dial. de orat. c. 6. *qui togatorum comitatus et egressus!* Rabulas quoque *bene comitatos per forum reduci* dicit Quintil. l. XII. *an post te* sit, gestetur *sella*, qua, si libuerit, vehi possis. De *sella* v. ad I, 64. *togati ante pedes*, sc. euntes, v. ad I, 96. et III, 127. *Circumpedes sunt obsequia servorum, Antepedes amicorum*, Agrœt. de orthogr. p. 2274. ed. Putsch. et Cassiod. Varr. VII, 5. unde quidam h. l. *antepedes* (qui *anteambulones* dicuntur Mart. II, 18, 5. III, 7, 2. X, 74, 3.) una voce scribendum censebant: id tamen non necesse est, et *ante pedes* h. l. opponitur verbis *post te*. — 143. *ideo*, ut dives videretur; quia talis divitiarum ostentatio utilis est causidicis patronisque causarum et clientes allicit. *agebat*, ut sup. v. 122. et 125. *Paulus*, patronus causarum aut causidicus, (ut ap. Mart. V, 23.) æque ac *Cossus* et *Basilus;* sed hi pauperiores, vel qui divites non habebantur, et hinc minus celebres. Delicati illius, ut nostræ, ætatis homines ornare manus annulis, vel etiam onerare solebant, iisque pretiosissimæ gemmæ inclusæ, inpr. *sardonyches*.[57] *conducta*, ut, quum pauper esset, dives haberetur, (v. ad III, 180 seq. et VI, 352 seq.) et *pluris* pretii *ageret*, pretio diceret majori, vel plus mercedis acciperet. 145. Ex opinione plebis *rara* est *facundia in tenui panno*, in vili et sordido amictu, h. e. in homine, qui tali vestitu utitur. Contrarium docet poeta VIII, 47 seq. — 146. 147. Quis pauperi causidico committet difficilem gravemque causam, v. c. eam, in qua mens judicum miseratione permovenda sit, et hinc *flentes producantur* in judicium ac supplicantes *matres*, aut uxores, sorores, liberi? (Exemplum v. ap. Cic. pro Fonteio c. 17.) Quis judicum et litigatorum *feret* æquo animo,

[57] v. ad VI, 382. Martial. II, 29, 2. Pers. I, 16. ibique Casaub.

nedum libenter ac studiose audiet, *Basilum*, etsi *bene dicentem*, disertissimum? De *Basilo* v. ad X, 222.

147—149. *Gallia vel potius Africa accipiat*, recipiat, *te*, h. e. eam pete, eo te recipe, si vis *linguæ*, facultati tuæ oratoriæ, *mercedem ponere*, pretium statuere, (ut Gr. τιθέναι ἆθλα, proponere, constituere præmia) h. e. digna et ampla eloquentiæ præmia quærere ac consequi. In Gallia et Africa viguere eloquentia atque oratores.[58] Sed malim h. l. ita interpretari: Gallia vel Africa *accipiat*, conducat *te* patronum, ad te causas deferat, (ut Afri ad Plinium minorem, quum Marium Priscum Proc. de pecuniis repetundis postularent, de quo v. Plin. Ep. II, 11.) si ampla eloquentiæ præmia postulare cupis et accipere; quæ tibi provinciales, non Romani, dabunt. *Nutricula* et *nutrix* omnis res dicitur, quæ nos nutrit et alit, ut Gr. τροφὸς et τιθήνη.[59]

150—214. Jam de *Rhetoribus*, et v. 215—243. de *Grammaticis* agit poeta, docetque eorum laborem omnium esse molestissimum et vilissimam mercedem. Præclara et consummatissima pictura, cui exquisitissimi colores inducti sunt, quos fere singulos ad iniquam miseramque conditionem eorum, qui nostra ætate puerilem ætatem atque juventutem scholasticam ad humanitatem informant, adumbrandam transferri posse, quis non videt? — 150. v. Var. Lect. *Declamare*, h. e. exercitationis causa dicere et argumenta, vel ficta vel vera, themata sive theses, tractare, *docent* Rhetores. *pectora ferrea*, omnis laboris patientissima et omnis fere sensus affectusque expertia; qualia debent esse Rhetoribus nostrisque ætatis puerilis magistris. v. ad I, 31. *Vectius* clarissimus Rhetor, forte idem, de quo Plin. XXIX, 1. *Vectius Valens adulterio Messalinæ Claudii Cæsaris nobilitatus pariterque eloquentiæ adsectator fuit.* h. l. pro quovis Rhetore. Cf. Var. Lect. — 151. *Classis numerosa perimit sævos tyrannos* dicta fere sunt, ut I, 16. *consilium dedimus Sullæ, ut* cet. pro: ingens discipulorum numerus declamat, vel recitat orationes de perimendis tyrannis; quod thema Rhetor illis tractandum dederat. Tot declamationes et quidem ejusdem argumenti, forsan et dictitatas a magistris memoriæque traditas, quis patienter audiat, nisi χαλκεοκάρδιος et σιδηρόφρων, cui robur et æs triplex circum pectus sit? Argumenta quoque earum spectabant fere ad vitam, mores et facta heroum,

[58] v. ad I, 44. XV, 111. Quintil. X, 1. Voss. de Rhetor. in Præf. et Pithœi Præf. in Quintil. Declam.

[59] Cf. Wesseling. Obss. II, 17. et Barth. ad Rutil. p. 89.

ad quæstiones et res, ad vitam parum fructuosas. *Classes* proprie sunt ordines puerorum ejusdem scholæ. v. Quinctil. I, 2, 3. Vulgaria autem themata s. argumenta fictarum causarum, quæ in scholis Rhetorum tractabantur, tyrannicidium et tyrannicidarum præmia fuere.[60] — 152. 153. *Nam quæcumque sedens modo legerat* classis numerosa discipulorum, ut memoriæ infigeret, *hæc eadem stans* (nam stantes dicebant) *proferet* in medium, dicet, declamabit, *atque eadem cantabit,* recitabit, *iisdem versibus,* incisis, periodis vel membris orationis, (nam *versus* etiam κῶλον, membrum, dicitur) quibus sedens legerat vel alii recitaverant; ut mox *crambe repetita,* vel ap. Terent. Phorm. III, 2, 10. *cantilenam eamdem canere,* ut nos dicimus *bei einer leier bleiben, dasselbe herleiern,* et similia alii. (v. Ernesti clav. Cic. v. *cantilena.*) *Cantare* quoque spectat ad vitiosam declamandi rationem, cantui similem, quo vitio sæpe notantur discipuli; Ach.[61] — 154. Crebræ declamationes discipulorum, in primis eorum, qui eadem vel causas ejusdem argumenti recitant, *miseros magistros occidunt,* fastidio conficiunt, quemadmodum brassica sæpius apposita vel recalefacta nauseam creat stomacho.[62] Vetus Schol. " *Crambe repetita:* proverbium Δὶς κράμβη θάνατος (nam ita leg.) omnibus tritum, quum nihil sibi tam fuisse cognitum significare voluerunt. tractum a nimis frequenti relatione historiæ sive fabulæ ab aliquo tum scriptæ." Sic et nobis in proverbio est: *aufgewärmter kohl.* Cf. Var. Lect.

155—157. Omnes discere cupiunt artem oratoriam, sed nemo magistris vel Rhetoribus debitam dignamque laboris molestissimi mercedem vult solvere. *Color,* v. ad VI, 280. *Colores* tamen dicuntur etiam ornamenta orationis, quæ e triplici ejus genere, sublimi, medio et tenui, oriuntur. v. Cic. Orat. III, 25. et 52. *Causæ genus* triplex, deliberativum, judiciale et demonstrativum, quod alii laudati-

[60] Hæc et alia memorantur inf. v. 160—170. sup. I, 16 seq. et ab Auctore Dial. de Orator. c. 35. Senec. Controv. VII. et Quinctil. in Declamatt. et Inst. II, 10, 4. et Petron. c. 1. Minus probanda aliorum interpretatio: O Vecti, sane tu ferreus, quem non frangit docendi labor, quum ille tam durus sit, ut etiam sævos tyrannos excarnificet iisque gravissimæ vindictæ ac pœnæ loco a Diis imponatur, ut Dionysio Siciliæ tyranno.

[61] Durior est explicatio eorum, qui singula ad præceptores referunt, (eo sensu, quo non nemo, a Grang. laudatus, lepide de iis dixit: Οἱ αὐτοὶ περὶ τῶν αὐτῶν τοῖς αὐτοῖς τὰ αὐτά.) et Pratei: *quæcumque sedens* præceptor *modo legerat, hæc eadem* vel *eadem hæc* classis, discipulus. *stans* recitabit.

[62] Lubinus: " Miselli magistri dum toties eumdem cibum discipulis suis præmandere et præmasticare quasi coguntur, vel dum eadem discipulis suis toties repetita inculcant, tædio et molestia pæne occiduntur." Non male; verba tamen *crambe repetita* et præc. non ad magistros, sed ad discipulorum declamationes spectare videntur.

vum dicunt.[63] *Quæstio summa* in causa est status controversiæ, in quo res maxime vertitur, vel generalis quæstio sive constitutio.[64] 156. *Sagittæ* sunt argumenta vel firmamenta, quæ adversarius opponit: nam eloquentia et causæ forenses pugnæ, Marti et armis comparantur; unde *Martem forensem* dixit Ovid. ex Ponto IV, 6, 29. et Suet. Cal. c. 53. *Peroraturus, stricturum se lucubrationis suæ telum, minabatur.* Cf. sup. ad v. 8. — *sagittæ diversæ quæ veniant*, v. Var. Lect.

158. Verba discipuli: *Mercedem appellas*, memoras, dicis? *Quid enim scio*, quid a te didici? His respondet magister: *Culpa docentis arguitur*, in eum transfertur, cet. Ex quibus verbis intelligitur, etiam illa ætate, ut nostra, non defuisse, qui, si juvenes haud multum proficerent in literis, omnem hujus rei culpam in præceptores conferrent, parum reputantes, non, ut e lapide aut trunco signum aliquod vel imago a statuario exsculpitur, ita ex omnibus, etiam nullius ingenii, pueris, et quidem paucorum annorum spatio, viros doctos effingi atque formari, neque ex quovis stipite pulcrum simulacrum edolari posse. Conf. v. 237 seq. — 159. *Scilicet*, v. ad II, 104. *in læva parte*, infra lævam partem, *mamillæ*, h. e. in corde: (conf. Pers. II, 53.) nam *cor animalibus ceteris in medio pectore est, homini tantum infra lævam papillam*, Plin. XI, 37. s. 69. *Cor* autem *aliis animus videtur: ex quo excordes, vecordes concordesque dicuntur et Nasica ille prudens Corculum et egregie cordatus homo catus Ælius Sextus: Empedocles animum esse censet cordi suffusum sanguinem: alii in corde, alii in cerebro dixerunt animi esse sedem et locum*, Cic. Tusc. Quæst. I, 9. — 160. *Nil salit*, nihil ingenii, nullus boni et pulcri sensus, nulli igniculi ingenii emicant *juveni* in corde, h. e. hebes et obtusus est, ingenium tardum et torpidum, cui nec vigor nec acies est. Contra *cor tibi rite salit* ap. Pers. III, 111. et Sen. Thyest. 756. Verbum *salit* ad id respicit, quod cordi præcipuus est calor et palpitatio; Brit. *Arcadicus* h. l. dicitur stultus et stupidus, non tam quod optimi erant et maximi in Arcadia asini,[65] quam quod stupidi habebantur Arcades, unde βεκκεσέληνοι poetis Græcis dicuntur et Ἀρκάδιον βλάστημα in proverbium cessit. Arcadas rudes esse suibusque simillimos, tum propter alia multa, tum quod arborum fructibus ut plurimum turgeant, monet Philostr. lib. III. 161. *cujus Hannibal*, decla-

[63] v. Quintil. III, 4. et Cic. Inv. I, 5. Alia et quidem quinque causarum genera recenset Cic. Inv. I, 15.

[64] Conf. Quintil. III, 5. et 6. Cic. Inv. I, 6. et 8 seq.

[65] v. Varr. R. R. II, 1, 14. Plin.

matio de Hannibale, *deliberante, an petat Urbem* cet., *mihi miserum caput implet,* obtundit, h. e. non sine summo tædio audienda est. Cf. X, 167. *sexta quaque die :* nam Rhetores declamationibus certum diem definire solebant. (v. Casaub. ad Suet. Tib. c. 32.) *dirus Hannibal,* cujus nomen jam horrorem incutit, ut ap. Horat. Od. III, 6, 36. et IV, 4, 42. — 162 seq. Hæc notissima ex Liv. XXII, 51. XXVI, 7—11. Polyb. IX, 3 seq. et Sil. XII, 489 — XIII, 93. *an,* utrum, *petat Urbem* Romam *a Cannis,* post victoriam Cannensem, quod Maharbal sapienter suaserat. — 163. *post nimbos et fulmina cautus,* territus fulminibus et tempestate, qua bis acies dirimebatur. *Circumagat,* reducat a mœnibus Romæ ; ut ap. Sil. XII, 663. — 165. *Quantum vis stipulare — audiat,* verba *sophistarum, qui hæc uno conclamant ore* cet. Quantum vis posce et confestim tibi dabo, si effeceris, ut pater filium suum toties eadem recitantem audiat, quoties mihi audiendus est. Hoc venuste ac lepide dictum pro : pater ipse numquam sibi hunc laborem imponi patietur, vel, si eum subierit, sentiet, quam ingratus sit et molestus. *Stipulatur,* qui interrogat et poscit ; *spondet,* qui respondet et pollicetur. (v. Ern. clav. Cic.) 166. *ut illum pater audiat toties,* quoties ego, rhetor : nam pater nonnumquam filios in scholis declamantes audiebat et amicos quoque adducebat vel cognatos. (v. Quintil. II, 7. X, 5. Pers. III, 47.) — 167. *sophistæ,* rhetores. Qui proprie sint, notum ex Cic. Acad. IV, 23. et Fin. II, 1. — 168. *veras agitant lites,* causas perorant in foro, *relicto raptore* cet. h. e. dimissis fictis illis causis et declamationibus scholasticis de *raptoribus,* (v. c. Paride, qui Helenam, vel Jasone, qui Medeam rapuit, et aliis) de *venenis fusis* ac pellici, v. c. Creusæ a Medea, vel conjugi et al. datis, de *malo ingratoque marito,* v. c. Jasone, Theseo cet. quæ sunt vulgaria themata seu declamationum argumenta, in scholis tractari solita, de quibus v. Quintil. de Declamatt. et Senec. Controv. Sensus est : pertæsi miserrimæ et umbratilis Rhetorum vitæ a schola transeunt ad forum et ex Rhetoribus fiunt patroni causarum, quorum vita et ars minus molesta et quæstuosior est. 169. *silent,* non amplius ab ipsis tractantur, vel discipulis tractanda proponuntur themata et fictæ causæ. 170. *mortaria,* fictum thema de medicamentis in mortario tritis a Medea et filiabus Peliæ, *cæci veteris,* senis, traditis, ut eorum vi pueritiam redderent patri.[66] Alii existi-

VIII, 43. s. 68. Plaut. Asin. II, 2, 67. et Pers. III, 9. 24. Ovid. Met. VII, 297 seq. et Diodor. IV, 51. 52.

[66] De qua fraude Medeæ v. Hygin. f.

mant, declamationem designari de filio pharmaca ad sanandos cæci patris oculos miscente et hinc a noverca veneficii insimulato, ut exheredaretur.[67] 171 seq. *Ergo,* has ob causas (nisi potius dictum pro enimvero aut profecto) idem ille, *qui ad pugnam,* veras causas in foro perorandas, *ab umbra rhetorica,* a scholastica exercitatione et vita umbratili rhetorum, *descendit,* transit, h. e. Rhetor, qui patronus causarum factus est, *si nostra* eum *movebunt consilia, sibi dabit ipse rudem,* h. e. etiam forensi exercitationi omnique arti oratoriæ (quam parum quæstuosam esse, sup. v. 106—149. poeta ostenderat) renunciabit, et longe aliud *vitæ iter ingredietur. — sibi dabit ipse rudem,* tropice, ut ap. Horat. Epist. I, 1, 2. et Martial. III, 36, 10. De proprio verborum sensu v. sup. ad VI, 113. — 173. v. sup. ad v. 8. et 156. et conf. Sen. Præf. lib. III. Controv. — 174. Ne ad incitas redigantur et exigua quoque pecuniæ summa illis desit, qua tessera frumentaria *venit,* venum it, venditur et a pauperibus emitur, h. e. qua summula panis ematur. *Frumentum* Romæ distribuebant Curatores annonæ, datis *tesseris frumentariis,* sive symbolis quibusdam et frustillis quadratis, signo quodam et certa notatis forma, e ligno aut plumbo: eædem tesseræ (ut et numariæ) populo et plerumque definito civium numero (v. Casaub. ad Suet. Aug. 42. et Cæs. 41. Dio XLIII, 21. LX, 10.) dabantur ab Imperatoribus, ut animum plebis, quæ duas tantum res anxia optaret, panem et Circenses, (inf. X, 80.) a novarum rerum studio avocarent sibique devincirent, et quidem non in ludis tantum muneribusque a se datis, sed quotannis etiam et sæpe ac potissimum, ex consuetudine, a Gracchorum temporibus servata, Nonis cujusque mensis. v. Suet. Aug. 40. 41. Ner. 11. al. Quantum frumenti cuivis esset dandum, scribebatur in tessera, in tabulis autem ceratis æneisve nomen cujuslibet civis, cui tessera erat data; quique eam acceperat, ad horrea publica ire poterat petitum frumentum, aut, si hujus non egeret, vel alia de causa, illam vendere. v. Lips. Elect. I, 8. Casaub. et Kœnig ad Pers. V, 73. 74. qui etiam nostrum locum recte ita interpretati sunt, si tesseræ illæ gratis datæ sunt populo ab Imperatoribus: et sane P. Clodius rogationem tulerat, ut gratis daretur frumentum, quod e lege Sempronia C. Gracchi antea semisse ac triente dabatur. Sed Imperatorum temporibus non plane gratuitum fuisse frumentum, probabile fit ex Tac. Ann. XV, 39. ubi v. Lips. Tum potius designatur h. l. *summula,* (terni numi, parvum modii

[67] Conf. Ovid. Met. VII, 276. ibique Heins. et Burm.

pretium, ap. Tac. l. l.) *qua tessera venit,* venalis est, venditur inopi plebi. Verba *vilis frumenti* junxerim, quod *scabiosum far* vocatur Pers. l. l. ubi Kœnig indicari dicit munusculi vilitatem et frumentum, ut in granariis publicis sæpe accidit, a gurgulionibus exesum seu omnino situ corruptum.

175. *Hæc merces* præceptorum virorumque doctorum *lautissima,* amplissima est, quum habeant accipiantque tantum pecuniæ, quo frumentum emere possint. — 176. 177. Longe amplius est citharœdorum præmium lucrumque, quam rhetorum et causidicorum; hinc auctor tibi sum, ut citharœdi artem discas et profitearis. *Tenta,* explora, exquire, quære, *quanti doceat,* quanta mercede *lautorum,* nobilium ditiorumque, *pueros* instituat *Pollio, scindens,* proscindens, deridens, *artem Theodori* rhetoricam, quum ipse plus lucretur arte sua. Theodorus Gadareus, celeberrimus rhetor.[63] De *Chrysogono* et *Pollione* v. sup. ad VI, 74. et 387. Quidam putant, h. l. ea quoque Rhetorum esse nomina et sensum hunc: *quanti,* quam exigua mercede, *doceat Pollio, artem Theodori* rhetoricam *scindens,* in minima mansa s. minutatim quasi dividens et ingerens. Sed verum forte h. l. sensum cepit Ach. cujus nota est: " Non possum, quin mirer facilitatem, qua interpretes contraria contrariis jungunt atque Chrysogonum et Pollionem, quos poeta sup. VI, 74. et 387. ut citharœdos adulteros et quasi lasciviæ magistros citavit, vertunt nunc in rhetores. Ego etiam *Theodorum* esse suspicor citharœdum, qui artis suæ regulas scripserit, quas *Chrysogonus* et *Pollio scindunt* i. e. docent pueros, vel alium forte deformiorem, ad cujus cinædicam artem infandam isti nebulones sub specie artis musicæ docendæ informabant pueros. Nam in Hesych. Lex. ad verb. Θεόδωρος sic: *Θεοδώρους ἔλεγον οἱ κωμικοὶ τοὺς εὐρυπρώκτους, ἀπὸ Θεοδώρου τινὸς, οὐκ εὖ τῆς ἑαυτοῦ ὥρας προστησαμένου.*"

178—187. Divites Romani nullis sumtibus parcunt in balneorum, villarum vel domus et epularum magnificentia; sed (v. 186.) *inter hos sumtus,* quum tot sumtus in tales res impendant, *duo sestertia,* (cave cum Ach. suppleas *millia*) *ut multum* scil. dicam, h. e. summum, Germ. *höchstens,* (ita Gron. ad Mart. X, 11, 6. Scheller in Lex. et Hein.) *sufficere* putant vel clarissimo optimoque rhetori, qualis *Quintilianus* fuit, (v. ad VI, 75.) loco salarii pro liberorum institutione.

[63] v. Quintil. I, 12. III, 1. et 11. IV, 2. Strab. XIII. p. 625. XVI. p. 759. Sueton. Tib. c. 57. Lucian. in Macrob. et Langbænius ad Longin. c. 3, 14. Fuit et sophista Theodorus Byzantius, qui Socratis temporibus vixit. v. Quintil. III, 1. Laert. II, 104. et Ernesti clav. Cic.

Balnea sexcentis sestertiis, h. e. sestertiorum millibus, scil. constant vel exstruuntur.[69] — 178 seq. v. ad IV, 5. Irrisio luxuriæ faceta inest in v. 179—181. *Anne serenum exspectet dominus,* dives nobilisque Romanus, censesne ei ambulationis gestationisque tempus differendum esse, donec serenum sit tempus? an curru vehatur post pluviam vel per cœnosas plateas, ubi mulorum pedes *luto spargantur?* Quin *potius hic,* in porticu, *gestabitur* vel vehetur, ubi *ungulæ* ac pedes *mulæ nitent,* luto non inquinantur. — 182. *Parte alia,* in superiori domus parte, *surgat* (v. ad VI, 529.) *cœnatio,* triclinium, *fulta longis columnis Numidarum,* ex Numidico marmore,[70] *et rapiat,* excipiat, *solem ulgentem,* tepidum, et matutinum et hibernum: nam triclinia in villis septemtrionem plerumque et orientem vel potius meridiem spectabant, ut hieme plurimum solis versus meridiem aperta, æstate minimum reciperent.[71] — 184 seq. *Quanticumque* pretii *domus* sit vel constet, h. e. etsi tantos sumtus in magnificentiam domus vel villarum impendant, non minores tamen faciunt in lautitiam epularum, minimos vero in honestarum artium præceptores et bonam liberorum institutionem. *fercula,* v. ad I, 94. *qui fercula docte componit,* peritus structor. v. ad V, 120. — 185. *qui pulmentaria condit,* facit, coquus. *Pulmentaria* dicuntur quævis opsonia, vel quæ cum pane eduntur, a pulte, quæ priscis Romanis loco panis erat. (v. ad XIV, 171. et Plin. XVIII, 8.) — 186. 187. v. ad v. 178. Grangæus hunc locum sumtum putabat ex Cratetis Thebani ephemeride ap. Laert. in ejus vita: *Τίθει μαγείρῳ μνᾶς δέκα, ἰατρῷ δραχμήν, κόλακι τάλαντα δέκα, συμβούλῳ καπνόν, πόρνῃ τάλαντον, φιλοσόφῳ τριώβολον.* Cf. Cratetis Fragm. III. in Brunck. Anal. T. I. p. 186. *Ut multum* sc. dicam, ut ap. Mart. X, 11, 6. 188. *filius,* bona ejus institutio, quæ tantopere negligitur et sæpe committitur parum idoneis præceptoribus, modo sumtu minimo constent.

188 seq. His, quæ inde a v. 150. disputaverat poeta, facile prævidet opponi posse: *unde igitur Quintilianus tot saltus,* tot prædia, tan-

[69] De balneorum magnificentia sunt loca class. Senec. Ep. 51. et 86. Plin. Ep. II, 17. V, 6. Vitruv. V, 10. Montfauc. Antiq. T. III. Maffei Collect. Statuar., Thess. Gronov. T. IX. Græv. T. XII. et Sallengr. T. V. The Baths of the Romans by Cameron, Lond. 1772.

[70] v. Plin. V, 3. XXXVI, 6. Barth. ad Stat. Silv. I, 5, 36. et intpp. Horat. Od. II, 18, 4.

[71] v. Columel. I, 5, 6. Plin. Ep. I, 17, 10 seq. et Casaub. ad Suet. Aug. c. 72. et Ner. 31. Plathnerus hæc verba ad heliocaminum refert: Erat, inquit, in cœnaculis heliocaminus ita fabrefactus, ut vaporario quodam solares ad se quasi raperet radios, ita ut postmodo calorem quemdam per parietes effunderet; de quo v. Senec. de prov. div. c. 4. et Plin. Ep. II, 17, 20. ubi cf. intpp.

tum agri ac divitiarum, *habet,* si tam misera est rhetorum conditio? Respondet, illum *novo,* insolito, singulari ac mirifico fortunæ beneficio, non hominum liberalitati opes suas debere, eique uni (quamvis non indigno) contigisse, quod nesciat an ulli. Putant etiam latenter innui, eum non tam eruditioni aut virtutibus, quam fortunæ tantam felicitatem acceptam referre. Cf. ad VI, 280. Salse saltem dicta videntur hæc: *et jaculator, et si perfrixit, cantat bene.* Versus quoque 190—194. ad Quintilianum referendos esse crediderim, etsi non certo constet, eum *nobilem* ac *senatorem,* nedum consulem fuisse, (quod multi colligunt ex v. 197. et ex Ausonii Gratiar. Act. ad Gratian. p. 712. vel ed. Bipont. p. 290. *Quintilianus, consularia per Clementem* Flavium *ornamenta sortitus, honestamenta nominis potius videtur quam insignia potestatis habuisse*) neque etiam probaverim vulgarem explicationem: Quintilianus est *felix et pulcer et acer; est felix et sapiens* cet., vel *felix,* h. e. fortunæ beneficio, est pulcer et acer cet. Ex illa ratione vox *felix* ter posita admodum languet; ex hac duro et alieno ab usu loquendi sensu accipitur. Mentem potius poetæ ita capio: *felix,* h. e. qui felix est, cui fata favent, *et pulcer et acer et sapiens et nobilis* est cet., h. e. ei omnia bona, et corporis, (*pulcer*) et animi, (*acer* et *sapiens* et *orator maximus* cet.) et fortunæ, (*nobilis et generosus*) affluunt. Similis orationis color est ap. Horat. Epist. I, 1, 106 seq. et Sat. I, 3, 124 seq. Sed quomodo Quintilianus tam dives dici potest, quem Plinius Epist. VI, 32. Trajani adhuc temporibus *animo* quidem *beatissimum,* sed *modicum facultatibus* fuisse tradit? *Dives* vocari possit respectu aliorum rhetorum, qui pauperrimi erant, et *modicus facultatibus* respectu Plinii, qui ditissimus fuit. Magna præterea cum gloria et in foro versatus est, et rhetoricam docuit per viginti annos; primus quoque scholam Romæ habuit et salarium accepit e fisco, centena sestertia. Cf. Martial. II, 90. Quoniam vero *tot habuit saltus,* tantas potius opes post epistolam illam a Plinio scriptam, Hadriano forsan imperante, acquisivisse, aut Plinius ad alium Quintilianum scripsisse censendus est, aut alius ævi istius rhetor designatur nomine *Quintiliani,* ut nomine *Paridis* alius histrio sup. v. 87 seq. Conf. Dodwell. Annal. Quintil. § 34—41. et Spalding ad Quintil. Inst. Or. III, 1, 21. p. 438. et in Præf. p. XXXI seq. — 189. *Exempla fatorum novorum,* fortunæ insolitæ. *Nova* dicuntur, quæ vel numquam vel raro antea visa et audita sunt. *acer,* acris ingenii judiciique: nisi ad acrimoniam et vim dicendi spectat epitheton propter locum Epist. V, 10. *Ne videar tibi sub hoc quasi hyperbolico rhetorum catalo-*

go blanditus quidpiam gratificatusque solam tibi acrimoniam Quintiliani pompamque Palladii comparari non ambigo, sed potius acquiesco. — 191. *nobilis et generosus,* v. ad II, 145. — 192. Insigne senatorum *aluta,* h. e. calceus ex aluta, corio molli, quod a cerdonibus liquore corrodenti *aluminis* (alaun) mollitur, (nostr. *Semisch leder* vel *Corduan*) cui *apposita* h. e. adsuta vel *subtexta* erat *luna* s. lunula, quæ non videtur fuisse litera *C,* nota numeri, centum scil. Patrum a Romulo creatorum, sed fibula, sive eburnea, sive argentea, in malleolo pedis, lunæ speciem referens; *τὸ σύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι· τοῦτο δὲ ἔστιν ἐπισφύριον* (fibula ocreæ) *ἐλεφάντινον μηνοειδὲς,* Philostr. vit. Her. II, 8. p. 555. ubi v. Olear. Cf. Plut. T. II. p. 282. et loc. class. Marcelli in Brunck. Anal. T. II. p. 302. 303. v. 23 seq. ubi origo hujus ornamenti derivatur a Tyrrhenis (cf. Serv. ad Virg. Æn. VIII, 458.) et a Mercurio, qui, quum Æneam Græcis eriperet, lunam in talaribus fixerit: *ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ πέδιλα, τὰ λέγουσι καὶ Ἑρμάωνα φορῆναι — ὁ δέ οἱ περὶ ποσσὶ σαωτὴρ παμφανόων ἐνέκειτο σελήναίης κύκλος αἴγλης* cet. v. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 392 seq. et Visconti ad Iscrizioni Greche Triopee ora Borghesiane Rom. 1794. p. 83 seq. ubi præter alia monet, in Tabula Iliaca Mercurium esse comitem Æneæ, et in gemma ap. Augustin. T. II. n. 3. Æneæ fugientis viam illustrari luna. (cf. Virg. Æn. II, 693.) [72] De *calceis, soleis,* (*σανδάλοις,* schnürsohlen) *vinclis,* (eleganter geschnürten und pantoffelartigen sohlen) *soccis obauratis* v. Böttiger Sabina p. 372 seq. ut de aliis vinculis s. fasciis, quæ illis vinclis soleisque in superiori pedis parte constringendis adhibebantur, (*ansulæ, γλῶτται*) ibid. p. 275. *alutæ nigræ,* ut ap. Horat. Sat. I, 6, 27. *nigris medium impediit crus Pellibus;* sed *coccina aluta* ap. Martial. II, 29, 8. et contra *nivea* ap. Ovid. A. A. III, 271. ubi v. Heins. [73] — 193. *Jaculator* facete dicitur dialecticus s. sophista et rhetor, qui dicta et argumenta in adversarium quasi inculcatur. v. ad VI, 449. 450. Sic *jaculatio verborum* ap. Quintil. VI, 3. *Et si perfrixit,* frigore raucus est factus. [74] *cantat,* declamat, recitat, *bene;* forte ob vocem muliebrem, quæ, asperior facta, auribus gratior est. Cf. ad v. 188. et h. l. Var. Lect.

[72] *Non hesterna sedet lunata lingula planta,* Martial. II, 29, 7. Hinc de novis nobilibus proverbii loco dicebatur: *σὺ τὴν εὐγένειαν ἐν τοῖς ἀστραγάλοις ἔχεις.* v. Junii Adag. Cent. III. et de calceo senatorio lunulæque in eo sede Heins. ad Ovid. Ep. Her. IX, 60. Rhodius de Acia Cels. c. 5. p. 16—20. Ferrar. Analect. c. 31. et 34.

[73] Memorantur etiam calcei mullei, (v. Vopisc. in Aurel. 49. et Plin. IX, 17.) cerei, ederacei cet. Cf. Ferrar. l. l.

[74] cf. Martial. III, 18, 1. et Frontin.

194 seq. Hæc εἰρωνικῶς dicta et per ludibrium de superstitione, quam poeta passim exagitat. v. ad VI, 553 seq. *Distat enim, quæ sidera* cet., magni interest, num benigna tibi nascenti affulserint sidera, an maligna. 196. *adhuc a matre,* materno sanguine, *rubentem* et pollutum.[75]

197. 198. Conf. ad v. 188. ad III, 39. 40. et vit. Juven. chronol. ad a. U. C. 797. de Frontone rhetore, qui ad consulatum pervenit; it. Suet. de ill. rhet. c. 1. *Quos tibi, Fortuna, ludos facis? Facis enim ex professoribus senatores, ex senatoribus professores,* Plin. Ep. V, 11. ubi de Valerio Liciniano prætorio agitur, qui exsul de senatore, rhetor de oratore factus est. " Plinius si nostris temporibus vixisset, quanto justius exclamasset, *quos tibi, Fortuna, ludos facis!*" Ach. Multa exempla mirabilis fortunæ, nec tamen rhetorum, Plinius VII, 42 seq. memorat. — 199. P. *Ventidius* Bassus, homo humili loco in Piceno natus et bello sociali inter captivos Picentes et Asculanos in sinu matris vectus ante currum triumphalem Pompeii Strabonis; deinde rhedarius ac mulio; tum amicus C. Cæsaris ac L. et M. Antonii, quorum ope tribunatum plebis, præturam, pontificatum consulatumque adeptus est; tandem a M. Antonio adversus Parthos missus, de quibus primus triumphavit.[76] *Tullius,* non Cicero, sed Servius Tullius rex Romanorum et servæ vel captivæ filius: nam ad eum spectant verba v. 201. *servis regna dabunt fata,* ut reliqua *captivis fata triumphos dabunt* ad Ventidium. 200. *Quid aliud, quam sidus* cet., h. e. quam exempla vis sideris natalitii, (v. ad v. 194 seq.) et potentiæ mirandæ fati occulti? — 202. *Felix ille,* talis, qualis Quintilianus. *corvo rarior albo,* proverb. ut simile VI, 165. Hinc oraculum Phalantho redditum, ἔξειν τὴν χώραν, ἕως κόρακες λευκοὶ γένωνται, ap. Athen. VIII, 16. (61.) p. 360. Corvos nonnumquam albos inveniri, docent Aristoteles et Cœlius Rhodig. XVII, 11.

203. *cathedræ,* sellæ magistrorum, h. e. rhetoricæ professionis, *sterilis;* v. sup. ad v. 49. 204. *Thrasymachi,* Rhetoris apud Athenas, qui suspendio periit, vet. Schol. Hunc memorari a Platone in Dial. de re publ. et passim a Dionysio Halic. in fragm. περὶ τῶν ἀρχαίων

Strat. I, 12, 11. Schol. vet. *infrigidatus fuit.*

[75] Quales infantes *sanguinolenti* dicuntur JCtis. Conf. Barth. Adv. XXIII, 16.

[76] v. Plin. VII, 45. Gell. XV, 4. Plut. in Anton. Opp. T. I. p. 91. Dio Cass. XLVIII. XLIX. Appian. bell. civ. I, 47. (ubi cf. Schweigh.) III, 66. 80. IV, 2. V, 31—35. 50. 65 et b. Parth. c. 71—74. Pigh. Ann. Rom. ad a. 707. 710. 715. Ernesti clav. Cic.

ῥητόρων, monet C. Valesius, eumque inopia laborantem rhetorica professione destitisse, tradit Philostr. Suidas: Θρασύμαχος Χαλκηδόνιος σοφιστὴς ἐν Βιθυνίᾳ, ὃς πρῶτος περίοδον καὶ κῶλον κατέδειξε καὶ τὸν νῦν τῆς ῥητορικῆς τρόπον εἰσηγήσατο. μαθητὴς Πλάτωνος τοῦ φιλοσόφου καὶ Ἰσοκράτους τοῦ ῥήτορος. ἔγραψε συμβουλευτικοὺς, τέχνην ῥητορικὴν, παίγνια, ἀφορμὰς ῥητορικάς.[77] *Secundus Carrinas* rhetor, quem ad incitas redactum Athenis Romam migrasse et in exsilium a Caligula missum esse, quum contra tyrannos declamasset, refert Dio LIX, 20.[78] — 205. 206. Hæc acerbe dicta in Athenienses: Vos, Athenienses, *hunc* Secundum Carrinatem, (æque ac Romani alios viros literatos) ab inopia vexari passi estis, nec præmia *contulistis* in doctores juventutis vestræ, sed *cicutam*, venenum, quo hausto Socrates, tantus vir, interiit. *Hunc* Carrinatem esse crediderim, non Socratem, qua vulgari sententia ordo verborum turbatur. Nota Socratis et paupertas et mors vel ex Laertio, qui eum etiam aliquando rhetoricam docuisse tradit. Id si vel minus constaret, tamen ex nostra interpretatione apte lauderetur h. l., ubi non tam inter rhetoras et sophistas, quam inter præceptores inopes refertur. *Cicuta* quævis canna, intus cava et inanis, it. lathyris, bilem et pituitam purgans ideoque sanandæ insaniæ adhibita; (v. Kœnig ad Pers. V, 145.) h. l. κώνειον, Germ. *schierling*. *Cicutas gelidas* vetus Schol. exponit: mortiferas; mors enim frigida est. Sed meliora docet Plinius XXV, 13. s. 95, 4. *Cicuta quoque venenum est, publica Atheniensium pœna invisa. Semen habet noxium. — Semini et foliis refrigeratoria vis: quos enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Remedio est, priusquam perveniat ad vitalia, vini natura excalfactoria. Sed in vino pota irremediabilis existimatur* cet. Eadem tradit Dioscor. IV, 79. et in Alex. c. 11. Scribon. Largus de compos. medicam. 179. *Cicutam potam caligo mentisque alienatio et artuum gelatio insequitur; ultimoque præfocantur, qui eam sumserunt, nihilque sentiunt.* Schol. Pers. V, 145. *Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi exstinguit; unde sacerdotes Cereris Eleusiniæ liquore ejus ungebantur, ut a concubitu abstinerent.*

207—210. Præclare monet poeta, quanto æquius sapientiusque judicium de dignitate præceptorum prisci, quam recentiores, Romani tulerint, eosque propterea post mortem etiam colendos dicit et amore

[77] Cf. Cic. Or. III, 12. 16. et 32. Quintil. III, 1, 10. 3, 4.

[78] Cf. Tac. Ann. XV, 45. ibique Lips. Vetus Schol. "*Socrates* veneno periit, quum fugeret paupertatem." Male; nisi pro *Socrates* auctore Schurzfl. legeris *Sec. Carinas.*

votisque prosequendos. Utinam et nostra ætate tam parentes, quam liberi eorum ipsique præceptores probe memores hujus judicii essent! Alexander, Aristotelis discipulus, olim dixisse fertur: *Præceptoribus plura, quam ipsis parentibus, debemus, quum ab his vivendi, ab illis bene vivendi rationem adipiscamur.* Cf. inf. v. 238. 239. Sen. de Ben. VI, 16. extr. Quintil. II, 2. et 9. pr. — 207. *Dii* sc. date, s. dent. *majorum* nostrorum *umbris*, Manibus; non sepulcris, in quibus arbores umbriferæ, ut putabat Grangæus, qui tamen mox monet, veteres Græcos ac Romanos credidisse, in ipsis sepulcris mortuorum animas una cum corporibus s. cinere aliquantulum residere ipsaque mole ponderis affici, unde solennis veterum mortuis bene precandi formula, in sepulcris etiam obvia S. T. T. L., h. e. *sit tibi terra levis*, et Gr. *κούφη γῆ τοῦτον καλύπτοι*, (ut h. l. *tenuis et sine pondere terra*, et apud alios scriptores, *sit levis cespes* aut *cippus*, et *molliter ossa cubent* vel *quiescant*) ut contra inimicorum exsecrationes: *sit tibi terra gravis, urgeat ossa lapis, duriter ossa cubent.*[79] — 208. Priscis temporibus non modo tumuli mortuorum sparsis floribus corollisque ornabantur, sed hinc etiam homines credidisse videntur, in iisdem flores suave olentes sponte nasci Manesque adhuc coronis annuisque libationibus delectari et *vere perpetuo* frui. v. Suet. Aug. 18. Athen. XV. p. 679. Anthol. Lat. Burm. II, 4. epigr. 99. 186. et 247. Anal. Brunck. T. II. p. 25. et T. III. p. 303. quæ loca laudavit Kœnig ad Pers. I, 40. ubi hæc ejus nota est: " Beatissima mortui conditio, cui vel natura ipsa inferias agat, floribus in tumulo sponte nascentibus, videtur indicari. Privata quoque nonnullorum opinio fuit, ex fabulis heroum in flores post mortem mutatorum fortasse nata, cinerem in flores mutari idque contingere non nisi probis ac pulchris."[80] *Crocus* et unguenta, inpr. crocina, non modo in conviviis et theatris, sed etiam in funeribus adhiberi solebant et vel rogo infundi vel ossibus, ut suavem spirarent odorem. v. Jacobs ad Anthol. Gr. T. II. P. I. p. 78.

210—214. Olim præceptores summo honore colebantur, at nunc vel ad discipulorum ludibrium recidunt. Id probatur exemplis *Achillis*, tanti viri, qui jam grandior natu Chironem reveritus est, et

[79] Cf. Jacobs ad Anthol. Gr. T. I. p. 133. Kirchman. de fun. Rom. III, 9. Brisson. de form. I. n. 146. Casaub. ad Pers. I, 37.

[80] Cf. etiam Casaub. ad Suet. Ner. 75. Vulp. ad Prop. I, 17, 22. Kirchman. de Fun. Rom. III, 5. IV, 3. Ouzel. ad Minuc. p. 109. et Gruter. Inscr. p. 752. qui docent, flores bene olentes atque odores non modo in lectum feralem, in bustum, in ossa ab amicis collecta, sed etiam in urnam, et quotannis in sepulcra vel tumulos sparsos esse, veteresque etiam in suis testamentis de annuis reditibus cavisse, ut corollis parentaretur Manibus suis.

Rufi, summi rhetoris, aliorumque recentioris ævi præceptorum, quos discipuli non modo deridere, sed etiam verberare audent. Reverentia illa *σκωπτικῶς* designatur verbis *metuens virgæ,* et in ludibrium forte Orbilii plagosi; at simul ferox Achillis animus, qui non nisi metu virgæ frangi potuerit, innui videtur, et poeta, opinor, memor fuit loci Ovid. A. A. I, 11 seq. Versus autem 213. ad rem sane mirificam, quæ tum contigit, spectare videtur. *metuens virgæ,* v. ad V, 154. *grandis* corpore, non annis, Grang. quod Achilles novem vix natus annos secesserit ad Lycomedem. Sed poeta forte alios scriptores sequutus est, quam quos nunc habemus, et profecto inepta est vulgaris narratio, ex qua Achilles ne decem quidem annos natus fuit, quum et pater fieret, et a Græcis heroibus expeteretur.[81] 211. *Cantabat,* non, canebat laudes magistri, sed canere discebat fidibus ac cithara; unde mox *citharœdi magistri.* Conf. Horat. Epod. XIII, 11. et Ovid. l. l. *patriis in montibus,* in Pelio monte Thessaliæ, quem Chiron aliique Centauri inhabitabant. v. Apollod. II, 5, 4. Chiron præceptor Achillis aliorumque heroum.[82] Idem Centaurus fuit, et Centauris corpus caudaque equi tribuebatur, quod commentum poeta v. 212. ridet. Facies Chironis Centauri etiam *tunc* temporis cuilibet risum excutere debuit; eo mirabilior est reverentia, ab Achille, tam feroci juvene, ei præstita. — 213. *Rufus* rhetor, quod ex hoc versu probabile fit, sed ignotus; forte Satrius Rufus, *cui fuit cum Cicerone æmulatio,* si probanda est lectio vulgata in Plin. Ep. I, 5, 11. Forsan Q. Curtius Rufus, cujus nomen in rhetorum epilogo tantum exstat; Grang. *Gallus fuit et valde disertus;* vet. Schol. — 214. *Rufum,* qui tamen clarissimus Rhetor fuit ipsiusque Ciceronis æmulus. Voces proprias sæpe repeti, sed cum additamento, quod vel venustatem vel acrimoniam (vel vim orationi) afferre possit, multis exemplis docet Schrader in Obss. p. 17. *Allobroga,* Allobrogice potius ac barbare, quam Latine loquentem. Alii suspicantur, Rufum in declamatione quadam ostendisse, Ciceronem cum Allobrogum potius legatis, in conjurationem Catalinæ pellectis, sensisse, quam cum civibus suis, cujus et Sallustius eum arguat. *Allobroges* populi Galliæ Narbonensis, quorum caput Geneva. De vitiis et obtrectatoribus Ciceronis v. Auctor. Dial. de Orator. c. 18. et 22. ibique Lips. Quintil. XI, 1, 3. XII, 10, 1. Gell. XVII, 1.

[81] Cf. Barth. ad Stat. Achill. I, 503 seq.

[82] v. Heyne ad Apollod. III, 13, 6. in Opusc. Acad. T. V. p. 92 seq. et in Antiq. Aufsätzen P. I. p. 32. Creuzer's Symbolik T. II. p. 356.

215—243. Ultimo loco poeta de Grammaticis agit ostenditque, eorum conditionem non meliorem, quam Rhetorum, et difficiliorem molestioremque esse laborem. *Grammatici* fuere olim, qui nunc *Professores* et *Magistri artium liberalium* dicuntur. v. intpp. Petron. 55. *gremio affert,* in gremium sinumve sedentis docentisque infundit διδακτρον. *Enceladus* (al. *Celadus*) et *Palæmon* Grammatici. De hoc v. ad VI, 452. de illo Var. Lect.

216 seq. Conf. Palladæ Epigr. XLVI. in Brunck. Anal. T. II. p. 417. *Et tamen* ex hac tantula mercede aliquid *præmordet,* furtim deradit, abradit, h. e. intercipit, subtrahit, (ut mox *franget sibi*) *discipuli custos* ac ductor, pædagogus, servus, *et qui dispensat,* dispensator, de quo v. ad I, 91. Pædagogus puerum ad scholam ducit et præter libros affert etiam διδακτρον, ab alio servo, dispensatore, ipsi traditum. — 217. *æra,* merces, salarium. *Acœnonoëtus,* v. Excurs. ad h. l.

219—227. Hæc cum miseratione quadam dicta: *Cede* aliquid de jure tuo et *patere* æquo animo, te parte mercedis tibi constitutæ ac promissæ defraudari vel a servis, ne illa tibi tota pereat et nullum tam molesti laboris præmium accipias. 220. *decrescere,* diminui. *non aliter, quam institor* de majori, quod postulavit, mercium pretio nonnihil remittit, ut vendat eas citiusque distrahat. Apta comparatio et, nisi fallor, non sine acerbo aculeo. Notatur enim non modo iniquitas et avaritia parentum, sed etiam illiberalitas Palæmonis, qui officinas quoque promercalium vestium exercuit: (v. Suet. de ill. Gramm. c. 23.) etsi hæc magis excusanda est, quam illa. Vellem tamen pro *Palæmone* alium substituisset poeta: is enim locum quidem inter Grammaticos principem tenuit, sed vitiis quoque omnibus infamis fuit et quadragena annua cepit ex schola, nec multo minus ex re familiari. v. Suet. l. l. *Institor,* ut verba Jani ad Horat. Od. III, 6, 30. mea faciam, dictus antiquis, qui esset præfectus (*instaret*) negotio gerendo, h. e. negotiationem quamcumque et mercaturam vel domi vel peregre domini nomine exerceret; (Gall. *facteur, commis*) quique nomine patroni (nam institores plerumque servi erant aut libertini, interdum et ingenui, de plebe) singulatim venderet in taberna merces, vel circumferret etiam.[83] *Institor* vilis supellectilis, *tegetis hibernæ,* lacernæ vel tegumenti crassioris lecti, quo frigus arcetur,

[83] Conf. L. 3. L. 5. L. 15. D. de institor. act. et Broukhus. ad Prop. IV, 2, 38.

(vet. Schol. male, ædificii frigidi) *niveique cadurci.* v. ad V, 8. et VI, 537. — 222 seq. *Dum modo non pereat,* inutilis plane sit omnisque præmii expers totus labor Grammaticorum, qui tamen molestissimus est. Romæ ludi literarum jam prima luce aperiebantur, quoniam ea est optima diei pars; nec tamen *mediæ noctis ab hora,* quo res augetur.[84] — 223. *Sedet* præceptor in schola (ut discipuli *stant* v. 226.) et prius labori incumbit, quam sellularii artifices, qui tamen jam summo mane operari solent. — 224. *obliquo ferro,* carmine, (*pectine unco* ap. Claudian. XX, 382.) vel hamis ferreis oblique in tabulam fixis, *lanam deducere* et adtenuare, vel explicare tractam et a sordibus purgare, h. e. carminare. Cf. ad v. 54. et Heyne ad Tibull. I, 6, 80. — 225. *olfecisse lucernas,* gravem earum odorem ac fumum. — 226. *decolor* scil. *fuligine,* fumo tot lucernarum. *Flaccus* et *Maro,* Horatii et Virgilii carmina. In scholis tam Romanis quam Græcis omnis institutionis studiorumque initium a poetarum, et quidem optimorum, in primis Homeri, sed seriori ævo Horatii etiam et Virgilii, lectione capiebatur. v. Petron. 5. Quintil. I, 1, 12. 8, 5. X, 1, 85. Præcipua quoque Grammaticorum opera in poetis interpretandis versabatur. *hæreret,* adhæreret, inhæreret.

228. Non exigua tantum merces Grammaticis solvitur quæque diminuitur servorum fraude, (sup. v. 216 seq.) sed eam quoque ne sine lite quidem et cognitione tribuni obtinent. *tribuni,* non *plebis,* qui jus haud dicebat, sed *ærarii,* qui de levioribus potissimum causis rebusque pecuniariis (unde *ærarius* quoque dictus) cognoscebat. Notum enim est vel tironibus, judicia, quæ primis temporibus penes senatum fuerant, lege Sempronia C. Gracchi ad Equites translata, deinde lege Livia et Plautia senatoribus et Equitibus data, tum a C. Sulla senatoribus restituta, et tandem lege Aurelia L. Aurelii Cottæ tribus ordinibus communia facta esse, ita ut exinde senatores, Equites et e plebe tribuni ærarii judicarent et in singulis judiciis e tribus istis decuriis aliquot legerentur. Tertiam quidem decuriam, tribunorum ærariorum, C. Cæsar dictator sustulit, sed mox restituit Augustus.

229 seq. Nihilo secius parentes exigunt, ut Grammaticus omnia, etiam levissima, sciat et (v. 237 seq.) quoscumque filios ita, ut optant, et fingat et amet. Ad Grammaticorum artem Cicero refert poetarum pertractationem, historiarum cognitionem, interpretationem verborum

[84] Cf. Martial. IX, 69. XII, 57. Pers. III, 1 seq.

et pronuntiandi quemdam sonum, de Orat. I, 42. Plura Quintil. I, 4. *Sed vos imponite* cet. apostrophe ad parentes: Agite ergo, imponite cet. *verborum regula,* quæ nunc proprie dicitur grammatica. — 232. *noverit, tamquam ungues digitosque suos,* vulgaris ac proverbialis locutio. Eodem fere sensu dicitur *digerere in digitos* (Quintil. XI, 3. § 114.) et nostrum *auf den fingern herzählen.* — 233. In *thermis* sudare solebant veteres, in *balneis* lavare. *Balnea Phœbi* putant esse balnea Phœbi, liberti Neronis, (Tac. Ann. XVI, 5.) vel balneatoris sic dicti, vel rivos aut stagna et flumina sole calefacta, vel Cumas, ubi Phœbus cultus sit, unde *Phœbi vada* ap. Martial. VI, 42, 7. Vetus Schol. " Privatæ balneæ, quæ *Dafnes* appellantur."

234 seq. Ejusmodi vanis quæstionibus nugisque olim et vexari solebant Grammatici et delectari, (ut postea Scholastici, et majorum nostrorum temporibus ut et hodie, nonnulli Philologorum, inpr. quos Pedantas vulgo dicunt) quasi his etiam levissimas res et quæ ex historia non constent, nec memoriæ a quoquam sint proditæ, ignorare turpissimum sit.[85] *Nutrici Anchisæ* Tisiphones nomen fuisse, docet nos vetus Schol. De *noverca* autem *Archemori* vel *Anchemoli* (v. Var. Lect.) Servius ad Virg. Æn. X, 389. quem locum Juvenalis respexit: " Hæc fabula nusquam invenitur in Auctoribus. Avienus autem, qui totum Virg. et Livium Iambicis scripsit, hanc commemorat, dicens Græcam esse. Rhœtus ergo Marrubiorum rex fuit in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam, quam privignus stupravit: quo cognito, quum eum pater persequeretur et ad pœnam vocaret, fugiens ille se ad Turnum contulit." *Archemorus* etiam cognomen Opheltæ.[86] 235. *Acestes,* qui *ævi maturus* dicitur Virg. Æn. V, 73. *Quot urnas,* cados, *vini Siculus* rex Acestes *donaverit Phrygibus,* Æneæ et Trojanis, hospitio bis ab eo exceptis.[87]

237. 238. v. ad v. 158 seq. Ex h. l. et Suet. ill. Gramm. c. 23. intelligitur, morum quoque puerilium formationem Grammaticis fuisse permissam. *Teneros mores* puerorum *ducat,* fingat et formet, animo eorum, quam velit et optet, formam imprimat, quemadmodum in

[85] Cf. Suet. Tiber. c. 56. et 70. Gell. XIV, 6. Quintil. I, 8. Senec. de brev. vit. c. 18. et Epist. 88. 98. et 108. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 178.

[86] v. Apollod. III, 6, 4. ibique Heyne, et Schweigh. ad Athen. IX, 54.

[87] v. Virg. Æn. I, 195 seq. 558. 570. V, 35 seq. et ad hæc loca Heyne.

plastica arte et figlina lutum vel argilla et *cera*, ad ignem vel solem emollita, aliave materia in varias facies ac figuras fingi solet *pollice*. Sic *udum et molle lutum es — fingendus rota acri* dixit Pers. III, 23. 24. *Artificemque tuo ducit sub pollice vultum* animus idem V, 40. (qui locus Juvenalis forte animo obversabatur) et *Pollice de Pylio trita columba nitet* Martial. VIII, 6, 10.[88] *Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis; curvatas trabes calor explicat et aliter natæ in id finguntur, quod usus noster exigit: quanto facilius animus accipit formam, flexibilis et omni humore obsequentior*, Sen. Ep. 50. Hinc *fingere* et *formare mentem*, ut Gr. πλάσσειν.[89] *Cera* autem, ut ensis, *duci, cedere* et *sequi* dicitur.[90] 239. *ut sit et pater ipsius cœtus* puerorum. Conf. ad v. 207 seq. — 239. *ut turpia ludant*, ludendo exprimant; vel turpiter ludant, ut verbum *ludere* ad rem Veneream referatur.[91] 240. *Ne vicibus faciant*, inter se coeant, se corrumpant, agant et patiantur: turpis res, verbis honestis expressa. Cf. VI, 311. *Facere* de re venerea etiam adhibetur ap. Petron. 87. et Pand. II, 14, 27.

240. Verba præceptorum: *Non est leve*, facile, vel parvi momenti, cet. 241. *Observare manus*, ne libidinem exerceant, vel præputia ducant. Conf. VI, 238. et Martial. IX, 42. *oculos in fine* libidinis, vel ea expleta reductos in angulos ac molliter *trementes*. v. ad II, 94.

242. *inquit* pater, ut vulgo putant: sed præc. *exigite*. Conf. ad III, 153. *sed quum se verterit annus*, finito anno et redeunte Martio mense, quo διδακτρον magistris solvitur, (v. Macrob. I, 12.) parentes dicunt, *Accipe aurum, quod victoribus* aurigis in circo[92] vel gladiatoribus in amphitheatro[93] vel histrionibus in theatro[94] *populus postulat*, dari jubet. Hi itaque una hora tantum præmii consequuntur, quantum Grammaticus per totum annum. Cf. Palladæ Epigr. XLVI. in Brunck. Anal. T. II. p. 417. ibique Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 226.

[88] Cf. Kœnig ad Pers. V, 40. (ubi Casaub. verba *pollice ducat* translata putabat a statuariis, qui tamen non *ceram*, sed marmora arte elaborata ungue explorant, de quo v. Kœnig ad Pers. I, 64. et intpp. Horat. Sat. I, 5, 32.) Ovid. Met. I, 402. X, 284 seq. Stat. Achill. I, 332 seq. et Silv. IV, 6, 27. Plin. Ep. VII, 9, 11.

[89] De quo multa dixi ad Sil. I, 441.

[90] v. Burm. ad Valer. Fl. I, 122.

[91] Sic ap. Martial. IX, 26, 8. Horat. Epist. II, 2, 214. Ovid. A. A. II, 389. et Her. XVII, 17. al.

[92] Cf, Martial. X, 74, 5. Bulenger. de Circo c. 34. et Xiphilin. in Heliogab. quem ἐθεῶντο ἁρματηλατοῦντα καὶ χρυσοῦς, ὥσπέρ τινα τῶν τυχόντων, αἰτοῦντα.

[93] v. Suet. Claud. c. 21. et Lips. Saturn. Serm. II, 23.

[94] v. Lips. Excurs. ad Tac. Ann. I, 83. et Salmas. ad Solin. p. 911.

IN

SATIRAM VIII.

---

1 seq. SIMILITER auctor paneg. ad Pisonem, quem Juvenali præivisse putabat Grangæus, v. 8 seq. *Nam quid imaginibus, quid avitis fulta triumphis Atria, quid pleni numeroso consule fasti Profuerint, si vita labat? perit omnis in illo Nobilitas, cujus laus est in origine sola.* — *Ponticus* vir ignotus, nec tamen illis temporibus ignobilis: nam ad spem provinciæ alicujus obtinendæ eum adspirasse, ex v. 87 seq. intelligitur. Oriundus forte a celeberrimo illo poeta, qui Thebaida scripsit.[1] *Stemmata, στέμματα,* a *στέφειν, circumdare, coronare,* proprie dicebantur *serta* seu vittæ, ex herbis et floribus textæ, quibus circumdatæ *lineæ* vel funiculi linei ad *imagines,* (v. ad III, 219.) tamquam rami (virgæ v. 7.) ex stirpe discurrebant earumque inter se relationes, adeoque familiæ successionem s. genealogiam indicabant, ut in oculos incurreret, quis esset pater, filius cet. v. ad IX, 128. Hinc *stemmata* quoque vocabantur ipsæ majorum imagines, quæ erant signa nobilitatis quarumque jus dabant magistratus curules, quos aliquis vel majores ejus gesserant; unde homines *nobiles, novi, ignobiles* dicebantur. (v. inf. ad v. 237.) Istæ imagines ordine disponi solebant in *porticibus* (cf. VI, 163.) et inpr. in *atriis,* (v. v. 19, 20.) et quidem in ligneis thecis s. armariis, quæ nataliciis aliisque diebus festis aperiebantur.[2] *quid faciunt,* efficiunt, juvant,

[1] De quo v. VV. DD. ad Propert. I, 7. et 9. atque Ovid. Trist. IV, 10, 47.

[2] Cf. Lips. Elect. I, 29. Budæus ad Pand. p. m. 52 seq. Sigon. Ant. I. C. II, 20. loca class. Plin. XXXV, 1—5. (ubi v. Harduin.) et Sen. de Ben. III, 28. (ubi v. Lips. et Ruhkopf) inpr. Ill. Eichstædt comm. de imaginibus Rom., et

prosunt.[3] Verba *facere* et *prodesse* ita etiam ap. Martial. III, 75, 3. 4. conjunguntur; Grang. — *longo sanguine*, ut *alto s.* ap. Virg. Æn. IV, 230. longo generis ordine, longa majorum serie, generosa stirpe. 2. *pictos vultus*, tabulas vel imagines *majorum* nobilissimorum, quales fuere *Æmiliani*, *Curii* cet. 3. *Æmilianus*, ut v. 11. *Numantinus*, P. Cornelius Scipio Æmilianus, L. Æmilii Pauli filius, a P. Scipione, Africani majoris filio, adoptatus, qui Carthagine diruta Numantiaque expugnata sibi cognomina *Africani minoris* et *Numantini* peperit. *stantes in curribus Æmilianos*, statuas eorum vel curules, vel triumphales. Cf. VII, 125.[4] — 4. 5. Lepide pro: statuas nobilium majorum, diuturnitate temporis jam imminutas et humeris, auribus nasisque mutilatas. Eo generis antiquitas designatur. Ex gente *Curia* in primis inclaruit M'. Curius Dentatus, qui Sabinos, Samnites et Pyrrhum vicit. *Corvinus* vel *Corvus* cognomen Valeriæ gentis, quod M. Valerius M. F. Maximus primus tulit: unde? vel tironibus notum e Liv. VII, 26. *Galba* cognomen Sulpiciorum, de quo v. Suet. Galb. 3. ibique intpp.[5] *Curios jam dimidios*, h. e. i midiatos, mutilatos, ut *dimidios vultus* XV, 57. et *dimidios Crispi equos* Martial. X, 2, 10. Cf. ad III, 219. et XV, 5. *humerosque minorem Corvinum* Græce dicitur, ut ap. Sil. III, 42. *frontem minor*. Cf. Valer. Fl. I, 582. et Lucan. II, 717. *humeros* docte pro *humerum* et ambiguitatis vitandæ causa. — 6 seq. Similiter v. 135 seq. et Pers. IV, 46 seq. *capaci*, magna, *tabula* generis, genealogica. *jactare*, majori cum vi dictum, quam v. 2. *ostendere*. — 7. v. Var. Lect. *multa contingere virga Equitum cum dictatore magistros*, h. e. summos magistratus cognatione attingere.[6] *Virga*, ut ὁ κλάδος, id. qd. stemma s. linea. Vid. ad v. 1. Persius simili loco Sat. III, 28. dixit: *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis*. — 8. *Fumosos Equitum — magistros*, imagines eorum fumosas, ob vetustatem et culinam

le Jupiter Olympien ou l'art de la sculpture antique et polychrome consideré par M. Quatremère de Quincy, Paris 1815. p. 14. et 36 seq. ubi monet, diversas fuisse imagines, in armariis servatas, (imagines ou portraits de famille, ahnenbilder, ganze büsten mit dem anfang der bekleidung aus colorirtem wachs) a simulacris cereis, quæ in exsequiis, anteriore capitis parte ab imaginibus detracta, larvarum loco adhibita sint (simulacres en cire et en draperies postiches, wachsbilder.)

[3] v. Burm. ad Ovid. Trist. III, 8, 23.

[4] Imagines majorum habitu triumphantium pictas intelligebat Wernsdorf Poet. Lat. Min. T. IV. p. 238.

[5] Stemmata harum aliarumque gentium, quæ in hac Sat. memorantur, concinnavi in libro, quem inscripsi: *Tabulæ genealog. s. stemmata nobilissim. gentium Rom.* Gœtting. 1794.

[6] Minus placet ea interpretandi ratio, quam proponit Kœnig de Sat. Rom. p. 67. frequenter imagines vetustas ostendere et in explicandis illarum titulis sibi placere, ut fere *jactare* v. 6.

fumo situque obsitas;[7] nam in atrio præter armaria etiam culina erat.[8] — 9. *Lepidi* clarissima Æmiliæ gentis familia. *coram Lepidis,* ut mox *ante Numantinos,* h. e. coram imaginibus nobilium majorum, quarum adspectu alii ad gloriam virtutesque eorum æmulandas incitantur. Et hoc dictum pro vulg. etsi a talibus viris originem ducas, vel nobilis sis. *Effigies quo* scil. spectant, quid prosunt, quem usum habent, ut v. 142. XIV, 135. et XV, 61.[9] — 10. *Luditur alea* (prim. cas. pro sexto) *pernox,* per totam noctem; quo lucri ludendique cupiditas designatur. Præterea Romæ turpis fuit alea et legibus vetita. v. ad I, 88 seq. 11. *Ante Numantinos,* v. ad v. 3. 9. et 144. *dormire incipis ortu Luciferi,* summo mane, post et propter ludum et comissationem, vel convivia, in primam lucem protracta. *Lucifer* h. l. non Vesper, ut quidam male putant, quod vesperi etiam castra moverint duces. Idem tamen astrum *Lucifer* vocatur, quum occidit, et *Hesperus* vel *Vesper,* quum oritur. v. Plin. II, 8. *duces* illi, Numantini et Lepidi. — 13 seq. Q. Fabius Maximus Æmilianus *Allobrogicus,* qui Consul cum L. Opimio a. U. DCXXXII. Censorque a. U. DCXLIX. fuit et Allobrogibus Bituitoque, Arvernorum rege, devictis, illud cognomen accepit,[10] filium habuit Q. Fabium Maximum Persicum, cui ob perditam luxuria vitam et summa flagitia Q. Pompeius, Prætor urbanus, paternis bonis interdixit.[11] *Ara magna* h. e. Maxima, prope circum Flaminium, ab Evandro Herculi dicata.[12] *Natus in Herculeo Fabius lare:* nam Fabius, auctor gentis Fabiæ, ex Herculis cum Vinduna, Evandri filia, congressu procreatus dicitur.[13] Plathneri nota est: "Lares quidam perpetui erant et totius gentis, qui cum familia transibant; lex siquidem XII. tabb. erat: *privata sacra perpetua sunto.* Hi *Paterni* inf. XII, 89. *patrii* ap. Tibull. I, 10, 15. et Synes. epist. V, 72. et *Di penates parentum familiæque Lar pater* ap. Plaut. Merc. I, 5." — 15. *Vanus,* vanarum rerum studiosus. *Euganea mollior agna,* cinædus et pathicus, ut *agna Galæsi mollior Phalantini* (h. e. Tarentini fluvii)

[7] ut ap. Martial. VIII, 6, 3. (*fumosa stemmata*) Cic. Pis. 1. Sen. Ep. 44. et Horat. Od. III, 6, 4.

[8] Cf. Sigon. Ant. I. C. II, 20.

[9] Cf. Heins. ad Ovid. Her. II, 55. et IV, 157.

[10] v. Plin. VII, 50. XXXIII, 11. Liv. Epit. LXI. Flor. III, 2. et inpr. Ernesti clav. Cic. p. 165.

[11] v. Valer. Max. III, 5, 2. et Sen. de Ben. II, 21. IV, 30.

[12] v. Liv. I, 7. IX, 29. Virg. Æn. VIII, 271. (ubi v. Heyne) et Ovid. Fast. I, 581. ubi cf. Heins. et Burm.

[13] v. Plut. vit. Fabii, Sil. II, 3. VI, 627 seq. VII, 35. 44. 48. VIII, 217. Ovid. ex Ponto III, 3, 100. et Fast. II, 237. 375 seq. Macrob. III, 6. et Creuzer's Symbolik T. II. p. 257.

Martiali V, 38, 2. et *agni lana* homo mollis et effeminatus proverbio dicitur. *Euganei* initio inter Alpes et mare Hadriaticum incolebant, deinde a Venetis pulsi in Alpinas partes, inter Athesin fl. et Larium lacum, secesserunt; (Liv. I, 1.) unde et Veneti sæpius poetis *Euganei* dicuntur. Venetiæ autem opp. Altinum, ad ostium Silis fl. situm, alba mollique lana olim inclaruit. *Velleribus primis Apulia, Parma secundis Nobilis, Altinum tertia laudat ovis*, Martial. XIV, 155. Altinates etiam oves prædicat Colum. VII, 2, 3. et *Circumpadanas* Plin. VIII, 48. s. 73. et Pollentinas Martial. XIV, 157. Epitheta vero a præstantiore aliquo genere duci, satis notum. — 16. *Pumice*, pice et resina, cutem terere vel levigare mollium virorum est.[14] *Catina* s. *Catana*, Κατάνη, Siciliæ opp. prope Ætnam, ex quo monte pumices ejiciuntur, quibus ipsa demum urbs obruta et deleta. (v. Oros. V, 13. et Dorvill. Sic. c. 13.) Epitheton cum delectu positum esse, intelligitur ex verbis vet. Schol. "*Catina* opp. Siciliæ, usque ad probra dissolutum notatur, ut Bibaculus: *Osce senex Catinæque puer, Cumana meretrix;*" quem versum in Servii reliquiis legere meminerat Pithœus. Grangæus notat, cinædos *Catinenses* fuisse dictos et Lentulum inde Mimum inscripsisse *Catinenses*, de quo v. Tertull. in Apolog. 17. *Squalentes avi*, quorum statuæ et imagines ob vetustatem colore sordido obductæ et situ obsitæ sunt; ut *squalens* vel *horrens* campus et στυφελὴ χθὼν dicitur campus, qui nimio solis ardore exustus, sordido colore ac nitore pulverulento obductus, tristis adspectu et incultus est.[15] Nonnulli exponunt rigidos, severos, munditiem corporis negligentes, vel pilis horridos, intonsos incomtis capillis adeoque pumicibus non levigatos, μὴ δερωπακιζομένους; alii lugentes, quibus squalor et sordes tribuuntur. *Traducit*, risui exponit, contumelia afficit, παραδειγματίζει; metaphora ab iis petita, qui ante oculos hominum traducuntur, ut spectaculo sint.[16] Gesnerus in Thes. philol. suspicabatur, poetam respexisse ad pompam solennem funerum, in qua imagines majorum traducebantur; quo et seq. versum vulgo referunt. *emtor veneni*, veneficus. — 18. Qui rei capitalis, et veneficii, majestatis, perduellionis cet., olim damnabantur, eorum et nomina deleri fastisque eradi, et statuæ atque imagines a furiosa plebe tolli, vel scalis admotis laqueisque injectis in terram detrahi, solo affligi,

[14] v. ad II, 12. Ovid. A. A. I, 506.
[15] v. ad Sil. I, 211. III, 655. IV, 375. Virg. Ge. III, 161. Apollon. II, 1007. III, 411.
[16] Cf. XI, 31. Liv. II, 38. XXXIII, 23. Suet. Tit. 8. Mart. I, 54, 3. III, 74, 5. VI, 77, 5. al.

conflari et *frangi* solebant.[17] *funestat,* polluit, contaminat, dedecorat.

19 seq. Comparant verba præclara Sen. Ep. 44. *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, neque quod ante fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere. — Quis est generosus? Ad virtutem bene compositus.* Conf. etiam Auctor. Paneg. ad Pison. v. 5 seq. Sallust. B. J. 85. et Kœnig. ad Pers. III, 29. *veteres ceræ,* imagines cereæ majorum, ut ap. Ovid. Am. I, 8, 65. ubi v. N. Heins. qui Juvenalem ad eum locum respexisse putabat. *Atria,* v. ad v. 1. — 21. *Paulus* Æmiliæ, *Cossus* Corneliæ, *Drusus* Claudiæ gentis cognomen: quæ familiæ summis et tam rerum gestarum, quam virtutum gloria conspicuis viris inclaruere. — 22. 23. *Hos* mores bonos antepone nobilitati summisque magistratibus, vel illi prius his adsint: proprie, eos *pone* quasi et constitue *ante* imagines in atrio, et fama virtutum tuarum *præcedat* quasi *virgas,* lictores, si consul fueris.

24—30. Verba præclara, profecta ex mente, plena honestatis sensu et miseratione temporum, quibus rara erant virtutis et rarissima nobilitatis cum virtute conjunctæ exempla: Ante omnia a te postulo, ut animi virtutibus excellas. Nota Ach. est: " Tria sunt bonorum genera; alia *corporis,* valetudo, velocitas, vires, dignitas oris; alia *fortunæ,* ut genus, educatio, opes, clientelæ, amicitiæ. Hæc sunt *externa,* quæ, etsi hominem decorant, non tamen virum efficiunt nilque aut parum ad communem utilitatem proficiunt. Alia denique sunt *interna* et vere *animi bona,* quæ consilio et cogitatione nostra constant et a quibus pendet publica felicitas, scil. justitia, fortitudo, prudentia et modestia." Si *sanctus,* probus, *justusque* fueris, *agnosco procerem,* te nobilem s. numero nobilium habeo; talis eris mihique videberis, qualis haberi ac videri cupis, qualem te esse profiteris. Tum dico, *salve Gætulice,* seu tu *Silanus* audias, seu *quocumque alio de sanguine* vel genere, etiam infimo, sis; *rarus et egregius civis* es; h. e. tum te, tamquam vere nobilem ac generosum, venerabor, nulla nominis aut gentis originisque ratione habita; tum gratulabor *patriæ ovanti,* lætanti de tali cive, qualis nunc raro reperitur. *Justitiæ tenax* dicitur, qui summa constantia animoque invicto justitiam servat. *Salve,* ut Gr. χαῖρε, est vocab. pietatis atque honoris s. reverentiæ, quo, qui-

[17] Cf. X, 58 seq. Plin. Paneg. 52. et Lips. Exc. ad Tac. Ann. VI, 2.

cumque ea dignissimus est et cujus favorem expetimus, sive sit Deus, sive homo, sive adeo res, numinis loco culta, compellatur. [18] *Gætulicus* cognomen C. Cornelii Lentuli Cossi,, quod ei devictis Gætulis datum est. v. Flor. IV, 12, 40. *Silanus,* cognomen Juniæ gentis. 29. Hæc spectant ad notum morem Ægyptiorum, a quibus forma bovis colebatur *Osiris,* qui agriculturam et vitium arborumque conserendarum artem invenisse, cujusque anima in bovem migrasse putabatur. Sacerdotes eorum hunc bovem, quem Apim vocabant, si certos vitæ annos confecisset, mersum in fonte necabant, et cum luctu planctuque quærebant alium, quem in ejus locum substituerent; quo invento, ipsi cum populo læti exclamabant: *εὑρήκαμεν, συγχαίρωμεν.* [19]

30. 31. Egregia sententia, quæ v. 32—38. aptissimis exemplis illustratur. — *generosum,* v. ad II, 145. — 32—38. Cave, ne per ludibrium tibi magni cujusdam nobilisque viri nomen inditum videri possit, quemadmodum *nanus,* (*νάνος,* pumilio, *homo suos breviter concretus in artus* Prop. IV, 8, 41.) [20] *κατ' ἀντίφρασιν καὶ εἰρωνείαν,* ab irridentibus vel adblandientibus *Atlas* s. gigas, *Æthiops,* niger homo, *cycnus,* quæ candida avis est, vel *parva distortaque puella Europa* vocari solet: hic enim mos est adulatorum; sed *παῤῥησίας καὶ ἀληθείας φίλος, ὡς ὁ Κωμικός φησι, τὰ σῦκα σῦκα, τὴν σκάφην δὲ σκάφην ὀνομάζει,* Lucian. *πῶς δεῖ ἱστορίαν συγγράφειν* cap. 41. Conf. de illo parasitorum more Athen. VI, 9. (41.) p. 242. et Horat. Sat. I, 3, 44 seq. *Europa* puella formosa eamque ob causam a Jove amata.— 35. *Levibus,* depilatis, *scabie,* pilis decidentibus præ scabie. *Canes siccæ lambentes ora lucernæ,* h. e. fame confecti et torridi macie. — 38. *Ne sis,* ne per ludibrium voceris *Creticus;* vel potius, ne nomine tantum et genere sis nobilis. Cf. v. 53. et Var. Lect. *Creticus* cognomen Q. Cæcilii Metelli, qui a. U. c. DCLXXXIV Consul fuit et anno seq. Cretam in provinciæ formam redegit. [21] *Camerinus* cognomen Sulpiciæ gentis.

39—74. Subita ad Rubellium apostrophe affectui poetæ admodum consentanea est et valde ferit lectorem. *C. Rubellius Blandus,* filius

[18] v. intpp. Horat. Od. I, 32, 15.

[19] Conf. VI, 554. Herod. III, 27 seq. Plin. VIII, 46. Lactant. Inst. I, 21. Jablonski Panth. Æg. lib. II. c. 1. T. I. p. 122—156. et c. 6. p. 258. 259. Heyne ad Tibull. I, 7, 27 seq. De *Osiride* v. inpr. Creuzer's Symbolik T. I. p. 154. 280 seq. 297. 338. 346. T. II. p. 90. 143. T. III. p. 142 seq. 307. T. IV. p. 260 seq.

[20] v. Gell. XIX, 13. et Plin. XI, 49.

[21] v. Dio Cass. XXXVI. et Sallust. B. C. 29.

Rubellii Blandi et Juliæ, quæ fuit filia Drusi, neptis Tiberii et proneptis Liviæ; quæ Livia Claudio Neroni abducta et gravida Augusto nupsit, nepoti Juliæ minoris, sororis Julii Cæsaris, a quo Imperator ille adoptatus et in gentem Juliam receptus est, quæ ab Iulo, Æneæ filio, originem ducebat. Idem itaque Rubellius per maternam originem pari ac Nero gradu ab Augusto: (v. Tac. Ann. XIII, 19. et inf. v. 72.) nam Nero Imp. fuit filius Agrippinæ, et hæc filia Cæsaris Germanici, neptis Drusi et proneptis Liviæ Aug. De patre ejus v. Tac. Ann. III, 23. 51. VI, 27. 45. de ipso idem Tac. Ann. XIII, 19. XIV, 22. (ubi laudatur) 57. 58. 59. XVI, 10. 30. — 40 seq. Singula δεινῶς et præclare expressa: Superbis, quasi non fortunæ beneficio contigisset, sed ipse meruisses virtutibus tuis, ut summo loco nascereris, utque mater tua esset ex antiquissima ac nobilissima gente Julia, non meretrix aliqua, aut infimæ conditionis mulier, quæ *conducta* mercede *texit* telam. *Tumere*, superbire, ut *inflari*, (inf. v. 72.) φυσᾶν, φύσημα, ἐγκοῦσθαι, ὄγκος. *stemmate alto*, genere antiquo. v. ad v. 1. et ad VI, 385. — 43. *sub aggere*, vet. Schol. in castris; Ferrar. Elect. II, 6. in castris Prætoriis, vento perviis, a Sejano exstructis murisque urbis conjunctis, ut mulier paupercula, militis forte alicujus contubernalis, designetur; Grang. et alii, sub aggere urbano s. Tarquinii, ubi plebeiæ mulieres texere solebant: de quo Lipsius Mil. Rom. V, 14. extr. ita disputat: " Plinius ait, (H. N. III, 5. s. 9. ubi cf. Hard.) *a Tarquinio rege structum aggerem opere in primis mirabili*, et Dionys. lib. IX. *Urbs ab Esquilina porta Collinam usque opere munita est; nam fossa cingitur lata centum pedes, et supra fossam muro sive aggere alto et lato.* Strabo lib. V. hunc aggerem in sex stadia producit. Vetus Schol. Juven. ad Sat. X, 95. *Juxta aggerem primus castra posuit Sejanus, i. e. super Diocletianas; quæ dicta sunt castra Prætoria.*"[22] Ipse Juvenalis Sat. V, 153. VI, 588. et VIII, 43. ostendit, viliores et paupertinos illic egisse. Victor ponit campum Viminalem sub Aggere. Conf. Horat. Sat. I, 8, 15. Suet. in Calig. et al. Plathneri nota est hæc: " Non quælibet paupercula, sed meretrix notatur. Primo enim meretrices in loco ignobiliori, in *aggeribus* pomœriorum habitabant; unde et *submœnianæ* vocantur, de quo v. intpp. Martial. I, 35, 6. Lips. in Elect. et Godofr. in L. IV. c. Just. de Spectac. Deinde lanificinam quoque exercebant, præsertim

[22] De quo cf. Lips. ad Tac. Ann. IV, 2.

quibus ætas continentiam induxerat, de quo Tibull. I, 6, 77 seq." *conducta*, quæ operam texendæ telæ locavit. [23]

44 seq. Oratio superbi hominis ingenio aptissima. *Pars ultima*, infima, *vulgi*, fæx populi et urbis, Germ. *das bürgerliche pack*; Gall. *la canaille*. — 45. Synes. adv. Andron. 1. Ἄνθρωπος οὐκ ἔχων εἰπεῖν ὄνομα πάππου, ἀλλ' οὐδὲ πατρός. [24] 46. *Cecropides*, regia, certe amplissima, stirpe ortus. *Cecrops* Athenarum conditor primusque rex, a quo posteriores reges, quamquam non ab eo oriundi, omnes *Cecropidæ* dicti. 46. 47. Sarcasmi passim obvii vim facile sentiet lector. Similis oratio et sententia est ap. Pers. IV, 20. *Gaudia*, commoda, vel gaudium *hujus originis* causa, ἕνεκα.

47—55. Tu quidem nos despicis et hominem præ te putas neminem; sed scias, multos infimæ plebis homines patriæ vel eloquentia vel virtutibus utiles esse, quum tu contra rudi inutilique trunco ac stipiti simillimus sis. Δεινῶς et vere, etiam de Rubelliis nostræ ætatis. Conf. Cic. Tusc. III, 23. Horat. Sat. I, 6, 6 — 16. et sup. ad VII, 145. *Ima* de *plebe Quiritem*, Romanum; quod nomen semper ad jus civitatis spectat et in sing. num. non nisi a poetis usurpatur. 49. *plebe togata*, Romana, quoniam toga propria civibus Rom., et quidem h. l. infima plebe. Conf. Var. Lect. et ad I, 96. et VII, 136. — 50. *nodos*, difficultates. *legum ænigmata*, verba obscura et ambigua, ut ap. Justin. in L. fin. Cod. de Legg. [25] — 51. 52. Homines obscuro loco natos stipendia, in extremis quoque imperii finibus, merere, ut ferociam barbarorum coerceant, et ita patriæ saluti prospicere, apte notat poeta: nam Equites aliique, cum divites, tum nobiles, cives jam inde a Marii et Sullæ temporibus militiæ nomen dare recusabant et sensim se huic oneri bellique laboribus subtrahebant. Acerrimi vero et valentissimi Romanorum hostes tum temporis, præter

[23] Cf. Tibull. I, 6, 79. ibique Heyne.

[24] v. ad IV, 98. et Cerda ad Virg. Æn. IX, 343.

[25] Turnebus Adv. VIII, 19. et Pulmannus putabant, h. l. designari τοὺς λύτους, solutores, qui jam tantos progressus habuerint in jure, ut de eo respondere prope potuerint et quæstiones solvere. Plathnerus hæc notavit: "Absurda est Pulmanni sententia: non enim λύτοι illi studiosi dicuntur, quod ipsi jam juris nodos solverent, quod olim principali tantum JCtis licebat diplomate, (v. Pompon. in L. 2 ff. de orig. jur.) sed quod jam responsa et solutiones Pauli JCti audirent, ante quem eorum nomen inauditum. Sed quid si dicamus, poetam ad sigla JCtorum, quibus actionum formulas notare solebant, respexisse. (v. Ernesti clav. Cic. v. *Nota*.) Sub Imperatoribus non tantum solennes juris formulæ et actionum tituli notari ejusmodi siglis cœpti, sed integræ etiam leges, constitutiones, quin et testamenta, quæ omnia reliquis veluti ænigmata incognita solis Notariis et Consultis patebant. Hæ ipsæ notæ *ænigmata* vocantur Justin. L. I. § 3. C. de vet. jur. En."

Britannos, Dacos, Suevos aliosque Germanos, erant Orientis populi, in primis Parthi ac Syri, (unde h. l. *Euphrates,* qui terminus imperii Rom. in oriente fuit) et *Batavi,* a Civile in arma rapti; nec tamen *domiti,* sed pacem pacti.[26] 52. *aquilas,* legiones. *custodes,* milites limitaneos vel præsidia. 53. *Cecropides,* nomine tantum ac genere nobilis, re vera ignobilis et degener. v. ad v. 38. et 46. *trunco simillimus Hermæ,* ut *truncus atque stipes* ap. Cic. Pis. 9. Sic et στέλεχος dixit Lysippus ap. Dicæarch. *Herma stolidissimus* Sidon. Epist. IV, 16. *Reliqui de factione sunt inertissimi nobiles, in quibus, sicut in statua, præter nomen nihil est additamenti* Sallust. de rep. ord. orat. II. Οὐ μὴ φρονήσεθ', οἳ' κενῶν δοξασμάτων Πλήρεις πλανᾶσθε; τῇ δ' ὁμιλίᾳ βροτοὺς Κρινεῖτε, καὶ τοῖς ἤθεσιν τοὺς εὐγενεῖς; Οἱ γὰρ τοιοῦτοι τὰς πόλεις οἰκοῦσιν εὖ Καὶ δώμαθ'· αἱ δὲ σάρκες αἱ κεναὶ φρενῶν Ἀγάλματ' ἀγορᾶς εἰσίν. Eurip. in Electra v. 383 seq. *Hermæ, οἱ ἑρμαῖ,* signa sive imagines, vel deorum, vel hominum, inpr. Mercurii, quibus caput vel solum vel una cum pectore et ex varia materia efformari solebat, non manus et pedes; unde inertiæ notio h. l. ita exprimitur. Conf. Lessingii Laocoon c. VII. p. 88. ed. sec. Eorum inferior pars, quæ simul basis loco erat, sive acutus, sive quadratus palus. Inde nomen habent, (ἑρμαῖος λίθος certe Suidas exponit τετράγωνος) vel quia Mercurius (Ἑρμῆς) ita plerumque effingebatur. In Græcia vero ante fores templorum ædiumque, (quod vel tironibus e Corn. Nep. Alcib. 3. notum est) et, ut Romæ, in viis, compitis, agris (*termini, termites*) et hortis ponebantur. *Caput marmoreum,* adeoque sine vita. Cf. XIII, 115. et Martial. XI, 61, 8.

56—67. In brutis quoque animalibus non genus, sed utilitas, quam pariunt, bona indoles et virtutes quæruntur. Cf. Horat. Od. IV, 4, 29 seq. et Martial. VI, 38, 7. 8. Poeta egregie exornat sententiam suam comparatione generosorum animalium, quibus olim, ut et hodie in Oriente, sua quoque nomina erant et familiæ vel genealogia.[27] *Teucrorum proles,* jactator generis, ab Iulo et Trojanis ducti. v. ad v. 40. *fortia,* nostrum *brav.* 58 seq. Grandior est oratio ornatusque exquisitior, qualem ludorum Circensium mentio admittebat. Cf. Stat. Silv. V, 2, 21 seq. Colum. VI, 27. et Plin. VIII, 42. *Facilis* poetis dicitur, qui facile se movet s. movetur,

[26] v. Tac. Ann. IV, 12—37. 54—86. V, 14—26. Cf. ad Sil. III, 608.

[27] Cf. Stat. Silv. V, 2, 22 seq. Wernsdorf Excurs. X. ad Nemesian. v. 241. in Poet. Lat. min. T. I. p. 260 seq. et Drakenb. vel nos ad Sil. XVI, 328 seq.

εὐκίνητος; (ut *facilis cardo* IV, 63. ubi v. not.) hinc agilis, velox.[29] *Palma, παλάμη, plurima fervet,* eleganter pro, multis spectantium manibus plauditur, tanto ardore, ut manus ferveant. Nam equi etiam, *in Circo ad currus juncti, non dubie intellectum adhortationis et gloriæ fatentur,* ut utar verbis Plin. VII, 42. ubi cf. Harduin. 59. *Exsultat victoria* in *Circo* pro vulgari, Circus h. e. populus, qui in circo est, (ut ap. Sil. XVI, 534.) exsultat victoria. *rauco,* qui multo clamore plausuque resonat, (ut *clamosus circus* IX, 144. et ap. Martial. X, 53, 1.) vel *Circo rauco,* populo, qui usque ad ravim s. raucitatem clamat, ut *rauca cohors* VI, 515. et *r. vicinia* ap. Hor. Epist. I, 17, 62. 60. *gramine,* pascuo, agro, loco. 61. *fuga,* velocitas, cursus. *cujus primus in æquore pulvis,* qui primus, ante alios equos, in stadio pulverem excitat s. movet, κονίζει s. κονίει πεδίοιο. — 62 seq. Pulli equorum etiam generosissimorum, si degeneres sunt, venduntur, tamquam viles equi. *Corythæ,* v. Var. Lect. *Hirpinus* nomen equi generosioris, ab Hirpiuis forte sic dicti, (*un coursier de Naples,* Grang.) ut ap. Martial. III, 63, 12. (*Hirpini veteres qui bene novit avos*) et *Hirpinus nepos Aquilonis* in vet. lap. ap. Lips. Epist. Cent. III, 26. Confer sup. ad v. 56 seq. Vetus Schol. "In interioribus Sabinis Hirpinus mons est, ubi optimi equi nascuntur." Confer Barth. ad Grat. p. 106. *si rara,* raro, *jugo,* in curru, *Victoria* (nam ita scribendum, ut persona sit) *sedit,* h. e. si raro equus in certamine curuli s. ludis circensibus vicit. 64. *ibi,* in his equis. *Umbrarum,* Manium, h. l. id. qd. *majorum. dominos mutare jubentur,* venduntur. *epiredia,* v. Var. Lect. 67. *Segnipedes, βραδύποδες. Molis versandis* in pistrinis adhiberi solebant asini mulique senes, cantherii debiles, qui palea vesci ictibusque exulcerari solebant.[29] *Nepos* molitor, cujus et Martialis mentionem facit. 68 seq. Præclara admonitio, omnibus inculcanda nobilibus. *ut miremur te* ipsum tuasque virtutes, *non tua,* majores tuos eorumque imagines, genus et gloriam. *Aliquid* præclari *da,* ede, fac, age. *Incidere titulis,* basi statuæ tuæ. *honores,* titulos majorum tuorum. 70. *illis,* parentibus, *quibus debes omnia,* omnem honorem et fortunam. 71. *juvenem,* Rubellium. 72. *Nerone propinquo,* de quo magis debuit erubescere; vet. Schol. *plenum Nerone propinquo,* qui semper in mente et ore habet propinquitatem Imperatoris,

[29] Cf. Virg. Æn. VIII, 310. Burm. ad Ovid. A. A. I, 160. et Valer. Fl. I, 109.

[29] Conf. Apul. de asino aure lib. VII. et IX. Ovid. Fast. VI, 312. 318 seq.

quæ ipsi magis tacenda est, quam jactanda. Conf. ad v. 39 seq. et ad Sil. I, 345. (*haustus medullis Hannibal*). — 73. Acerbe, sed vere! *Sensum communem* Casaubonus ad Suet. Claud. 21. capiebat de comitate vel civilitate, quæ conveniens sit civi, qua civis sit, et quæ Suet. Tit. 8. *popularitas*, Platoni πολιτικὴ et Senecæ *juris civilis æqualitas* dicatur. Conf. Faberi Progr. de sensu communi. Ansp. 1774. et Bentl. ad Horat. Sat. I, 3, 66. Ernesti in clav. Cic. *sensum communem* Ciceroni monet dici naturalem facultatem intelligendi, judicandi et, quod bonum rectumque sit, cognoscendi. Sed Spalding ad Quintil. Inst. Or. I, 2, 20. (*Sensum ipsum, qui communis dicitur, ubi quis discet, quum se a congressu, qui non hominibus solum, sed mutis quoque animalibus naturalis est, segregarit?*) docte ita disputat: "Ex hoc quod subjicitur post *sensus* vocabulum, apparet vulgo ita appellatam fuisse hanc animi facultatem; quod, ni fallor, ætate Augusti demum fieri cœpit, Ciceroni non adeo usitatum. Apud hunc enim licet satis frequenter *sensum communem* legas, adjungitur fere semper aliquid, unde pro vario nexu disputationis variam locutioni significationem tribuas. Id tamen per omnia ejus loca (v. c. Planc. 13. 14. de Or. I, 3. II, 16.) observare licet, intelligi id, quod omnes homines sentiant, τὰς κοινὰς ἐννοίας, sive in veritate rerum judicanda, sive in honestate. Non igitur proprie dicitur a Cic. *sensus communis*, ut per se possit et debeat intelligi, sed pro re nata; et interdum pro eo est *communis prudentia, opinio, mens;* (de Fin. IV, 27. Off. II, 10. de Or. III, 29.) etiam *communes sensus* plur. num. dicuntur (de Or. III, 50. et inpr. Cluent. 6.) plane pro κοιναῖς ἐννοίαις. Scriptores tamen sub Augusto eoque recentiores absolute usurpant, ut Horat. Sat. I, 3, 66. Phædr. I, 7. Seneca et Juven. VIII, 73. quem locum nuperus interpres Gall. Dusaulx bene reddidit: *Ils ont rarement le sens commun;* qui etiam in nota recte revincit Shaftesburiensem cogitantem cum multis de *popularitate*. *Sensus* ergo *communis* etiam hic est notitia eorum, quæ nosse et sentire homines solent; prudentia, qualis in quovis homine, modo inter homines versatus fuerit eorumque mores et instituta cognoverit, exspectari debeat, sed potissimum qualis in usu hominum familiari est necessaria. Orta sane appellatio a *communione* talis sensus inter homines, sed quæ sensim in prudentiæ totius significationem abierit, ut posset hæc de ea ludere Voltarius: *Le sens commun n'est pas si commun.* Neque hoc solum est vocabulum, quod jam ab argentea, quam vocant, Latini sermonis ætate cœperit in eam significationem deflecti, quam nunc tuetur in lingua Franco-

Gallica. Ejus generis sunt hæc: *renunciare, privilegium, publicare,* quæ plane recenti sensu leguntur jam apud Senecam." — *in illa,* tam ampla.

74 seq. Poeta a Rubellio ad Ponticum redit. *Censeri,* judicari, æstimari. 75. *Nihil laudis futuræ* (ut *laudis posteræ* ap. Horat. Od. III, 30, 7.) *agere,* h. e. nihil, quod laudem apud posteros mereat et consequatur. 76—78. Præclara sententia, gratissimis imaginibus ac metaphoris expressa. Misera est conditio hominis, non propriis, sed majorum virtutibus laudibusque ita innitentis, ut, his subtractis, imaginarius honor totus corruat, instar tecti, quod, columnis subductis, collabitur, vel vitis, quæ humi jacet et marcescit, nisi ulmis sustentatur. Quemadmodum itaque tecto, ne collabatur, columnis, et viti, ut altius se a terra tollat, ulmi fulcro, ita nobilitati, a majoribus hereditate relictæ, ut splendeat, propriis meritis opus est. — 78. Vites in Italia, ubi altiores sunt, *ulmis,* vel platanis et populis, adjungi s. alligari solebant; unde *ulmos* pro *vitibus* dixit Juven. VI, 150. et *maritare populos vitibus* Horat. Epod. 2, 10. et *platanum cœlibem arboresque viduas* (h. e. quibus nullæ vites junctæ, ut h. l. *viduæ ulmi*) idem Od. II, 15, 4. et IV, 5, 30. ad quæ loca v. Mitscherl. Conf. Heins. ad Ovid. Met. XIV, 666.

79—134. Poeta nunc egregie et magno verborum sententiarumque pondere docet, qua ratione veram quis nobilitatem ac gloriam consequi possit. Vox *bonus* cum vi repetitur. *Arbiter,* judex; proprie, qui non e certa formula, ut judex, sed ex arbitrio, ex æquo et bono, litem dirimit. *Integer,* qui neque præjudicatis opinionibus, neque metu, neque gratia et partium studio, multo minus pretio ducitur aut pecunia corrumpitur; sanctus et religiosus. 80—84. Ne imminente quidem vitæ discrimine a virtute et honestate deflectas. Id quam magnifice, et quanta gravitate exprimitur? Conf. divina illa loca Horat. Od. III, 3, 1—4. et Epist. I, 16, 73 seq. Notus est *Phalaris,* sævissimus Agrigentinorum in Sicilia tyrannus, ejusque *taurus* æneus, a Perillo fabricatus, in quo inclusi homines, subdito igni, lente torrebantur; quod a Timæo perperam in numerum fabularum referri monet Diodor. XIII. p. 211. Cf. tamen Lucian. in Phalar. c. 11. T. II. p. 197 seq. ed. Reitz. — 83. *Summum crede nefas, animam,* vitam, *præferre pudori,* honestati, bonæ famæ et conscientiæ, quæ mox *vivendi causæ* vocantur, quoniam faciunt, ut quis vita dignus sit: qui enim non secundum rationis virtutisque præcepta vivit, ne dignus quidem est, qui vivat. Bene Kœnig de Sat. Rom. p. 68. "Vivimus enim,

ut virtuti serviamus ; virtuti ergo vita cedat necesse est. Nostrates : *Das leben ist nur mittel ; der praktischen vernunft gemäss handeln, höchster zweck, welcher einem mittel nie aufgeopfert werden darf.* Gravius Sapientia ipsa nihil potest dictare." Est vero hæc sapientia potissimum Stoicorum. Cf. ad XV, 106 seq. Plin. Ep. V, 5, 4. *Qui voluptatibus,* inquit, *dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas quotidie finiunt : qui vero posteros cogitant et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est.* M. Antonin. lib. VI. Εἷς καιρὸς τῆς ἐπιγείου ζωῆς, διάθεσις ὁσία καὶ πράξεις κοινωνικαί. Cic. de Fin. II, 13. *Aristoteles ait, hominem ad duas res, ad intelligendum et ad agendum, esse natum, quasi mortalem Deum.* [30] — 85. *Dignus morte,* qui propter flagitia vel vitam parum honestam neque aliis fructuosam non dignus est, qui vivat, *perit,* periit, jam vivere desiit et inter mortuos quasi referendus est, *cœnet licet ostrea centum* cet., h. e. quamvis voluptatibus et divitiis affluat. [31] Comparant verba Plin. modo adscripta et Plinii majoris H. N. XIII, 3. de luxuriosis : *Quis non merito judicet periisse tales ?* Forte tamen poetæ animo obversabantur confessio illa Tiberii Imp. *perire me quotidie sentio* et quæ ad eam commentatus est Tac. Ann. VI, 6. loco præclaro de internis tyrannorum tormentis, expresso ex verbis Socratis ap. Plat. de rep. IX. p. 579. — 86. *Ostrea Gaurana,* prope Campaniam capta, Baiana in primis et Lucrina, quæ ceteris præstabant. v. ad IV, 141. *Gaurus* certe, (hod. *Gierro*) mons Campaniæ vino nobilis, ad Baias Lucrinumque lacum pertinebat, et Plinius H. N. III, 5. s. 9. Massicorum, Gauranorum Surrentinorumque montium mentione facta, hæc adjicit verba : *hæc litora præter cetera in toto mari conchylio et pisce nobili adnotantur.* — *centum,* multa. *aëno,* non solio, sed vase unguentario, *Cosmi,* viri divitis et luxuriosi, vel unguentarii. [32] *Jam non lini tantum, sed perfundi unguentis gaudent* Romani, Plin. XIII, 3.

87. *Diu exspectata,* votis a te expetita. 89—93. Causæ graves provinciæ bene administrandæ, misera conditio provinciarum provincialiumque, (quæ v. 94—112. exquisitis coloribus adumbratur) præmia, bonis præsidibus tributa, et pœnæ, malis inflictæ.

[30] Cf. Casaub. ad Lamprid. Heliog. c. 5. extr. id. et Kœnig ad Pers. III, 66. 67.

[31] Grangæus : Qui aliquod facinus atrox et capitale patravit, licet sit inter vivos, tamen millies in die vivens moritur. Britannicus : sceleratus, qui relicta honestate voluptatibus se immergit, omnino perit, nomen et fama ejus omnino exstinguitur et in obscuro est, de quo nulla umquam fiat mentio.

[32] v. Martial. I, 88. III, 55, 1. 82, 26. IX, 27, 2. XI, 9, 9. 16, 6. 51, 6. XII, 66, 4.

sociorum, provincialium, quo leniori nomine etiam Cicero Verr. IV, 35. et al. utitur. — 90. *Ossa regum vacuis exsucta medullis*, pro, vacua exsuctis medullis, h. e. ipsos reges (quod Cicero in Verr. et Plut. in Anton. tradit) ac potentiores, (v. ad I, 136.) aut socios a regibus suis ac potentioribus, in primis a Romanis, provinciæ præfectis, (conf. v. 93—96.) omnibus bonis spoliatos ac nudatos; ut nos: *einen bis aufs mark aussaugen*, et Galli: *sucer qu. jusqu' aux os.* Sic et *exedere, medullam perbibere, omnem succum ingenii bibere et ossa detegere, hirudo ærarii*, aliaque his similia, et contra *plena medulla* ap. Calpurn. V, 115.[33] — 91. *Curia*, senatus, qui provincias decernit, easque juste et majestati dignitatique populi Rom. convenienter regi jubet.

92. 93. Qui bene provincias administraverant, iis a provincialibus præter pecuniam amplissimi ac divini honores, v. c. fana, dies festi, (ut Marcellea a Syracusanis et Lucullea a Cyzicenis) statuæ, τέθριππα, decernebantur: qui male, repetundarum, peculatus cet. Romæ accusari poterant. *fulmine δεινῶς* pro gravi pœna et ira: nam ut fulmina vi sua homines vel res, sic et judices et leges judiciaque capitalia reos prosternunt; nisi forte Senatus Rom. h. l. Jovi, qui iratus fulmina mittit, comparatur, ut Augustus ab Ovid. Trist. V, 2, 53. et al.[34] — 93. *Capito*, Cossutianus Capito, Tigellini gener et Ciliciæ præfectus, lege repetundarum damnatus.[35] *Numitor* forte idem, cujus poeta VII, 74. meminit. Cf. Var. Lect. *Piratæ*, direptores, spoliatores, *Cilicum;* salse, quasi prædones prædonum, summi prædones: nam *Cilices* infames fuere piratæ.

94—112. Notatur iniqua et provinciarum et judiciorum conditio, ut I, 47 seq. *confert*, prodest. 95. *Pansa* et *Natta* ignota præsidum nomina esse videntur, ut itaque sensus sit: quum malo præfecto non melior, sed vel pejor succedat. Nonnulli nomine *Nattæ* h. l. Marium, et *Pansæ* ærarium vel Consulem s. Prætorem vel totum potius senatum Rom. significari et ad damnationem Marii Prisci, Proconsulis Africæ, respici putant, qui ob innocentes condemnandos septingenta millia acceperit, quæ senatus non provincialibus reddenda, sed ærario

[33] Cf. Bentl. ad Horat. Epod. V, 57. Casaub. ad Pers. VI, 52. et Heins. ad Ovid. Met. XIV, 208.

[34] Cf. Sil. I, 421. Stat. Silv. V, 2, 102. et Meurs. ad Lycophr. p. 194. ubi præter alia laudavit verba Artemid. Oneirocr. II, 3. καὶ γὰρ τοὺς καταδικασθέντας κιρκυνεῦσθαι φαμέν.

[35] Conf. Tac. Ann. XI, 6. XIII, 33. XIV, 48. XVI, 17. 21. 28. 33. Quintil. Inst. VI, 1. et Dodwell. in Annal. Quintil. § 6.

inferenda censuerit; de quo v. I, 47 seq. et Plin. Ep. II, 11. et 12. Huic rationi conveniunt, quæ mox sequuntur, et poeta consulto sermone verbis tecto uti potuit. At senatus vel ærarium non *eripuit* Afris, quæ Marius iis *reliquit*, sed quæ hic iis abstulerat, quæque illi frustra repetebant; nisi forte dicas, Afris reliqua fuisse erepta accusatione Proconsulis, quæ et magnis impensis comparanda, et vana fuerit. *Natta* cognomen Pinariæ gentis, de quo v. Ernesti clav. Cic. Alius videtur Natta memorari et Tac. Ann. IV, 34. et Horat. I, 6, 124. et Pers. III, 31. *Pansa* cognomen Vibiæ gentis, v. c. C. Vibii Pansæ Cos., collegæ Hirtii. 96. *Chærippus*, nomen Cilicis, judice Grang. inde effictum, quod Cilices ut plurimum *equis gauderent*. — *Circumspice præconem pannis tuis*, qui pannos, quos solos tibi præfectus reliquit, sub hasta vendat, ut scil. habeas, quo vitam sustentare, vel unde grave, quo opprimeris, tributum novo prætori pendere queas. 97. *Jamque tace*, patienter fer injuriam tibi factam. *Furor*, insania, *est, post omnia*, post jacturam omnium fere bonorum, quæ avarus provinciæ præses tibi extorsit, etiam *naulum*, ναῦλον, mercedem, quæ pro vectura s. navigatione solvitur, *perdere*, h. e. Romam navigare frustraque postulare præfectum de pecuniis repetundis.[36] — 98. 99. Olim non iidem provincialium gemitus audiebantur, neque etiam sensus doloris ob detrimentum, ab hostibus victoribusque in bello acceptum, tam acerbus erat, quum opibus affluerent et præterea vincerentur tantum libertatemque amitterent, non vero ab avaris Præfectis expilarentur, qui non ditioribus solum superflua, sed pauperibus quoque necessaria auferrent: olim etiam opulenti hostes diripiebantur, nunc pauperes amici ac socii.[37] *Vulnus* h. l. mentis, dolor, ægritudo, ut ap. Virg. Æn. XII, 160. et al. passim. — 101. *Chlamys Spartana*, purpurea. De Spartanæ vel Laconicæ purpuræ præstantia v. Plin. IX, 36. s. 60. (ubi cf. Harduin.) XXI, 8. XXXV, 6. et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 18, 7. de *chlamyde* Böttigeri Sabina p. 64. et 85. *conchylia Coa*, ut ap. Horat. Od. IV, 13, 13. *purpuræ Coæ*, vestes Coæ conchyliatæ, h. e. purpura infectæ, bombycinæ. De vestibus *Cois* (non *Ceis*, de quo v. Heyne Obss. ad Tibull.

[36] Quæ interpretandi ratio simplicior est, quam altera, a Lubino et Bahrdt. proposita: Vecordis est, accusatione præsidis ad eam inopiam redigi, ut ne triens quidem restet, qui Charonti, inferorum portitori, pro naulo porrigatur; de quo v. ad III, 267. Grangæus coniparavit proverbium Gall. *il est si pauvre, qu'il n'a pas de quoi passer l' eau.*

[37] Mentem poetæ, quotquot consului, interpretes non recte ita ceperunt: Olim non sic direpta sunt bona sociorum; sed vix vel recens victi iterum floruerunt.

II, 4, 29.) tenuissimis et *bombycinis* v. ad II, 65. VI, 260. Plin. XI, 22. et 23. s. 25—27. (ubi conf. Harduin.) Heyne ad Tibull. II, 3, 53. 4, 29. et Böttigeri Sabina p. 376. 377. ed. pr. Eædem tingebantur etiam purpura, et inter insulas Ægæi maris, Con et Nisyron s. Porphyrin, magna muricum copia capiebatur. [38] — 102. *Parrhasius* Ephesius, nobilissimus pictor, cujus ars et certamen cum Zeuxide passim memoratur. [39] *Myron* s. *Myro* statuarius clarissimus, Eleutheris natus, cujus bucula s. vacca potissimum laudatur. [40] *Phidias* statuarius omnium celeberrimus, cujus Jove Olympio et Minerva in arce Athen. nihil in eo genere perfectius fuisse dicitur. [41] *ebur vivebat*, h. e. signa ibi erant ex ebore tanta arte sculpta, ut vivere quasi et spirare viderentur. Quæ signa poetis *viva, spirantia* et *animosa* dicuntur, ut γράμματα ἔμψυχα Theocrit. XV, 83. [42] *Polycletus* Sicyonius, inclytus pictor et statuarius, cujus præcipuum opus Doryphorus. [43] 104. *Mentor* eximius cælator et sculptor, qui scyphos præcipue s. pocula exquisita arte cælabat. [44] — 105. His opibus avari provinciarum præsides ad eas expilandas incitati sunt, vel, ut commentarii loco utar verbis Ciceronis Off. III, 8. de utilitatis vi disputantis, *hinc furta, peculatus, expilationes direptionesque sociorum nascebantur:* nam furta occasione gigni, vel proverbia docent; *et Dolabellæ, Antonius et Verres,* infames provinciarum direptores, exquisite pro furtis et direptionibus sociorum dicti, ut similia centies obvia, v. c. *Celæno* inf. v. 130. *mea Clotho et Lachesis* IX, 135. et alia. Conf. tamen Var. Lect. *Dolabella* h. l. vel Cn. Cornelius Cn. F. Dolabella, Cos. cum M. Tullio Decula a. U. DCLXXII. Proconsul Macedoniæ, a C. Cæsare adolescente repetundarum postulatus, sed de-

[38] v. Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 13, 13. et Harduin. ad Plin. V, 31. s. 36.

[39] v. Pausan. I, 28. Athen. XII, 11. (62.) XV, 10. (35.) Quintil. XII, 10. Plin. XXXV, 6. 9. et inpr. 10. Prop. III, 9, 12. et Hor. Od. IV, 8, 6 seq. ubi cf. Mitscherl.

[40] v. Anthol. Gr. epigr. IV, 7. p. 302 seq. Auson. epigr. 57—60. Plin. XXXIV, 8. Pausan. I, 23. II, 30. VI, 2. 8. et 13. IX, 30. Petron. 88. Prop. II, 31, 7. Cic. Verr. IV, 3. 43. 60. Ovid. P. IV, 1, 34. Mendelssohn philos. Schriften T. II. p. 179.

[41] v. Plin. VII, 38. XXXIV, 3. et 8. XXXVI, 6. LVI, 5. Pausan. I, 2. 24. 28. VII, 27. Quintil. l. l. Ovid. ex P. IV, 1, 31. (ubi v. Heins. et Burm.) Cic. Or. 2. Valer. Max. III, 7. ext. 4. et Anthol. Gr. epigr. I, 54. p. 71. ed. Steph. ubi illud simulacrum Jovis eburneum in septem ita dictis mundi miraculis numeratur.

[42] v. intpp. Virg. Ge. III, 34. et Æn. VI, 848. Prop. II, 31, 8. III, 9, 9. Burm. ad Valer. Fl. II, 460. 466. et Barth. ad Claud. bell. Get. 612.

[43] v. Ælian. V. H. XIV, 8. Pausan. II, 17. 20. 22. 24. 27. III, 18. VI, 6. et 13. VIII, 31. Cic. Brut. 86. et inpr. Plin. XXXIV, 8.

[44] v. Cic. Verr. IV, 18. (ubi cf. Græv. et Ernesti) Plin. VII, 38. XXXIII, 11. et 12. s. 53. et 55. Prop. I, 14, 2. III, 9, 13. Martial. III, 41. IX, 60, 16. XI, 12, 5.

fensus a Cotta et Hortensio;[45] vel Cn. Dolabella L. F. Prætor Ciliciæ, accusatus a M. Scauro de repetundis et condemnatus;[46] vel, judice Manso, Ciceronis gener, notissimus ille in secundo triumviratu tribunus legisque de novis tabulis ferendæ auctor, (v. Dio Cass. XLII, 29. ibique interpp.) P. Cornelius Dolabella, post mortem Cæsaris et C. Trebonii, perfide ab eo a. U. 712. Smyrnæ interfecti, (v. Dio XLVII, 29.) hostis a senatu judicatus, de quo socer Philipp. XI, 2. *Cum hoc hoste bellandum est, cujus tæterrima crudelitate omnis barbaria superata est. Quid loquar de cæde civium Romanorum? de direptione fanorum? Quis est, qui pro rerum atrocitate deplorare tantas calamitates queat? Et nunc tota Asia vagatur, volitat ut rex; nos alio bello distineri putat.* Poeta tamen tres potius Dolabellas illos, quam unum respexisse videtur. *Antonius* est C. Antonius, M. Antonii oratoris filius, reus factus de repetundis et de majestate, a Censoribus a. U. DCLXXXIII. senatu motus, quod socios diripuisset, sed a seqq. Censoribus restitutus et Ciceronis in consulatu collega factus.[47] 106. *Verres*, C. Verres C. F. Prætor Siciliæ, quam provinciam triennium obtinuit atque ita diripuit, ut nihil, quod ad oculos animumque accideret, neque privati neque publici, neque profani neque sacri, (unde *Sacrilegus*) in tota insula reliquerit; quod Cicero docet Act. II. in Verrem Or. IV. quæ *de signis* inscribitur. 107. *Referebant occulta spolia*, non palam, ut spolia victorum hostium, quæ in triumphis præferri atque ostentari solent quæque proprie *spolia* vocantur. *Occulta spolia*, furta, rapinas, quas specioso *spoliorum* nomine adornant: nam *furta* occultantur, *spolia* ostenduntur; Ach. *plures triumphos de pace*, de pacatis populis ac pacis tempore, quam alii de hostibus et in bello. 108 seq. Nunc nihil fere superest provincialibus, quod iis eripi possit, nisi *juga pauca boum, grex equarum* (v. ad Sil. III, 463. et Cerda ad Virg. Æn. I, 185.) cet. — 109. *pater armenti*, taurus vel equus admissarius, quo erepto etiam spes prolis generandæ præciditur. 110. 111. Eripiatur etiam simulacrum Laris vel Dei, quod unum (*deum unicum*) ex pluribus reliquerant priores Præfecti. *spectabile*, ex ære vel ebore, marmore, auro, argento. *Ædicula*, sacellum sive excavatus parietis angulus, in quo signa deorum recondebantur, (Germ. *nische*, Gall. *niche*) vel in ædibus privatis vel in templis, et

[45] v. Suet. Cæs. 4. Cic. Pis. 19. et Brut. 92.

[46] v. Cic. Verr. I, 4, 15—17. 37. 38. et Ernesti clav. Cic.

[47] v. Cic. Cœl. 31. et Vat. 11. Sallust. B. C. 21. et Ascon. ad Cic. Orat. in toga cand. p. 979. ed. Græv.

quidem in eorum cella s. penetrali, τεμένει s. σηκῷ. 111. *Hæc etenim sunt pro summis: nam sunt hæc maxima*, hæc, etsi vilia, nunc avaris direptoribus (nisi malis, pauperibus sociis) *summa* videntur, et recte; nam re vera jam sunt *maxima*, summa, optima, quæ sociis restant, bona. Farnabius et Bahrdt hæc ironice dicta putabant hoc sensu: hæc enim melius conveniunt summis viris, Romanis rerum dominis, quum majus, h. e. melius nihil supersit. Similiter Cl. Ahlwardt in vers. Germ. *Steht in der blend' ein Gott, auch der einzige! Sind ja dergleichen nur für die grossen, und giebts hier besseres?* Reliqui, quos consului, interpretes, præter Prateum, qui varia tentat, quæ tamen minus satisfaciunt, silentio prætermittunt hunc locum, in quo semper offendi. Verba saltem *nam sunt hæc maxima* irrepsisse ex glossa, illis *hæc etenim sunt pro summis* adscripta, et, quæ poeta eorum loco scripsit, excidisse crediderim. Malim tamen vel consilio Heineckii ejicere verba *hæc etenim — maxima* et *unus* scribere pro *unicus*, vel suadente Manso, (qui, neminem interpretum in his fraudem aliquam suspicatum esse, non recte notavit) duos versus 111. et 112. propter tot tamque inanes et ingratas ejusdem sententiæ et eorumdem verborum repetitiones rescindere:

> Ipsi deinde Lares, si quod spectabile signum.
> Forsitan imbelles Rhodios unctamque Corinthum
> Despicias merito *cet.*

112—124. Mordaci joco poeta avaro provinciæ præfecto suadet, quod sponte eum facturum esse novit, ut scilicet imbelles tantum gentes despoliet et parcat bellicosis. 113. *Rhodus*, celeberrima ins. et urbs in mari Carpathio, in quam, ut in *Corinthum*, divitiæ, mercatura partæ, summam invexerant luxuriam et mollitiem.[48] *Uncta Corinthus*, ut *u. Tarentus* ap. Sidon. V, 430. quæ *mollis* dicitur Horat. Sat. II, 4, 34. et *madida* sup. VI, 296. Epitheton non tam ad divitias, quam ad voluptates et famosam mollitiem Corinthiorum spectat, quo etiam vis verbi κορινθιάζειν et forte proverbium οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς, vel *Non cuivis homini contingit adire Corinthum* (Hor. Epist. I, 17, 36.) referendum.[49] Simili sensu dicitur *fluere mollitia, dif-*

[48] Conf. VI, 296. Strab. XIV. Plin. V, 31. s. 36. Pind. Olymp. VII. Gell. VII, 3. Plutarch. Opp. T. II. p. 525. B. ed. Frft. et inpr. Athen. XIII, 2. qui præter alia memorat, apud Rhodios lege quidem cautum esse, ne quis radatur, sed neminem propterea accusari ac puniri, quod omnes radantur.

[49] Cf. Gell. I, 8. Martial. X, 65. Erasmi Adag. IV, 4, 68.

fluere luxuria, vino et unguentis madere, madidum esse, irrigari, dilui, tingui, proluere se, βρέχεσθαι, τέγγεσθαι. (v. Drak. meamque not. ad Sil. XII, 18.) — 114. *Resinata juventus,* levigata resina, quæ evellendis e corporibus pilis adhibetur, ὁρωπακιζομένη, καταπιττουμένη, unde mox *crura levia,* et contra *Hispania horrida,* aspero duroque cultui adsueta et bellicosa. v. ad II, 12. — 116. *Gallicus axis,* cœli tractus. Alii Galliam, respectu Romæ ad polum Arcticum s. septemtriones vergentem, alii vero Gallos, e redis vel carris pugnantes, (v. Cæs. B. G. I, 51.) designari putant. *Gallicus axis* docte dicitur Gallia, ut Illyricum mox *Illyricum latus,* quoniam in longum est porrectum, secundum litus maris Hadriatici dextrum. Cf. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XII, 27. Cum delectu autem memorantur h. l. bellicosissimi populi, Hispani, Galli et Illyrii. Horum (Illyriorum) ferocia vel tironibus nota ex Liv. X, 2. XL, 42. XLII, 26. XLIV, 27. Flor. II, 5. et 13. In Hispaniam Illyricumque luxuria nondum immigraverat, et Gallia semper inclinabat ad seditiones. 117. *Messores* h. l. non sunt Ægyptii, sed, quod ex v. 120. intelligitur, Afri, quibus Italia maximam frumenti copiam debebat. Sic et *messor Arabs* Mart. III, 65, 5. De fertilitate Libyæ, unde ingens sæpe vis frumenti Romam advecta, et de classibus Alexandrina atque Africana, quarum illa ab Augusto, hæc a Commodo instituta, v. Plin. V, 4. et al.[50] Locus noster, judice Grangæo, desumtus ex Varrone de Re Rust. *Manus movere maluerunt in theatro et circo, quam in segetibus ac vinetis: frumentum locamus, qui nobis advehat, qui saturi fiamus, ex Africa et Sardinia.* — 118. Poeta facete suadet, ut Africæ parcatur, ne Romani esuriant, et σαρκαστικῶς Romam appellat *urbem circo scenæque vacantem,* h. e. ludis circensibus atque theatralibus impense indulgentem s. intentam; quo simul innuit, Romanos et ab agro colendo rusticoque opere alienos, et molles atque imbelles esse. Cf. III, 223. X, 80. 81. et XI, 53. Henninius existimabat, acerbo etiam morsu vellicari socordiam populi Romani, qui, ludis deditus et arte dominantium ita occupatus, de nulla re minus, quam de amissa libertate recuperanda cogitarit. *vacantem circo,* ut *v. ludo* ap. Rutil. Itin. I, 377. ubi v. Wernsdorf. Poet. Lat. min. T. V. p. 559. *Circo scenæque vacantem,* ut ap. Tac. Hist. I, 4. *plebs sordida et circo ac theatris sueta.* — 119. Quantula etiam spolia referres ab Afris, quam parum commodi per-

[50] Bochart. Phaleg p. 535 seq. Barth. ad Claudian. b. Gild. v. 51 seq. et Lips. Elect. I, 8.

ciperes ex iniqua illorum direptione, (quæ *dira culpa* δεινῶς dicitur) quum nuper eos expilaverit *Marius* Priscus; de quo v. ad v. 95. — 120. *tenues*, jam exhaustos et ad inopiam redactos. *discinxerit*, facete pro spoliarit, proprie vestimentis. Grangæus putabat, id dictum esse pro: zonam abstulerit, i. e. pecuniam, quæ in zona ferebatur, (v. ad XIV, 297.) poëtamque consulto usum esse hoc verbo, quod Afri vocentur *discincti* Virg. Æn. VIII, 724. Cf. ad Sil. II, 56. VII, 153. VIII, 34. et Ernesti clav. Cic. — 121—124. Sapiens consilium dignumque, quod animo sibi infigant tyranni. 122. *Fortibus*, iisdemque *miseris*, inopibus, ad pauperiem redactis.

125. *Quod modo proposui*, dixi de provincialibus bellicosis ac fortibus non injuria afficiendis, ne arma capessant et desciscant ab imperio nostro, *non est sententia*, mens tantum mea et vana opinio, nisi malis, non est sententia arguta, (*witziger einfall* Bahrdt, Gr. γνώμη) *verum credite, me vobis folium recitare Sibyllæ*, illud non minus certum esse, quam quod oraculum aut Sibylla dicit; (ut ap. Ovid. A. A. II, 541. *Hæc tibi non hominem, sed quercus crede Pelasgas Dicere*, et sup. VI, 554. *credent a fonte relatum Hammonis*) vel, quod malim, credite, me non vana conjectura augurari, provincias male administratas olim a nobis defecturas esse. Sic magna vis inest his verbis et civibus suis admodum salutaria suadet poeta. Neque inanis videri poterat tum temporis hæc prædictio, cui etiam eventus respondit. — 126. *folium*, oraculum. Sibyllam enim Cumanam, priscorum hominum more, (de quo v. Hard. ad Plin. XIII, 11.) in palmarum *foliis* oracula scripsisse, vel ex Virg. Æn. III, 445. et VI, 74 seq. notum est. 127. *Cohors* Prætoria dicuntur comites eorum, qui provinciis præficiuntur, medici, scribæ, præfecti, haruspices, præcones, accensi. *nemo*, nullus, *Accersecomes*, ἀκερσεκόμης s. ἀκειρεκόμης, intonsus, (quæ perpetua Bacchi et Apollinis epitheta sunt) formosus puer, et quidem h. l. cinædus, catamitus, pathicus. *Si nemo*, tibi gratiosissimus et corruptus ab aliis, *vendit tribunal*, sententiam a te judice ferendam. — 128. *Si nullum in conjuge crimen*, si conjux tua neque ipsa quid rapit, neque te cupiditate vel rapiendi, vel, quod se corrumpi passa est, sententiam inique ferendi incitat. Cf. omnino Tac. Ann. III, 33. ibique Lips. 129. *Conventus*, urbes, in quibus forum s. conventus judiciales agebantur. v. Ernesti clav. Cic. 130. *Celæno* cohors et conjux tua avara atque insatiabilis, vel potius avaritia tua, h. e. tu ipse, qui avarus et rapax provinciæ præfectus es. (Cf. ad v. 105.) Proprie ita dicebatur una Harpyiarum, de qua, ut de reliquis Harpyiis earumque

forma, nominibus et rapacitate, v. Virg. Æn. III, 211 seq. ibique Heyne in Exc. VII. et Herrmanni Mythol. T. I. p. 400. Similiter Rutilius, Juvenalem imitatus, avaros iniquosque judices vel præfectos dicit *Harpyias, quarum decerpitur unguibus orbis, Quæ pede glutineo, quod tetigere, trahunt* cet. in Itinerar. I, 609 seq. — 131. *Picus*, fabulosus Aboriginum rex, Saturni filius, pater Fauni, avus Latini.[51] *alta*, prisca et magnifica. v. ad VI, 385. — 132. *Titanida*, Titaniam, *pugnam*, h. e. Titanas, qui cum diis pugnarunt. De *Titanibus* v. Herrmann. l. l. p. 40 seq. et de *Prometheo* p. 48 seq. — 134. *proavum*, generis auctorem, sive majores. 136. 137. A lictoribus cives vel provinciales, capite damnati, primum *virgis* cædebantur, et deinde percutiebantur *securi*. v. ad v. 268. *si tc delectant hebetes lasso lictore secures*, δεινῶς ac venuste de summa sævitia, quæ sic et XIV, 18 seq. adumbratur.

138—141. Pulcra ac vera sententia, a nobilibus numquam ex animo dimittenda. Conf. præclara loca Cic. ad Herenn. IV, 47. Sallust. B. J. 85. et B. Cat. c. 51. — 140. *Crimen conspectius*, magis conspicuum. (v. Ernesti ad Suet. Claud. c. 4.) — 142. *Quo*, quare, (ut v. 9. ubi v. not.) *mihi te* jactas, vel quid prodest, te nobile mihi prædicare genus, qui gloriæ majorum tuorum labem adspergis? Magna vis inest in his versibus, quibus filii scelera parentum virtutibus opponuntur. Sed minus illi placent, quoniam eadem sententia repetitur, quam poeta jam v. 6—18. simili modo expresserat. — *Tabellas* testamenti *in templis* deponebant Romani, quæ tuta erant religione deorum militumque excubiis. Cf. XIV, 260. et ad Tac. Ann. I, 8. Ibidem quoque sæpe *signabant*, ut ostenderent, fidem religione maxime constringi; Britan. Præterea h. l. memorantur *templa, quæ fecit avus*, condita a majoribus piis et religiosis. *statuam ante triumphalem parentis*, ut sup. v. 11. *ante Numantinos*. — 145. *velas adoperta*, ut ap. Virg. Æn. III, 405. *cucullo*; v. ad III, 170. et VI, 118. Quod ad sensum attinet, cf. Horat. Sat. II, 7, 55 seq. Plin. Ep. III, 12. et Propert. II, 29, 12. ubi v. Vulp. *Santonico*, Gallico, epith. orn. a Santonibus, populo Aquitanico inter Ligerim et Garumnam, ubi nunc *Saintonge*.[52]

146 seqq. Poeta perstringit mores sui et potissimum Neroniani

[51] v. Heyne Exc. V. et not. ad Virg. Æn. VII, 48. et 187 seq. Creuzer's Symbolik T. II. p. 482. T. III. p. 228. T. IV. p. 461 seq.

[52] Cf. ad XVI, 13. Martial. I, 54, 5. et inpr. XIX, 128, 1. *Gallia Santonico vestit te bardocucullo*.

ævi, quo primores civitatis, præter alias artes parum honestas et inprimis scenicas, etiam aurigationem exercebant, exemplo Imperatoris eique placendi studio. De *Damasippo* v. Excurs. ad h. l. *præter majorum cineres atque ossa,* in via Appia, Latina, Flaminia et aliis. v. ad I, 171. Vox *ipse* δεινῶς repetitur. 148. *Sufflamen,* τροχοπέδη, lignum vel ferrum, quod per radios rotarum trajectum, earum cursum sistit; unde *litis sufflamen,* mora ejus et dilatio, XVI, 50. et *Aterius noster* (orator) *sufflaminandus est* ap. Senec. Exc. Contr. IV. Præf. Nota F. Didoti in edit. Ach. est: " Forte *sufflamen* vox efficta a Juven. ex *sub* et *flare,* unde Galli fecerunt *souffler.* Ita *multo sufflamine* est multo et vehementi anhelitu; quo recte atque satirice admodum pingitur Damasippus pinguis et corpulentus, sudans, anhelans et *sufflans* in rota currus stringenda." 149. 150. Tam inhonestas artes, quæ ne clam quidem et nocte obscura exercendæ sunt, splendente luna factitare eum non pudet. *Luna videt, sidera testes intendunt oculos,* ut VI, 311. ubi v. not. *tempus honoris,* consulatus; quæ summa dignitas pudorem ipsi incutiebat. 152. *Trepidare* Græcorum more cum quarto casu etiam jungitur X, 21. ut *tremere* ap. Sil. II, 53. (ubi v. not.) et Val. Fl. V, 520. (ubi v. Burm.) vel *horrere* passim. *amici jam senis,* ætate meritisque venerabilis. 153. *Virga adnuere,* flagello signum dare, (ut III, 318.) et quidem h. l. honoris ac reverentiæ, h. e. salutare. *manipulos,* fasciculos fœni. — 154. Omnia vilis agasonis munia implebit; Ach. *Infundere jumentis hordea,* ut τοῖς ὑποζυγίοις ἐμβαλεῖν τὸν χόρτον ap. Theophr. Char. IV. *Hordeum,* non avena, Italis equis pabulum, unde *hordearium æs,* quod pro hordeo equiti Romano dabatur; Grang. — 155. *lanatas* oves. *torvum* epith. orn. perpetuumque boum. Nam præcipua frontis asperitas in hoc pecore apparet; Ach. Juvenali h. l. et XII, 5. ante oculos fuisse Virg. Æn. IX, 629. suspicabatur Pith. 156. *cædit,* in abdicatione magistratus aliisve solennibus. *more Numæ,* non regio, sed palam et prisco ritu, præ se ferens speciem religiosi, qualis Numa fuit. " Quibusdam h. l. *Numa* satirice tangi videtur, qui, quamvis religiosus videretur, tamen nulla religione tenebatur, quique apud ethnicos auctores politicus magis, quam pius judicatur; qui demum, ut ait Lactant. I, 22., *quum alios falleret, se ipsum non fefellit;*" Ach. *jurat* clam. 157. *jurat* per *Eponam,* ut ὄμνυμι τοὺς θεούς.[53]

[53] v. Herodian. II, 10. et Theocrit. XXV, 22 seq. Cf. Broukh. et Heyne ad Tibull. IV, 13, 15.

Epona, dea mulionum; Schol. [54] Jurat autem quisque per ea numina, quæ maximi facit et unde sibi bona sperat; ut puer ille ap. Aristoph. in Nub. Νὴ τὸν Ποσειδῶ τουτονὶ τὸν ἵππιον, et indignans pater, μή μοί γε τοῦτον μηδαμῶς τὸν ἵππιον, quæ verba poetæ ante oculos fuisse putabat Lips. Epist. Quæst. Lib. II. Ep. 9. Conf. Var. Lect. *facies* Eponæ et similium numinum. 158. *Quum,* aurigatione, vel in aliquod tempus vel imminente nocte intermissa, *placet* Laterano, *popinas instaurare,* repetere, denuo invisere: nam et hoc facit exemplo Neronis, de quo v. Suet. c. 26. *pervigiles,* quæ per totam noctem patent, vel in quibus per noctem vigilant et genio indulgent, qui eas frequentant, ut *pervigili toro* XV, 43. et *vigiles fenestræ* III, 275. — 159. *Syrophœnix* tabernarius s. unguentarius: nam ex Syria optima mittebantur unguenta et qui ea componebant. Cf. Heins. ad Ovid. A. A. I, 76. Vetus Syria fuit triplex, Συρία Κοίλη, Φοινίκη, Παλαιστίνη. Sed passim etiam incolæ Cœlesyriæ vocantur *Syrophœnices.* (v. Bocharti Chan. I, 1.) *Amomum* frutex, Armeniæ potissimum ac Mediæ, et deinde unguentum inde paratum. [55] *adsiduo* pro adsidue. *Obvius currit* Damasippo, lætus ejus adventu blandiusque eum excepturus. 160. *Porta Idumæa* portus vel opp. aliquod Idumææ, per quod, tamquam portam, transvehebantur merces ex India et Perside in Rom. imperium; ut *porta Syenes* XI, 124. ubi sermo est de dentibus elephanti, qui ex Æthiopia in Ægyptum et inde Romam advehebantur per Syenen, penins. in finibus Æthiopiæ et Ægypti, per quam, tanquam portam, transitus est in illas terras. Similiter fere *janua Baiarum* dicuntur Cumæ III, 4. nisi *porta* h. l. pro urbe posita est, ut forte XI, 124. et Valer. Fl. I, 676. sæpiusque πύλη, שַׁעַר cet. in sacris literis linguisque orientis, quoniam *porta* fuit præcipua oppidorum pars, ibique forum, comitia cet. Calderinus et Ach. *Idumæam portam* dici putant eam, per quam triumpharint Vespasianus et Titus de Judæis, et fortasse arcum triumphalem Titi, juxta quem frequentes fuerint popinæ. *Idumæa,* quæ proprie pars Judææ est, poetis tota dicitur Judæa. 161. *Hospitis affectu,* blando cauponis sermone. *Dominum Regemque salutat* Damasippum, ut ap. Martial.

[54] Cf. Apul. Met. III. p. 97. (p. 141. ed. Elm.) Minuc. Octav. c. 26. (ubi v. Cell.) Tertull. Apolog. c. 16. p. 159. (ubi v. Haverc.) Prudent. Apoth. 265. Plut. Parall. minor. c. 29. T. II. p. 312. (Ἐστὶ δὲ Διὸς Ἐπόνα πρόνοιαν τοι-ουμένη ἵππων.) et Gruteri Inscriptt. IV. et V. p. 87.

[55] v. Dioscor. I, 14. Plin. XII, 13. XVI, 32. Martin. et Heyne ad Virg. Ecl. III, 89. IV, 25. et inpr. Heins. ad Ovid. Ep. Heroid. XV, 76.

I, 113, 1. IV, 84, 5. X, 10, 5; Grang. *den gnädgen herrn und hohen gönner;* Bahrdt. 162. *Cyane,* tabernaria, vel famula et prostibulum. *succincta* more eorum, qui togam succingunt, ut expeditius ministrare vel opus quodcumque facere possint, adeoque sedula. Cf. ad IV, 24. *lagena,* vino.

163. *Defensor culpæ,* qui vitia hominum excusare amat, vel qui Damasippum defendit, ejus amicus. — 166. *cum prima barba resecentur,* jam a prima deponantur adolescentia. Conf. ad VI, 105.

167 seq. Sed venia indignus est Damasippus, qui etiam nunc, ætate jam provectus, eumdem vitæ cursum sequitur. — 168. *Thermarum,* thermopoliorum, ut XI, 4. In his ut plurimum bibendi locus.[56] In iisdem homines otiosi et nequam aut in furto exercitati. Conf. Plaut. Trin. IV, 3, 6 seq. 11 seq. Nota C. Valesii est: *Thermæ* h. l. popinæ, quæ erant thermopolia, in quibus calida vendebantur edulia; unde XI, 81. *calida popina,* θερμοπωλεῖον s. θερμοκαπηλεῖον. *Inscripta lintea* exponit Calder. sudaria, varia textura inscripta, quibus in thermis detergebantur, ut *Sudarium Sætabum catagraphonque linum* Catull. XXV, 7. (ubi lectio est dubia) Schol. vet. picta vela popinæ aut lintea carbasinea; Farnab. inscriptionem rerum in popinis lupanaribusve venalium, seu meretricum, in cellis prostantium, ut *titulus Lyciscæ* sup. VI, 123. (ubi v. not. Sed cur hæc *lintea?*) Grang. popinam s. lupanar, ante cujus ostium foresque erat velum, ὀθόνιον, oppansum, ne quis per forium rimas introspicere posset (v. ad IX, 105.) *inscriptum,* acu pictum, et *linteum,* orbiculos quosdam habens, ut adduci et reduci facilius posset, ut docet ex Dione Casaub. ad Sueton. Ner. et Ramir. ad Martial. I, 35, 5. 6. Conf. Martial. XI, 46. ex quo etiam suspicari possis, h. l. legendum esse *inscriptaque limina,* h. e. fores cellæ inscriptæ. 169. *Maturus bello* h. e. militiæ; jam ea ætate est, ut pro patriæ salute pugnare eamque armis defendere queat. *Armeniæ Syriæque amnibus,* Tigridi et Euphrati, terminis Rom. imperii in Oriente, ut *Rhenus* et *Ister* s. Danubius in Occidente et Europa. Cf. ad v. 51. 52. *Neronem* proprie h. l. dixit poeta, vel σαρκαστικῶς pro *Calvo Nerone* h. e. Domitiano; vel pro quovis Imperatore et pro imperio Rom. — 171. *mitte* sc. exercitum, vel potius *mitte legatum, Cæsar,* ad *Ostia,* ad ostia Tiberis, ad portum Ostiensem, ut ibi naves conscendat; at invenies eum in

[56] de quo v. Epigramm. XII, 71. Quintil. I, 6. Senec. Epist. 122. et al. Grang.

popina. Propter verba tamen præc. præstiterit Rheni, Istri aliorumque fluviorum *ostia* vel ipsa flumina, præsidiis tuenda, intelligere. "Poetæ etiam, quum Ostiensem portum per plurale nomen *Ostia* designant, addunt epitheton *Tiberina,* vel simpliciter hunc portum *Ostiam* vocant;" Ach. — 173 seq. Cf. Apul. Met. VIII. p. 201, 13. ed. Elmenh. *Erat in proxima civitate juvenis natalibus prænobilis, sed luxuriæ popinalis, scortis et diurnis potationibus exercitatus atque ob id factionibus latronum male sociatus, nec non etiam manus infectus humano cruore. jacentem,* imbellem mollemque hominem, in lecto ad mensam accumbentem. *fugitivis* servis. 175. *carnifices,* v. ad VI, 480. *Sandapila* feretrum, maxime ignobilium et pauperum; nam nobilium cadavera lecticis efferri solebant. Conf. Var. Lect. 176. *inter cessantia tympana Galli,* h. e. inter Gallos, sacerdotes Cybeles, noctu a discursibus per urbem, in quibus tympana cum cymbalis pulsant, cessantes. *resupinati,* otiosi, ignavi, mollis, vino somnoque gravis. Schol. ebrii aut turpia patientis. Sic III, 112. et VI, 126. — 179. *talem servum,* qui tam turpiter viveret, ut Damasippus. 180. *in Lucanos,* in Lucanum prædium s. agrum, ut aratro solum perstringat; vel Lucana *ergastula.* v. ad XIV, 24. — 181. *Trojugenæ,* ut *Teucrorum proles* v. 56. Cf. ad I, 100. *vos vobis ignoscitis,* flagitiis vestris; turpia facere vobis putatis licere. Cf. XI, 174 seq. et Horat. Sat. I, 3, 23.

182. Conf. ad IV, 13. 14. *Cerdones,* plebeii et infimo genere nati, qui sordido quæstu et illiberali arte victum quærunt, ut IV, 153. et ap. Pers. IV, 51. Cf. ad III, 294. *Volesos Brutumque,* viros nobiles. *Volesus* (al. *Volusus* et *Valesus,* unde *Valesius* et deinde *Valerius*) Sabinus, pater P. Valerii Poplicolæ (Liv. I, 58. II, 30.) et auctor gentis Valeriæ, quem cum Tatio Romam venisse tradit Dionys. Hal. II, 46. Conf. Var. Lect. *Brutus* ex gente Junia, quæ et patricia, et antiquissima fuit.

183. 184. Nobilitas Romana adeo est flagitiis contaminata nostris temporibus, ut, etiamsi fœda sint, quæ commemoravi, spurciora tamen etiam supersint; quod nunc probat per exemplum ejusdem Damasippi; Brit. 185. *Damasippe,* cf. ad v. 147. in Excurs. *Consumtis opibus* aurigatione, (ut I, 59.) vel per luxum. *vocem locasti sipario,* operam addixisti scenæ. Mercede pacta, ut cantares in choris aut mimos ageres; Ach. *Siparium* proprie velum scenicum s. mimicum, quod forsan scenæ obtendebatur in comœdiis, ut

aulæum in tragœdiis,[57] vel *quod pro aulæis posterior ætas accepit*, teste Donato in Terent. 186. *Phasma*, φάσμα, spectrum, mimus Q. Lutatii *Catuli* s. *Catulli* Urbicarii vel Mimographi,[58] non C. Valerii Catulli Veronensis, (v. Petit. ad leg. Att. p. 245 seq.) compositus ad exemplum Menandri, de quo v. Terent. Eun. Prol. 9. Ejus argumentum: adolescens introductus, qui adspectu subito pulcræ virginis, veluti numinis visu perculsus, exhorruit; Grang. Forsan et exclamavit, unde *clamosum* h. l. Vetus Schol. " Q. Lutatium Catullum dicit, qui Voranum (f. Coranum) servum furacissimum habuisse fertur, de quo heic posterius (inf. XIII, 111.) *scurra Catulli*. De quo etiam illud traditur, quum deprehensus a numulario esset, cujus de mensa numos subtractos in calceos sibi inferciverat, quidam jocans in eum, *Belle*, inquit, *si te numularius in jus vocet, tu ei æs ablatum ex calceo abjiceres*." — 187. *Laureolus* mimus, vel ejusdem Catulli, quem ejus auctorem edunt Petitus l. c. et Tertull. adv. Valentin. c. XIV., vel potius Nævii aut Laberii. v. Macrob. II, 7. Gell. III, 3. VIII, 13. 14. XVII, 14. Pamelius ad Tertull. l. l. Qui Nævio eum tribuunt, provocant ad Gell. III, 3. *De Nævio accepimus, fabulas eum in carcere duas scripsisse, Laureolum et Leontem*: sed in optimis libris *Hariolum* legitur. Hujus mimi mentionem faciunt Tertull. l. c. Sueton. Calig. c. 57. Joseph. Antiq. XIX, 1. et Martial. de Spect. ep. 7. In eo partes agebat Laureolus servus, in falso deprehensus, vel potius dux latronum cruci suffixus; (σταυροῦται ληφθεὶς ἡγεμὼν Joseph.) unde mox *dignus vera cruce*, qua et Domitianus, hanc fabulam olim daturus, eum, qui Laureoli partes ageret, pendere jussit; unde *non falsa pendens in cruce Laureolus* Martial. l. l. *velox*, mira strenuitate; Britann. quia crucem supervolabat, ut e Tertull. discimus; Petit. l. c. Sed *velox Lentulus* eodem, opinor, sensu dicitur, quo inf. XIII, 111. *fugitivus scurra Catulli*. Nam Mimi actionis quidem unitatem, non vero nexum et solutionem curabant et, quum clausula non inveniretur, de scena fugientes ludum finiebant. v. Cic. pro Cœl. 27. et sup. Vol. I. p. CVI. not. 43. *Lentulus*, cognomen Corneliorum, h. l., ni fallor, non mimographus ille, qui ætate Domitiani floruit, (de quo v. Hieron. ad Sabinian. et Tertull. Apolog. c. 15. et de pall. c. 4.) sed pro quovis nobili, ut sup. VI, 80. nisi re vera Lentulus quidam Laureoli personam egit. — 189. *populo* spectanti nobiles fabulam

[57] v. Apul. Met. I. pag. 106. X. pag. 253. edit. Elm. et Senecam de tranquillitate cap. 11. Nomen proprium pantomimi, qui scenæ præerat; Calder.

[58] v. ad XIII, 111. Gell. XIX, 9. et Martial. V, 31, 3.

agentes et plaudenti. *durior frons*, sine pudore, (v. ad II, 8.) ut *os durum et ferreum, frons exsanguis et ferrea* aliaque similia. *triscurria*, v. Excurs. h. l. 191. *Planipedes*, mimos, qui primum non nisi sannione erant, et sensim in scenam prodiere, ut vel gesticulatione adjuvarent actionem fabularum, vel in earum intervallis jocos non præmeditatos funderent. *Planipedes* dicti sunt, *quod planis pedibus, id est nudis, in proscenium introirent, non ut tragici actores cum cothurnis, neque ut comici cum soccis; sive quod olim non in suggestu scenæ, sed in plano orchestræ positis instrumentis mimicis actitarent:* ita Diomed. de poem. gen. lib. III. p. 487. ed. Putsch. Similiter Donatus in Prol. ad Terent. Conf. Ziegler de mimis Rom. p. 9 seq. ubi notat, planipedes, etsi *excalceati* Sen. Ep. 8. dicantur, soleis tamen uti potuisse et a *planis pedibus*, non nudis, sed haud artificiose exaltatis, vocatos esse, quemadmodum reliqui histriones a diverso pedum vestimento nominati sint *cothurnati* et *soccati*. *Fabii* pro nobilibus, ut *Mamerci*, qui ex Æmiliis erant. 192. *Mamercorum alapas*, quibus percutiuntur, servorum vel scurrarum personam sustinentes. v. ad I, 36. V, 171. et conf. Mart. II, 72. V, 62, 11. *sua funera vendant*, se et vitam suam lanistis vendant, ut *Nunc caput in mortem vendunt et funus arenæ* ap. Manil. lib. IV. Cf. Lips. Saturn. II, 3. et sup. ad VI, 380. — 193. *nullo cogente Nerone*, sponte sua, et bonis exuti vel furore instincti, non, ut olim, gratificantes Principibus vel coacti a tyranno, ut a Nerone.[59] *Prætoris*, ignobilioris, quam ipsi sunt; Schol. Inter officia Prætoris etiam hoc fuit, ut munera ac ludos ederet, præcipue Circenses, ut Florales, Megalenses et alios, quod ingenti sumtu et pompa fiebat et quo sibi Prætores viam ad consulatum, ut Ædiles curules ad summos honores, muniebant.[60] *celsi*, epith. orn. de magistratu majore et curuli; vel potius, qui in sella curuli ludis præest. Cf. X, 36. 37. XIV, 257. et Var. Lect.

195—197. Fingamus a tyranno nobis ex altera parte *gladios* h. e. capitis supplicium proponi, ex altera vero *pulpita* i. e. scenicas artes; nonne mors potius eligenda erit, quam ad tam inhonestas artes descendendum omnisque pudor dimittendus? Histriones enim Romæ infames erant et, qui scenæ operam locabant, tribu movebantur, præter Atellanarum actores. v. Liv. VII, 2. *Gladios* etiam de certamine

[59] de quo v. Suet. Ner. 12. Tac. Ann. XV, 32 seq. Cf. Tac. Hist. II, 71. Lips. Saturn. II, 3. sup. ad II, 143 seq. et inf. XI, 5 seq.

[60] Cf. VI, 380. X, 36 seq. XI, 193. XIV, 257. Suet. Ner. 21. Dio Cass. LIV, 2. Plut. in Bruto p. 988. D.

gladiatorio accipere licet, ut duæ artes modo memoratæ nunc comparentur, et sensus sit, gladiatoriam artem histrioniæ præferendam esse et mortem potius viriliter oppetendi, quum pudorem amittendum. *Finge* doctius dictum videtur pro: effinge animo tuo, *denke dir;* nisi potius leg. *finge — poni,* fac, finge, tibi proponi. *pulpita,* ludi scenici. v. ad III, 174. et XIV, 257. — 197. Sensum h. l. ita cepit H. Valesius; " Estne quisquam ex patriciis illis decoctoribus et famosis adeo vitæ suæ metuens, ut invidere Thymelæ velut nobiliori mimæ, aut stupidus Corinthi collega haberi malit, ut faber fabro invidet, quam gladiator?" Crediderim potius, *zelotypum* dici Latinum mimum, qui personam sustinuerit viri zelotypi, uxoris dolis circumventi, et *Thymelen* esse mimam, quæ hujus uxoris partes egerit. v. ad I, 36. *collega,* socius, collusor, *Corinthi,* mimi, *stupidi,* v. Var. Lect. et ad I, 36.

198 seq. v. ad III, 61 seq. *citharœdo Principe,* quum Nero ipse in theatris citharа canat.[61] Poeta h. l. docet, quantum noceant pravi mores Principum, quorum vita civibus ad imitandum debeat esse proposita. Cf. VI, 617. — 199. *hæc ultra quid erit nisi ludus,* post hæc quid videbimus in Urbe præter ludos? Minus forte probanda Brit. ratio: Posthac quid videbimus in Urbe, nisi omnes nobiles scenicis artibus vacare? Pejor vero est illa Ach. et Dusaulx: Quid post hæc turpius videbis, nisi ludum gladiatorium? jam nobiles viri histriones facti sunt: quid vilius esse possunt, nisi gladiatores? Sic poeta saltem *munus* dixisset, non *ludus:* nam *ludus* semper ad scenam spectat et *munus* ad gladiatores. 200 seq. *Et illud,* etiam hoc, *dedecus Urbis habes,* jam quoque videmus, quod summo Urbi est dedecori, *Gracchum,* nobilium aliquem, *pugnantem,* et quidem non facie armis tecta, ut *Mirmillo,* qui galea, scuto et gladio, vel ut *Secutor,* qui gladio et *clipeo,* vel ut Threx, qui parma s. pelta et *falce supina,* h. e. sica s. harpe, utitur, sed *nudo vultu,* ut, quæ impudentia hominis est, ab omnibus cognoscatur, habitu Retiarii, qui solus ex gladiatoribus *frontem non abscondit galea,* sed aperta facie est, et sola *tunica* atque *galero* contentus, collectum suspensumque *dextra* manu *rete* in adversarii caput jacere, eumque ita impeditum *tridente* sive *fuscina* (ut II, 143.) interficere conatur, vel, si erravit et *nequidquam retia effudit,* emisit, effuse *fugit* et, postquam rete iterum collegit, redit in pugnam repe-

[61] de quo v. Sueton. Ner. 20—25. Tac. Ann. XIV, 14. 15. et XVI, 4. et Xiphil. in vita Ner.

tens assultus in adversari[illegible] acrius urgentem. Conf. II, 143 seq. et Lips. Saturn. II, c [illegible] Retiarius cum Mirmillone, Threce et Secutore componebatur, [illegible]cus noster de eo classicus est. *falce supina*, sica, gladio incurvo, nisi malis reducto: nam Threx, teste Artemidoro, ἐπιβαίνειν, insurgere altius, ut contra Mirmillo *in armis subsidere* solebat, si Ausonio fides habenda. v. Lips. l. l. c. 9. et 10. — 202. v. Var. Lect. — 204. *dextra librata*, exacte quasi perpensa: solertia enim opus erat, ne nimium vires dexteræ aut intenderentur aut remitterentur inter projiciendum; Lubin. Convenit etiam propria vis sursum deorsum movendi, quæ a fluctuante libræ motu desumta est, unde passim ad avium quoque volatum transfertur hoc verbum. — 205. *ad spectacula*, ad spectationem, ad spectandum; vel potius ad spectatores. Cf. ad Sil. II, 230.

207. 208. Si quis etiam nunc dubitat, Gracchum esse, qui in arena pugnet, quum tamen nuda ejus facies sit et ab omnibus cognosci queat, evidentius id ejus habitus docebit: nam non modo *tunicam* et *galerum*, ut Retiarius, gestat, sed etiam, ut Salius, (Salium enim fuisse eum, ex Sat. II, 125. 6. intelligitur) *tunicam auream* s. pictam, h. e. auro et purpura variegatam, cujus aureum patagium s. limbus et clavus a superiore ejus parte circa *fauces* ad imam oram *porrigitur*, et *galerum*, h. e. apicem s. pileum in coni formam fastigiatum, (κυβασίαν) qui sub mento vincitur *spira*, fasciis, quæ *jactantur*, libere per humeros fluitant.[62] Gracchus itaque non modo non erubescit, sponte operam suam arenæ præstare, sed etiam eo pugnare habitu, quo ab omnibus dignosci poterat, nudo vultu atque Saliari tunica et apice. — 209. 210. *Secutor*, a Prætore vel munerario vel lanista (quippe qui paria gladiatorum inter se componebat) *jussus pugnare cum Graccho, ignominiam graviorem pertulit omni vulnere*, h. e. quam si cum peritiore gladiatore comparatus, victus multisque vulneribus confectus esset: nam manu viri et fortis et artis pugnandi gnari perire non tam turpe, immo gloriosius est, quam nobilem vincere, qui et imperitus est et ignavus confestimque fugit. Gloriosa putabatur mors, manu viri fortis illata, et ita cecidisse maximum mortis solatium habebatur.[63] Nota Hein. est: " Hæc verba rite ita explicantur. Gladia-

[62] Cf. de Saliorum habitu Liv. I, 20. et Dionys. Hal. II, 70. de *fasciis* illis et *apice* Scalig. ad Fest. v. *apiculum* atque *offendices*, et de teto hoc loco præter Ferrar. Elect. II, 16. et Analect. de Re Vest. V, 2. inpr. Cuper. Apotheos. Hom. p. m. 187 seq. ubi etiam ex Guther. de vet. jur. Pontif. I, 29. exhibetur numus gentis Pompiliæ, in quo fascias liberas et per humeros sacerdotis fluitantes conspicimus.

[63] Cf. ad Sil. II, 705. Interpretes h. l.

tores enim turpe putabant, cum deteriore comparari, id quod liquide docet Sen. de prov. 3. *Ignominiam* judicat gladiator, cum inferiore componi, et scit, eum sine gloria vinci, qui sine periculo vincitur." 211. *Libera suffragia*, judicia, sententiæ. Loquitur poeta, cujus temporibus non modo agendi, sed et judicandi dicendique libertas omnibus præcisa erat. Vera autem, opinor, est sententia Grang. et Ach. qui putant, ab eo designari *suffragia* eligendi Imperatoris et respici ea, quæ tradit Tac. Ann. XV, 65. *Fama fuit, Subrium Flavium cum centurionibus occulto consilio, neque tamen ignorante Seneca, destinavisse, ut post occisum opera Pisonis Neronem Piso quoque interficeretur traderetur que imperium Senecæ, quasi insonti, claritudine virtutum ad summum fastigium delecto.* — *Senecam*, virum ignobilem, sed bonum, certe multo meliorem imperioque digniorem Nerone.

213. 214. Nero graviorem, quam vulgarem parricidii pœnam, nec semel, sed sæpius meruit, quoniam plura commisit parricidia. (v. Suet. Ner. 45.) Occidit enim vel occidi jussit Agrippinam matrem, Domitiam amitam, Octaviam Poppæamque uxores, Britannicum fratrem, Antoniam, Claudii filiam, Rufium Crispinum, primum Poppææ maritum, ejusque filium adhuc impuberem, Aulum Plautium et alios, aut affinitate aliqua sibi aut propinquitate conjunctos; quod notum vel ex Tacito et Suet. Ner. 33—35. Pœna parricidarum erat, ut, virgis sanguineis cæsi, cum *simia, serpente*, gallo gallinaceo et cane *culeo* insuti in mare vel flumen proximum demergerentur et sic repente cœlo, sole, aqua terraque privarentur. (v. Cic. pro Rosc. Am. 70.) Hæc culei pœna jam Tarquinii temporibus in criminibus quibusdam cognita, post ejectos deinde Reges consuetudine servata et a Decemviris in XII tabulis propria parricidio facta; *culeus* autem saccus fuit e corio taurino et quidem recenti, ne aqua facile penetraret. Animalia Imperatorum demum ætate culeo addita videntur, exasperata forte pœna, quum frequentius committeretur facinus.[64] Secundum D. Hadriani constitutionem, si mare nimis remotum esset, ad bestias condemnabantur parricidæ aut vivi comburebantur. Lege Pompeii de parricidiis hoc crimen ad omnem propinquorum cædem translatum videtur, ita tamen, ut illa pœna non nisi confessi afficeren-

vel silent vel nugantur; plerique tamen verba sic exponunt: ambitiosus Secutor majori cum dolore ferebat, quod cum adeo nobili pugnare jussus esset, vel potius quod Gracchus victus aufugisset, quam si ab eo victus esset et vulneratus.

[64] Quod factum fortasse, ut in rixa infensorum animalium, fœda laceratione corporis, pro admissi sceleris immanitate, diro cruciatu exanimarentur; Ach.

tur. Sensu quoque latissimo parricida dicebatur, quicumque hominem ingenuum consulto et de industria interfecerat. [65]

215. Legebatur enim tempore Neronis passim: Νέρων, Ὀρέστης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι; Grang. 215 — 217. Orestes quidem, Agamemnonis filius, matrem quoque interemit, nec tamen, ut Nero, sua sponte et singulari mentis pravitate ingenita ac stimulante, sed *Deis auctoribus,* jussu Apollinis Delphici [66] et ut *cædem ulcisceretur patris,* quem Clytæmnestra et Ægisthus *media inter pocula* h. e. in convivio necaverant, de quo v. Hom. Odyss. δ, 529 seq. λ, 408 seq. Apud Græcos autem filius majorem patri reverentiam atque amorem deberi putabat, quam matri, cui præterea justius irascebatur Orestes, quod illa regno ipsum privaverat paterno necique destinaverat. Ceterum Agamemnonem primo statim ædium ingressu occisum tradit Virg. Æn. XI, 267. ad aram, ubi sacrificabat, Hygin. Fab. 117, sub finem convivii, in balneo, quum induere vellet indusium, ab uxore ita consutum, ut nec capiti, nec manibus exitum præberet, Æschylus et alii. [67] — 217. 218. Neque etiam Orestes Electram, sororem suam, trucidavit, ut Nero Octaviam et Antoniam, sorores adoptivas: (nam Claudii fuerunt filiæ et Octavia simul Neronis conjux) aut Hermionem *conjugium* h. e. conjugem, Helenæ et Menelai, *Spartani* regis, filiam, ut Nero Octaviam et Poppæam, uxores suas. Conf. Horat. Sat. II, 3, 137 seq. — 219. Orestes quoque *aconito* h. e. veneno (v. ad. I, 158.) non sustulit *propinquos,* ut Nero Domitiam, Britannicum et Antoniam: *nec umquam in scena cantavit Orestes,* ut Nero, de quo v. sup. ad v. 198. — 221. *Troica* carmina *non scripsit,* ut Nero, qui non modo poetica facultate destitutus ποτὲ καὶ ἐπὶ τὴν τοῦ Θεάτρου ὀρχήστραν ἐν πανδήμῳ τινὶ Θέᾳ κατέβη καὶ ἀνέγνω Τρωϊκὰ τινὰ ἑαυτοῦ ποιήματα, (Xiphil. in Ner.) sed etiam incendium Romæ e turri Mæcenatiana prospectans lætusque flammæ, ut aiebat, pulcritudine ἄλωσιν Ilii, in illo suo scenico habitu, decantavit, teste Suet. Ner. 38. et Tac. Ann. XV, 39. Nihil salsius ac facetius dici poterat a Juvenale, ut ostenderet, Neronem et insaniorem et improbiorem fuisse Oreste. [68] Poeta vero, quod jam alii observarunt,

[65] Conf. XIII, 155. 6. L. I. ff. ad L. Pompei. de parricid., Pauli Sententt. V, 24. Casaub. ad Sueton. Aug. 33. Lips. ad Sen. Ep. 40. Cannegieter Obss. jur. III, 12. et inpr. Arntzen. in Actis literar. societatis Rheno-Trajectinæ Lugd. Bat. 1793. 8. T. I. p. 106 seq.

[66] v. Eurip. Orest. v. 28. 416. 543 s q. Sophocl. Electr. 32 seq. (ubi cf. Schæfer) Æschyl. Choeph. 266 seq. et Dictys Cret. VI, 3. ubi cf. Anna Fabra.

[67] Seneca Agam. v. 865—895. Triclin. ad Elect. 195. Lycophr. v. 1099 et 1108. ubi v. Meurs. p. 282. et Tzetz.

[68] De carmine ejus inepto, cui *Trojæ halosis* vel alius titulus fuit, v. inpr. Wernsdorf Poet. Lat. min. T. IV. p. 586.

non tam id damnare videtur, quod Nero, poetica facultate destitutus, Troica scripsit et, qui poetarum illius ævi furor fuit, fabulas decantavit Homericas, quam quod magnam Romæ partem incendi jussit, ut excidii Trojani imaginem ipse cerneret, et (ut verbis Taciti l. c. utar) quod ipso tempore flagrantis Urbis in domestica scena illud excidium cecinit, præsentia mala vetustis cladibus adsimulans. — 221. *Quid enim,* quodnam vero [69] horum, quæ modo memoravi, facinorum Neronis magis Imperatore indignum fuit? quonam facinore magis meruit, ut ab imperio submoveretur? Vix enim dici potest, quid horum Principi turpius et hac pœna dignius fuerit. Nota Ach. est: "Magis placet hæc explicatio: Quod fœdius crudeliusve monstrum Galba, Vindex et Verginius debuerunt ulcisci, e gradu dejicere, quam illum parricidam Principem, mimum et incensorem patriæ? Quis turpior et sævior tyrannus umquam dignus fuit, qui sub armis defensorum libertatis oppressus caderet? Hæc magis concordant cum seq. versu, qui veluti præcedentis est complementum: *quid* enim *Nero* toto *tyrannidis crudæ,* immanis, tempore, quod fuit XIV annorum, melius vel infandum minus *fecit? Hæc opera* illius fuere præcipua atque facta, scil. *prostitui ad pulpita* cet." Enimvero *hæc opera* jam memoraverat poeta v. 220. 1. et neque v. 221. *Quem* dixit, sed *Quid,* neque v. 223. *quid melius vel pejus fecit,* sed simpl. *quid fecit.* Cf. not. 73. *Verginius* Rufus, Germaniæ inferioris legatus, [70] Julius *Vindex,* qui Gallias provinciam pro prætore obtinebat, [71] et Ser. *Galba,* Hispaniæ Tarrac. præfectus, [72] a Nerone desciverunt. — 223 seq. *Quid Nero,* tam *sævus crudusque* (h. e. crudelis, ut ὠμὸς, de quo v. ad Sil. I, 405.) tyrannus, vel toto tyrannidis suæ tempore, *fecit? Hæc,* quæ jam dixi, scil. *prostitui* cet., fuere *opera* ejus *atque artes!* [73] — 224. *generosi* εἰρωνικῶς dictum. Alii ad generosam illud stirpem referunt. — 225. *fœdo,* qui Imperatore tam indignus est. *saltu* histrionali. *ad pulpita peregrina,* in theatris ludisque scenicis, (v. sup.

[69] *enim,* Gr. δὴ, γάρ τοι, vero, ut ap. Virg. Æn. V, 850. VI, 52. VIII, 84. X, 874. ad quæ loca v. Heyne.

[70] v. Tac. Hist. I, 8. 9. 52. 77. II, 49. 51. 68. Plin. Ep. II, 1. VI, 10. IX, 19. Dio LXIII. et LXVIII. Plut. in Galba p. 1055. et al.

[71] v. Plin. ll. cc. Sueton. Ner. 40. 41. Tac. Hist. I, 6. 51. IV, 57. Dio et Plut. ll. ll.

[72] v. Suet. Galb. 9 seq. Dio et Plut.

[73] Vulgo versus 221 seq. ita interpretantur: quid vero præcipue dignum fuit, quod a Verginio, Vindice et Galba vindicaretur? quid maxime fuit inhonestum et indignum, quod in omni sua tyrannide admisit Nero? certe hoc, quod citharœdum egit, et palam se in scenis prostituit. Sed dura ratio est, qua verba *Quid fecit* dicta putantur pro: quid maxime fuit indignum, quod fecit? Minus tamen displiceret forte hæc explicatio, si, commate post *Galba* posito, v. 223. *Quod* pro *quid* legeretur.

ad v. 195.) non tantum Romanis, sed etiam peregrinis, Neapoli, Olympiæ et in aliis Græciæ sive Achaiæ urbibus, quas ἐπὶ ὀχήσει καὶ ἐπὶ κιθαρῳδήσει, κηρύξει τε καὶ τραγῳδίας ὑποκρίσει petiit, οὐ γὰρ ἤρκει αὐτῷ ἡ Ῥώμη, ἀλλ' ἐδεήθη καὶ ἐκστρατείας, ἵνα καὶ περιοδονίκης, ὡς ἔλεγε, γένηται, h. e. ut Græciam peragrans hic illic in certaminibus victor existeret, teste Zonara Ann. II. Conf. Xiphilin. LXIII, 8—10. et Suet. Ner. 20—24. et 42. 226. *prostitui*, dignitatem suam et majestatem maculare; metaphora a *prostibulo* desumpta. *Apio* coronabantur victores, et quidem virente vivoque in Nemeis, arente in Isthmiis; Grang.[74] Memorantur etiam coronæ ex oleastro et malo (ἐκ κοτίνου καὶ μηλέας) et pinu Plin. XV, 4. et 10. al.

227 seq. Poeta jam ipsum Neronem alloquitur: Age nunc, *habeant* cet. Mos autem erat Romanorum, spolia hostium et insignia honorum triumphorumque cum ipsis rerum gestarum titulis ad *effigies* h. e. imagines et statuas *majorum* appendendi vel *ante pedes* s. basin earum collocandi: unde vis sarcasmi h. l. facile intelligitur. *insignia vocis*, præmia, ἆθλα cantus et ornamenta citharœdi; h. l. coronas illas ex apio. 228. *Domitii*; nam Nero fuit ex gente Domitia et familia Ænobarborum, quorum multi summos gesserunt honores. v. Suet. Ner. 1 seq. — 229. Tragœdi citharœdique erant induti palla, (schleppkleid, schleppmantel) cui adnexum erat *longum syrma*, (schleppe, σύρμα παρὰ τοῦ σύρειν, a *trahendo*, quia humum verrit, de quo v. Horat. A. P. 215. unde *syrma* pro ipsa tragœdia dicitur inf. XV, 30.) et utebantur *personis* s. larvis, facie ficta, quæ Gr. πρόσωπον s. προσωπεῖον vocatur.[75] Conf. Horat. A. P. 278. et de *syrmate* Brœkh. ad Tibull. p. 319. Winkelmanni Storia delle arti T. I. p. 419. ed. Fea, et Böttigeri Sabina p. 417. 418. ed. pr. — *Thyestæ*, quem personatus cantasti vel saltasti, ut *Antigonen* et *Menalippen* aliosque, quorum meminit Suet. Ner. 21. et 54. *Varii* poetæ *Thyestes cuilibet Græcorum comparari potest*, Quintil. X, 1, 98. *Antigone*, Œdipi filia, notissima ex Sophoclis tragœdia, (qualem et Euripides scripsit, quæ periit) ex Æschyl. S. ad Th. 1005 seq. Apollod. III, 3. et 7. Hygin. fab. 72. 243. et 254.[76] Alia *Antigone*, Eurytionis f. ap. Apollod. III,

[74] Cf. Pind. Olymp. XIII, 45. Plin. XIX, 8. Plut. Sympos. V. Scal. Poet. I, 25.

[75] Fuere, (quod Farnab. notavit) qui *syrma* signantius et ἐμφατικωτέρως; tribui putarent *Thyestæ* et *Antigones* personis sc. regii spiritus et elati animi; *personam* item *Menalippes*, quia sub ejus persona Euripides Anaxagoræ, præceptoris sui, sedatum animum et philosophicam expresserit sententiam; de quo v. Dionys. Hal. Comment. περὶ τῶν ἰσχνοτατισμένων.

[76] Conf. Broukh. et Vulp. ad Prop. II, 8, 21.

13, 1. (ubi v. Heyne) alia Pheretis f. ap. Hygin. f. 14. alia Laomedontis f. nota ex Ovid. Met. VI, 93 seq. et Serv. ad Virg. Ge. II, 320. *Menalippe* (vel potius *Melanippe*, de quo v. Var. Lect.) Æoli vel Desmontis filia, quæ a Neptuno compressa filios geminos in stabulo patris exposuit. v. Dionys. l. c. Hygin. fab. 186. Varr. R. R. II, 5. Tragœdias olim de ea fecere Euripides, (v. Dionys. l. l. et Euseb. de Præp. Evang.) Ennius (Gell. V, 11. Priscian. lib. X. Macrob. VI, 4.) et Accius, de quo v. intpp. Cic. Qu. Tusc. III, 9. et Off. I, 31.[77] — 230. Verbis *suspende colosso* magna sarcasmi vis inest. *Colossus* CX vel CXX pedum, a Zenodoto fabricatus et in vestibulo domus aureæ positus; unde nunc adhuc *il Coliseo* vel rectius *il Colosseo*. v. Plin. XXXIV, 7. et Suet. Ner. 31. Rectius tamen quidam h. l. non colossum Neronis, qui æreus, non *marmoreus* fuit, sed Augusti statuam innui putant, coll. Suet. Ner. 12. ubi hæc leguntur: *citharam, a judicibus ad se delatam, adoravit ferrique ad Augusti statuam jussit*. A poetis vero talia sæpe confundi monet Grang.

231—268. Quæ adhuc disputaverat poeta, nunc aliis et quidem aptissimis exemplis, tam nobilium quam ignobilium, illustrat. *Catilinæ* pater et avus ignoti, sed notissimi proavus M. Sergius Silus s. Silo, L. Æmilii Pauli Legatus in bello Persico a. U. C. 586., (de quo est insignis locus Plin. VII, 28. ubi v. Hard.) et abavus M. Sergius Silo, Præt. a. U. C. 555., de quo v. Liv. XXXII, 27. 28. 31. XXXIII, 21. 24. C. Cornelius *Cethegus* (quod cognomen est familiæ cujusdam Lentulorum e gente Cornelia) socius Catilinæ, notissimus.[78] — *sublimius*, nobilius. 233. *Nocturna*, noctu. 234. *Braccati* s. *Bracati* (v. ad II, 169.) Galli, et proprie quidem incolæ Galliæ Narbonensis, quæ a braccarum usu, Romanis insolito, etiam *Braccata* dicebatur. *Senones*, Lugdunenses, quos duce Brenno Romam expugnasse et incendisse notum est. *pueri*, posteri. Sic et *minores* sc. natu, de quo v. ad I, 148. — 235. *Ausi, quod liceat tunica punire molesta*, vos, qui summum gravissimoque supplicio dignum scelus ausi estis, commisistis. *Tunica molesta*, ut ap. Martial. X, 25, 5. tunica spartea vel vestis chartea, stuppa, cannabe, pice, cera, bitumine aliisque ignium alimentis illita et intexta, qua induti olim, qui incendia moliti

[77] Alia *Melanippe*, Chironis f. (v. Eratosth. Cataster. 18. et Hygin. Astron. Poet. II, 18.) alia Œnei f., (Nicand. ap. Antonin. Liber. c. 2.) alia Amazonum regina (ap. Diodor. IV, 16.) et alia denique Nympha ap. Pausan. Bœot. 1. p. 543.

[78] e Cic. Catil. III, 2—5. et Or. in Sen. p. Red. 4. Appian. B. Civ. II, 2—6. Vellei. Pat. II, 34. Dione XXXVII.

erant, ut Christiani, quos Nero incendii Romæ insimulaverat, tædis incendebantur et in usum nocturni luminis vivi cremabantur.[79] — 236. *vigilat Consul* Cicero, qui in Catilinariis ita de se ipse: *Jam intelliges, multo me vigilare acrius ad salutem, quam te ad perniciem reipubl.;* Grang. *vexilla,* copias vestras et conjuratos, qui vobiscum contra rempubl. conjurarunt. 237. *Hic* Cicero, *novus* homo, h. e. qui primus e gente Tullia magistratus curules gessit;[80] *Arpinas,* ab Arpino, Volscorum oppido, oriundus. *Ignobilis* h. l. est fere id. qd. *homo novus,* qui est ex familia ignobili, h. e. ex qua nemo Romæ magistratum curulem gessit; vel ante quem nemo majorum honoribus rebusque a se gestis inclaruit.[81] — 238. *Municipalis Eques,* qui non Romæ, sed Arpini, in municipio, ex equestri familia ortus erat: nam in municipiis et coloniis, æque ac Romæ, tres erant civium ordines, senatorius, equester ac plebeius. Similiter fere *municipalis adulter* h. e. ignobilis, qui ne Romanus quidem fuit, per contemtum vocatur Sejanus Tac. Ann. IV, 3. ubi conf. Lips. *galeatum,* armatum. v. ad I, 168. — 239. *in omni gente,* Romæ vicina. Nonnulli interpretantur, pro omni gente Rom., pro summis et infimis; alii de senatorio, equestri et plebeio ordine; sed rectius Grang. et Farnab., non tantum Romæ, sed et extra Romam, in municipiis et per Italiam omnem dispositis excubiis: quare, quum Præneste occupare nocturno impetu confideret Catilina, invenit munitum præsidiis Ciceronis, de quo v. Cic. Catil. I. — 240 seq. Cicero *intra muros,* Romæ, *toga,* tempore et artibus pacis, quibus cives servavit, plus sibi *nominis et tituli* h. e. gloriæ peperit, quam Augustus bellis feliciter gestis, quibus plurimum sanguinis civilis effusum. " Catilinæ conjuratio fuit *tumultus,* non bellum, nec ipse quidem consul Cicero arma cepit, sed togatus sceleratissimos homines, qui Urbi incendium et cædem universam

Plut. T. I. p. 710. 769. 868 seq. Sallust. et aliis. Cf. sup. II, 27. et X, 287.

[79] Conf. ad I, 155 seq. Senec. Epist. XIV. Prudent. περὶ στεφ. hymn. III. Tertull. ad Martyres c. 5. Sigon. de judic. III, 18. Suet. in Calig. c. 27. et in Vitell. c. 17. Tac. Ann. XV, 44. (ubi v. Lips.) Scalig. Emend. temp. p. 471.

[80] Vid. quæ Cicero de gente et honoribus suis ipse dixit de leg. agrar. contra Rull. II, 1. et 2. Quisnam vero Romanis dictus sit *homo novus* et *ignobilis* et *nobilis,* vel tironibus notum est. Conf. sup. ad v. 1.

[81] *ignobilis,* quem vos ignobilem per contemtum appellatis; nam constat, eum ex regio Volscorum genere esse ortum, matre Helvia et patre equestris ordinis; Britann. Hanc regiam Ciceronis originem in dubium vocavit Conrad. in Quæstura p. 33. Sed v. Plut. vit. Cic., Euseb. Chron., Aurel. Vict. de vir. ill. c. 81. Sil. VIII, 405. XII, 175. et ipse Cic. Tusc. Qu. I, 16. ubi Tullum Attium, Volscorum regem, (de quo v. Liv. II, 35—39.) *suum gentilem* vocavit.

minabantur, coercuit et fregit feliciter;" Ach. 241. *Leucas*, oppidum Leucadiæ peninsulæ, quæ postea, perfosso isthmo, quo ab Acarnania dividitur, insula facta, et ipsa quoque Straboni X. p. 311. Floro IV, 11. et Ovid. Met. XV, 289. ut et extremum ejus promont. *Leucata* s. *Leucate* s. *Leucates* Cic. ad Att. V, 9. *Leucas* dicitur. Urbs vero illa CCXL stad. distabat ab Actio, alio Acarnaniæ promont. juxta quod Octavius Antonium et Cleopatram devicit, quam pugnam victoriamque Actiacam respexit poeta h. l. ut Virg. Æn. III, 274. et VIII, 674 seq. Vid. Heyne ad hh. ll. it. Freinsh. et Duker. ad Flor. IV, 11. *Campi Thessaliæ* ad Philippos, Macedoniæ adjectæ, olim Thraciæ, urbem, ubi victi sunt Brutus et Cassius ab Octavio et Antonio. *Thessaliæ* nomine latius poetæ utuntur: v. Heyne et Voss ad Virg. Ge. I, 489. 490. Mira h. l. *ἐνάργεια*; nam opponuntur Cicero Octavio, ignobilis nobilissimo, urbs et murus campo et mari, toga et pax bello, adsiduis cædibus et udis gladiis, ita tamen, ut Augusto potior esse videatur *municipalis eques*; Lubin. *quantum non Leucade, quantum* sc. *non*, quod deest, ut ap. Martial. XI, 81.; Hein. 244. *Patris patriæ* cognomen Cicero primus ob liberatam patriam decreto senatus, (ut Camillus a militibus in triumpho) et merito, non per adulationem, ut Augustus et reliqui Imperatores, accepit, et quidem, ut videtur, a M. Catone trib. pl. in concione populi et auctore Catulo in Senatu.[82] Nota Ach. est: Eumdem postea titulum Augusto ceterisque Imperatoribus adulatio, non Roma *libera* dedit. Epitheton tamen *libera* h. l. dictum pro *liberata* a periculo atque interitu.

245. *Arpinas alius*, C. Marius, Arpini in *Volscis* humili loco natus, primum mercenarius fuit *arator alieni* agri.[83] Deinde castra Rom. sequutus Scipionis Africani min. miles gregarius ad Numantiam fuit adeoque subjectus imperio centurionum, qui milites *vitibus* castigare solebant, de quo v. ad XIV, 193. — 247. *frangebat vertice vitem*, vapulando suo vertice vitem frangi patiebatur; Schol. v. ad VI, 479. *vertice*, capite, non dorso; nam qui puniunt, sæpissime eas corporis partes feriunt, quas ferire neque æquum, neque legibus concessum est; Hein. *nodosam*, quia talis eligebatur ad validiorem ictum. (v. Lips. de mil. Rom. V, 18.) 248. *Dolabris* tum fabri, qui in legionibus sine armis stipendia faciebant, tum ipsi quoque milites,

[82] Confer Ciceronem in Pis. 3. Plutarch. vita Ciceronis p. 872. C. Appian. Bell. Civil. II, 7. (ubi vid. Schweighæuserum) et Plin. VII, 30. qui insignis de laudibus Ciceronis locus est et cum nostro comparandus.

[83] v. Plin. XXXIII, 11. Valer. Max. I, 2. III, 6. Plut. vit. Mar.

et quidem altera earum parte, quæ in mucronem acuminata erat, ad muros potissimum diruendos, altera ad ligna cædenda ac *dolanda castraque* vallis *munienda* utebantur.[84] — 250. *Solus* quidem non vicit Cimbros Marius, sed adjuvante Catulo. At gloria confecti belli tota fere penes eum fuit, et solus quoque anno præced. Teutonos atque Ambronas, eorum socios, duobus prœliis deleverat ad Aquas Sextias. 251. 252. *Corvorum* mentio ad magnitudinem duplicis cladis Cimbrorum pertinet.[85] *postquam ad Cimbros stragemque volabant — corvi,* h. e. post cladem Cimbris illatam, post deletos Cimbros. *ad Cimbros stragemque,* ad stragem Cimbrorum, ad Cimbros cæsos. *majora cadavera,* propter magnitudinem corporum, de qua v. Flor. III, 3. Plut. in Mario et qui de *Cimbris* (populo Germaniæ borealis in Chersoneso Cimbrica, ab ostio Albis longe in septemtrionem procurrente, hod. Jutlandia, Slesvicia et Holsatia) eorumque bello cum Rom. accurate egerunt.[86] — 253. *Nobilis collega,* Q. Lutatius Catulus, vir nobilissimus, consul cum Mario a. U. C. 651, quo Marius solus Teutonos et Ambronas duobus prœliis ad Aquas Sextias delevit, et Proconsul a. U. C. 652, quo Cimbri prope Vercellas in campis Raudiis, junctis Catuli et Marii (qui jam quintum consul erat creatus) exercitibus, ad internecionem cæsi sunt. Florus XL, Livius CXL et Eusebius CC millia cecidisse tradit. *ornatur lauro secunda,* secundo loco triumphavit, post Marium, qui, duobus triumphis propter duplicem victoriam sibi oblatis, uno contentus fuit, quum milites ægre ferrent, Catulum eo honore excludi.[87]

254—258. P. *Decii* Mures, pater et filius, diis Manibus Terræque Matri pro patria se devoverunt, ille Latino, hic Gallico bello. Idem fecisse nepotem in bello Pyrrhi s. Tarentino tradit Cicero Tusc. Qu. I, 37. et Fin. II, 19. qui aliis locis de patre tantum et filio id memorat, ut Liv. VIII, 9. et X, 28. De ritu devotionis v. Liv. VIII, 9. — 255. 256. *Legiones* milites Romani, *auxilia* milites ex gentibus exteris et inpr. bellicosis conscripti vel tributi loco iis imperati; *pubes Latina,* socii ex civitatibus Italicis. Hi nihil a Romanis præter frumentum, illi vero etiam stipendium accipiebant.[88] Plerumque tamen

[84] Cf. Lips. de Mil. Rom. V, 13. et Poliorc. I, 9. III, 6.

[85] de qua v. Flor. III, 3. Vellei. II, 12. Oros. V, 15. et 16. Liv. Epit. 68. Plut. vit. Marii et Sullæ.

[86] Cellar. Diss. de Cimbris et Teuton. (Diss. Acad. p. 488 seq.) et Müllcri Bellum Cimbricum, Tig. 1772.

[87] Conf. Plut. in Mario, Liv. Epit. 68. et Cic. Tusc. Qu. V, 19. Alii putant, *nobilis* esse casum gignendi, ut *collega nobilis* viri, Catuli, sit Marius.

[88] v. Varro et Fest. v. *Auxiliares;* Lips. de Mil. Rom. I, 7. et Anal. ad Mil. Rom. I, 7.

et socii Latini Italicique *auxilia* et *auxiliares milites* vel simpl. *auxiliares* dicuntur. 257. *Sufficiunt* averruncandæ Deorum iræ. conf. Liv. VIII, 9. Poeta innuit, Decios non tam consules, quam virtutibus ornatissimos fuisse, et hæc piacula tantum pretii habuisse propter personarum præstantiam et dignitatem. 259. *Ancilla natus,* Servius Tullius, Ocrisia, captiva Ocriculana, natus; quod notum ex Liv. I, 39. Dionys. Hal. IV, 1 seq. et aliis. *Trabeam et diadema,* regnum, regiam dignitatem, *meruit* virtutibus, non sola fortuna adeptus est. *Trabea,* toga alba, latis clavis ornata et trabibus purpuræ intextis, habitus regum et deinde consulum, augurum et Equitum, sed horum non nisi in solennibus pompis.[89] *Diadema,* non corona aurea, qua hodie reges utuntur, sed tiara, alba fascia, qua prisci reges caput redimire solebant.[90] *Quirini,* quo insigni regio Romulus primum Romæ usus est. 260. *fasces,* duodecim lictores cum fascibus. *Regum ultimus ille bonorum,* v. ad V, 36.

261—268. Aliis exemplis poeta docet, patriam sæpe a nobilibus proditam et contra servatam esse ab ignobilibus infimoque genere natis. 262. *Juvenes ipsius consulis,* filii Bruti, primi consulis, qui patriam ejectis regibus liberaverat, cum Vitelliis, Aquilliis aliisque nobilibus, quos potius *decuisset,* audaci aliquo facinore et insigni virtute, quali non ita multo post *Cocles, Mucius* et *Clœlia* inclaruerunt, *libertatem* adhuc *dubiam* defendere, de patria *tyrannis,* Tarquiniis, *prodenda portisque* Urbis regi aperiundis h. e. Tarquiniis in regnum reducendis conspiraruntt: Vindicius autem s. Vindex, Aquilliorum *servus, occulta crimina,* proditionem s. conjurationem, *ad Patres produxit,* detulit; (v. ad Liv. II, 5.) quo facto proditores a lictoribus consulum jussu virgis cæsi *securique* percussi sunt. Res notissima vel ex Liv. II, 3—5. et facinora Horatii *Coclitis, Mucii* Scævolæ et Clœliæ ex eod. Liv. II, 10—13. — 265. *Virgo,* Clœlia, *Tiberinum* amnem s. fluvium, qui tum temporis *imperii* Romani *finis* et terminus fuit, *natavit.* Alii eam equo insidentem fluvium trajecisse tradunt, unde et statua equestris

[89] Conf. Plin. VIII, 48. s. 74. IX, 39. s. 63. Virg. Æn. VII, 188. et 612. ad quæ loca v. Serv. et Heyne. Dionys. Hal. II, 70. III, 61. V, 47. VI, 13.

[90] v. Casaub. ad Sueton. Cæs. 79. Cuper. Obss. I, 6. Ciampin. Opp. Musiv. c. 14. p. 110. Copiose et docte de diademate vel tiara egere Burm. ad Valer. Fl. VI, 700. et inpr. Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. V. p. 456—472. 622. 679—685. (ed. Amst. 1671.) ubi præter alia p. 470. l. docet, hoc regiæ potestatis insigni, ex Oriente demum ab Alexandro et ex Macedonia a Romanis petito, neminem regum Rom. usum esse, et poetas, (ut Juven. h. l.) monetarios, pictores et sculptores, qui illud his regibus vel adeo diis et heroibus tribuant, ad sua tempora respexisse et morem tum Principibus familiarem.

ipsi posita videtur. [91] Hæc narratio facile cum illa conciliari potest. v. ad Liv. l. l. et ad Sil. X, 498. — 267. *servus Matronis lugendus,* quem Brutus, ut conservatorem patriæ, manumisit et, ut delatorem dominorum, cruci affixit; quod factum matronæ planxerunt, quia castitas earum Superbo sub tyranno vim patiebatur; vet. Schol. Eum mortuum, tamquam nobilem, annum matronæ lugebant; Grang. Denisius et alii hæc verba ad dolorem referunt, quem matribus commoverit indicio sceleris filiorum, qui securi propterea percussi sint. Enimvero mens poetæ hæc est, nisi me omnia fallunt, servum illum, patriæ servatorem, non minus fuisse dignum, qui a matronis lugeretur post mortem, quam Brutum, quem annum, ut parentem, luxerint, quod tam acer ultor violatæ pudicitiæ fuisset; de quo v. Liv. II, 7. — 268. *legum prima securis,* securis, qua leges, ad pristinam vim reductæ, primum in libera re publ. adversus reos et maleficos usæ sunt. " Quia tunc primum, secundum leges, in libera re publica supplicium de sontibus sumtum fuit, quum antea regum arbitrio jus omne contineri videretur;" Ach. Sed nec hæ nec aliæ interpretandi rationes omnibus satisfacient. Conf. Var. Lect. et not. [92] Unde vero factum sit, ut antiquo jure publico Rom. antequam quis securi feriretur, virgis cædi soleret, docet Heyne Opusc. Acad. Vol. III. p. 189 —193. ubi suspicatur, leniorem rationem, ut securi percuteretur reus condemnatus, antequam sub virgis exspiraret, successisse in locum pristinæ atrocitatis, qua ille virgis ad mortem cæsus sit. 269. *Thersites,* Græcorum fœdissimus et animo et corpore linguaque promtior quam manu; notus ex Hom. Il. β, 212 seq. [93] *Æacides,* Achilles, Æaci nepos et filius Pelei, unde et *Pelides* sæpe dicitur. Is non modo fortissimus heroum fuit, sed et Græcorum formosissimus. v. Hom. Il. β, 674. et 769. *Vulcania arma,* a Vulcano fabricata Achillis arma, (quod notissimum ex Hom. Il. σ, 369 seq.) *capessas,* Achilli, qui iis usus est, virtute similis sis et rebus gestis. *producat,* v. ad VI, 241.

272 seq. Comparant Senec. Controv. VI. *Quemcumque volueris, revolve nobilem, ad humilitatem pervenies. Quid recenseo singulos, quum*

[91] de qua v. Liv. II, 13. extr. et Beger. Spicileg. Antiq. p. 73.

[92] Primum supplicium, quod in consulatu primo post exactos reges a patre de filiis sumtum; Calder. consulatus primus, qui fuit inter leges expulsis regibus, a quibus sine legibus omnia arbitrio suo acta, h. e. Brutus, qui primus regibus exactis creatus consul supplicium de filiis sumsit; Britann. quia primus consul Brutus secures accepit; Schol.

[93] et ex litibus, quæ de eo nostra ætate primum inter Klotz. et Lessing., deinde inter Köppen. et Jacobs. ortæ sunt.

hanc urbem tibi possum ostendere? cet. 273. *Asylum* Romuli vel tironibus notum ex Liv. I, 8. et Dionys. II, 15. *aut pastor,* ut Romulus et Remus, *aut illud, quod dicere nolo,* homo *nefandus,* ἀποφράς; maleficus vel servus vel obæratus, quæ tria hominum genera ad asyla confugisse, tradit Plut. unde et *infami asylo.* Nota Ach. est: " Poeta forte hac reticentia satirice Romulum designat ipsum, lupæ filium (*un fils de p . . .*) suosque (ejusque) consocios meretricum filios." Vulgarem de Romæ, a *pastoribus* ac fugitivis conditæ, origine et de Romuli asylo opinionem, quæ apud Romanos prævaluerat et quam Livius quoque adscivit, poeta ὡς ἐν παιδιᾷ deridet, (ut II, 127.) vel potius h. l. sequitur, superbiæ nobilium perstringendæ causa. Honestiorem veramque Romanorum originem memorat Dionys. Halic. [94]

[94] De *asylis* eorumque jure in Græcis civitatibus v. Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. IX. et Lips. ad Tac. Ann. III, 60.

IN

SATIRAM IX.

1. *Nævolus*, draucus, forte idem, cujus meminit Martial. I, 98. III, 71. 95. IV, 84. nisi hic est dives ille Nævolus, qui II, 46. memoratur. *fronte obducta* tenebris, nube quasi tristitiæ, h. e. tristi, in rugas, (cf. v. 9.) sed magis ad mœstitiam, quam severitatem, contracta.[1] *Marsya* s. Marsyas *victus* in certamine musico ab Apolline, qui pellem ei detraxisse dicitur.[2] Faceta autem comparatio est, cui conferatur locus non minus lepidus Horat. Sat. I, 6, 120. 121. — 3. *vultu* mœsto. 4. *Ravola*, a facto nominis etymologiam sumsit poeta; vet. Schol. putans forte, *Ravolæ* nomine designari *rabulam* vel *ravulum* s. *ravum*, h. e. raucum. *Rhodopes* fictum nomen, ut *Ravola*, et ductum, ut putant, a famosa illa meretrice, quæ, quum Amasidis temporibus Sami apud Iadmonem cum Æsopo serviisset, a Xantho in Ægyptum abducta et redemta a Charaxo, Sapphus fratre, tantum ibi quæstum fecit, ut et pyramidem curaverit exstruendam et donaria Delphos miserit. v. Herodot. II, 134. 135. Strab. XVII. Plin. XXXVI, 12. (ubi *Rhodope*, non, ut Græcis, Ῥοδῶπις vocatur) et Ælian. V. H. XIII, 33. ubi conf. Perizon. *Rhodopes inguina terere*,

[1] ut ap. Quintil. X, 3. Horat. Epod. XIII, 5. et Senec. ad Marc. 1. Conf. Heins. ad Ovid. Ep. Heroic. XXI, 165. et Wernsdorf poet. Lat. min. T. IV. p. 260.

[2] v. Muncker. ad Hygin. fab. 165. Burm. ad Ovid. Met. VI, 400. Salmas. ad Solin. p. 84 et 784. Wessel. ad Diodor. III, 58. Heyne ad Apollod. I, 4, 2. et Schweigh. ad Athen. XIV, 7. inpr. Böttiger in Wielandi Museo Attico T. I. P. II. p. 285—358. et Creuzer's Symbolik T. II. p. 38 seq.

ut *lambere, lingere, fellare,* λείχειν, *uda barba* obscœnum libidinis genus. v. II, 49. Catull. LXXX, 6. 8. Martial. I, 9, 1. I, 78, 6. II, 50. III, 81. VII, 66.

5. Quomodo hic versus cum antecedd. cohæret? Nonnulli sic expediunt nexum: Non mirum est, Ravolam vel te ipsum, si tale facinus commiseris, tristem esse ob pœnam, quam dederis, vel pœnam metuere, quum etiam servi non nisi dulciaria lambentes puniantur. Alii præeunte Schol. ita: servo, placentas lambenti, colaphum impingimus; at ingenuo, feminarum lambenti inguina h. e. fellanti, ignoscimus: adeoque non est, quod turpitudo aliqua pudoris tibi causa sit aut timoris. Conf. XI, 174 seq. Hanc rationem illi prætulerim, etsi utraque dura est et versum fere excidisse suspicari possis.[3] Nodum vero non solvit Ach. cujus nota est: " Prior explicatio, etsi non sine difficultate superest, (nam, ut ad hunc sensum perveniamus, multa sunt supplenda) potior nobis visa est, et altera sensu communi carere. Illam duobus præced. versibus sic aptamus: *Quid tibi — barba,* dum eam fellat? et certe ei timendum erat; nam *nos colophum i. l. c. servo;* (satis jocosa comparatio) quid igitur ei deprehenso a marito vel ab alio zelotypo mœcho eveniet mitius, nisi ut fuste aut fenestra plectatur? Omnis hujus loci sal et facetia in ellipsi constat (nam, ut opinor, alludit ad sui ævi jocosam hujus generis historiam) et in comparatione crustularum cum inguinibus feminæ. Hic autem versus fortasse interpolatus est, et salvo sensu totus ejiciendus videtur." *Colaphum incutere,* (ἐντρίβειν κονδύλους, *die knöchel einreiben*) alapam pugno dare non nisi domini solebant *servis,* qui nonnumquam et *os præbere,* buccas inflatas porrigere, jubebantur, ut ictus mollior certiorque esset; quod summæ ignominiæ genus forsan respexit etiam poeta VI, 43. Conf. Hemsterh. ad Luciani Prometh. c. 10. p. 195. Tollius ad Longin. s. 43. p. 232. Burm. ad Petron. c. 44. p. 205. Böttigeri Sabina p. 278. 279. *Crustula* placentas, dulciaria, ut ap. Horat. Sat. I, 1, 25. Servius dicit, *crustum* esse eorum, quæ comedantur, *crustam* eorum, quæ non comedantur, v. c. marmoris; Brit. 6. *hac facie,* qua tu es. *Crepereius* qui fuerit vel qui significetur, ignoramus, etsi luxuriosum nepotem innui verborum nexus docet. Laudatur *M. Crepereius,* ex acerrima familia equestri et disciplina, in Cicer. Verr. I, 10. et *Crepereius Calpurnianus* Lucian. T. I. p. 671.

[3] Schurzfleisch. laudat Rigalt. ad Artemidor. p. 51. et Nunnes. ad Phrynich. p. 34. qui libri non sunt mihi in manibus.

Quidam, nescio qua auctoritate ac fide, nostro Crepereio dicunt cognomen fuisse *Pollioni*, cujus luxuria inf. XI, 43. notatur. 7. *præstare*, pendere. 8. *fatuos*, stultos, qui pecuniam ei crederent non reddituro.

9. *Rugæ* tam ad tristitiam referri possunt, quam ad senectutem, propter impurum vitæ genus ocius obrepentem. v. ad v. 2. 16 seq. et 129. *modico*, exigua re, modicis opibus. 10. *agebas Equitem*, h. e. agebas partes divitis hominis, ejus personam ferebas, *vernam*, quum tamen verna esses. Ita vulgo interpretantur: sed tum *verna* scribendum. *Verna* etiam adjective dicitur, ut *vernula*, et h. l. non ad servilem tantum Nævoli conditionem, sed ad scurrilem quoque dicacitatem referri potest: nam vernæ, h. e. servi ex ancillis domi nati, a dominis mitius ceteris tractabantur et tum facetiores, tum procaciores esse solebant; unde *vernile dictum, verniles blanditiæ, vernilitas, verniliter, vernula urbanitas.* Conf. verba seqq. et de Nævolo Equite, si idem est, Martial. III, 95, 10. Sed quia Nævolus noster pauper fuit, (v. vs. 135 seq.) alius videtur fuisse, (nisi olim eum divitem fuisse censeas) et forsan *verna Eques* h. l. est potius filius Equitis, e serva genitus, ut ap. Martial. I, 85. *Uxorem habendam non putat Quirinalis, Quum vult habere filios; et invenit, Quo possit istud morc. futuit ancillas Domumque et agros implet Equitibus vernis.* — 11. *Vehemens*, acer, *salibus intra pomœria natis*, qui Cic. ad Div. IX, 15. *urbani sales* et nobis *städterwitz* dicuntur, facetiæ, quales esse solent hominum in urbe liberaliter educatorum.[4] *Pomœrium* h. l. pro ipsa Urbe vel muro positum: propria verbi vis nota ex Liv. I, 44. Gell. XIII, 14. et Varr. L. L. IV, 32. — 13. *Sylva comæ*, comarum, ut Gall. *une forêt de chevcux* et Germ. *ein wald von haaren, buschige haare*, h. e. crines incomti, crispi et perplexi. *horrida sylva comæ*, crines erecti: nam *horrere* et φρίσσειν proprie dicuntur, quæ erecta sunt vel eminent, ut segetes, arma, pili, setæ. v. ad Sil. I, 423. et Heyne ad Virg. Æn. X, 237. *Coma sicca*, ut ap. Martial. X, 72, 11. cui opponitur *madida*, h. e. unguentis delibuta. — 13. 14. *nitor in cute, qualem præstabat tibi viscus*, pix.[5] *Bruttia fascia calidi visci*, pro fascia Bruttii visci, h. e. repleta Bruttia pice. (epith. orn.) Hæc pix laudatur Plin. XVI, 11. XXIV, 7. et passim medicis Græcis, qui eam Βρυτίαν appellant.[6] 15. *fruticante*, horrido, *buschig, struppig*, ut fere v. 13. *silva comæ*.

[4] Conf. Quintil. VI, 3. § 17. et 102—105. Ernesti clav. Cicer. v. *urbanitas* et *urbanus*.

[5] v. ad II, 12. et Salmas. ad Tertull. de pallio p. 243.

[6] Cf. Bochart. Geogr. Sacr. p. 660.

16. *macies,* tamquam *veteris ægri,* valetudinarii, qui diuturno morbo implicitus est et urgetur. 17. *quarta dies,* quartana febris. *olim,* jam diu, (ut VI, 346.) *domestica,* familiaris, solita, *eingenistet.*

18—20. Comparant Plin. XI, 37. (*Frons homini lætitiæ et hilaritatis, severitatis et tristitiæ index*) Cic. de Orat. III. (*Imago animi vultus est, indices oculi*) et al. — 19. *utrumque,* et lætum et tristem.

22. *ut repeto* memoria, quantum memini, quod recordor. (v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. V, 113.) In templis quoque et ad illa, inpr. *Isidis* ac *Cybeles,* sæpe stupra aliaque flagitia commissa esse, jam vidimus VI, 308 seq. 489. (*apud Isiacæ sacraria lenæ*) et al. Conf. v. 24. Tertull. Apolog. c. 15. Ovid. Am. II, 2. et al. *Ganymeden,* ejus statuam vel effigiem in templo Jovis ; h. l. pro templo hoc Jovis, ut mox *Cererem* pro templo Cereris. Lactant. de falsa relig. I. *Imago,* inquit, *catamiti et effigies aquilæ cur anie pedes Jovis ponuntur in templis et cum ipso pariter adorantur, nisi ut nefandi sceleris ac stupri memoria maneat in æternum.* Vetus Schol. " Statuæ, ad quas conveniebant cinædi." Ganymedes quoque catamitus, ut Nævolus,[7] et Jupiter, in cujus templo statua Ganymedis fuit, notissimus mœchorum. (v. VI, 59.) — 23. *Pacis* sc. fanum s. templum nobilissimum, a Vespasiano exstructum juxta forum in quarta Urbis regione, quo non aliud Romæ ditius fuit statuarum opumque copia. *advectæ palatia Matris,* templum Cybeles, *Matris* Deum s. Magnæ Matris, e Phrygia Romam advectæ, (v. Liv. XXIX, 10—14.) quod in *Palatio* fuit. (Liv. XXIX, 37.) *secreta,* in quibus sacra arcana curantur vel mysteria. Sed *palatia* aut *Palatia* dici pro æde in Palatio, vix crediderim. Cf. var. Lect. 24. *Cererem,* Cereris templum, in VIII. regione Urbis, ad circum maximum. Plin. XXXV, 12. Verba *nam quo non prostat femina templo* non sine indignatione adjecta propter summam rei turpitudinem : nam *Ceres* dea castissima. Conf. VI, 50. XIV, 219. XV, 141. et sup. ad v. 22. *prostat,* v. ad VI, 123. — 25. *Aufidio,* mœcho notissimo ; de quo v. Martial. V, 62, 10. al. *Notior Aufidio mœchus,* ut *mœchorum notissimus* VI, 42. *celebrare,* v. Var. Lect. — 26. *inclinare,* ad stuprum, ut X, 224. Sic et *incurvare* ap. Martial. XI, 44, 5. *ingeniculare* apud Lamprid. Heliog. c. 5. παῖδα κινεῖν apud Aristoph. in Ranis, παιδοτρίβης, λεῖον προδιδάσκων, εἰς τὸ γόνυ κάμψας, μέσσον ἐπαιδοτρίβει ap. Strat. Epigr. LXIV. ubi v. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 105.

[7] de illo v. Plaut. Men. I, 2, 84. Lactant. I, 11. et Festus v. *catamitus.*

27—90. Verba Nævoli, ut vulgo putant; sed quædam rectius poetæ tribuentur. 28—30.[8] *Pingues lacernas,* crassas, ut mox *duri crassique coloris,* (παχὺ καὶ στερεὸν ἱμάτιον Farn.) et *pinguis toga, Sequanicæ textricis alumna* et *Gallia* ap. Suet. Aug. 82. Martial. IV, 19, 1. VI, 11, 7. Inter munera tenuioribus interdum missa a locupletioribus referuntur etiam vestimenta, et quidem *tritæ lacernæ* a Persio I, 54. et *toga brevis* a Mart. X, 14, 7. — 29. *Munimenta togæ,* quæ togam a pluvia quasi muniunt; nam lacerna pænulave, vestimentum propr. militare, togæ injiciebatur pluviæ vel frigoris arcendi causa.[9] *duri crassique coloris,* villi, fili ac lanæ. Sed quis *colorem* eo sensu dixit? Cf. Var. Lect. 30. *male percussas pectine,* male textas. *Percutere, ferire,* κρούειν, σπαθᾶν, κερκίζειν, verba textoria.[10] *Pecten* male a quibusdam h. l. cum *radio* confunditur: illo calcatur, percutitur et densatur stamen, hoc stamini inseritur subtemen. *textoris Galli;* nam in Gallia vestes crassioris fili et lanæ confici solebant. Conf. Martial. ll. ll. — 31. *argentum,* argenteum vas, *tenue* ac leve, vel potius numum veterem atque usu tritum, ut λυπρὸν ἀργύριον ap. Theophr. Char. IV. ubi cf. Casaub. *argentum venæ secundæ,* non purum s. pustulatum, sed cui multum æris admixtum est.

32—37. Etiam στωϊκίζει cinædus iste scarabæus; Farnab. More potius illorum hominum vulgarem opinionem de vi *fatorum* ac *siderum* (de qua v. ad VI, 553 seq. et VII, 194—201.) ad obscœnas res transfert et facete transferre sibi videtur. Verba autem v. 32—37. non tantum Nævoli esse possunt, sed etiam poetæ, illum lepide consolantis. Cf. ad v. 40. in Var. Lect. Priorem tamen interpretandi rationem huic præferendam esse, recte, opinor, notavit Achaintre: " Hæc verba melius ex ore cinædi fluunt, qui etiam στωϊκίζει. Nam illa vulgi opinio, quæ erat quoque Stoicorum, de vi et potentia fatorum ac siderum, etsi per se ridicula, tamen in ore Nævoli de sua sorte querentis optima est et venit ad rem. Nemo enim magis philosophus, quam qui miser et ærumnosus. At in ore Juvenalis, intempestive sermonem amici abrumpentis atque intempestive magis philosophiæ locum communem fuse agitantis, idque antequam de causa mœroris Nævoli certior factus sit, non lepida, verum insulsa mihi

[8] De hoc loco et de *lacernis* docte egerunt Ferrar. R. V. IV, 4. P. II. lib. I. c. 1. et 6 seq. Ruben. R. V. I, 6. et Salmas. ad Script. Hist. Aug. passim.

[9] v. Martial. VIII, 28. et XIV, 137, 2. Ferrar. de re vest. II, 1, 4. Ern. ad Suet. Claud. c. 6. Burm. ad Prop. IV, 3, 18.

[10] v. Salmas. ad Trebell. Poll. vit. D. Claudii c. 17. extr. et Heins. ad Ovid. Met. VI, 58.

videtur. Adde, quod v. 35. *Virro* nominatim designetur, quum contra sui amici conditionem poetam ex quæstionibus suis ignorasse appareat." *Fatum est et partibus illis, quas sinus abscondit,* cœci fati vis est etiam in virilia eorumque usum vel libidinem. *Sinus* anterior pars togæ, quæ non modo pectus, sed etiam pudenda tegit. 33. *Sidera tibi cessant,* non favent, non benigna sunt. v. ad VI, 553 seq. — 34. *Nil faciet,* tibi non proderit, *mensura incognita,* insolita et antea non visa, *longi nervi,* membri virilis. Cf. I, 41. *Nervus,* ut νεῦρον, mentula, pars nervosa, in quam venæ et nervi corporis vergunt. Sic *nervus* ap. Petron. 131. et sæpius in Priapeiis, νεῦρον et νενευρῶσθαι in Aristoph. Avibus et Lysistr. 1080. (ubi v. Schol.) Conf. Athen. I, 5. p. 5. (νεύρων ἐπιήρανος εἶναι) ubi Casaub. notat, sic et Athen. II, 23. p. 64. dici Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς, et ap. Hippocratem μωρὰ νεῦρα, quæ non possunt ἐπαίρεσθαι. 35. *nudum,* v. ad VI, 375. *Virro* homo non modo nobilis ac dives, (v. V, 39 seq. 98 seq. 128. 149. 156.) sed etiam cinædus, de quo conf. Catull. epigr. 80. *Quamvis te nudum viderit* ac bene mentulatum, quo tamen libido ejus maxime incenditur. *spumanti labello* præ impatientia ac furore libidinis: nam in summo desiderio labra spumant saliva; unde proverbio dicuntur *salivam,* h. e. appetitum, *movere,* et Gall. *l' eau lui vient à la bouche* vel Germ. *den mund wässerig machen.* Cf. Sen. Ep. 79. Pers. V, 112. Petron. 48. Martial. I, 97, 11 seq. — 36. *blandæ tabellæ,* literæ amatoriæ, quibus te blande multisque pollicitationibus *sollicitet* ad stuprum. *tabellæ,* epistolæ et diptycha, vet. Schol.[11] *densæ* vel multæ ac crebræ, vel potius, quia hæc vox cum *assidue* jungitur, longæ ac copiosæ. — 37. Αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα κίναιδος, sua enim sponte ac vi cinædus (tamquam magnes) virum ad se trahit; *blandis* scil. promissis, literis moribusque alliciens: faceta παρῳδία verborum Hom. Od. Π, 294. (ubi v. Clark.) et T, 13. αὐτὸς γὰρ ἐφέλκεται ἄνδρα σίδηρος, quæ Latine expressit Valer. Fl. V, 541. Rigaltius comparavit vetus epigramma: (v. Brunckii Anal. Epigr. 30.) Μάγνης Ἡράκλειτος ἐμοὶ πόθος· οὕτι σίδηρον Πέτρῳ, πνεῦμα δ' ἐμὸν κάλλει ἑφελκόμενος. Grangæus: "Nonnulli, ait, aliter legunt, sed glossema est cujusdam Græculi, tractum ex Græcorum proverbio: Πάντας γ' ἑφέλκων, οἷα μαγνῆτις λίθος. Scias autem, τὸ ἄνδρα amplum illud peculium signare, quod cinædus labris vidit spumantibus. Sic Latinis *vir* est illa pars, qua viri sumus, et hinc uno verbo Græci exsectos vocant ἀνδροτομημένους." Sed poetam in hunc

[11] De diptychis conf. Heins. ad Ovid. 18. Salmas. ad hist. Aug. p. 16. et Am. I, 12, 27. Rutgers. Var. Lect. VI, Dufresn.

sensum transtulisse verbum Homeri, vix crediderim. Conf. Excurs. ad h. l.

38. *ulterius*, pejus, majus, quemadmodum *ultima* dicuntur maxima, extrema, pessima, ultra quæ non licet progredi, ut *ultima vitia, pœna, crudelitas* cet. — *mollis*, cinædus, pathicus. — 39. Verba Virronis vel cinædi avari. *Hæc* dona.

40. De verbis *computat ac cevet* v. Excurs. ad h. l. *Ponatur calculus — labores* vel Virronis, cinædi avari, verba sunt, quibus Nævolus v. 43 seq. respondet, vel Nævoli, indignantis, munera quævis non modo sibi exprobrari et nimis exiliter revocari ad calculos, sed illa etiam pluris, et officia sua, avaro præstita, minoris æstimari, quam par sit. Priorem explicandi rationem non male defendit Ach. cujus nota est: " *Hæc tribui — tulisti* inquit *mollis avarus* misero clienti. Sermonem abrumpit Nævolus hac notatione *computat ac cevet.* Virro pergit: *ponatur calculus*, summam summæ subscribamus, addamus, *adsint pueri cum tabula*, summa tota *quinque sestertia.* Videamus, num tui id valeant labores. Cui iratus respondet Nævolus: *An facile est* cet. Sic vividius et satirice magis fluit dialogus." *Ponatur calculus*, subducantur rationes accepti et expensi. *Calculi* erant lapilli, qui in rationibus vel computatione adhibebantur. 41. *tabula* ratiocinatoria s. calculatoria. Potest etiam esse codex accepti et expensi. — 42. *numera .... sestertia quinque omnibus in rebus*, in universum jam tibi dono dedi. *labores*, ut *opera* sup. v. 28. de officio, in re turpi præstito. *numerentur* et æstimentur.

43. 44. Verba obscœna, sed apta h. l. et ingenio Nævoli. Cf. Var. Lect. *Legitimum*, justæ magnitudinis.

45. Nævolus cliens Virronis, qui omnia, etiam turpissima officia, ab eo exigebat. *Fodere* sensu quoque obsceno dicitur, ut *arare.* Cf. ad II, 10. et Martial. VII, 101, 4. — 46. *Sed tu sane*, qui deformis, senex et hirsutus es, putabas, te tenerum ac pulcrum esse, tibique propterea gratis operam præstitum iri sperabas a me, qui tantam ceperim voluptatem ex labore. Vim sarcasmi facile senties. 47. *dignum cyatho cœloque*, alterum Ganymedem et æque formosum, non minus dignum, qui in cœlum raptus Jovi pocula ministrares. v. ad V, 56. et 59.

48. 49. Verba, opinor, non Nævoli, sed poetæ, Virronem eique similes alloquentis: Quid vos aliis *humilibus*, pauperibus minusque dilectis *adseclis* et *cultoribus*, h. e. clientibus, donabitis, si ne *morbo* quidem, libidini et vitio vestro aliquantulum *indulgetis*, vel nobis, clien-

tibus vestris, qui vestræ libidini satisfacimus, aliquid datis? Heinecke hæc adnotavit: " Hoc et mihi verisimillimum videtur. Est exclamatio poetæ jam non mirantis, ejusmodi homines clientibus nihil dare, quum ne amatores quidem quidquam accipiant. *Morbus* est inveteratus affectus et cupiditas; tum impura libido. Egregie de hac voce disputant Gron. ad Sen. de ben. I, 14. et Mitscherl. ad Hor. Od. I, 37, 9." Sic *morbus* dicitur sup. II, 17. et 50.

50—53. Hæc quoque verba poetæ tribui possunt eo sensu, ut iis contineatur lepidum consilium, Nævolo datum, et amara irrisio tum formæ, tum avaritiæ et mollitiei Virronis cinædi: En formosulum illum et delicatum Ganymedem, cui tu potius, quum tam avarus sit, munera mittas, et quidem *umbellam*, ne sole offuscetur, vel alium ornatum muliebrem, quum mulieris et amicæ loco sit tibi! Sed præferenda forte aliorum sententia, qui inde a v. 50. Nævolum loqui putant hoc sensu: Hic Virro postulat potius, ut sibi mittantur munera. Hæc verba spectant ad ea, quæ Nævolus v. 46. 47., et verba v. 48. et 49. ad ea, quæ ille v. 45. dixerat. Vulgo innui putant, nihil cinædo tam ingrato donandum esse. Henninius: " Tales, inquit, *semiviri* vocantur Petronio aliisque hinc σπαταλοχίναιδοι, qui umbellis, armillis et similibus crepundiis ad instar puellarum superbiebant; unde et ad majorem indignationem addit, dona isthæc mitti *femincis calendis*, i. e. Martii." Nam Calendis Martiis, quæ et Matronalia dicebantur, mariti uxoribus, amatores puellis munera mittere et tam matronæ, quam mariti sacra Junoni facere solebant pro matrimonii felicitate: unde *femincis*, non quia omnes Calendæ Junoni sacræ erant. [12] Nota Ach. est: " Calendæ Martiæ feminis erant, qualia Saturnalia viris; easque celebrabant in memoriam belli cum Sabinis earum interventu compositi. Domi igitur manebant comtæ, pulchrioribus ornamentis ornatæ, in *cathedris positæ*, atque sic amicos eorumque munera recipiebant; et, ut Macrob. I, 12. ait, *servis cœnas apponebant matronæ, ut domini Saturnalibus.* Satirica igitur est illa Nævoli exclamatio, qui Virroni objicit munera tamquam feminæ et eodem tempore allata." *Umbella* s. *umbraculum*, σκιάδιον, (Dionys. Hal. VII.) velum vel linteum tegmen, quod *umbram* facit et supra caput suspensum arcet æstum: (*Parasol*) quæ umbracula sæpe egregia erant et pretiosa. v. Paciaudi Σκιαδηφόρημα s. de umbellæ gestatione commentarius Rom. 1753. 4to.

[12] Cf. Heyne ad Tibull. III, 1, 1. IV, Fast. III, 167 seq. Martial. V, 85, 11. 2, 1. Intpp. Horat. Od. III, 8. Ovid. IX, 91, 15. et X, 24. Suet. Vesp. 19.

et Böttigers Vasengemälde T. I. p. 150. — *Succina* (rectius *sucina*) armillæ e sucino, vel sucino gemmisque distinctæ. Gemmata dextrocheria; vet. Schol. v. ad V, 24. in Var. Lect. et ad VI, 573. — 51. *natalis* dies Virronis, quo cognati et amici dona mittere solebant. *quoties ver incipit,* Calendis Martiis, quo mense veris initium est.[13] Vernum autem tempus propr. incipit VII. Id. Febr. v. Varr. R. R. I, 28. et Plin. XVIII, 25. *madidum ver,* v. ad IV, 87. — 52. *Cathedra* etiam viro effeminato apte tribuitur. v. ad I, 65. et VI, 91. *positus,* repositus, jacens vel sedens in *cathedra,* tamquam femina. Cf. Prop. IV, 5, 37. et Mart. III, 63. 7. *strata,* constrata tapetibus mollibusque cervicalibus. 53. *Munera secreta,* secreto missa, et quæ non audet palam ostendere, utpote pudenda et muliebria, quæ ipsi tamquam feminæ a drauco missa sunt. Arcte autem jungenda sunt verba, quibus idem tempus designatur; *aut* quoties *madidum ver incipit et* Virro *strata positus longaque cathedra femineis Calendis* (vere ineunte) *secreta munera tractat,* manibus pertractat mulierculæ instar, dulcedine eorum taliumque deliciarum captus.

54 seq. Jam aperte Nævolus in Virronem vel cinædos ei similes eorumque et avaritiam et mollitiem debacchatur. *Passer* dicitur homo mollis et lascivus, ut *oscula passerina* et *prandium passerinum* Pompon. ap. Non. 2. n. 335. nam passeres in Venerem proni ac salaces, unde et esus eorum ad libidinem excitare currusque Veneris ab illis trahi credebatur.[14] *cui,* in cujus gratiam tam avarus es et tot opes colligis? *montes,* vineis consitos. *Apula,* epith. orn. quoniam Apulia fertilissima Italiæ regio fuit. Conf. intpp. Horat. Od. III. 16, 26 seq. Martial. X, 74, 8. et sup. ad IV, 27. in Var. Lect. *tot milvos intra tua pascua lassos,* h. e. latifundia tam ampla, ut etiam milvi ea transvolantes delassentur. Conf. Pers. IV, 26. et Petron. 37. ut de talibus latifundiis Sen. Ep. 83. — 56. *Trifolinus ager* dici putatur ager Trifolii, opp. vel montis Campaniæ, (quem Prateus nunc vocari credebat *Monte di S. Martino,* haud procul Neapoli) vel, quia Trifolium opp. aut mons a nullo scriptore memoratur, ager Campanus, qui vina tulerit *trifolina,* h. e. tertio foliorum exortu adeoque tertio anno ad bibendum tempestivo. Vinum Trifolinum laudant Athen. I, 21. Martial. XIII, 114. et Plin. XIV, 6. ubi v. Hard. —

[13] Male vet. Schol. "Matronalibus, quæ sunt Calendis Aprilibus, quibus est *natalis* Veneris."

[14] v. Athen. IX, 10. (IX, 46. ed. Schweigh.) et Sappho in Hymno in Venerem ap. Dionys. Halic. de composit. verborum c. 23. Opp. T. V. ed. Reisk. p. 176 seq. Plin. X, 36. et Cic. Fin. II, 75.

5 . *Suspectum jugum Cumis,* ut vulgo putant, Misenum prom. Cumis imminens et ruituro simile. (v. Burm. ad Valer. Fl. VI, 149.) Hoc tamen a Cumis tribus circiter millibus passuum distat, nec, quod sciam, vitiferum fuit. Grangæus suspicabatur, arduum montem, qui a balneis Triperquilinis absit MD passus et ubi adhuc insignes Hamarum ruinæ conspiciantur, designari eumque *suspectum* dici *Cumis* propter historiam, e Liv. XXIII, 35 seq. notam. Fuit etiam mons ad Cumas et huic urbi imminens, de quo v. Heyne ad Virg. Æn. VI, 9 seq. et in Exc. III. Sed forte significatur h. l. Vesuvius, qui longius quidem etiam Miseno distat a Cumis, sed cineres tam late spargit, ut huic quoque urbi *suspectus* vocari possit.[15] Idem pulcherrimus omnium Campaniæ montium, vitibus amictorum, dicitur Flor. I, 16, 5. Cf. Virg. Ge. II, 224. Martial. IV, 44. et al. *Gaurus* Campaniæ mons, (hod. *il Monte Barbaro*) inter Puteolos et Lucrinum Avernumque lacum, vini feracissimus.[16] *inanis;* Grang. tibi non sufficiens et tam inutilis, ac si nihil haberes. Schol. vetus: " superexhaustus, ut transacto vindemiarum tempore; aut quia vaporiferos specus habet; (adeoque concavus, cavernosus) aut melius est sic intelligere, quia omni arbore exspoliatus est et solis vinetis vacat." Tertiam rationem probat Oberlin. ad Vib. Sequestr. p. 324. secundam Ach. cujus nota est: " Mons vitibus consitus non est *inanis;* sed forte olim igniſluus mons fuerat, *un volcan,* tunc temporis exstinctus." — 58. *Nam quis plura,* quam tu, *dolia* vini recondit in cella? quis plura possidet vineta, et tamen tam avarus est, ut ne clientibus, quales nos sumus, vini quid det? *dolia,* cados, *linit,* eorum corticem pice vel cera et gypso oblinit, *musto victuro,* (dat. pro genit.) ut multos annos duret. De vetustate vini ejusque condendi, linendi et conservandi ratione v. ad V, 30.

59. *Quantum erat,* quantula res fuisset? " Quanti constitisset tibi, si meis *lumbis,* (in quibus vis major Venerea) h. e. si mihi, clienti tuo, *exhausto* in tua libidine explenda, dedisses *pauca jugera,* prædiolum?" Ach. *exhausti* Venere, ut fere *exsorbere viros* X, 223. *lumbos,* v. ad VI, 314. — 60—62. Num *hic,* in jugeribus tuis, *rusticus infans cum matre cet.* h. e. num jugerum tuum *melius legatum fiet amici,* testamento potius a te legabitur amico tuo, *cymbala pulsanti,*

[15] v. Heins. et Burm. ad Valer. Fl. II, 620. IV, 509. et intpp. Sil. XVII, 592 seq.

[16] de quo v. Plin. XIV, 3. et 6. Stat. Silv. III, 1, 147. 5, 99. IV, 3, 65. Si Capaccio in Antiq. Puteol. c. 22. fides habenda, tres fuere montes in Campaniæ finibus Gauri nomine appellati, primus prope Massicum et Minturnas, alter circa Nuceriam et Surrentum, tertius prope Avernum et Lucrinum.

h. e. Gallo vel pathico, Gallis simili, quam mihi drauco pauperique clienti tuo, qui libidini tuæ satisfacio, nec patior muliebria, sed mariti vice fungor? Cf. Excurs. ad h. l. et Lips. Epist. Quæst. IV, 25. *rusticus infans,* verna, *cum matre,* ancilla, et *casulis,* mapalibus et attegiis. Quis sit *amicus cymbala pulsans,* non satis constat. Vulgo explicant Gallum coll. VI, 515. VIII, 176. et vetus Schol. Archigallum.

63. *Improbus,* impudens, *es, quum poscis,* impudenter postulas vel postulare soles. *Sed pensio clamat* cet. responsio Nævoli, importune et pervicaciter rogantis poscentisque. *pensio,* tempus solvendæ pecuniæ, vel *pensio* pecuniæ certis diebus solvendæ pro conducto agro vel domicilio et cœnaculo, vel pro argento, quod sumtum est fenore. *clamat,* acclamat quasi mihi, *posce,* h. e. me monet, cogit, urget, ut a te poscam. — 64. 65. *sed appellat,* poscit, ut id petam, vel rogat, ut poscam, (v. ad VII, 158.) *puer unicus,* servus, qui mihi unicus est, ut Polyphemo unus fuit oculus, *per quem,* propter quem effossum, quia unus fuit, *Ulysses evasit,* quique solus mihi satis non est, ne in discrimine rerum mearum verser vel tot molestiis premar, quemadmodum unus oculus non satis fuit Polyphemo; nam si duos habuisset, non evasisset Ulysses vel ipse, uno certe ictu, excœcatus esset. Ita vulgo mentem poetæ capiunt; sed rectius forte F. Didot in ed. Ach. " Juvenalis innuit, Nævoli servo, quem habet unicum, esse vestem foraminibus adeo latis distinctam, ut per eam homo possit evadere, veluti per oculum Cyclopis, quem habebat quoque unicum, potuisset Ulysses evadere; Gall. *mon unique esclave, qui est si mal vêtu, qu'un homme pourrait passer à travers les trous de son habit, comme Ulysse* cet. Ceterum hæc comparatio, quæ nobis adeo ridicula videtur, fuit forte locutio proverbialis his temporibus usitata." Crediderim tamen, *puerum* h. l. esse catamitum, qui *pusio* dicitur VI, 34 seq. Sic quoque drauco melius conveniunt verba seq. *Alter emendus erit* puer, *namque hic* unicus *non sufficit,* non satisfacit libidini meæ. Lubinus monet, de industria h. l. et infra aliquoties Nævolo, ut bipedi asello et stolido nebuloni, ineptissimum tribui sermonem, ut stoliditas ac stupor cum insigni turpitudine conjunctus in eo exprimatur. Rigaltius vero in Diss. de Sat. Juv. suspicabatur, poetam, hyperboles Virgilianæ (Æn. III, 636. 637.) carpendæ mendaciique poetici rhetorico mendacio repercutiendi causa, dixisse, adeo *latam* et amplam fuisse oculi Polyphemi *aciem,* ut *per* eam Ulysses evaserit. Ceterum notissima est fabula de Polyphemo Cyclope et Ulysse, qui

illo excæcato incolumis cum sociis evasit, ex Hom. Odyss. I, 182—542. Eurip. Cycl., Virg. Æn. III, 613—691. (ubi v. Heyne) et al. De Cyclopibus μονοφθάλμοις v. Heyne ad Apollod. I, 1, 1. et de ingenti oculo Polyphemi idem ad Virg. Æn. III, 636. 637. *unicus* h. e. qui domino suo unicus est et solus. 65. *acies*, oculus. Ulysses h. l. et Ovid. ex P. IV, 14, 35. *sollers* dicitur, et aliis poetis *versutus*, *fallax*, *pellax*, *duplex*, ex Homero πολύμητις, ποικιλομήτης, πολύτροπος, πολυμήχανος, Διὶ μῆτιν ἀτάλαντος. Cf. intpp. Hor. Od. I, 6, 7.

67—69. Facete pro, ambo vestiendi sunt, inpr. in *bruma*, h. e. hiemis tempore, quo frigidi spirant venti. 68. *Quid* dicam *scapulis et pedibus puerorum*, servorum, lepide pro, servis, quum vestes petunt et calceamenta, quibus humeri ac pedes tegantur, *spirante Aquilone* in *Decembri*, vel *Aquilone Decembri*, hiberno: nam etiam æstivus est, qui etesias dicitur. v. Plin. II, 47. et 49. XVIII, 34. Cf. Var. Lect. — 69. Dicamne, *durate* vos, fortiter tolerate frigus, *et exspectate cicadas*, adventum cicadarum, h. e. æstivi temporis? (cf. Plin. II, 26. et 27.) Interea illi frigore enecarentur. Lepida verba, haud dubie efficta ex Virg. Æn. I, 207. ubi v. Cerda et Heyne. Conf. Suet. Calig. c. 45.

70 seq. Facete draucus beneficia sua exprobrat. *ut*, quamvis, *dissimules* et *mittas*, prætermittas, nihili facias, *cetera* officia mea ac beneficia, tibi præstita. *quanto metiris pretio*, quanti facis. 71. *tibi deditus devotusque cliens*, addictus et ad officia quævis tibi præstanda paratus. 72. *uxor tua virgo maneret*, non gravida facta esset, propter tuam impotentiam. — 73. *ista* officia, hoc, scil. ut efficerem, quod tu ipse non posses. *quibus modis*, quam vehementer, supplicite et sæpe. 74. *Puellam*, uxorem tuam, *fugientem*, e domo tua aufugere volentem, *amplexu* meo *rapui*, ex fuga retraxi. *Puella* h. l. uxor, ut *virgo*, *nympha*, παρθένος, νύμφη. v. ad II, 59. 75. *Tabulas* dotis vel nuptiales *jam ruperat*, quod fiebat in divortiis, *et signabat* alias, (conf. II, 118.) alteri jam nubere volebat. In his tabulis solennia erant verba: *procreandorum causa liberorum uxorem duci;* et in divortiis *rumpebantur tabulæ*. Conf. Tac. Ann. XI, 30. ibique Lips. — 76. *Tota nocte*, totius noctis laboribus. *redemi*, placavi iram tibique reconciliavi. — 77. *Te plorante*, metu infamiæ ac repudii, *foris*, ante januam cubiculi. *Testis mihi lectulus* cet. conf. Catull. VI, 6—11. et Ovid. Am. III, 14, 26. Εἰπὲ δὲ σημεῖον, Βακχῶν ὅτι πέντ' ἐφίλησα Ἐξῆς, ὧν κλίνη μάρτυς ἐπεγράφετο Asclep. Epigr. XXVII, 11. 12. in Brunck. Anal. T. I. p. 217. ubi conf. Jacobs ad Anthol.

Gr. Vol. I. P. II. p. 47. — 78. *Ad quem pervenit*, a quo auditus est. *lecti sonus*, crepitus. Conf. Catull. l. l. et Ovid. Am. III, 14, 26. *vox dominæ*, uxoris, præ libidinis impatientia gannientis in concubitu et subantis. Conf. ad VI, 64. 65. Horat. Epod. XII, 11. et Ovid. Am. III, 14, 25.[17] *dominæ*, v. ad VI, 30. — 79. Confirmatio prioris sententiæ: *instabile* autem apud homines mulierosos et pathicos est conjugium: quippe ii mulieribus a se ductis non possunt satisfacere; Ach.

81. Distinctionem nunc mutavi suadente Ach. sed ita capio mentem poetæ: *Quo te circumagas*, quocumque te vertas, ut subterfugias vim argumentorum meorum et ingrati animi excusationem invenias, *quæ*, quæcumque ex meritis beneficiisque meis, *prima aut ultima*, primo aut ultimo loco, *ponas; nullum ergo* cet. Vulgo hæc jungunt præced. verbis et interpungunt: *Quo te circumagas? quæ prima aut ultima ponas?* quo fere sensu Virgilium dixisse putant, *quæ quibus anteferam* Æn. IV, 371. Bahrdt exponit: *quæ prima aut ultima ponas* scil. in rationibus, ut sententia sit: quocumque demum modo rationes subduxeris, debitor mihi eris, nostræ rationes sibi non respondebunt, h. e. beneficia non paria erunt.

82—90. Conf. ad I, 55 seq. Verba sarcasmi et indignationis plena. — 84. *Tollis* liberos, etsi spurios. v. ad VI, 38. — 85. *Argumenta viri*, indicia virilitatis, liberos, procreatam sobolem, *gaudes libris actorum spargere*, eorum nomina inserere, vel potius passim adnotare, ut ad plures spectet liberos. v. ad II, 136. *Foribus suspende coronas;* nam coronis ornabantur fores domus puerperæ.[18] — 86. *famæ*, infamiæ, *opponere*, quum vel ne dicaris orbus esse et inhabilis soboli procreandæ, aut mulier et cinædus. Conf. Lucillii Epigr. VII. in Brunck. Anal. T. II. p. 318.

87. *Jura parentis*, quæ vulgo *jus liberorum* et Tac. Ann. III, 28. *privilegia parentum* dicuntur, h. e. præmia maritorum patrumque, honores et commoda, ut scil. præferrentur aliis in petitione honorum, (v. Tac. Ann. II, 51.) in sorte et longiore administratione provinciarum, (v. Tac. Ann. XV, 19. et Dio LIII, 13.) et in omni magistratu, (cf. Gell. II, 15.) ut honestiorem in spectaculis locum obtinerent, (v. Suet. Aug. 44.) ut, qui plures haberent liberos, in Urbe tres, (unde illud *jus trium liberorum*) in Italia quatuor, in provinciis quinque, a

[17] Vetus Schol. "In coitu non tacentis, quod virgo erat; ut sit mariti major infamia."

[18] v. ad VI, 51. Meurs. Att. Lect. IV, 10. Sagittar. de jan. vett. c. 30. § 20. et Bartholin. de puerp. vett. p. 125.

tutela aliisque muneribus personalibus immunes essent cet. — 87 — 90. Lege Papia Poppæa cautum erat, ut cælibes ex aliorum testamentis nihil caperent, nisi e proxime junctorum, et nisi post testatoris mortem intra centesimum diem matrimonium contraherent; orbi non nisi dimidium; solitarii vero, h. e. unius filii vel filiæ parentes, *legatum omne* sive solidum;[19] utque decima pars legati *caduca* esset sive in fiscum *caderet*, si legatarius careret liberis.[20] *Caducum*, quod sine mea opera caducum fuisset: *dulce*, quod ex insperato et mea opera tibi obtigit et in te tuosque liberos, quos mihi debes, *cecidit*. Legatis enim hæc conditio adjungi solebat: *quandoque liberos habuerit*. Legis autem Papiæ Poppææ duæ erant partes, *nuptialis* una, altera *caducaria*, quæ de *caducis* legatis agebat. — 89. 90. *Commoda prœterea jungentur*, adjungentur, accedent per me, *multa caducis*, his legatis, quæ in te tuosque liberos cadent, *si numerum, si tres*, h. e. numerum trium liberorum, *implevero*. Multa enim præmia proposita erant iis, qui liberos, plurima vero iis, qui tres pluresve haberent.[21]

90. Verba poetæ, simulantis miserationem: *Justa doloris — affert*. 91. *ille* dives avarus, Virro. *quid affert*, quid dicit, quo se excuset?

92—102. Respondet Nævolus. *Negligit*, contemnit me, non curat, nil dat. *bipedem asellum*, stultum hominem, qui eamdem operam gratis præstet, servum draucumque simplicem et robustum vel bene mentulatum, quem eodem modo decipiat. Nota C. Valesii est: " *asellum* h. e. pædiconem bene mentulatum asini more, quales fuisse Commodo et Elagabalo, ὄνους et ὀνοβελεῖς hinc dictos, tradit Lampridius. A Phædro in ult. Fab. Lib. III. et in Copa Virgilii *asinus* vocatur *delicium Gallorum*, scil. quod illis nimium lascivis fœdæ libidinis ministerium præstabat, ut docet Apuleius in Milesia." Cf. sup. ad I, 59. in nota 23.

93. *Hœc* vero, quæ de Virronis turpitudine et avaritia dixi, sunt secreta, *tibi soli commissa*, credita. *celare memento*, v. ad V, 71.

[19] non majorem tantum partem, quod Lipsius suspicabatur in Exc. ad Tac. Ann. III, 25—28.

[20] Ulpianus tit. 17. *Quod quis*, inquit, *sibi testamento relictum, ita ut jure civili capere possit, aliqua ex causa deinde non ceperit, caducum appellatur, veluti cecidit ab eo*, (et in alium, vel fiscum) *v. g. si cælibi vel Latino Juniano legatum fuerit, nec intra dies centum vel cœlebs legi paruerit, vel Latinus jus Quiritium consecutus fuerit; aut si ex parte heres scriptus vel legatarius ante apertas tabulas decesserit, vel peregrinus factus fuerit.* Cf. ad VI, 38. quosque ibi laudavi, Bach. et Lips.

[21] De quibus commodis et de celebri illo *jure trium liberorum* v. Lips. Exc. ad Tac. Ann. III, 25. intpp. Gell. II, 15. et Rader. ad Martial. II, 91.

94. *intra te fige*, v. ad V, 12. — 95. *pumice levis*, mollis et cinædus. v. ad II, 12. 96. *Qui modo* omne *secretum* mihi *commiserat*, tamquam familiari suo. Conf. III, 113. *ardet* nunc ira et indignatione. — 97. *quidquid scio*, omnia arcana, quodque secreto opera mea usus sit. 98. *aperire caput* vulneribus, h. e. vulnera ei infligere. *candelam*, ignem, *apponere valvis*, foribus, (ut *cereum ardentem ante meretricis fores abjicere* in Curii Fortunat. Lib. I.) ædes meas incendere. Cf. XIII, 145. 146.

99. *Nec contemnas aut despicias*, cave etiam nihili pendas hoc, *quod his opibus* cet., vel potius, cave contemnas hominem tam mollem atque effeminatum, quoniam *his opibus*, h. e. divitibus, vel in tantis opibus, *numquam cara est annona*, pretium, *veneni*, h. e. tam divites homines emere et possunt et solent venenum, quo necent eum, a quo ne evulgetur turpitudo sua verentur. — 101. *Ergo occulta*, secreta tibi a me commissa, *teges*, *ut curia Martis Athenis*, Ἄρειος πάγος, (*Areum judicium* ap. Tac. Ann. II, 55.) celeberrimum illud Atheniensium δικαστήριον s. ἡ ἐν Ἀρείῳ πάγῳ βουλὴ in Acropoli, cujus judices, Ἀρεοπαγῖται, quidquid in eo agebatur, alto premebant silentio, (unde etiam proverbio quis dicebatur Ἀρεοπαγίτου σιωπηλότερος et στεγανώτερος) et κρύβδην ψηφίζειν solebant.[22] Eosdem propterea noctu et in tenebris judicasse putant, nisi potius ἐν νυκτὶ καὶ σκότῳ δικάζουσιν, ὡς μὴ ἐς τοὺς λέγοντας, ἀλλ' ἐς τὰ λεγόμενα ἀποβλέποιεν, Lucian. Hermot. c. 64.

102—122. Verba poetæ; quibus conf. Petron. Fragm. IX. in Wernsdorf. Poet. Lat. min. T. III. p. 75. et Sarisber. Policr. III, 12. *O Corydon*, O stulte: ex Virg. Ecl. II, 56. et 69. — 103. *ut*, quamvis. *jumenta loquuntur et canis et postes et marmora*, quemadmodum proverbio dicitur *etiam saxa loquentur*. Conf. Prop. I, 18, 4. Habacuc. II, 11. Catull. VI, 7. ibique Dœring. — 105. *Vela tegant rimas*, conf. Martial. I, 35, 5 seq. XI, 46, 3 seq. et sup. ad VI, 228. *Ostia* et *januæ* propr. dicuntur fores in liminibus ædium, introitum dantes, quasi *os* et *Janum*. Conf. Cic. N. D. 2, 27. *junge ostia*, claude, ut *junctas fenestras* dixit Horat. Od. I, 25, 1. — 106. *clamant omnes*, tantæ infamiæ palam adversantur, contra assurgunt; Ach. Cf. Var. Lect. *Prope* cubiculum. 107. *Quod tamen ille* dives dominus ac cinædus *facit*, libidini indulgens, *ad cantum galli secundi*, h. e. secundum, adeoque tempore antelucano, ut mox *ante*

[22] v. Macrob. Sat. VII, 1. Meurs. de Scalig. ad Pausan. I, 28. Perizon. ad Arcopago, Potteri Archæol. Gr. I, 19. Ælian. V. H. V, 15.

diem: nam gallus primum a media nocte canit et deinde medio inter μεσονύκτιον et auroram spatio. Quare galli noctu canant, disquirunt Cic. Div. II, 26. Plin. X, 21. s. 24. (ubi v. intpp.) et Cœl. Rhodig. XIV, 13. — 108. *Proximus,* vicinus, finitimus, *caupo ante diem,* jam eodem fere tempore, quo factum est, paulo post *sciet,* a servis comperiet, *et audiet* simul, *quæ pariter finxerunt,* affinxerunt, commenti sunt, *librarius, archimagiri* et *carptores,* h. e. servi: nam *Fama malum, quo non aliud velocius ullum: Mobilitate viget viresque acquirit eundo.* (Virg. Æn. IV, 174 seq.) Cum delectu positus est *caupo;* nam in cauponam multi, iique rumigeruli, quotidie et jam summo mane conveniunt: præterea *proximus* est. *librarius* servus, scriba, qui libros, epistolas al. describit. Aliis est servus *libræ* præpositus culinariæ, aut ferculorum diribitor et index e *libro.* *Archimagiri,* ἀρχιμάγειροι, magistri coquorum. *Carptores;* v. ad V, 120. et Lips. Saturn. Serm. II, 2.

110. 111. Senec. Epist. 47. *Infelicibus servis movere labra ne in hoc quidem, ut loquantur, licet; virga murmur omne compescitur et ne fortuita quidem verberibus excepta sunt; — sic fit, ut isti de dominis loquantur, quibus coram domino loqui non licet. — Crimen componere,* fingere, comminisci, ut ap. Cic. Verr. III, 61. *rumoribus* malis, quos de dominis suis spargunt, *ulciscuntur baltea,* h. e. eorum verbera. *Baltea* autem propr. accipio de cingulis e corio, non de loris vel flagellis, quo sensu nusquam vox legitur; etsi sententia fere eadem est. 112. *per compita,* ubi plurimi homines conveniunt. 113. *Nolentem* quæri a garrulis istis eorumque nugas audire. Conf. verba garruli ap. Horat. Sat. I, 9, 14 seq. *vinosus,* ebrius, qui omnia, etiam arcana, effutire solet. *inebriet,* facete h. l. de *vinoso* pro obtundat vel impleat, *aurem,* ut *spiritus aëris flatibus venenatis inebriatur* ap. Sidon. Epist. I, 5. *aures sermonibus refercire* vel *imbuere* ap. Cic. pro Rab. Post. 14. et Tac. Hist. IV, 7. Sic et Galli dicunt: *enivrer quelqu'un de son babil* s. *caquet.* Similiter fere Romani *bibere, haurire, trahere auribus* vel *oculis,* pro cupidissime audire et intentissime videre, metaph. ab aviditate bibendi petita. *aurem miseram,* tuam, qui sic misere torqueris: miserrimum enim est, garruli ineptiis patientes præbere aures.

114. *Illos* servos. *paulo ante,* sup. v. 93—101. *petebas,* scil. taciturnitatem. 116. *quam potare* tantum *Falerni,* vini præstantissimi, et quidem *subrepti,* furtim ablati, quod dulcius esse dicitur,

quantum bibebat Laufella, matrona, *faciens* sacra[23] *pro populo,* pro ejus salute, Bonæ Deæ, in cujus sacris largiter potabant mulieres; de quo v. VI, 314 seq. ubi etiam ipsius *Laufellæ* vinolentæ mentio facta v. 320 seq.

118. Gravis sententia, ut notissima illa Ovid. Fast. IV, 311. *Conscia mens recti famæ mendacia ridet.* — 119 seq. *ut contemnas linguas mancipiorum,* servos loquaces et domino maledicentes; *nam lingua est pars pessima mali servi,* tales servi sunt pessimi: *deterior tamen,* pejor, vilior et magis *contemnendus* est *hic,* dominus, *qui liber non erit* ab *illis, quorum* vitam sustentat, a servis, h. e. qui illis obnoxius est eorumque linguas propter vitia, quorum illi sunt conscii, timere debet; vel *hic tamen* dominus, *qui liber non erit* a cupiditatibus et vitiis, *deterior* est *illis, quorum* cet., h. e. servis suis: nam servorum quasi servus est. Hoc præclare dictum e sententia Stoicorum: *πάντες κακοὶ δοῦλοι,* cui conf. egregia loca Horat. Sat. II, 7, 81—94. et Epist. I, 16, 63—68. Illa videtur esse poetæ sententia, etsi paulo durius expressa. 122. Descriptio servorum, quorum menstruum stipendium ac demensum erant quatuor, si Donato ad Terent. Phorm. I, 1, 9., vel quinque, si Senecæ Epist. 80. fides habenda, modii frumenti et denarii totidem; unde h. l. *farre et ære,* frumento et pecunia, *custodit,* sustentat, *animas,* vitam, ut VI, 501. et XV, 94. De servorum demenso v. ad VII, 120.

123—129. Verba Nævoli. 123. v. Excurs. ad h. l. — 124. *utile consilium dedisti* scil. sup. v. 118 seq. *sed commune,* quod non ad me tantum, sed ad Virronem quoque vel ei similes, quin omnes pertinet homines. 125. *post damnum temporis,* majori vitæ parte transacta et consumto ætatis robore. *deceptas spes* emolumenti, e laboribus officiisque, Virroni præstitis, ad me redundaturi.

126—129. Juvenes comparent inpr. Horat. Od. I, 4, 21 seq. 11, 6 seq. II, 11, 5 seq. 14, 1 seq. et IV, 7, 14 seq. Alia loca laudavit Kœnig ad Pers. V, 153. Ad rem augendam spectant epitheta *velox, angustæ,* (brevis) et *brevissima;* sed nimia quoque est orationis ubertas, et suspicari fere possis, verba *velox Flosculus a. m. brevissima* esse lacinias a versificatore aliquo adsutas. *Festinat enim decurrere, velox Flosculus, angustæ miseræque brevissima vitæ Portio* distingui jubet Wakef. ad Lucret. III, 972. — *decurrere,* ut al. *ævum currit, la-*

[23] ut ap. Cic. Mur. 41. et ad Brut. ep. 14. al. unde et *sacrificium pro populo fieri* in Sen. Ep. 97. et Cic. Leg. II, 9. nec non simpl. *pro populo fieri* ap. Cic. ad Att. I, 12. vel *facere vitula* Virg. Ecl. III, 77.

bitur, volat, τρόχος ἅρματος γὰρ οἷα Βίοτος τρέχει κυλισθείς, Anacr. IV, 7. 8. Conf. Bentl. et Mitscherl. ad Hor. Od. II, 5, 13. — *Flosculus vitæ,* ut ἀκμὴ et ἀκμάζουσα ἡλικία, vel ἄνθος ἥβας ἄρτι κυμαίνει ap. Pind. Pyth. IV, 281. ἀκμαῖον ἄνθος ὥρας ap. Anacr. XXXIV, 4. et similia passim obvia. *Portio vitæ,* jam initio a Parcis designata, ut *præmensæ tempora lucis* ap. Tibull. III, 3, 9. et *vitæ summa brevis* ap. Hor. Od. I, 4, 22. In verbis *decurrere flosculus* diversi generis imagines et metaphoras junxit poeta, ut in eadem re Rufinus Epigr. VIII, 5. in Brunck. Anal. T. II. p. 392. ἅ πόσσους κατέφλεξε τὸ πρὶν θεοείκελον ἄνθος, ad quæ verba Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 159. notat, in ejusmodi vocabulis, quorum metaphorica significatio frequenti usu fere obliterata fuerit, non accuratam adeo diligentiam fuisse sequioris ævi poetis. 128. 129. Quin adeo *dum loquimur, fugerit invida Ætas,* Horat. Od. I, 11, 7. *Serta, unguenta* et *puellæ* spectant potissimum ad epulas et comessationes. *Serta* proprie στέμματα, (*stemmata* VIII, 1. *laub- und blumenguirlanden und festons*) *pancarpi,* (*fruchtschnuren*) quibus ornabantur pocula, januæ, altaria, atria; a quibus differebant *coronæ* et *corollæ,* στέφανοι, στεφανίσκοι. v. Böttigeri Sabina p. 191. 192. *unguenta,* v. ad VI, 303. et XI, 122. Unguentis etiam pretiosissimis capilli mollium virorum feminarumque semper delibuti erant. v. Spanh. ad Callim. in Apoll. v. 38 seq. et Burm. ad Ovid. Her. XV, 76. — *puellas,* v. ad XI, 162. *obrepit* præclare de *senectute,* quæ præter opinionem et *non intellecta,* ita, ut vix ac ne vix quidem sentiamus, adventat: ut ap. Lucret. I, 415. *tarda per membra senectus serpit,* ap. Ovid. Met. X, 519. *Labitur occulte fallitque volatilis ætas,* et Fast. VI, 771. *Tempora labuntur tacitisque senescimus annis.* Sic *obrepit adolescentiæ senectus* dixit Cic. de Sen. c. 2. *Auctumno obrepit hyems* Lucil. in Ætna v. 237.[24] γῆρας ἐπερχόμενον Solon Epigr. XIII, 10. et τὸ δ' ἀργαλέον καὶ ἄμορφον γῆρας ὑπὲρ κεφαλῆς αὐτίχ' ὑπερκρέμαται Mimnerm. IV, 4. in Anal. Brunck. T. I. p. 61. et 70. Cf. Auson. ep. XIII. ubi etiam verba Juvenalis transscripsit.

130—134. Respondet poeta et quidem facete, apte consolans draucum et exhortans ad persequendum eumdem vitæ cursum. *Ne trepida,* non est quod anxius sis animumque despondeas. *amicus pathicus,* cinædus, a te drauco corrumpi cupiens. 131. *Stantibus et salvis his collibus,* quamdiu Roma superstes erit. v. ad VI, 296. — 132. *et carpentis et navibus,* et terra et mari, *undique,* ab omnibus or-

[24] non, quia senectus et hominis et anni l. l. monuit Wernsdorf. Poet. Lat. min. (hyems) pigra ac tarda est, quod ad Lucil. T. IV. p. 138.

bis terrarum partibus et locis, molles turpesque homines Romam confluunt, tamquam ad emporium libidinum. Δεινῶς et vere! — 133. *Qui digito scalpunt uno caput*, molles, effeminati ac bene comti, qui, si caput prurit, uno tantum digito illud scabere solent, ne capilli apte compositi atque calamistrati turbentur. Sic Lucianus dixit τῷ δακτύλῳ ἄκρῳ τὴν κεφαλὴν κιᾶσθαι, et *relatum ad caput digitum* Senec. Epist. 52. Id in Pompeio potissimum notarunt Calvus poeta ap. Sen. Controv. III, 19. Plut. in Pomp. c. 48. Opp. T. I. p. 645. T. II. p. 89 E. ed. Frft. et Ammian. Marcell. lib. XVII, 11, 4. Conf. Spanhem. ad Juliani Cæss. p. 171. — 134. *Spes altera*, futuri temporis, longe *major superest* tibi. Vetus Schol. "Multos imberbes habes tibi crescentes." *Tu tantum erucis imprime dentem*, lepidum consilium: comede herbas, ad Venerem exstimulantes, ut fortis sis et paratus ad libidinem exercendam. Talis herba est salax *eruca* (*weisser senf.*)[25]

135—150. Verba Nævoli. *Hæc exempla para felicibus*, hunc agendi modum præcipe iis, qui me feliciores sunt, aliis draucis, qui eodem vitæ genere opes collegerunt. *mea Clotho et Lachesis*, Parcæ meæ, (conf. ad VIII, 105.) *gaudent, si pascitur*, alitur, (v. ad III, 141.) *inguine venter*, triste fatum jubet, me contentum esse tenui victu, quem mihi re Venerea paro. "Meo fato sufficit, (Parcæ enim regunt fata) si me eo quæstu tuear et meo me inguine pascam, ut ap. Martial. *Mentula quem pascit, non puto purus homo est;*" C. Vales. Usque adeo infelix sum, ut vix industria inguinis ad victum sufficiat; vet. Schol. 137. *Lares parvi*, parva eorum simulacra, (v. XII, 87. 88.) ad inopiam Nævoli spectant, ut *thus minutum* et *tenuis corona*.[26] *nostri Lares*, mihi faventes,[27] vel potius domestici et privati, (a quibus differunt Penates Laresque publici) ut XII, 89. poeta dixit *nostrum Jovem Laresque paternos*. De *Laribus* v. Creuzer's Symbolik T. II. p. 83. 442 seq. *thure, farre* et *corona*, oblatis, tamquam muneribus, *Lares exorare*, h. e. orare vel valde orare, ut *thure multo vocare Venerem* dixit Horat. Od. I, 30, 2. *Thus*, frutex Sabæ, quam putant esse Juniperum Phœniceam Linn. — *tenui corona exorare parvos Lares*, ut *Parvos coronantem marino Rore Deos fragilique myrto*

[25] de qua v. Colum. X, 108. 109. 372. Ovid. Rem. Am. v. 799. Burm. ad Anthol. lib. VI. ep. 76. Ramir. ad Martial. III, 75, 5. X, 48, 10. Scalig. ad Virg. Moret. v. 85. Hard. ad Plin. XIX, 8. XLIII, 10. al.

[26] v. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 23. 3. 4. 15. 16. 20. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 637. Bentl. ad Horat. Ep. I, 7, 58. Heyne ad Virg. Æn. VIII, 543. Male vetus Schol. "*Thus minutum* manna vocant, aut in invidiam Deorum Penatium *minuto* dicit."

[27] cf. XII, 89. Gron. Obss. I, 2. et ad Liv. 55, 12. Drak. et nos ad Sil. I, 118. XII, 193.

ap. Horat. Od. III, 23, 15. 16. ubi v. Mitscherl. Conf. simil. loc. inf. XII, 87. 88.

139. *Quando ego aliquid figam,* forte captabo, consequar, (ut fere nos *erzielen* dicimus) ut metaphora a venatoribus petita sit, qui feras telis confixas capiunt.[28] Hæc explicatio et simplicior est ceteris, et lepida et ambigua: nam obscœno quoque sensu capi potest. Tale autem genus dicendi et satirico, et Nævolo drauco convenit. Conf. Var. Lect. *quo sit mihi tuta senectus a tegete et baculo,* quo in senectute tutus sim a mendicitate. *tegete,* v. ad V, 8. *baculo* mendicorum; nostrum *bettelstab.* Simili metaphora Terentius dixit: *mihi vere res ad rastros redit,* Heaut. V, 1, 58.

140 seq. Multo nunc plura, quam quæ a mendicitate ipsum possint tutum præstare, sibi optat Nævolus: quæ sunt vota vel stolidi hominis; (v. ad v. 64. 65.) vel mollis ac delicati, qui in tali ævo ac vitæ genere multarum opum rerumque indiget; vel denique faceti, qui ridicula ineptaque hominum vota imitatur. Posterior ratio ceteris præstare videtur. Hinc et mox v. 146 seq. lepide dicit Nævolus: *sufficiunt hæc, quando,* quandoquidem, quoniam, quæ dura fati necessitas est, *ego pauper ero: votum miserabile, nec spes his saltem,* ne horum quidem spes mihi est. *Viginti millia* sestertiorum, *fenus,* fenoris loco mihi solvenda pro sorte feneri data, scil. quando figam? 141. *Pigneribus positis,* datis mihi a debitoribus, ut caverent mihi de pecunia mutua a me accepta. En lepidum hominem, cui non modo magna, sed et certa pecunia in optatis est! — *argenti puri,* (ut X, 19.) non cælati s. asperi, sine sigillis, ut ap. Cic. Verr. IV, 22. 23. nisi malis, sine scoria, ut *aurum parum* ap. Plin. XXXIII, 4. et 6. Illud etiam *grave* dicitur inf. XI, 41. *Argentum grave sine ullo opere et nomine artificis,* Sen. Tranq. an. c. 1. ubi v. Lips. *Vascula, quæ Fabricius Censor notet,* h. e. quæ sint decem pondo et amplius. C. Fabricius Luscinus censor a. 478. P. Cornelium Rufinum, bis consulatu et dictatura functum, senatu movit ob luxuriæ notam, quod cœnæ gratia decem pondo argenti facti haberet.[29] *Notare* et *nota* vocabula propria de censoria ignominia ac pœna. 142. *duo fortes,*

[28] Ita Prateus jam hoc verbum explicuit. Vetus Schol. "Constituam, componam, habeam: aut certe, quia in ceris vota *figuntur* apud templa: aut habeam, ubi maneam, aut supra quod incumbam senex." Lubinus: "Constituam, componam, habeam meæ senectutis præsidium; fixum aliquid ac certum mihi statuam, vel certas divitias vobis adjutoribus acquiram." C. Valesius: habebo, ut V, 12. *fige* pro *pone, habe.* Rutgersius Var. Lect. V, 5. figam vota s. vovcam. v. ad X, 55. Sed quænam ex his rationibus non dura est?

[29] Ita Gell. IV, 8. (ubi v. inipp.) XVII, 21. Valer. Max. II, 9. Tertull.

robusti servi lecticarii, *de grege Mœsorum,* servorum, ex Mœsia (hod. Bulgaria et Servia) Romam advectorum; nam ex Mœsia, Cappadocia, Bithynia et Syria gregatim afferebantur venales. v. Böttigeri Sabina p. 429. et 444 seq. *Mœsi* h. l., ut *Syri*, *Cappadoces* cet. ap. Martial. IX, 23, 9. Pers. VI, 77. al. Cur vero *duo* tantum servi? Modeste optat. Sed v. ad I, 64. — 143. *cervice locata,* non conducta, sed sub me locata, supposita lecticæ sellæve ferendæ, vel accommodata mihi, in usum meum. Sed hæ quoque rationes duræ sunt. Cf. Var. Lect. — 144. In sellis Romani non modo deferebantur in *circum* vel in theatrum, sed in iis quoque ibi persedebant.[30] *Securum* a turba urgente, vel quovis periculo, quod *duo fortes* propulsant. *Circo clamoso,* propter clamorem et plausus populi, ut *raucus circus* VIII, 59. ubi v. not. — 145. 146. Operam mihi præstent artifices domumque meam exornent vasis affabre cælatis vel plasticis artificiis. *cælator* sigillorum vasis arte illigandorum. *curvus,* incurvatus, assiduus in multo labore, a me ipsi imposito. — *et alter, qui multas facies cito fingat;* nota Ach. est: " Hic pictor designatur, qui imagines ex argilla vel cera fictas vel etiam tabulas pingebat. Hæ imagines, præsertim Lares, colore vili, rubro, flavo aut nigro leviter ideoque *cito* pingi solebant. Ad hoc opus habebant servos pictores rudes, quales nostri vocant *barbouilleurs d'enseignes.*" *facies* virorum illustrium vel majorum meorum. — 146 seq. *Sufficiunt hæc* cet. conf. sup. ad v. 140 seq. — 147. *Quando,* quandoquidem, quoniam, *ego pauper ero,* quæ dura fati necessitas est. Quum pauper ero et potiar supra dictis; H. Vales. Quam diu pauper ero; Ach.

148 seq. Lepide dicit, Fortunam sibi aures cera obturare, (quo sensu Ovid. ex P. II, 8, 28. Prop. II, 16, 48. et alii de diis, preces ac vota non exaudientibus, eos *in vota surdos esse* vel *surda aure negligere preces*) simulque ridet fabulam de Ulysse, qui, ne *cantu Siculo,* h. e. Sirenum (quarum sedes erat prope Surrentinum vel Pelorum prom. Siciliæ) alliceretur, Circes consilio *remiges* s. socios *surdos* fecit, auribus cera occlusis, et se ipsum ad malum navis alligari jussit. v. Hom. Odyss. M, 39 seq. 166—200. et Hygin. f. 125. De vero sensu mythi de *Sirenibus,* tribus petris, v. Herrmann. Mythol. T. I. p. 376. Heyne ad Virg. Æn. V, 864 seq. et ad Apollod. I, 3, 4. et I, 9, 25. nosque ad Sil. XII, 33 seq. et XIV, 473 seq.

Apolog. c. 6. Sen. vit. beat. 21. Plut. in Sulla.

[30] v. Lips. Elect. I, 19. et de amphith. Cf. Plin. XXXIII, 9. s. 54. et c. 15. Pigh. Ann. T. I. p. 140.

IN

SATIRAM X.

1—6. Fons primum et causa votorum vulgarium, quæ plerumque est falsa opinio de veris bonis mente concepta, declaratur. Alcibiades ap. Plat. Alcib. II. p. 156. ed. Nürnbergeri: *Ἐκεῖνο οὖν ἐννοῶ, ὅσων κακῶν αἰτία ἡ ἄγνοια τοῖς ἀνθρώποις· ὁπότε, ὡς ἔοικε, λελήθαμεν ἡμᾶς αὐτοὺς διὰ ταύτην καὶ πράττοντες, καί, τόγε ἔσχατον, εὐχόμενοι ἡμῖν αὐτοῖς τὰ κάκιστα* cet. et Socrates ibid. p. 180. *Δοκεῖ μοι, ὥσπερ τῷ Διομήδει φησὶ τὴν Ἀθηνᾶν Ὅμηρος* (Il. ε, 127.) *ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν ἀφελεῖν τὴν ἀχλύν, Ὄφρ' εὖ γιγνώσκοι ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα, οὕτω καὶ σοῦ δεῖν ἀπὸ τῆς ψυχῆς πρῶτον ἀφελόντα τὴν ἀχλύν, ἣ νῦν παροῦσα τυγχάνει, τοτηνικαῦτ' ἤδη προσφέρειν δι' ὧν μέλλεις γνώσεσθαι ἠμὲν κακὸν ἠδὲ καὶ ἐσθλόν.* *a Gadibus,* extremo occidente, *usque* ad *Auroram,* orientem, (ut Gr. *ἠώς*) *et Gangen,* ab una orbis terrarum tunc cogniti parte ad alteram; ut ap. Anacr. XXXII, 25. *ἐκτὸς Γαδείρων, Τῶν Βακτρίων τε κ' Ἰνδῶν.* *Gades* (hod. *Cadiz*) extrema Europæ ins. versus occidentem; unde *hominum finis* ap. Sil. I, 141. ubi v. not. *Ganges* maximus Indiæ fluvius, etiam major Indo; unde *India intra et extra Gangen.* *Aurora* et *Ganges* designant orientem. Cf. Ovid. Met. I, 61. — 2. *Pauci dignoscere possunt vera bona atque* ab *illis multum diversa,* bona opinata, vel quæ bona nobis videntur, sed mala sunt. *Res fallunt; illas discerne: pro bonis mala amplectimur; optamus contra id, quod optavimus; pugnant nostra vota cum votis, consilia cum consiliis,* Senec. Epist. 54. — 3. *remota erroris nebula,* sine errore ac mentis cæcitate vel ignorantia. Similiter *ἀχλὺς* ap. Plaut. l. l. et *nubes, nubila, tenebræ, caligo mentis, invidiæ* cet. dicuntur.

4. *Quid enim ratione* recta ac bona *timemus*, aut timere possumus ac debemus, ut malum, *aut cupimus*, ut bonum? — 5—8. Socrates ap. Plat. l. l. p. 140. Οὐκοῦν δοκεῖ σοι πολλῆς προμηθείας γε προσδεῖσθαι, ὅπως μὴ λήσεταί τις αὐτὸν εὐχόμενος μεγάλα κακὰ, δοκῶν δ' ἀγαθά; οἱ δὲ θεοὶ τύχωσιν ἐν ταύτῃ ὄντες τῇ ἕξει, ἐν ᾗ διδόασιν αὐτοὶ ἅ τις εὐχόμενος τυγχάνει; p. 148. Εὐρήσεις δὲ καὶ τῶν νῦν ἔτι πολλοὺς, οὐκ ὀργῇ κεχρημένους, ὥσπερ ἐκεῖνον, (τὸν Οἰδίποδα) οὐδ' οἰομένους κακὰ σφίσιν εὔχεσθαι, ἀλλ' ἀγαθά. ἐκεῖνος μὲν, ὥσπερ οὐδ' ἤθελεν, οὐδ' ἤρετο· ἕτεροι δέ τινες εἰσὶν, οἳ τἀναντία τούτων πεπόνθασιν. et p. 154. Οἱ πολλοὶ οὔτε ἂν τυραννίδος διδομένης ἀπόσχοιντο ἄν, οὔτε στρατηγίας, οὐδ' ἑτέρων πολλῶν, ἃ παρόντα βλάπτει μᾶλλον ἢ ὠφελεῖ· ἀλλὰ κἂν εὔξαιντο ἂν γενέσθαι, εἴ τῳ μὴ παρόντα τυγχάνει. ὀλίγον δὲ ἐπισχόντες, ἐνίοτε παλινῳδοῦσιν, ἀνευχόμενοι ἅττ' ἂν τοπρῶτον εὔξωνται. Cf. Hom. Odyss. I, 32 seq. *quid tam dextro pede concipis*, v. Var. Lect.

7. 8. Cf. v. 111. Sen. Ep. 60. 101. et 109. Valer. Max. VII, 2. ext. 1. *ipsis optantibus faciles*, votis ipsorum, qui ea conceperant, annuentes. *Facilis* proprie dicitur argilla et cera, quæ facile fingi et tractari potest; hinc deus vel homo ejusque animus, qui facile flecti ac moveri potest et facile, quod optamus et precamur, facit, commodus, comis, benignus, εὐκίνητος, ut contra *difficilis* est inexorabilis, durus, pertinax, morosus, ἀργαλέος, δύσκολος, χαλεπὸς, δυσχερής.[1] — 8. *toga* et *militia*, in pace et bello, pacis et belli temporibus. *Toga* insigne pacis, ut ait Cic. Pis. 30. qua Romani utebantur tempore pacis; unde pro ipsa pace h. l. et VIII, 240. — 9. *Torrens dicendi copia*, v. ad III, 74. *facundia*, votis expetita a diis, *mortifera*, exitiosa *est multis*, ut Demostheni, Ciceroni et aliis. Cf. v. 114 seq. — 10. *Viribus ille confisus periit*, ut Milo Crotoniates, qui quum (jam grandis natu) arborem manibus scinderet, brachia ejus occupata sunt, et a lupis consumtus est; vet. Schol. De *admirandis lacertis* ac *viribus* hujus athletæ miserandaque ejus morte v. Pausan. VI, 14. Strab. VI. p. 403. Ælian. V. H. II, 24. XII, 22. Athen. X, 2. (4.) p. 412. 413. Gell. XV, 16. Ovid. Ibis v. 609. 610. Plin. VII, 20. XXXVII, 10. Philostr. vit. Apoll. IV, 9. Valer. Max. IX, 12. ext. 9. et Suidas.

12 seq. Conf. Prop. III, 7, 1 seq. Sen. Ep. 88. et 115. de ira III, 32. et de tranq. vit. I, 8. — 13. *Strangulat*, macerat, *nimia cura*, qua *congesta* est et custoditur, vel potius facit, ut jugulentur a furibus aut tyrannis, qui opibus eorum inhiant.[2] — 14. Metaphora in Tiberium

[1] Vetus Schol. "*Di faciles* satirice, ad mala peragenda faciles, vel ideo *faciles*, quia preces stultas audiunt."

[2] Lubinus et alii respici putant fabulam de Mida, qui cibo in aurum converso strangulatus sit; unde Diogenes Cynicus

et divites; vet. Schol. *balæna Britannica*, propter multitudinem et magnitudinem balænarum in oceano Britannico. Maximas tamen in Indico mari reperiri monet Plinius; quem vide de *balænis* lib. IX, 3—7. et de *delphinis* ibid. c. 8. *exsuperans* scil. *tanto*, quod sæpius ante *quanto* omitti, vel tironibus notum est.

15. *Temporibus diris*, quibus Nero imperabat inhiabatque divitum opibus. 16. Vulgatam lectionem judice Hein. bene defendit, et explicavit Burm. ad Prop. I, 1, 24. his verbis: "Amant veteres unum tantum verbum ponere, licet duas res diversas memorent, alterumque ex sensu supplendum omittere; quem loquendi modum multis Græcorum et Latinorum exemplis illustravit d'Orville ad Charit. p. 395 seq. et patruus meus ad Claud. de cons. Stil. II, 16. Vide, quæ notavi ad Lotich. I, 2, 9. et adde insigne ejusmodi *βραχυλογίας* exemplum in loco Juven. X, 16. ubi supplendum est: *Longinum* mori coegit *et Senecæ hortos clausit.*" Enimvero non ignoro, (quod et a me ipso passim ad Sil. VI, 179. XII, 65. Tac. Ann. II, 20, 2. Liv. I, 33, 7. XII, 12, 8. XXIV, 5. 7. et a viris doctis, quos ad hæc loca laudavi, notatum est) a scriptoribus tam Græcis quam Latinis sæpe duobus pluribusve membris unum jungi verbum, cujus plena significatio ad unum modo membrum referri possit: sed tum ex hoc verbo generalis vel cognata, non plane diversa et dissimilis notio petenda est et transferenda. Conf. Var. Lect. C. Cassius *Longinus*, celeberrimus JCtus et rector Syriæ, pulsus est a Nerone et a Vespasiano revocatus. v. ad Tac. VI, 15. Alium Cassium *Longinum* mori jussit Nero, teste Suet. c. 37. *magnos Senecæ prædivitis hortos*, v. Tac. Ann. XIII, 42. XIV, 52—56. 65. XV, 56. 60—65. et Xiphilin. in Nerone. *Senecæ hortos clausit tota cohors*, ut. ap. Tac. Ann. XIV, 60. *villam* Senecæ *globus militum sepsit* cet.[3] 17. *egregias Lateranorum ædes*; v. Excurs. ad VIII, 147. 18. *Rarus*, raro, jussu tyranni, *miles venit ad cœnacula* pauperum, qui a tyrannorum insidiis tuti sunt. De *cœnaculis* v. ad III, 199. et VII, 118. — 19 seq. Pulchra sententia et egregie expressa: Si in itinere vel *pauca* portaveris *vascula argenti puri, timebis gladium contumque*, h. e. insidias impetumque latronum; *viator* autem *vacuus*, qui nihil argenti aut pretiosi secum portat, *cantabit coram latrone*, liber omni metu et cura. Conf. Boethius consol. philos.

in Epist. ad Chrysen: Μίδου τὴν κακίαν ζηλώσας, λιμώττων πλουτεῖς, βρόχοις ὥσπερ χρυσοῖς ἀπαγχόμενος.

[3] Henninius monet, subtiliter tangi divitias Senecæ invidendas, quas inter facillime de vita beata, de animi tranquill. cet. scribere potuerit; eum tamen excusari a Lipsio in Proleg. ad Senec. et a se ipso Vit. beat. c. 17.

lib. II. Ovid. de Nuce v. 43. 44. Sen. Ep. XIV. Palladæ Epigr. CX. in Brunck. Anal. T. II. p. 429. ibique Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 253. *Argentum purum,* ad extenuationem dici putabat Lubinus, quoniam illud non tanti sit, quanti cælatum. Conf. ad IX, 141. *Contus* proprie hasta dicitur prælonga, ponderosa et amentata. v. ad Sil. XV, 687. — 21. Præclare de summa formidine, quæ facit, ut vel *umbram arundinis* expavescamus, tamquam latronis umbra sit. Sic τὴν αὐτοῦ σκιὰν φοβεῖσθαι dixit Plato in Phædone.[4] *ad lunam,* ad lunæ splendorem. — 22. *vacuus,* inops omnium rerum, ut *inanis* ap. Cic. Att. XIV, 3. et Plaut. Bacch. III, 4, 10. *Cantabit,* v. ad VII, 55.

23 seq. Cf. Pers. II, 44 seq. *templis,* in quibus vota concipiuntur. — 24. *Divitias* et *opes* bene separavit poeta: nam *divitiæ* possunt esse sine *opibus,* quoniam cum opibus semper aliqua jungitur potestas; Ach. *Expetuntur divitiæ, ut utare; opes, ut colaris; honores, ut lauderis,* Cic. de amic. c. 6. — 25. *Maxima area in foro* feneris et argentariæ faciendæ causa, vel apud argentarios s. numularios, mensarios, trapezitas. Cf. ad XI, 26. 27. et XIV, 260. 261. Vetus Schol. "Usque ad Cerealem præfectum in *foro* Trajani *arcas* habuerunt Senatores, in quibus argentum aut pecunias tutius deponebant. Propterea et locus ipse, in quo erant *arcæ* positæ, *Opes* dictæ sunt." Idem ad XIV, 261. "Antea solebant arcas æratas facere, et ibi mittere pecuniam suam Senatores, et sic in foro *Martis* ponere. Verum per noctem a furibus exspoliatæ sunt arcæ, et cœperunt ex eo ad templum *Castoris* ponere. Ideo dicit, *Mars ultor galeam perdidit.*" Plathnerus: "Loculis, inquit, tantum minora æra, majora *arcis* tenebantur. Rara tamen potentioribus circa illa cura, dispensatoribus domesticas ordinantibus expensas, majores summas argentariis. Plerasque enim pecunias in foro habebant apud Trapezitas duplicem ob causam, feneris puta et custodiæ. De fenere Noster intelligendus h. l. et I, 105. IX, 140. de custodia Ulpian. lib. 30. ad Edict. et L. 7. § 10. ff. Depos."

25 seq. At non pauperibus, sed divitibus veneficia aliaque pericula sunt timenda. Cf. Sen. Herc. Œt. II. v. 652 seq. et Thyest. III, 1, 448—454. *aconita,* venena. v. ad I, 158. 26. *Fictilibus* poculis pauperum, ut mox *gemmata* divitum. Conf. ad V, 39. et 41. — 27. *Setinum* vinum. v. ad V, 34. *ardebit,* quoniam splendet *in auro,*

[4] Conf. Virg. Æn. II, 755. intpp. Theb. VI, 158 seq. et ad Claud. in Eutrop. II, 451. Horat. Od. I, 23, 5 seq. Barth. ad Stat.

h. e. aureo poculo, (ut V, 39.) vel veneno mixtum est, vel potius austerum et calidum est, ut Falernum, de quo v. ad IV, 138. 139. et Mitscherl. ad Horat. Od. II, 7, 21. ubi comparat verba Epigr. in Brunck. Anal. T. III. p. 166. ἀποστίλβωσον τὸ κύπελλον, (forsan terge poculum, ut splendeat) quæ exponit: fac ut ardeat, resplendeat, impleatur poculum sc. vino, quales κρητῆρες οἴνοιο ἐπιστεφεῖς Hom. Il. 9, 232. dicuntur.

28—30. Cur itaque magni æstimas opum affluentiam et ostentationem, quæ *alteri de Sapientibus*, antiquis philosophis, risum, *alteri* contra fletum movere solebat? Sed præstat forte h. l. ita exponere: Nonne itaque probas, quod philosophorum alter (Democritus Abderites) perpetuo ineptias riserit hominum, alter (Heraclitus, non Diogenes Cynicus vel Anacharsis Scytha) stultitiam eorum et miserias semper defleverit? [5] *auctor contrarius*, h. e. contrariæ sententiæ, scil. deflendas esse ineptias hominum et miserias. — 31. 32. Facete dicit: facile est ridere, sed mirum, unde Heraclito tanta lacrymarum copia suppetierit. Quidam eo respici putant, quod ex hydrope mortuus dicatur Heraclitus. *censura*, vituperatio ineptiarum, expressa *cachinno*. *rigidi*, duri, acerbi; sed proprie *censura* est *rigida*. Cf. ad XI, 91. in var. lect. — 33—46. Democritus perpetuo ridebat illis temporibus ac locis, (*urbibus* Thraciæ, Abdera et aliis) quibus nondum tam ridicula erat vanitas ornamentorum et magnificentiæ; quanto magis risisset, si vixisset nostra ætate et Romæ? Cf. Horat. Epist. II, 1, 194 seq. *pulmonem agitare*, vexare, concutere, *risu* solutiore. Vetus Schol. "quia ex splene risum dicunt gigni." [6] — 35. *Prætexta* palmata; vet. Schol. Cf. v. 99. *trabeæ*; v. ad VIII, 259. De *tribunali* v. Ernesti clav. Cic.

36—46. Describitur pompa Circensis ornatusque Prætoris vel Consulis, (nam idem magistratus v. 36. *Prætor* et v. 41. *Consul* vocatur, et *Prætor* olim Consulis propriumque *ducis* nomen fuit) [7] ludis habitu triumphali (de quo hic locus classicus est) præsidentis: [8] unde inf. XI, 192. *similis triumpho*, triumphanti, *Prætor sedet* in circo et curru. De habitu triumphali v. Liv. XXX, 15. Sed conf. Var. Lect. *Quid* scil. sensisset dixissetque, et quantopere risisset. 37. *Exstantem*,

[5] De qua fabula vide Senecam de ira II, 10. et de tranquillitate an. c. 15. Lucian. βίων πρᾶσις et de sacrif. extr. Kœnig ad Claudian. XVII, 90. Suidas, Laert. et al.

[6] Cf. Hard. ad Plin. XI, 37. s. 80. et Casaub. ad Pers. I, 12.

[7] de quo v. Perizon. diss. de præt. p. 8.

[8] Cf. Lips. ad Tac. Ann. I, 15. et Salmas. ad Solin. p. 465.

eminentem. *sublimem,* in *curribus altis,* in *curru alto,* formam rotundæ turris habente. *medio,* medii, *in pulvere Circi;* nam pompa Circensis a Capitolio ad medium ducebatur Circum. v. loc. class. Dionys. Hal. VII, 72. 38. *tunica Jovis,* palmata, e Capitolio accepta, æque ac *toga picta,* quæ propria triumphantium insignia fuere et *Jovis optimi maximi ornatus* dicuntur Liv. XX, 7.[9] *pictæ* acu. *Sarrana,* Tyria, (nam *Sarra,* צור, priscum Tyri nomen) h. e. purpurea. 39. *aulæa togæ* lepide pro toga laxa et ampla, quemadmodum molles dicuntur *velis amicti, non togis,* Cic. Catil. II, 10. — 40. *quanto,* cui ferendo. 41. Coronam auream *tenet* supra triumphantis caput et ab ejus tergo *servus publicus, sudans* præ labore, sub pondere; isque, *ne Consul sibi placeat,* nimis se efferat superbiatque tali honore, *eodem curru portatur.*[10] De *servis publicis* v. Lips. Elect. I, 22. — 43. *Da,* adde, præterea. Triumphator manu tenebat *eburneum sceptrum* s. scipionem, (σκῆπτρον) imperii insigne, cujus summo s. capitulo insculpta erat *volucris,* aquila, præcipuum signum militare.[11] *surgit,* est, exstat. Cf. ad VI, 529.

44 seq. De hac pompa triumphali cf. Appian. Pun. 66. Joseph. B. J. II, 17. et Plut. vit. Æmilii Pauli. *cornicines,* χορὸς κιθαριστῶν τε καὶ τιτυριστῶν cet. ap. Appian. l. l. *præcedentia* currum triumphalem, *longi agminis officia,* longus ordo ministrorum et clientium, *officii* causa (v. ad II, 132.) præcedentium; ut τὰ καθήκοντα ap. Lucian. in Somn. 45. *Quirites,* cives, (v. ad VIII, 47.) inpr. clientes et ministros, *ad frena,* ad equos vel currum euntes, *niveos,* alba vel potius candida (ab arte, creta a fullonibus adhibita) toga indutos.[12] — 46. Facete de clientibus, *quos sportula,* (v. ad I, 95 seq.) emolumentum, non verus amor, *fecit amicos. Defossa in loculis,* velut in terra, quasi numquam exinde egressura sit: facete et satirice in

[9] v. Ruben. de re vest. I, 21.

[10] v. Plin. XXII, 4. XXVIII, 4. XXXIII, 1. Tertull. de corona mil. c. 13. Joseph. Ant. VII, 24. et al. Hennius: "Quæ, inquit, Tertull. Apol. c. 33. ex eoque Zonaras et Panvinius de mortalitatis admonitione a servo suggesta referunt, (eum scil. triumphanti idemtidem acclamasse: *Respice post te; hominem esse te memento*) illa gratis dicta et ex Philippi historia traducta videntur. — Stulta mortalium vota circa triumphos ea ratione damnat Juvenalis, quod vel ipsa triumphi pompa quemvis doceat Fortunæ vicissitudinem; hinc obiter mentionem servi illius facit, quem respiciens triumphator Fortunæ inconstantiam considerare poterat, quum cuivis contingere possit, quod cuiquam."

[11] v. Dionys. Hal. III, 61. Appian. Pun. 66. Liv. XXX, 15. Isidor. II, 18. Wernsdorf. ad Himer. p. 219. Vales. ad Ammian. Marc. XXIX, 2, 15. Salmas. ad Script. hist. Aug. T. II. p. 358. 450. Fabric. Ind. in Prudent. in Symm. I. et intpp. Claudian. I, 205. XXII, 365.

[12] v. Plut. l. l. Lips. Elect. I, 13. et Manut. Quæsit. per Epist. III, 1.

avaros ; Grang. Itaque, quæ olim *defossa* erat *in loculis* patronorum et parce ab iis data est clientibus.[13]

47. *Tunc* temporis, illa ætate, qua summa erat morum simplicitas, non tanta vanitas magnificentiæ.[14] *invenit* sc. Democritus. Cf. sup. v. 28 seq. — 48 seq. Democritus, Abderitanus, exemplo est, *summos viros et magna exempla daturos,* qui aliis exemplo esse possunt, eximia ingenia, (Germ. *originalgenies*) *nasci posse in* Thracia, *patria vervecum,* stupidorum hominum, (ut nostrum *schöps*) *et sub crasso aëre* Thraciæ, ut ap. Horat. Epist. II, 1, 244. *Bœotum in crasso jurares aëre natum.* Nam Bœoti, æque ac Thraces et in primis Abderitæ, stupidi habebantur, quod notum est ex Wielandi Abderitis multisque proverbiis locum dedit.[15]

52. 53. Fortunam, quam tot homines colunt et cujus vim timent, contemnebat et, si vel mala ipsi minari videretur, irridebat, ut quæ nocere non posset sapienti recteque viventi. Summus h. l. contemtus duplici dictione proverbiali exprimitur. Nam *laqueum mandare* et *suspendium* (ut ap. Apul. Met. IX. p. 234, 12. ed. Elmenh. *potens juvenis ad extremam insaniam vecors suspendium sese legibus et ipsis pauperis amicis ac propugnatoribus mandare,* h. e. eos contemnere et irridere ; *proclamans*) alicui dicitur, qui eum usque adeo despicit, ut, si vel laqueo suspendat se, id nihil curet, vel eum abire jubeat et se suspendere. (Hic dicere solet *restim cape et suspende te,* ut Plaut. Pers. V, 2, 34. et nos *geh zum henker!* unde *res ad restim rediit* ap. Terent. Phorm. V, 4, 4.) Aliud vero indicium contemtus, derisionis

[13] An *defossa* a clientibus, qui amicitiam divitum sectantur, ut colligant sportulas iisque marsupia sua impleant? Sic Bahrdt reddidit: *beigesteckte sporteln.* Sed vox *defossa* huic rationi minus convenit.

[14] Quum hæc, quæ in Urbe fiunt, necdum essent reperta, i. e. major severitas et minor vanitas esset; Schol.

[15] Sic *Abdera* Cic. ad Att. IV, 16. dicitur Roma propter stuporem senatorum, *Abderites* Cic. N. D. I, 23. Ἀβδηριτικὸν Cic. ad Att. VII, 7. *Abderitanæ pectora plebis* Martial. X, 25. *Abderitana mens, Abdera pulcra, Diomedis equi, Teiorum colonia, Bœotica auris, Molchus resonat quid Bœoticum* cet. Britannicus notat, hæc dicta esse ex stomacho in superbiam eorum, qui orti sanguine Romano ceteros contemserint, et ex Heracliti (etiam Hippocratis aliorumque) sententia, qui affirmet, animam ibi esse prudentiorem, ubi aer sit siccior, ut Athenis, et hebetiorem, ubi crassior sit aer, ut Thebis. Henninius: " Recte, inquit, Curtius observat VIII, 9. (ubi v. Freinshem.) *ingenia hominum ubique formari situ locorum.* Ratio in promtu. Aer, qui omnia perspirat, varie se habet pro ratione climatum. Certum vero est, subtiliorem aerem multum conferre ad spiritus subtiliores, hos vero multum ad agilitatem et ad subtilitatem conceptuum. Hinc videas, plerosque Italos, Seras, Gallos cet. præpollere ingenio Sarmatis, Hunnis, Moschis. Potentissima tamen hæc causa multum variatur ab institutione, educatione, diæta, itineribus, cultura pertinaci ingenii, conversatione, commerciis. Maximum quoque hac in re momentum confert *bene esse natum,* quod paucissimi expendunt."

et contumeliæ erat, *medium* alicui *ostendere unguem* vel, ut Martial. II, 28, 2. dicit, *medium porrigere digitum*, qui *infamis* dicitur Pers. II, 33. (ubi v. Casaub.) *impudicus* Martial. VI, 70, 5. *κατάπυγος* Arrian. Epict. III, 2. quia extentus ille digitus reliquis contractis pudendam speciem exhibet eoque cinædi vel molles designabantur. Hinc probrosa ejus porrectio facta.[16]

54. *Ergo*, quæ quum ita sint, vel quia pauci vera bona et mala dignoscunt, (sup. v. 2 seq.) *petuntur* aut *supervacua* aut adeo *perniciosa* bona, quæ nobis bona videntur, inpr. opes et divitiæ, de quibus inde a v. 12. agitur. — 55. *fas est*, v. Var. Lect. *genua incerare deorum*, h. e. vota ad deos concipere eorumque se reum facere, ut *ἐπισφραγίζεσθαι* Philostr. Her. I, 17. *votum in statuæ femore adsignare* vel *alligare* Apul. Apol. I. et forte *incerat lapides fumosos idololatris religio* et *saxa illita ceris Viderat unguentoque Lares humescere nigros* Prudent. Hamart. v. 405. et c. Symm. I. Nam vota olim concipiebantur in *cerea* tabula et hæc imaginibus deorum, inpr. genibus earum, *cera* affigi solebat. Hinc et natam esse loquendi formulam *θεῶν ἐν γούνασι κεῖται* de re desperata, pro qua suscipiantur vota solumque deorum auxilium exspectetur, monet C. Valesius. Conf. Gonsal. ad Petron. p. m. 47. 48.[17]

56—113. Alii summos honores, tamquam verum bonum, votis expetunt, qui tamen hominibus quandoque perniciosi sunt; quod v. 61—107. exemplo Sejani, et v. 108 seq. Crassi, Pompeii ac Cæsaris ostenditur. Socrates ap. Plat. Alcib. II. p. 150. ed. Nürnbergeri: *Πολλοὺς ἂν ἔχοιμεν εἰπεῖν, ὅσοι τυραννίδος ἐπιθυμήσαντες ἤδη καὶ σπουδάσαντες τοῦτ' αὐτοῖς παραγενέσθαι, ὡς ἀγαθόν τι πράξοντες, διὰ τὴν τυραννίδα ἐπιβουλευθέντες τὸν βίον ἀφῃρέθησαν* cet. Cf. Plin. VII, 40—45. ubi plura fortunæ variantis exempla memorantur. Ceterum totus ille de Sejano locus eximia cum arte elaboratus est, et potissimum repentina summæ venerationis in acerrimum odium conversio, a servili metu tyranni mobilique vulgi ingenio profecta, præclare declaratur. *præcipitat* in exitium. *Potentia subjecta*, obnoxia, exposita, *magnæ in-*

[16] Cf. ad I, 161. Petron. 131. Burm. Anthol. Lat. T. II. p. 528. Schott. Obss. V, 3. et Alex. ab Alex. IV, 24.

[17] *incerare genua deorum*, precando prehendere deorum genua, qui habitus est misericordiam implorantium, et quidem toties prehendere genua, ut sudore incrassentur et cera quasi inducta videantur; Ramires. ad Martial. I, 93. Cereis candelis oblatis illinere, vel cereos offerre diis et eorum genibus affigere; Turneb. Adv. XXX, 19. Deorum simulacra illinere cera; Prat. Vota insculpebantur aut inscribebantur in cera genibus statuarum; *incerabant* igitur deorum genua, qui votum susceptum signabant seque voti reos constituebant; Ach.

vidiæ, quam ob causam minus quoque optabilis est. Cf. Horat. Sat. I, 6, 26. et 6, 47. *mergit* h. l. id. qd. *præcipitat*, ut contra *emergere se ex malis.* [18] 58. *Pagina longa honorum*, tot honorum tituli, ut vix una eos capere possit pagina. [19] — 58. *descendunt*, ex basi vel bigis (v. 59.) deturbantur, *statuæ* nonnumquam potentissimorum, *restemque sequuntur*, injecta reste detrahuntur vel raptantur per urbem. v. ad VIII, 18. *Restis sequi* et contra *duci* dicitur, ut *ensis* et *cera.* [20] — 59. 60. Cf. ad VIII, 18. *rotas bigarum* vel quadrigarum, in quibus triumphales erant statuæ. *caballis*, equis æneis, statuis equestribus. Cf. ad III, 118. *immeritis*, salse: nam innuit epitheton, potentes potius hac pœna dignos fuisse. Furor simul vulgi designatur, qui ne his quidem rebus parcit. — 61 seq. Versus præstantissimi aptissimique ad pingendam vulgi mobilitatem, simul et fortunæ inconstantiam atque pericula aulicis imminentia; Ach. 61. *Jam strident ignes*, quibus æneæ Sejani statuæ funduntur. [21] *caminis*, fornacibus. 62. *Ardet*, igni consumitur. *adoratus* a *populo et ingens Sejanus et toto orbe secundus*, præfectus prætorio et secundus a Tiberio Imp., *cujus statuis sacra faciebant quemque Tiberii collegam appellabant non in consulatu, sed in orbis terræ imperio*, ut utar verbis Xiphilini in Tiberio, quibus conf. Tac. Ann. IV, 2. extr. et Suet. Tib. 48. 65. *ex facie toto orbe secunda*, ex statua hominis t. o. secundi. Sic Rutilius Gallicus præf. urbi Germanico *proxima cervix ponderis immensi* dicitur Stat. Silv. I, 4, 6. — 64. *urceoli, pelves* cet. h. e. vasa vilia cujusque generis. Plinius Paneg. 52. imagines Domitiani dicit *excoctas flammis, ut ex illo terrore et minis in usum hominum ac voluptates ignibus mutarentur.* De iisdem Xiphil. in Nerva pr. *συνεχωνεύθησαν καὶ ἐξ αὐτῶν μεγάλα χρήματα συνελέγη.*

65—88. Præclare finguntur *sermones et secreta murmura vulgi*, (inf. v. 89.) ad Sejanum eo tempore, quo unco ad scalas Gemonias trahebatur, conspiciendum insultandumque undique accurrentis, cujus et lætitia et curiositas et levitas potissimum metusque tyranni egregie adumbratur. Conf. verba Livii XXIV, 25. *Hæc natura multitudinis est; aut servit humiliter, aut superbe dominatur: libertatem, quæ media est, nec spernere* (nisi leg. *sperare*) *modice, nec habere sciunt; et non*

[18] Cf. XIII, 8. Lucret. V, 1006. Sil. VIII, 285. et Virg. Æn. VI, 512. ubi v. Heyne in Var. Lect.

[19] Vetus Schol. "Æenea *pagina*, quæ ante imaginem eorum stans omnes eorum gradus honorum inscriptos continet; quam nunc dicunt *tabulam patronatus.*" Non male, judice Ach.

[20] v. Heins. ad Valer. Fl. I, 122.

[21] Vetus Schol. "Conflatur statua, ut pecunia inde fiat." At vid. v. 64.

ferme desunt irarum indulgentes ministri, qui avidos atque intemperantes plebeiorum animos ad sanguinem et cædes irritent. — 65—67. Hæc sunt verba vel populi, Tiberio gratulantis de oppresso illo hominis monstro, vel quæ plures secum colloquuntur et quæ quisque sibi dixit, exsultans lætitia ad primum nuntium de cæde ac pœna Sejani ad se perlatum. Cf. simil. loc. VI, 47—52. *Pone domi lauros,* v. ad VI, 51. *duc in Capitolia — bovem;* nam maxima hostia summoque Deo mactanda est in tanta lætitia, tam publica quam privata, ut in triumpho. Vetus Schol. monet, Juvenalis menti obversatum esse versum Lucretii: *Cretatumque bovem duci ad Capitolia magna.* *Duci* verbum propr. tam de victimis, quam, ut mox v. 66, de noxiis.[22] Ἐμφατικῶς bis h. l. ponitur. *Capitolia,* v. ad XIV, 91. *Cretatum,* non creta immolationi designatum, (quod putabat Saubert. de sacrif. c. 18. p. 427 seq.) sed niveum, candore similem cretæ, qualis hostia diis superis, inpr. beneficis ac Jovi, et in magna lætitia, mactari solebat. Conf. Virg. Æn. IX, 627. 628. Ovid. ex Ponto IV, 9, 50. al. Nota Ach. est: "*Cretatus* dicitur potius bos ille, quia, quum sæpe satis albos boves non invenirent, maculas eorum creta dissimulabant; unde Persius V, 177. *cretatam ambitionem* metaphorice dixit." *Unco,* in collum vel mentum fixo, perduelles damnati ad scalas Gemonias trahebantur: quod supplicium satis notum est. Sic quoque Sejanum e scalis illis præcipitatum et triduo post in Tiberim projectum esse, tradit Dio LVIII, 11. Quæ Tacitus de ejus morte ac pœna memoriæ prodiderat, intercidere. *Spectandus,* spectaculo futurus ac ludibrio.

67—70. Verba populi redeuntis ab hoc spectaculo et Sejanum insectantis, non tam ex vero odio, quam ut suspicionem familiaritatis cum eo contractæ a se dimoveat et Tiberii vitet insidias. *Quæ labra,* quam distorta ac deformata? *Quis vultus,* quam sævus et dilaceratus? 69—89. Hæc omnia sub specie dialogi inter duos cives legi debent; Ach. *quo cecidit sub crimine,* v. ad IV, 12. 72. *Quibus indiciis?* v. Var. Lect. *Quo teste probavit* Tiberius crimen? Abrupta oratio et tam brevitas quam multitudo interrogationum curiositati et affectui sciscitantis plebis consentanea est.

71. *Nil horum — Caprcis* videntur esse verba vel occultorum Sejani amicorum, vel civium prudentiorum eorumque, qui rem omnem probe cognitam habebant. Responsio cujusdam e plebe, forsan

[22] v. Heins. ad Ovid. Met. XV, 114.

amici Sejani; Ach. *Nil horum* factum est et cognitum, quæ in judicio capitali fieri ac cognosci et solent et debent. *Verbosa* tantum *et grandis epistola* Tiberii *venit*, in qua is multa de aliis rebus et pauca de Sejano, nihil vero aperte de damnatione ejus scripserat, veritus ne ita tumultus concitaretur. Nervius Sertorius Macro, qui a Tiberio in locum Sejani, præfecti prætorio, substitutus et cum his literis ad senatum missus erat, veram Imperatoris mentem ac voluntatem clam declaraverat. v. Suet. Tib. c. 65. et Dio LVIII, 4—8. *Capreæ* (hod. *Capri*) ins. ad sinum Neapolit. et Sirenum scopulos, ex adverso Surrenti, ubi villa fuit Jovis et arx Tiberii, qui, relicto Romæ Sejano, secesserat eo, ut libidinibus indulgeret. [23]

72 seq. *Bene habet — Remi*, verba ejus, qui causam condemnationis cognoscere cupiebat. *Bene* se *habet* res, καλῶς ἔχει, jam omnem rem teneo ac probo, Germ. *wohl! gut!* Formula gratulantis sibi aut aliis de bono rei eventu, vel rem probantis et contenti, ut ap. Cic. Mur. 6. Liv. VIII, 6. al. Conf. Gruteri Inscript. p. 339. Barth. ad Stat. Theb. XI, 557. XII, 338. Passerat. ad Prop. IV, 11, 97. Egregie de homine, curioso quidem, sed veram sententiam metu tyranni occultante; ut et illa *nil plus interrogo*, quorum sensus est: hæc damnationis causa satis mihi idonea videtur ac proba; vel, nolo curiosius scrutari consilia factaque Imperatoris, quod nefas est. Sic *nil ultra quæro plebeius* apud Horat. Sat. II, 3, 188. ubi v. Bentl. — 73. *Sed quid* facit vel fecit vel sentit *turba Remi*, plebs Romana, a Romulo et Remo oriunda. [24] *Remus* vel Romuli frater vel potius alius quisquam, a quo Urbem fuisse dictam fama tradiderat. Conf. Plut. in Romulo pr. Vulp. ad Prop. II, 1, 23. IV, 1, 9. et Kœnig ad Pers. I, 73. *Turba Remi* contemtim dicitur, fæx populi eaque in factiones divisa, ut *turba mobilium Quiritium* ap. Horat. Od. I, 1, 7. Conf. Var. Lect. — 73—81. Præclare adumbratur ingenium et indoles plebis vel fæcis potius Romanæ, qualis sub Imperatoribus et jam inde a bellis civilibus fuit, et primum quidem v. 73—76. animi levitas et inconstantia, deinde v. 77—81. ignavia et servilis animus plebis, quæ libertatem ac jura pristina sibi omnia eripi patienter fert et duas tantum res anxie

[23] Cf. v. 93. Plin. III, 6. Strab. I. p. 15. V. p. 171. VI. p. 178. Tac. Ann. IV, 67. Suet. Tib. c. 40. 43. et 65. Cluver. Ital. ant. IV. p. 1168. Heyne ad Apollod. p. 312. et Exc. VIII. ad Virg. Æn. VII, 733 seq.

[24] Sic *Remi plebs, terra, regna, domus, nepotes, culmina, signa* ap. Martial. X, 76, 4. Catull. LVIII, 5. Stat. Silv. II, 7, 60. Prop. IV, 6, 80. ἄστυ Ῥέμειο in Diodori epigr. Anthol. lib. I.

optat, *panem et Circenses* ludos. Conf. ad v. 65. *Sequitur Fortunam* secundam, (conf. Bentl. ad Hor. Od. I, 35, 22.) favor ejus eodem, quo Fortuna, se inclinat atque cum fortuna mutatur et stat vel cadit; unde *turba mobilium Quiritium*, et *ventosæ plebis suffragia* ap. Horat. Od. I, 1, 7. et Epist. I, 19, 37. Conf. Hor. Od. I, 35, 25 seq. Cic. ad Herenn. IV, 17. et 48. similiaque loca Ovidii aliorumque.

74 seq. Eadem plebs, si Fortuna adspirasset Sejani cœptis, *et secura senectus Principis*, h. e. Tiberius, senio jam confectus (v. ad IV, 39. et 81.) et nihil tale ab amico imperiique consorte metuens, *oppressus foret* a Sejano regnandi cupido, (non morte) *hac ipsa hora*, qua Tiberius occisus esset, *Sejanum diceret Augustum*, creasset vel salutasset Imperatorem. Præclare sic levitas vulgi notatur. (Cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 328.) *Nursia*, Etruscorum et Volsiniensium dea. v. Liv. VII, 3. et Tertull. Apolog. c. 24. (*Asculanorum dea Ancaria, Volsiniensium Nursia, Ocriculanorum Valentia, Sutrinorum Nortia.*) Cf. Var. Lect. *Tusco*, Sejano, alumno suo, genito Volsiniis s. Vulsiniis, (v. Tac. Ann. IV, 1.) quod Etruriæ oppidum est et hodie *Bolsena* dicitur. — 77. 78. Populus Romanus, jam dudum et otio et jugo imperioque Cæsarum adsuetus ac pristinæ libertatis immemor, hujus recuperandæ occasionem, interfecto Tiberio, non arripuisset. *ex quo suffragia nulli* candidato *vendimus*, σαρκαστικῶς pro, ex quo suffragia comitiaque nobis ademta sunt: nam suffragia olim venalia plerumque erant; unde tot leges de ambitu latæ.[25] *Jam pridem*, jam inde a Jul. Cæsaris temporibus, qui comitia cum populo partitus est. Ejus institutum reduxit Augustus et ambitum multiplici pœna coercuit. Tiberius autem, animis Romanorum fractis jam et servitio adsuetis, comitia prorsus e Campo in curiam transtulit, neque ea exinde populo reddita sunt.[26] *curas*, omnem curam reipubl. administrandæ, creandorum inpr. magistratuum legumque sciscendarum, *effudit*, dimisit; quod εἰρωνικῶς dictum est, quasi otii amore ac sponte, vel adeo libenter, sua jura Cæsari et Imperatoribus concesserit.[27] — 79. *Imperium* summum, et quidem tam civile, *fasces*, (dictaturas, consulatus,

[25] Cf. Lucan. I, 178. Petron. de mutat. reip. Rom. v. 39 seq. ibique Wernsdorf in Poet. Lat. min. T. III. p. 31. 32.

[26] v. Casaub. ad Suet. Cæs. 19. 41. et in Aug. 40. Tac. Ann. I, 15. ibique Excurs. Lips.

[27] Similiter *effundere curam sui, verecundiam* et *odium* dixere Sen. de Ira II, 35. in Epist. 11. et Cic. ad Div. I, 9. § 54. Cf. Wernsdorf. poet. Lat. min. T. IV. p. 340.

præturas) quam militare, *legiones*. Vox *omnia* separatim capienda. [28] — 80. *Continet se*, modeste coercet cupiditates suas, nihil amplius cupit, quam *panem et Circenses ludos*, quos tamen *anxius*, anxie, cupide, optat: contentus est, dummodo et facilem habeat victum et voluptatem. Conf. Tac. Ann. I, 2. *Panem*, sportulas et congiaria vel tesseras largitionesque frumentarias. v. ad VII, 174. [29] *Circenses*, v. ad III, 223.

81—88. Responsio aliorum civium, quorum animus servilis et metus tyranni egregie declarantur. *multos* Sejani amicos vel suspectos certe de amicitia ejus. [30] 82. Verba *Nil dubium; magna est fornacula*, tribui etiam possunt aliis civibus respondentibus. *magna est fornacula*, in qua Sejanus ardet et quæ magnam hominum multitudinem capit. Cf. v. 61 seq. [31] Poeta autem ludit antithetis *magna* et *fornacula*; Lub. et Ach. *Pallidulus* metu mortis. Lepide ponitur diminut.

83. *Brutidius* Niger, Ædilis, rhetor et historicus, de quo v. Tac. Ann. III, 66. et Senec. Suasor. VII. *meus* amicus. Scholion in cod. Alex. est: *Brutidius* amicus Sejani, cum illo interfici jussus; et est vox populi: *obvius fuit mihi Brutidius*, quum duceretur ad mortem. *ad aram Martis* forte Ultoris, cujus ædes fuit in foro Augusti. v. Suet. Aug. 29. In vicis atque foris aræ erant exstructæ sine templis, ut *ara maxima* Herculi dicata; Ach. 84. 85. *Quam*, quantopere, *metuo*, [32] ne Tiberius, *male* se et majestatem suam a senatu et civibus *defensam* ratus et arguens, ira furens *pœnas* de iis *exigat*, æque ac *Ajax*, Telamonis filius, qui, quum in judicio, super armis Achillis habito, *victus* esset eloquentia Ulyssis ac *male defensus* a Græcis, testibus virtutis suæ, (v. ad VII, 115.) ex dolore et ira in rabiem versus, gladio et flagello in pecudes irruit, ratus se in plebem ac principes Græcorum sævire: de quo v. Sophoclis Αἴας μαστιγοφόρος, et inf. ad XIV, 286. Præclara comparatio Tiberii, qui post interitum Sejani, immanis belluæ hominisque furibundi instar, in omne civium genus crudelissime sæviit, (v. Suet. Tib. c. 61. et 62.) cum Ajace fu-

[28] v. Burm. ad Sulpic. Sat. v. 38. et ad Phædr. IV, 23, 5.

[29] *Panis* etiam civibus pro frumento datus, sed forte non ante imperium Trajani: (v. Lips. Elect. I, 8.) nisi hujus rei auctor potius Hadrianus fuit, quod probabile fit ex ejus edicto apud Cujac. Obss. XXI, 6. Inde Plathnerus colligebat, hanc satiram sub Hadriano scriptam esse. Sed *panis* etiam h. l. de frumento accipi potest et forsan debet, quia effinguntur sermones plebis eo tempore viventis, quo Sejanus periit.

[30] v. Dio Cass. LVIII, 7. 8. et Suet. Tib. c. 61.

[31] Alii exponunt: ira Imperatoris incensa est et æstuat. Britannicus: magnum est incendium, h. e. res maximi excidii et furoris moventur.

[32] v. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 64.

rente. Forte etiam satiricus poeta respexit tum stultam ignaviam, tum innocentiam Romanorum, quos insectatus est tyrannus, tamquam *pecora* essent, non homines. [33]

85—88. Præclara imago plebis servilis, quæ sequitur Fortunam, et temporum illorum, quibus servi etiam delatores dominorum erant. 86. *Dum jacet in ripa* Tiberis, antequam in fluvium projiciatur. Conf. ad v. 66. *Cæsaris hostem,* Sejanum occisum, *calcemus* pedibus; quod contemtus, odii et insultationis signum est, ut λὰξ ἐν στήθεσι βαίνων ap. Hom. Il. ν, 618. ἐχθροῖσιν ἐπεμβῆναι ποδὶ, vel θανόντι προσεμβῆναι ap. Sophocl. in Electra et Ajace; unde πατεῖν pro καταφρονεῖν. [34] — 87. *Sed videant servi* nostri, *ne quis* eorum *neget,* nos id fecisse, et nos accuset vel deferat tamquam Sejani amicos. Ἦρκει γὰρ μόνον πρὸς κατηγορίαν τινὸς τὸ τοῦ Σειανοῦ φίλων ἢ γενέσθαι ἢ δόξαι, Xiphil. in Tib. *Decreta accusatoribus præcipua præmia, nonnumquam et testibus: nemini delatorum fides abrogata: omne crimen pro capitali receptum, etiam paucorum simpliciumque verborum;* Suet. Tib. 61. Servorum adversus dominos testimonium etsi non alias, tamen in crimine majestatis valebat. v. Tac. Ann. II, 28. pr. leg. *famosi* D. ad L. Jul. majest. et l. 6. 7. *Vix certis* D. de judiciis. Olim servis, qui dominum, res novas molientem, detulissent, libertas præmii loco dabatur. Ad hanc vero consequendam criminis quoque confictio sufficiebat regnante Tiberio aliove tyranno, v. c. Domitiano, unde Nerva edicto servos crimen in dominos deferre vetuit, de quo v. Dio LXVIII. p. 769. et Bach. Trajanus p. 73 seq. — 88. Notum est, iis, qui in jus vocati non irent, manus laqueosque injici, eosque vi, *obstricta,* constricta laqueis, *cervice* s. collo obtorto *in jus trahi* vel rapi potuisse.

90. Quæ quum ita sint, quis optabit eosdem honores habere, quos habuit Sejanus, et eadem pati, quæ ille passus est? *salutari,* coli: nam clientes patronis officia præstare vel honorem habere solebant salutando, occurrendo, sectando, deducendo cet. *habere tantumdem* scil. divitiarum et potentiæ. Conf. Var. Lect. 91. *illi,* huic,

[33] Minime certe mihi probanda videtur vulgaris interpretatio: Quam timeo, ne Brutidius aliique cives, *victi* a delatoribus in judicio vel damnati ac *male defensi,* propter iniquitatem judicum, *pœnas,* ab Imperatore metuendas, de se ipsi *exigant,* vel (ut Plathnerus, male coll. v. 187. et 315. aliisque locis) sustineant, perferant, ad exitum et effectum agant, h. e. mortem sibi consciscant, (quod multos fecisse tradit Suet. Tib. c. 61.) exemplo Ajacis, qui *victus* ab Ulysse postremo pectus sibi gladio transfixit. Sic non bene hæc verba cum iis, quæ sequuntur, cohærent; et quam duræ, ne quid gravius dicam, sunt explicationes formularum *exigere pœnas* (qua nemo usus est illo sensu) et *ut male defensus?*

[34] v. c. ap. Anacr. XLVI, 6. Σοφίη, τρόπος πατεῖται, et ap. Aristoph. Equit. v. 596. Βουλὴν πατήσεις καὶ στρατηγοὺς κλαστήσεις.

alteri. *Curulis* sella primum fuit regum, deinde magistratuum majorum, puta consulum, censorum, prætorum et ædilium curulium. Hinc *summæ curules* scil. sellæ vel summi curules honores et magistratus sunt consulatus, ut *major curulis* ap. Stat. Silv. I, 4, 82. — 92. *Tutor,* defensor et vicarius *Principis* et imperii: nam Tiberius, quum *Capreas* secessisset, imperium Sejano tradiderat. Cf. ad v. 71. Sed *tutor Principis* h. l. dici videtur per ludibrium Tiberii, qui ad Sejani arbitrium nutumque se totum fingebat et pupilli instar in ejus tutelam venerat vel sponte se tradiderat. *rupe Caprearum;* nam Tiberius *Capreas se contulit, præcipue delectatus insula, quod uno parvoque litore adiretur, septa undique præruptis immensæ altitudinis rupibus et profundo maris;* Suet. Tib. c. 40. De *Capreis* v. ad v. 72. *sedentis,* præclare; non tam regni sedem quasi habentis, quam consumentis otium et quidem tam segne, (nam *sedere,* ἧσθαι et καθῆσθαι de ignavo otio et obscura vita sæpe adhibentur, de quo v. Klotz. ad Tyrt. p. 143.) quam diuturnum, (per septem vero annos usque ad vitæ finem Tiberius Capreis commoratus est) forte et turpissimum, quum in ganeis, popinis et lupanaribus ventri libidinique indulgeret sedens: nam poeta simul innuisse videtur, quod memorat Suet. Tib. c. 43. *Secessu Capreensi etiam sellariam excogitavit, sedem arcanarum libidinum* cet. Conf. intpp. Mart. V, 71, 3. — *angusta in ripe,* v. Var. Lect. 94. *Cum grege Chaldæo,* cum mathematicis: nam ὁ Τιβέριος ἐμπειρότατος διὰ τῶν ἄστρων μαντικῆς ἦν, Dio LVIII. Conf. Suet. Tib. c. 14. et 69. *Vis certe,* optasne saltem? cuperes certe imperium militare. *pila,* pilos et quidem primos centurionum pilos, h. e. primipilatus: qui militiæ gradus et altus erat, et valde quæstuosus. v. ad XIV, 197. Vulgo *pila* dicuntur tela Romanorum propria, tam majora (quorum et lignum et ferrum tricubitale erat) quam minora.[35] *cohortes* puto h. l. dici tribunatus militum. v. ad I, 58. 95. *Egregios Equites,* munus et dignitatem *Equitum illustrium* et *laticlaviorum.* Ita sub Imperatoribus, quorum temporibus tribunatus erat militia equestris, dicebantur tribuni militum, qui, clara equestri familia geniti, censum habebant senatorium et hinc lato clavo utebantur. v. ad VII, 89.[36] *castra domestica,* prætoria a Sejano constituta, qui dispersas per Urbem cohortes prætorianas una in castra

[35] v. Lips. Mil. Rom. III, 4. et nos ad Sil. IV, 550.

[36] Interpretes h. l. vel tacent, vel *egregios equites* existimant vocari prætorianos, ad custodiam Imperatoris selectos: quo potius *castra domestica* spectant.

(ad ipsam urbem, juxta portam Viminalem, posita, de quo v. ad VIII, 43.) conducendo vim præfecturæ intendit.[37] *Castra* autem h. l. pro munere eorum, qui illis præsunt, h. e. pro præfectura prætorii.

96. 97. Summam potestatem etiam ii, qui nolunt ea abuti, habere cupiunt optantque, ut magis colantur, aut certe timeantur. 97. 98. *Sed quæ,* quænam, *præclara et prospera tanti* æstimanda sunt, ut ea exoptes, *ut,* h. e. quamvis, *rebus lætis par sit mensura malorum,* non minus mali atque infortunii admistum sit? Conf. Var. Lect. — 99. *Hujus* Sejani, *qui trahitur* unco. v. ad v. 66. *prætextam,* summos honores et magistratus, qui cum maximo periculo solent esse conjuncti. v. ad I, 78. et Ferrar. R. V. II, 3. qui monet, præfectos prætorio in prætexta fuisse, licet jus clavi non habuerint. 100. *Fidenarum Gabiorumque,* minorum oppidorum municipiorumque Latii. v. ad VI, 56. 57. et cf. Horat. Epist. I, 11, 7 seq. *potestas,* magistratus, (ut ap. Cic. Tusc. I, 30. Suet. Cæs. c. 17. et Claud. 23.) *esse,* h. e. honoribus fungi, qui minores quidem sunt, sed securi et a magno periculo tuti. 101. 102. *Ædiles* municipiorum et coloniarum, quod vel ex h. l. probabile fit, similes Ædilibus plebis Romanorum et infimi erant magistratus, (conf. III, 162.) qui et præerant *mensuris* ac ponderibus, quæ, si *minora,* iniqua essent, ab iis *frangebantur.*[38] Ad dignitatem per se parvam quam maxime minuendam valet delectus oppiduli, quod *vacuum* incolis s. male habitatum, (non plane desertum: nam Ædilem habuit) et cujus Ædilis hinc *pannosus* est, h. e. pannis vestitus. *Ulubræ* tenue opp. Latii vel Campaniæ in agro Pomtino, juxta paludes. Cf. Horat. Epist. I, 11, 30. *vacuis,* v. ad III, 2.

103. Ex his intelligitur, Sejanum, æque ac maximam hominum partem, (v. 2 seq.) ignorasse, quæ vera sint bona et hinc exoptanda. 105—107. Sejanus ad altissimos adscendebat honoris gradus et ita graviorem sibi casum ruinamque parabat, similis ei, qui, modicis ædibus non contentus, turrim multorum tabulatorum exstruit, *unde altior est casus et immane præceps,* præcipitium, *ruinæ* (dat.) ad casum et violenter *impulsæ,* h. e. unde superiores turris partes magna cum vi ruere vel decidere possint. Cf. Horat. Od. II, 10, 9 seq. Claudian. in Rufin. I, 21 seq. ubi Kœnig comparavit verba Luciani (Contempl.

[37] Cf. Tac. Ann. IV, 2. Suet. Tib. c. 37. Dio et Xiphil.

[38] v. Casaub. ad Pers. I, 130. et Wernsdorf Poet. Lat. min. T. V. p. 609.

14. p. 510. T. I. ed. Reitz.) ἐν τοσούτῳ δὲ ἐπαίρεσθον, ὡς ἂν ἀφ' ὑψηλοτέρου ἀλγεινότερον καταπεσούμενοι.

108 seq. Conf. ad v. 56 seq. et Senec. Epist. 94. *Crassos*, M. Licinium Crassum cum P. Crasso filio interemtum in bello Parthico, quod gloriæ aurique Parthici cupiditate incensus moverat.[39] *Pompeios*, Cn. Pompeium Magnum, duosque filios, Cnæum et Sextum.[40] Crassi vero et Pompeii quales et quanti fuerint viri, vel tironibus notum est.[41] — 109. Non Sulla designatur, neque Augustus,[42] (nam neutrum *evertit* nimiæ potentiæ cupiditas) nedum Cinna, sed Jul. Cæsar, qui viginti tribus in Senatu confossus vulneribus periit, postquam *Quirites domitos deduxerat ad sua flagra*, h. e. in servitutem quasi redegerat oppresseratque dominatu. Hæc notio graviter ita et præclare expressa est: nam liberæ reipubl. temporibus servos tantum, non cives Romanos virgis, nedum flagellis, cædere fas erat. Cf. VI, 479 seq.

110. *Summus nempe locus petitus*, immoderata honorum regnandique cupiditas, scil. eos evertit. *nulla non arte*, omni arte ac modo, per fas et nefas. 111. Conf. v. 7. et 8. *Magna vota*, quibus magna fortuna, res magnæ expetuntur. *Numinibus malignis*, quæ specie indulgendi nocent et faciunt compotes malorum, quæ dant imprudenter roganti, quo pereat; quæ sunt verba Gron. Obss. III, 15. Seneca Epist. 60. *Eo*, inquit, *vota inimiciora, quo cessere felicius: inde maligni dii, qui nos exaudierunt, ut, quum ad summa erecti, in profundum detruderent.* — 112. *Ad generum Cereris*, ad Plutonem, qui Proserpinam, Cereris filiam, rapuit, h. e. ad inferos, *descendunt*, moriuntur. *reges*, v. ad I, 136. *morte sicca*, vet. Schol. recte: "incruenta, ac per hoc naturali, morte sua." (αὐτομάτῳ θανάτῳ) *Ferrum Marte cruentum, siccum pace* dixit Claudian. XXII, 16. ubi v. Kœnig.

114—132. Alii votis summam expetunt eloquentiam, quæ perniciosa fuit multis; quod probatur exemplis *Demosthenis* et *Ciceronis*, summorum oratorum. 115. *Quinquatrus* majores (nam et minores vel minusculæ erant, quæ Idibus Jun. celebrabantur) dies festi, ab omnis generis artificibus artiumque studiosis in honorem *Minervæ*, præsidis artium, acti et sic dicti, quod vel quinque diebus continuis

[39] v. Appian. hist. Parth. c. 22—65. et Plut. in Crasso.

[40] De quorum morte v. Appian. b. civ. II, 81—86. 104 seq. V, 142 seq.

[41] Perierunt etiam alii et Crassi et Pompeii in bello civili. v. Appian. l. c. I, 56. 63. 72. V, 70. Ad hos tamen poeta non respexit.

[42] Fuere enim qui putarent, menti poetæ obversatum esse somnium Ciceronis de Jove flagellum tradente Augusto puero v. Suet. Aug. c. 94.

vel a die quinto post Idus Martias (XIV. Cal. Apr.) agitabantur. v. Ovid. Fast. III, 809 seq. VI, 651 seq. intpp. Gell. II, 21. et Suet. Dom. 4. Charisius 1. " *Quinquatrus* a *quinquando*, i. e. lustrando, quod eo die arma Ancilia lustrari sint solita." His Quinquatribus discipuli feriabantur, (Horat. Epist. II, 2, 197.) novique discipuli stipem (*minerval*) solvebant magistris, qui exiguum hoc munus *Minervæ* dedicare solebant. (v. Heins. ad Ovid. Fast. III, 829.) Hinc discipulum, *qui adhuc uno asse partam*, emtam, *colit Minervam*, dici puto tirunculum, qui præceptoribus non nisi semel illam dedit mercedem adeoque elementa adhuc artium discit. Plathneri nota est: Discipuli ab *asse* denominati, ut, qui prima juris elementa discebant, *dupondii* olim vocabantur, quod scil. nullius pretii essent, de quo v. Justin. orat. de method. jur. doc. § 2. et Cujac. Obss. XII. extr. Conf. Var. Lect. — 117. *Quem* puerulum, ad scholam euntem, *sequitur vernula*, *custos capsæ*, servus, *capsarius*, qui libros fert in capsa s. cistula. v. intpp. Suet. Ner. 36. Pignori de servis p. 119. Ulpian. l. si collectaneus, D. de manumiss. vindicta, et Böttigeri Sabina p. 71 et 88. Ab eo differunt *pædagogi*, (paggio, pagen) de quibus v. Böttiger l. l. p. 302. Epitheton *angustæ* et diminut. *vernula* ad infantiam discipuli designandam spectant.

118. *Eloquio*, eloquentia, qua Demosthenes adversus Antipatrum et Macedonas, Cicero adversus M. *Antonium* triumvirum (v. 123.) usus est, *uterque periit*, ille hausto veneno, hic manu C. Popillii trib. mil. Vid. Plut. vit. ufriusque et Quintil. Declam. CCLXIX. 119. Conf. v. 9. 10. et ad III, 74.

120. *Ingenio* facete pro, Ciceroni, viro tanti ingenii, vel propter ingenium. 120. 121. Ciceronis *manus*, quæ Philippicas scripserat, (vel dextra vel utraque, de quo v. Senec. Suasor. VII. et Wernsdorf poet. Lat. min. T. IV. p. 222.) et *cervix*, caput, jussu Antonii, a Popillio, quem ipse olim in causa capitis defenderat, abscisa et affixa *Rostris*, e quibus orationes illæ erant dictæ. Hæc facta non essent, si Cicero *pusillus*, vilis, *causidicus*, nec tantus fuisset orator.

122—126. Facete exprimitur hæc sententia, quæ et vera et acuta est: Cicero non ita periisset, si tam malus orator fuisset, quam malus poeta fuit. 122. Lepide et apte inseritur notissimus hic Ciceronis versus, quo de oppressa a se Catilinæ conjuratione ipse gloriabatur. Hunc versum merito propter *κακοφωνίαν*, ut et omnem Ciceronis poesin Virgiliique prosam, irriserunt etiam Sen. Declam. III. Quintil. IX,

4, 4. XI, 1. Sen. de ira III, 37. Diomed. II. et alii.[43] *natam* simpl. expono factam.[44] — 123. Poeta transtulit et sic perstrinxit verba Cic. Phil. II, 46. *Contemsi Catilinæ gladios, non pertimescam tuos.* Cf. ad Tac. Ann. II, 34, 6. et intpp. Horat. Epod. IV, 16. — *potuit,* potuisset. *sic,* tam male, incondite, inepte. 124—126. *Ridenda poemata* scripsisse *malo,* quam *divinam* illam orationem *Philippicam, quæ proxima a prima,* post primam, *volvitur,* sequitur, legitur, h. e. quæ secunda est. Hac oratione Cicero omnia Antonii flagitia commemorat et acerrime eum insectatur, unde hæc ei præcipua mortis causa fuit. Notum autem est, (vel ex ipso Cic. ad Att. II, 1.) cum orationes XIV in Antonium non *Antonianas,* sed *Philippicas* inscripsisse, tamquam argumento et libertate dicendi similes Philippicis, a Demosthene in Philippum regem Maced. habitis. 126. *illum,* Demosthenem, qui, ne Antipatro traderetur, venenum hausit. 127. *Exitus,* finis scil. vitæ, ut ap. Lucret. III, 1099. — 128. Præclara et justa laus Demosthenis. *Torrentem,* v. ad III, 74. *Moderantem frena theatri,* Athenienses in concionibus, quo volebat, flectentem: metaphora frequens, petita ab equis, qui frenis vel habenis flectuntur. *Theatrum* autem passim concio populi dicitur, quoniam ibi consultare Græcis mos erat.[45]

129 seq. Fortuna adversa ita tulit, ut clarissimus orator evaderet Demosthenes, qui multo felicior fuisset, si patris frequentasset officinam, non scholas rhetorum, si faber ærarius fuisset, non orator. *Diis adversis* (ut al. *iratis*) *genitus fatoque sinistro,* ut ap. Pers. IV, 27. et Horat. Sat. II, 3, 8. 123. II, 7, 14. — 130 seq. Cf. XIII, 44. 45. ibique not. *Pater* Demosthenis fuit faber ærarius vel, ut Plutarchus (in vita Demosth. Opp. T. I. p. 847. C. ed. Frft.) tradit, ἦν μὲν τῶν καλῶν καὶ ἀγαθῶν ἀνδρῶν, ὡς ἱστορεῖ Θεόπομπος· ἐπεκαλεῖτο δὲ Μαχαιροποιός, ἐργαστήριον ἔχων μέγα καὶ δούλους τεχνίτας τοῦτο πράττοντας. Eidem tamen si fides habenda, mortuo demum patre filius ad rhetorem a matre

[43] Male eum defendere conabatur Turneb. Adv. VII, 19. putans, veteres in deliciis habuisse iterationem earumdem syllabarum, et posteritatem, raultis in rebus ineptius lascivientem ludentemque, perperam fastidire, quæ de industria, ut venusta, affectaverint antiqui.

[44] Henninius: " maximo periculo elapsam, meis auspiciis conjurationi Catilinariæ exemtam; quemadmodum *cælo mitti, ex orco redire, nasci* cet. dicebantur res, quæ desperatæ pæne, nihilominus ceu quadam ἀποκαταστάσει felicem sortiebantur eventum."

[45] v. Ernesti clav. Cic., Lips. ad Tac. Hist. II, 80. et Harles ad Corn. Nep. Timol. c. 4. Hinc et Sidon. XXIII, 136 seq. *Qui Pandioniam movebat arte Orator caveam tumultuosus, Seu luscum raperetur in Philippum, Causam seu Ctesiphontis actitaret, Vir semper popularitate crescens Et juste residens in arce fandi.*

missus est. Idem tradunt Valer. Max. III, 4. ext. 2. et Sidon. II, 23. et 188. — *lippus fuligine ardentis massæ;* nam *opifices, per quorum manus sterile terræ genus et informe perpurgatur, multa fuligine oblinuntur,* ut utar verbis Sen. Ep. 94. — 131. Ab officina ferraria ad scholas rhetorum pater filium misit, ut hic animum non ad artem, quam ipse tractabat, sed ad studium eloquentiæ appelleret. 132. *Vulcano,* fabro ærario, (nam poeta ad officinam Vulcani in Lemno vel Lipara ins. respexisse videtur) *luteo,* fuligine obsito, atro, squalido, deformi: fabrorum enim vultus manusque fumo ac fuligine squalere et nigrari solent. Conf. v. 130. et XIII, 45.[46] — *ad rhetora* Isæum, non Isocratem, *misit,* ob paupertatem, ad quam et fraude et negligentia tutorum redactus erat. v. Plut. l. c. p. 847. 848.

133—137. Alii adspirant ad rei militaris gloriam, quæ cupiditas tum summis imperatoribus, v. c. Alexandro et Hannibali, tum patriæ exitiosa fuit. Singula vero δεινῶς expressa. 133. 134. Tropæum designatur, vel *bellorum exuviæ* s. spolia, e tropæis suspensa; et v. 135 seq. triumphus vel spolia hostium in triumpho ducta, et quidem prœlio tam terrestri, quam navali capta. Ad tropæa non referri possunt h. l. omnia, certe non *arcus. Tropæa* (v. Var. Lect.) dicuntur *trunca,* a prisca eorum forma: nam detruncatis arboribus vel earum truncis spolia victorum hostium affigebantur.[47] 134. *Buccula,* περιγναθίς, lamina flexilis, *de casside pendens* eique affixa ad malas utrasque, quæ *buccas* auresque tegebat et vinculis constringebatur sub mento vel loris, quæ Suidæ ὀχεῖς vocantur: unde Sidonius III. epist. 3. p. 64. *Alii,* dicit, *de concavo tibi cassidis exituro flexilium laminarum vincula diffibulant.*[48] — 135. *jugum,* currus bellicus. *curtum,* decurtatum, mutilatum, avulsum, carens *temone.* Conf. ad III, 270. — 136. *Aplustre* s. aplustrum, ἄφλαστον s. ἄπλαστον, ornamentum puppis, tabulatum, in quo post diætam erigebatur baculus, (στηλίς) e quo pendebat ve-

[45] Alii exponunt: igne coloris lutei. Sed *lutum,* si prima syllaba, ut h. l., corripitur, est id. qd. cœnum s. limus, si producitur, est herba flavi coloris, qua tingitur. De ea v. Broukhus. et Heyne ad Tibull. I, 8, 52. Heyne et Voss ad Virg. Ecl. IV, 44. Harduin. ad Plin. XXXIII, 5. s. 26. et intpp. Gell. II, 26.

[47] v. Heyne ad Virg. Æn. XI, 6 seq. Ernesti clav. Cic. et ad Suet. Cæs. 11. Potteri Archæol. Gr. Lib. III. c. 12.

[48] v. ad Sil. XIV, 158. 165. et Schlichtegröll in *Abbildungen Ægypt. Griech. und Röm. Gottheiten* P. III. p. 135. ubi et ab his bucculis non diversa fuisse existimat φάλαρα; quæ tamen laminæ potius vel scutula erant levigata, (unde φάλαρα a φαλὸς, splendidus) sæpe tria vel quatuor, (unde τρυφάλεια vel τριφάλεια et τετραφάληρον) quæ variis galeæ partibus, desuper et utrinque, nec nisi ornatus causa affigebantur. Conf. ad XI, 103. Jen. Allg. Lit. Zeit. a. 1796. N. 105. p. 6. Lennep. Etym. p. 1044. Intpp. Hesych. T. II. c. 1492, 29. et Sil. Ital. XIV, 158. 165. Kœppen et Heyne ad Hom. Iliad. ε, 743. Lips. Mil. Rom. III, 5.

lum, (h. e. linteum s. fascia, *ταινία, flagge*) quo motus venti indicabatur.[49] *In arcu* triumphali, qui primum lateritius, mox lapide quadrato et demum marmoreus fuit, et quidem in superiori ejus parte erant spatia quædam, in quibus cum victoribus currus erant ære expressi et sub pedibus ducum *captivi* habitu *tristi;* Grang. coll. Prudent. adv. Symm. II. *Frustra igitur currus summo miramur in arcu Quadrijuges stantesque duces in curribus altis, Fabricios, Curios, hinc Drusos, inde Camillos, Sub pedibusque ducum captivos poplite flexo Ad juga depressos manibusque in terga retortis.* Poeta autem respexit forte obiterque perstrinxit ridiculam ambitionem Domitiani, qui, ut verbis Suet. c. 13. utar, *Janos arcusque, cum quadrigis et insignibus triumphorum, per regiones Urbis tantos ac tot exstruxit, ut cuidam Græce inscriptum sit,* ΑΡΚΕΙ. — 137. Hæc *creduntur* esse *bona humanis majora,* summa ac veluti divina. *ad hæc* bona eorumque spem *se erexit,* animum intendit, adspiravit, *endoperator,* Imperator, (v. ad IV, 29.) *Romanus,* ut Marius, Sulla, Crassus, Pompeius, Cæsar et alii. *Graius,* v. c. Pausanias, Lysander, Alexander, Perseus al. *Barbarus,* Hannibal, Antiochus, Xerxes, Jugurtha, Mithridates al.

139. Cupiditas gloriæ causa fuit, cur tot pericula adirent et labores. 140. *Sitis* et *fames* pro cupiditate. 141. 142. Nemo facile virtuti studet, quoniam per se pulcra est, et propter rei bene actæ conscientiam, sed ob spem gloriæ et emolumenti. Conf. Ovid. ex Ponto II, 3, 7—18. al. *obruit* multis magnisque malis, afflixit, oppressit, in perniciem traxit. v. ad Liv. VI, 14, 6. — 143. *Gloria paucorum,* v. c. Marii, Sullæ, Pompeii, Cæsaris, Crassi, Antonii, Octaviani. *Cupido tituli,* inscriptionis, in *saxis* tumulorum vel sepulcrorum, in quibus mortuorum *cineres* et ossa, urnis inclusa, condebantur. v. Kirchm. de Fun. Rom. III, 8. et de *titulo* sup. ad VI, 230. — 144. *Hæsuri saxis,* inhæsuri sepulcro, quo memoriam suam rerumque a se gestarum diu conservatum iri sperant: unde sepulcra etiam *memoriæ* et *monimenta* vocantur. Quæ spes quam vana sit et quam sæpe eos fallat, ostenditur v. 145. 146. quibus docet poeta, stultam esse ambitionem hominum, qui gloriam affectent sempiternam eamque se adepturos putent ex titulis sepulcrorum, qui tamen cum ipsis sepulcris aut vetustate aut alia, quamvis levissima, re deleri possint. *ad quæ* saxa *discutienda,* dissolvenda, *valent,* jam suf-

[49] v. ad Sil. X, 324. et Böttigeri Archæol. Mus. Fasc. I. p. 25.

ficiunt, *robora sterilis ficus,* h. e. caprificus, cujus ea natura est, ut in commissuris saxorum innata erumpat eaque scindere ac disjicere possit; unde *mala,* improba, noxia.[50] *robora,* vires, *ficus;* vel simpl. ficus. 146. Conf. Prop. III, 2, 19 seq. *fata,* interitus, ut *mors* ap. Prop. l. l. et Auson. *monimenta fatiscunt, Mors etiam saxis nominibusque venit.* — *sepulcris,* etiam marmoreis, et mausoleis. 147 seq. *Expende Hannibalem,* ejus ambitionem et fata, vel potius pende libra s. lance ejus cineres: *quot libras in duce summo,* quam parvi ponderis cineres et reliquias tanti ducis *invenies?* (ὁ πᾶσι μακαρτὸς, φεῦ, τόσσης γαίης ὅσσον ἔχει μόριον; Leonid. Epigr. LXIX, 6. in Brunck. Anal. T. I. p. 238. Cf. Prop. II, 7, 51. IV, 11, 14. Ovid. Met. XII, 615. 616. Plin. II, 68.) et tamen *hic est* ille, cujus animus tantus erat, ut imperio Africæ non contentus esset; angusta urna nunc eum capit, quem, quum viveret, non capiebat Africa; et quidem tanta orbis terrarum pars, quæ a *Mauro,* Africano, *Oceano,* ab Atlantico mari, (ut ap. Horat. Od. II, 6, 3.) h. e. ab Occidente, ad *Nilum,* fluvium Ægypti, patet. (Nam Ægyptus a Geographis veteribus vel tota, vel magna ex parte, Asiæ, a Strabone autem I. p. 60 seq., Arabico sinu inter Asiam Africamque termino constituto, Africæ adjungitur et ad orientem, ut Mauretania ad occidentem extremum Africæ sita est.) 148. *quem non capit Africa* cet., ut ap. Claudian. in Ruf. II, 155. *Non orbita solis, non illum natura capit.* Cf. inf. v. 168 seq. *Percussa,* v. Var. Lect. *admota,* propinqua. *Nilo tepenti,* v. ad VI, 527. 149. 150. *Africa,* ab oriente, *admota* est *Nilo, rursus,* deinde, *ad Æthiopum populos* supra Ægyptum, usque ad sinum Arabicum, (a quibus diversi sunt Æthiopes hesperii s. occidentales et Atlantici, in interiore Africa, ad occidentem et mare Atlanticum) et ad *altos elephantos,* h. e. ad Indiam, in qua maximi sunt elephanti,[51] et ad quam Indiam veteres poetæ et geographi Æthiopiam quoque, Arabiam partemque Ægypti referunt.[52] Nota Ach. est: *Africa Mauro percussa Oceano* est occidua ejus pars, *Nilo admota* orientalis, *ad Æthiopum populos* interior. Interpretatio autem Heineckii ceteris forte præferenda: " Ne Africa quidem sufficiebat Hannibali, quamvis

[50] Cf. Prop. IV, 5, 74. Plin. XVI, 19. Isidor. XVII, 6. Martial. X, 2, 9. Horat. Epod. V, 17. Pers. I, 24. ubi v. Casaub.

[51] v. Polyb. V, 84. Appian. Syr. 31. Plin. VIII, 11. *Elephantos fert Africa ultra Syrticas solitudines et in Mauretania: ferunt Æthiopes et Troglodytæ; sed maximos India.*

[52] Interpretes *altos elephantos* vel ad Mauretaniam vel ad Æthiopiam vel ad totam Libyam referunt et sive lectionem, sive distinctionem mutant.

maxima sit: nam adluitur Oceano Mauro, extenditur usque ad Nilum, *rursus*, prætereaque, ad Æthiopiam, ubi magni elephanti sunt; ut ap. Manil. IV, 667. *Et vastos clephantes habet sævosque leones*, quamquam Bentleius hunc versum spurium esse judicat: nescio, quam vere. Similis locus est Manil. IV, 596—602. quem Juvenali ante oculos fuisse puto: *Ipsa natat tellus pelagi lustrata corona, Cingentis medium liquidis amplexibus orbem, Inque sinus pontum recipit, qui vespere ab atro Admissus dextra Numidas Libyamque calentem Alluit et magnæ quondam Carthaginis arces; Litoraque in Syrtes revocans sinuata vadosas Rursum usque ad Nilum directis fluctibus exit.* Apud Manilium quidem voci *rursum* adjectum est verbum *exit*, et apud Nostrum desideratur verbum. Sed ex verbo *admota* assumendum est *extensa*. Talia non inusitata. Conf. Periz. ad Sanct. IV, 8. Tum desideratur copula, ut sæpe." Conf. ad XII, 76. not. 20. et Excurs. ad h. l. — 151. *Additur imperiis*, regno Pœnorum, *Hispania*, cujus pars Hannibalis expugnata est armis. *imperiis*, vasto Africæ imperio; Ach. Sed neque Hannibal, neque Poeni magnam Africæ partem expugnarunt. *Pyrenæum* montem, quo Hispania a Gallia dirimitur, *transsilit*, Hannibal celeriter ex Hispania in Gallias victor transiit: nam verbum *transsilire* velocitatem transitus significat. Ceterum hæc ex Liv. XXI, 5—23. notissima. — 152 seq. E Galliis Hannibal victricia arma in Italiam transtulit. 152. 153. Præclare difficultas transitus Alpium adumbratur. Similem notionem, sed minus sublimi gravitate, expressit Horat. Od. I, 3, 21 seq. *Nequidquam Deus abscidit Prudens Oceano dissociabili Terras, si tamen impiæ Non tangenda rates transsiliunt vada.* Locum vero nostrum imitatus est Rutil. Itin. II, 33 seq. *Excubiis Latii prætexuit* (Deus) *Apenninum Claustraque montanis vix adeunda viis. Invidiam timuit natura parumque putavit Arctois Alpes opposuisse minis* cet. Tempora etiam præs. *Transsilit, diducit, rumpit, tenet, tendit*, ad sublimitatem augendam valent. *Natura* quidem ipsa itineri Hannibalis *opposuisse* videbatur insuperabiles difficultates, *Alpem*, montem altissimum inviumque exercitibus, unde Plinius in Procem. Lib. XXXVI. *in portento*, dicit, *prope majores habuisse Alpes ab Hannibale* (primum tamen a Gallis, de quibus v. Liv. V, 34. et XXI, 30. unde fabulam de Herculis, a Gallis culti, transitu natam suspicabatur Lefeb. ad Sil. XI, 217.) *exsuperatas et postea a Cimbris;* præterea *nivem* mollem et prælaltam, qua omnia erant oppleta, de qua v. Liv. XXI, 35—37. Sil. III, 518 seq. *Alpem* poet. sing. pro plur. ut passim. (v. ad Sil.

XIII, 741.) Quanam vero parte Hannibal Alpes transierit, ne inter antiquos quidem scriptores constitit. v. Liv. XXI, 38. Lips. Epist. ad Belgas Cent. I. Ep. 93. Opp. T. II. p. 826 seq. et Folard. ad Polyb. — 153. *Diducit,* dissolvit, *et rumpit montem,* pervium facit, viam aperit, *aceto:* nam Hannibal struem lignorum ingentem succendit atque saxa ardentia putrefecit infuso aceto, quod notum ex Liv. XXI, 37. et Appian. b. Hannib. c. 4.[53] *Rumpere,* perrumpere, *montem,* ut *r. iter, cursum, aditus,* quo difficilis simul rei molitio exprimitur.[54] — 154 seq. Hannibal non contentus, descendisse in Italiam magnamque ejus partem per XVI annos expugnasse, voluit et ipsam Romam, caput orbis terrarum, capere. De irrito consilio Romæ oppugnandæ v. Liv. XXVI, 7—11. Magna vero in verbis inest vis et sententia tanto duce digna. *portas* Romæ. 156. *vexillum* victor ingressus Romam pono in *media Subura,* h. e. Urbe, ut III, 5. ubi v. not.

157—167. Locus præclarus, magna sententiarum gravitate et affectibus salibusque, rei aptissimis, insignis. 157. 158. Deridentur deformitas temeritasque Hannibalis, qui Apenninum transgressus et propiore, qui in Etruriam ducit, via per paludem et profundas Arni fl. voragines *Gætula* (Afra, Libyca) *bellua,* h. e. elephanto vectus, vigiliis et nocturno humore palustrique cœlo gravante caput, et quia medendi nec locus nec tempus erat, altero oculo captus vel *luscus* s. unoculus factus est. v. Liv. XXII, 2. Polyb. III, 79. et Nep. Hann. c. 4. *O qualis,* quam ridicula, *facies* Hannibalis lusci, *et quali tabella,* pictura, (caricature) *digna,* quam digna, quæ pingeretur! — 159. *Exitus,* finis tot victoriarum et vitæ Hannibalis. *O gloria,* quam vana, brevis et fallax! ejusque cupiditas quam stulta ac perniciosa est! 160 seq. *Vincitur idem,* ipse ille Hannibal, imperator tantus et toties victor, a Scipione, (Liv. XXX, 29—37.) *et,* accusatus Carthagine a Romanis, *in exsilium præceps fugit,* (Liv. XXXIII, 47.) et primum ad Antiochum Syriæ, (Liv. XXXIII, 48. 49. XXXIV, 60. 61. XXXV, 14. 19. XXXVI, 7. 15.) deinde ad Prusiam, *Bithyniæ regem,* profugit: (Liv. XXXIX, 51.) *atque ibi,* in exsilio, *magnus mirandusque cliens ad Regis* Prusiæ *prætoria,* prætorium, h. e. regiam

[53] Cf. Plin. XXIII, 1. et ad Sil. III, 640. in Add. Hæc historia propter silentium Polybii, difficultatem aggerendarum arborum, quæ in superioribus Alpium jugis frustra quæruntur, aliasque rationes in dubium vocata est a Matthiæ in Obss. ad Liv. XXI. p. 40 seq. sed defensa a Bœttigero in Ephemerid. Brunsvic.

[54] Cf. ad Sil. I, 54. N. Heins. et Drakenb. ad Sil. XI, 135. et Burm. ad Valer. Fl. VI, 139. 140.

vel palatium, (v. ad I, 75.) et in ejus atrio, *sedet,* quovis mane, ut regi, patrono suo, ad ministeria mandataque præsto sit vel certe officium salutando præstet, præstolans, *donec tyranno,* regi, *libeat,* placeat, *evigilare* et clienti aditum concedere. Sarcasmi vim facile senties.

163. *Finem,* mortem. *animæ,* homini. *miscuit* cæde, armis perturbavit. 165. 166. Annulus fuit *vindex et ultor Cannarum ac tanti sanguinis,* tantæ cædis seu cladis apud Cannas Romanis illatæ, totque annulorum, Romanis ibi Equitibus detractorum: nam Hannibal periit hausto veneno, quod sub annuli gemma multo ante præparatum habebat. conf. Liv. XXXIX, 51. Plut. Hannib. Opp. T. I. p. 380. Victor vir. ill. c. 42. Quidam vero *sub gemmis venena cludunt, sicut Demosthenes, summus Græciæ orator, annulosque mortis gratia habent,* Plin. XXXIII, 1. s. 6. — 166. 167. Amara irrisio Hannibalis aliorumque gloriæ militaris nimis cupidorum. *I, demens,* v. ad VI, 306. *sævas,* asperas et nive oppletas. 167. Ut pueris materiam declamationis præbeas in Rhetorum scholis.[55] Cf. VII, 161 seq. *ut declamatio,* h. e. argumentum declamationis, *fias,* ut *fabulam fieri, sermonem, rumorem* et *jocum esse.*[56]

168 seq. Quam perniciosa sit nimia gloriæ cupiditas, etiam Alexandri M. et v. 173—187. Xerxis probatur exemplis. *Pellæo juveni,* Alexandro M. ita dicto a *Pella,* Macedoniæ urbe et regia. — 168—170. Insatiabilis simul et *infelix* gloriæ cupiditas, qua Alexander flagrabat, præclare adumbratur.[57] Non uno orbe contentus erat et *infelix* ille *æstuabat,* angebatur, (similis mari in angusto æstuanti, vel homini incluso in arcto loco, qui nulla fere spiramenta habet) in toto terrarum orbe non minus se coarctatum putans, quam si parva clausus esset insula. Cf. v. 148 seq. Senec. Philos. Epist. 91. et 119. Valer. Max. VIII, 14. ext. 2. Plut. et Curt. De *Gyara* vel *Gyaro* (cf. Var. Lect.) et *Scripho* v. ad I, 73. et VI, 563 seq. — 171. *urbem a figulis munitam,* Babylonem, quam Semiramis condidisse muroque e cocto latere cinxisse dicitur.[58] In hac urbe Alexander eadem

[55] Vetus Schol. "Ut de te pueri studentes dicant in scholis deliberativa: *Hannibal utrum de Alpibus recederet?*" Immo, *Utrum Alpes ei transeundæ fuerint?*

[56] Conf. Heins. et Burm. ad Ovid. Am. I, 13, 36. III, 1, 21. et A. A. II, 561. Passer. et Vulp. ad Propertium I, 5, 26. Corte ad Plin. Epist. VIII, 18, 11. et sup. ad I, 145. in Var. Lection.

[57] Cf. ignoti poetæ carmen in eum, in Wernsdorf. Poet. Lat. min. T. III. p. 421. 422.

[58] v. Diodor. II, 7. III, 4. Herodot. I, 178. 179. Justin. I, 2. Curt. V, 1. Ovid. Met. IV, 57 seq. Misc. Obss. Vol. III. p. 435.

die, qua Diogenes Corinthi, mortuus est.[59] — 172. Vetus Schol. " Quem vivum mundus non ceperat, mortuus exiguo loco contentus est." *contentus erit* et esse debet. *Sarcophagus* h. l. sepulcrum vel urna, propr. lapis vocatur, qui circa Assum Troadis urbem fissili vena scinditur et corpora defunctorum condita in eo, exceptis dentibus, intra XL. diem consumit, unde σαρκοφάγος. Ita Plin. II, 96. XXXVI, 17. s. 27. et Dioscor. V, 142.[60] — 172. 173. *Mors fatetur*, ostendit, indicat, docet, (v. ad II, 17.) quam pusilla hominum corpora et quam parvi sint ipsi, qui vivi cupiditates animorum explere nequeant. Cf. v. 147 seq.

174—178. Merito poeta perstringit ridiculas Græcorum fabulas (*portentosa Græcorum mendacia* dixit Plin. V, 1.) de Xerxe, quas, gloriæ suæ amplificandæ causa, commenti sunt. (cf. XIV, 240.) Fabulantur enim, Xerxem decies septies centena millia peditum armasse naviumque habuisse decem μυριάδας; *Athon*, altissimum Macedoniæ montem, a continenti abscissum, perfossum marique immisso *velificatum*, h. e. classibus transnavigatum; (*remige Medo sollicitatus Athos* ap. Claudian. III, 336.) *iisdem classibus constratum*, opertum, *mare*, vel viam per mare stratam, *et solidum*, totum Hellespontum, constructo navibus ponte junctum vel contabulatum esse, et *subpositum rotis*, curribus, quibus ex Asia in Europam exercitus sit transmissus; (conf. Lucret. III, 1042 seq.) *alta flumina* (Scamandrum, Onochonum, Apidanum et Echedorum ap. Herodot. VII, 42. 196.) *epota defecisse*, cessasse, *prandente* ac bibente *Medo* Persicoque exercitu; *et quæ* alia *cantat*, fingit, comminiscitur, (v. ad IV, 35.) *Sostratus*. Cf. Herodot. VII, 20 seq. VIII, 1 seq. (qui epotum quoque tradit lacum XXX stadiorum) Diodor. XI, 2—5. Isocr. Panathen., Æschyl. Pers., Strab. XIII., Plut. Themist. et Aristid. aliosque scriptores.[61] — 178. *Sostrati* olim fuere varii, v. c. Gnidius architectus, (Plin. XXXVI, 12. s. 18. Strab. XVII. p. 791.) chirurgus, (Cels. VII, 4. 14.) sacerdos Veneris, (Tac. Hist. II, 4.) Macedo, conjurationis auctor, (Curt. VIII, 6.) et alii. Quem vero *Sostratum* poeta h. l. perstringat, parum constat. Vetus Schol. " Sostratus, inquit,

[59] v. Diog. Laert. VI, 2, 11. Plut. Alex. Opp. T. I. p. 705—707. ed. Frft. Arrian. expedit. Alexandr. lib. VII. Justin. XII, 13 seq. Senec. Suasor. IV.

[60] Cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 1205. Scalig. Exerc. 291. sect. 2. et Böttigeri Sabina p. 83. 84. ed. pr.

[61] quos laudant Barth. et Kœnig ad Claudian. in Rufin. I, 336 seq. II, 120 seq. intpp. Justin. II, 10. et Virg. Culic. 29 seq. Cf. et Wernsdorf. ad Himer. Or. II. p. 408.

poeta fuit, qui Xerxis regis facta descripsit. *Madidis* autem *alis* ideo, quia omnis, qui cum sollicitudine recitat, necesse est, ut alæ ejus sudent. Sic Horatius: *Sudor ad imos manabat talos.*" *Madidas alas* nonnulli, vet. Schol. præeunte, ad sudorem recitantium, alii ad furorem poetarum vel vatum, quo concitus et quasi ebrius Sostratus nimis alte volans veritatem fidemque historiæ excesserit, alii vero ad veram ebrietatem, quæ eumdem produxerit effectum, referunt: nam *madidus* s. *madens* et βεβρεγμένος passim dicitur ebrius. v. ad XV, 47. Sensus horum verborum planior foret et certior, si constaret, qualis homo fuerit Sostratus, utrum malus declamator, an poeta, an vates, an aretalogus. *Alæ* tamen s. axillæ madidæ cur tribuuntur vatibus furore divino correptis? et cur ebriis? Probabilior est interpretatio Hein. " *Madidæ alæ* sunt, quibus tendere non potest in altos nubium tractus, (Hor. Od. IV, 2, 27.) quia nimis aqua premuntur, quæ volatum impedit; igiturque Sostratum malum fuisse poetam, certissime colligi posse puto."

179. *Ille tamen barbarus* rex, Xerxes, *qualis*, quam turpi fuga, *rediit* in regnum suum, *Salamine relicta*, victus ad Salamina a Themistocle: (v. Herodot. VII. Nepos et Plut. in Themist.) ille stolidus ac superbus rex, (*cujus in nomine superbia et impotentia habitat*, Valer. Max. IX, 5. ext. 2.) qui antea, quum audivisset, pontem, quo junxisset Hellespontum, tempestate solutum esse, jusserat, *Coro* atque *Euro*, h. e. ventis, trecenta infligi verbera et binas in mare injici compedes, glorians, sibi non modo in ventos ac maria, sed in ipsum quoque *Ennosigæum*, Neptunum, *compedibus* a *se vinctum*, imperium esse. v. Herodot. VII, 34. 35. qui tamen in mare Xerxem, non in ventos sæviisse flagellis narrat. Cf. Senec. de const. sap. c. 4. et Valer. Max. III, 2. ext. 3. 180. *Corum* et *Eurum*, ventos contrarios, bene posuit poeta, tamquam tempestatem excitantes: *corus* etiam s. caurus, (ἀργέστης, *nordwest*) ventus vehementior, unde in tempestatum descriptionibus mentio ejus fieri solet. — 181. Facete poeta dicit, ventos a rege suo Æolo non tam male ac crudeliter tractari, quam a fatuo Xerxe: unde etiam *barbarus* h. l. non tam peregrinus, exterus rex, (vulgare epitheton Xerxis ap. Herodot., Thucyd. et Nep.) quam rudis, inhumanus, sævus. *Æoli carcer*, sedes et imperium vel tironibus nota ex Virg. Æn. I, 51 seq. ubi cf. Heynii Exc. Hic mythus simul h. l. rideri videtur, magis tamen stoliditas Xerxis. 182. *Ennosigæus*, Ἐννοσίγαιος vel propr. Ἐνοσίγαιος, (nam metri causa litera ν geminatur) h. e. ὁ ἐνόσων, quatiens, movens, (ἔνοσις, κίνησις He-

sych.) *τὴν γαῖαν*, epitheton Neptuni, (ap. Hom. Il. Ϡ, 201.) ut Ἐνοσίχθων, *ὁ ἐνδων τὴν χθόνα*, (Hom. Il. Ϡ, 208. λ, 750. υ, 13. 405. Od. γ, 6.) Σεισίχθων, *ὁ σείων τὴν χθόνα*, et Ἐλελίχθων, *ὁ ἐλελίζων τὴν χθόνα*, (Pind. Pyth. VI, 49.) vel *ὁ κινητὴς γᾶς*, (Pind. Isthm. IV, 32.) quæ epitheta Neptuno propterea videntur tributa esse, quod mare in magnis terræ et præcipue regionum maritimarum, quas Græci potissimum incolebant, tremoribus vehementi motu agitatur.[62] — 183. Immo audi Herodot. VII, 35. Ἤδη δὲ ἤκουσα, ὡς καὶ στιγέας ἀπέπεμψε στίζοντας τὸν Ἑλλήσποντον. *Stigmata*, στίγματα, literæ, (non una, sed plures, quod probabile fit ex Petron. VI, 8. et Valer. Max. II, 29.) (*epigrammata* ap. Petron. 103.) quæ fronti servorum fugitivorum aliorumque ignominiæ causa inurebantur. v. ad XIV, 24. Lepide autem irridetur vesana Xerxis superbia, saltem ineptiæ Græcorum, qui talia procuderunt mendacia. Cf. ad v. 174. Eodem spectant verba seqq. — 184. *Huic*, tam vecordi crudelique domino, *quisquam deorum servire vellet?* Cf. verba Xerxis ap. Herodot. VII, 35. Ὦ πικρὸν ὕδωρ, δεσπότης τοι δίκην ἐπιτίθεῖ τήνδε, ὅτι μιν ἠδίκησας cet. Vetus Schol. "Quia pontem mari superposuit, finxerunt illi *servisse Neptunum*, quemadmodum Laomedonti regi Phrygiæ; vel propter Apollinem, quia servivit Admeto." Præstiterit forte *servire* dictum accipere pro inservire, favere, opem ferre. Marshall acrem monet ironiam in h. l. inesse, si legatur sine interrogatione, ut sensus sit: merito deorum aliquis (non vero *quisquam*) illi serviret, tamquam domino clementi, quoniam Neptuno stigma non inussit. — Versus 183. et 184. parenthesi possunt includi; nec tamen necesse est. Poeta ob nimiam Xerxis vesaniam vel ineptias Græcorum ab his salibus immiscendis non poterat sibi temperare, et nunc demum v. 185. quæstionem supra v. 179. propositam repetit.

185. *una nave*, piscatoria scapha, *cruentis fluctibus* sanguine suorum a Græcis cæsorum, *ac prora*, nave, *tarda*, tarde, lente progrediente, *per*, propter et super, *densa cadavera*. Cf. Herodot. VIII, 115—119. Justin. II, 13. Nep. Themist. c. 5. et alii, qui tamen non ea memorant, quæ v. 186. ad augendam rei fœditatem poeta adjecisse

[62] Aliam rationem affert Gellius II, 28. *Quænam esse causa videatur, quamobrem terræ tremores fiant, — compertum non est; ventorumne vi accidant specus hiatusque terræ subeuntium, an aquarum subter in terram cavis undantium fluctibus pulsibusque, ita uti videntur existimasse antiquissimi Græcorum, qui Neptunum ἐννοσίγαιον καὶ σεισίχθονα appellaverunt.* Conf. Sen. Nat. Qu. VI, 6—8. Kœppen ad Hom. Il. VIII, 201. et Herrmanni Mythol. T. I. p. 123. T. II. p. 164.

videtur; nisi credideris designari h. l. *cadavera* Persarum, quos, quum navis Phœnissa, qua Xerxes veheretur, ob nimiam vectorum multitudinem vehementius tempestate jactaretur, rogatu regis in mare desiliisse, fuerunt qui traderent. v. Herodot. VIII, 118. 119. — 187. *Has* et hujusmodi *pœnas toties*, nimis, *optata gloria*, nimia gloriæ cupiditas, *exegit* a Xerxe, vel potius ἀορίστως, ab ambitiosis exigere solet: sic nimia ambitio punire et affligere solet homines, h. e. ita homines ambitiosi puniri solent propter stultitiam suam et calamitate affligi; ut Hannibal, Alexander et Xerxes.

188—288. Non minus stulta sunt vota eorum, qui longam sibi exoptant vitam. Senectutis incommoda more suo vivis poeta adumbrat coloribus, forsan tædio confectus, quum ipse ea sentiret. Juvenes comparent Lucian. Dial. Mort. VI, 2. (τὸν ὑπέργηρων, ὀδόντας τρεῖς ἔτι λοιποὺς ἔχοντα, μόγις ὀρῶντα, οἰκέταις τέτρασιν ἐπικεκυφότα, κορύζης μὲν τὴν ῥῖνα, λήμης δὲ τοὺς ὀφθαλμοὺς μεστὸν ὄντα, οὐδὲν ἔτι ἡδὺ εἰδότα, ἔμψυχόν τινα τάφον, ὑπὸ τῶν νέων καταγελώμενον) Maximiani Eleg. I. in Wernsdorf. Poet. Lat. min. T. VI. p. 269 seq. Plin. VII, 50. et Horat. A. P. v. 169 seq. sed et ea, quæ contra disputavit Cicero in Catone majore. — 189. *Hoc solum*, tamquam summum bonum, *optas* orasque et *recto*, erecto, *vultu, et pallidus*, h. e. et lætus et tristis, vel et sanus et ægrotus: nam læti ac sani vultum adtollere, tristes et ægroti demittere solent. Possis et exponere: sine et cum pudore ac metu; (v. ad VI, 401.) quod tamen minus verbo *optare* convenit. Quidam interpretantur: *recto vultu*, aperte, non clam, quia hoc orare non pudet, (cf. Pers. II, 8 seq.) *et pallidus* præ nimio tum desiderio, tum metu non obtinendi, quod anxius precaris.

191 seq. Tristis, sed apta senectutis imago. 192. *Dissimilem sui*, non qualis olim fuerat in juventute. Conf. Horat. Od. IV, 10, 2—8. *pellem deformem*, rugosam, macilentam, exsanguem et asperam, *pro cute*, loco cutis teneræ, vivæ ac nitidæ. *Cutis* juvenibus ac vivis, *pellis* senibus ac mortuis tribuitur; ut illis χρὼς et his δέρμα vel ἐνδὺς ab Hom. Od. XIII, 480 seq. et Apollon. II, 200. Conf. Wakef. ad Lucret. VI, 1268. et Mitscherl. ad Horat. Epod. XVII, 22. Plerumque tamen inter illas voces nihil interest. *Pendentes genas*, pendulas, macilentas et flaccentes, quas alii *fluentes buccas* et *malas labentes* dicunt.[63] — 193—195. Festive de rugis senum. Nota quoque sunt

[63] v. intpp. Suet. Aug. c. 99. Gron. ad Senec. Hippol. v. 364. et Ern. clav. Cic. v. *fluere*.

Ennii verba apud Cic. N. D. I, 35. *Simia quam similis, turpissima bestia, nobis?* de quo conf. Plin. VIII, 54. s. 80. et XI, 44. s. 100. *Tabraca*, urbs maritima Numidiæ, quæ etiam nunc vetus retinuit nomen. Conf. Var. Lect. *ubi pandit Tabraca saltus umbriferos*, ubi densa se pandit, late patet, silva prope Tabracam, in ora maritima Libyæ; in qua silva Posidonius multas vidit simias, teste Strab. lib. XVII. et Herodoto lib. IV. *in vetula bucca*: nam genæ etiam simiarum senectute corrugantur. 196. 197. Juvenes plurimum differunt forma ac robore. 198. *Vox*, loquela senum *tremens* et vacillans, ut et *membra*. 199. Sic Lucian. Dial. Mort. IX, 2. dixit γέροντα καὶ φαλακρὸν καὶ λημῶντα προσέτι καὶ κορυζῶντα, et Dial. Mort. VI, 2. κορύζης μὲν τὴν ῥῖνα μεστὸν ὄντα. *caput leve*, calvum ac glabrum. *madidi infantia nasi* festive dicitur destillatio narium in senectute, ut in infantia, vel nasus, ex quo senibus, æque ac infantibus, abundans defluit humor et dependet: nam senectus est secunda infantia. Conf. ad v. 233. — 200. *gingiva inermi*, carente dentibus, quæ sunt arma, a natura homini data. Sic *ora exarmata* dixit Sidon. carm. 13. et epist. VII, 14.

201. 202. Facete poeta dicit, senem decrepitum omnibus, etiam cognatis et sibi ipsi, molestum esse, et quidem tam molestum et intolerabilem hominem, ut ne Cossus quidem heredipeta eum ferre possit, quum tamen hoc hominum genus senes omni officiorum genere delenire studeat et vel indignissima ab iis æquo patiatur animo, ut, si non omnem hereditatem, certe partem ejus adipiscatur. De *captatore* v. ad V, 98. — 203. Non eadem voluptas a senibus, quæ a juvenibus, capitur e potu et cibo, quia *palatum* illis *torpet*, sine sensu et sapore est, non sentit suavitatem cibi ac potus. Sic *non sapit palatum* ap. Cic. Fin. II, 8. — 204. *Nam* de Venerea voluptate vix est quod aliquid dicam: jam diu non amplius eam sensit senex, vel, si denuo quoque ea captus conetur coire, ad rem Veneream inhabilis est. *si coneris*, senex, coire; nisi malis *si coneris*, quisquis es, cum sene concumbere. Sed v. Var. Lect. *jacet*, dependet, non arrigitur. Cf. ad VI, 196. Martial. III, 75, 1 seq. et Jacobs ad Anthol. Gr. T. II. P. I. p. 276. De *ramice* v. ad VI, 326. et de *nervo* ad IX, 34. — 206. Cf. Petron. 20. et Martial. III, 75, 1 seq. XI, 23, 3 seq. 30, 1 seq. 47, 1 seq. XII, 99, 6 seq. — 207. *inguinis ægri canities*, senectus, debilitas; vel inguen *ægrum* est debile et canum, h. e. senile aut senis. — 208. *suspecta libido*, quia fellatorem prodit vel irrumatorem. Cf. v. 237 seq. Martial. IV, 50, 2. et Suet. Tib. c. 44.

209. *Adspice nunc*, expende, respice porro, *damnum*, jacturam, *partis*, sensus, *alterius*, scil. auditus, cujus voluptate senes carent. 210. *Nam quæ voluptas* a sene surdo percipitur? *cantante, sit licet eximius citharœdus*, v. Var. Lect. *Seleucus* musicus haud dubie eximius, etsi non constat, qualis fuerit; forte nec citharœdus, nec tibicen, a quibus discerni h. l. videtur. 212. Designantur tibicines, qui æque ac citharœdi histrionum actionem moderabantur et magnifice vestiti prodire solebant. Cf. Cic. ad Herenn. IV, 47. Horat. A. P. v. 215. et Ferrar. de re vest. III, 13. — 213. Si vel proxime canentibus sederit, nihil audiet. 214. Vix cornicinum tubicinumque acerrimum audit sonitum. Conf. ad VI, 250. — 215. *ut auris* senis *sentiat*, audiat, percipiat. — 216. *Pueri* vel servi in forum mitti solebant ad solarium, ut viderent *nuntiarentque* hero, quota diei *hora* esset: nam nemo facile solarium habebat domi suæ.[64] — 217. 218. Conf. Virg. Æn. V, 395. 396. Martial. III, 93, 17. Sen. Ep. 68. Senes sunt exsangues, nec nisi in morbo vel æstu febrili calent. 218. 219. Cf. ad VI, 293. *velut agmine facto* (ut *febrium cohors* ap. Horat. Od. I, 3, 31.) verba Virg. Ge. IV, 167. et Æn. I, 82. (de ventis ruentibus) 434. VIII, 595. Cf. sup. III, 162.

220. 226. Festivæ comparationes et ingeniosæ, quibus poeta velut aliud agens multos perstringit; sed tam ambitiose etiam exaggeratæ, ut vanæ eruditionis ostentatione et declamatione luxuriante vis satirica infringatur. Poetam tamen defendere conatus est Rigalt. Conf. Sil. VII, 362 seq. Ovid. Trist. V, 2, 23—28. et similia loca, ut appareat, quomodo poeta satiricus ab aliis differat in exprimenda rerum multitudine. *Promtius expediam* cet., forma loquendi, ut *citius Scyllam crediderim* cet. XV, 19 seq. et *citius falsum producere testem possis* cet. XVI, 32 seq. De *Hippia* v. VI, 82 seq. — 221. *Themison* Laodicenus Syrus, medicus clarissimus, qui et novam medicinæ condidit sectam. v. Athen. VII, 10. Plin. XXIX, 1. s. 5. ibique Harduin. in Indice Auctorum. Hoc loco pro quovis medico, a quo *ægros occidi* salse dixit poeta. Sic in Molieri comœdia, *le malade imaginaire*, novo medicinæ doctori a collegio medico datur potestas *impune occidendi per totam terram*. *auctumno*, in quo frequentiores sunt morbi. v. ad IV, 56. et VI, 517. — 222. *Basilus*, advocatus eo tempore, prævari-

[64] v. Ernesti ad Suet. Dom. c. 16. inpr. ej. Diss. de solariis in Opusc. philol. crit. p. 21—32. intpp. Martial. VIII, 67. Burm. ad Petron. c. 26. p. 93. Beckmann. Beitr. zur Gesch. d. Erfind. T. IV. p. 125. et Böttigeri Sabina p. 440. 441. ed. pr.

cator; vet. Schol. prob. Dorleans, ut poeta *socios* dixerit clientes, quod causidicum comitati sint, vel quod Basilus non modo extraneos, sed et sibi conjunctissimos prævaricatione prodiderit. Utraque tamen ratio dura est. Cf. VII, 145 seq. ubi tamen Basilus laudatur. Alii forte rectius præfectum et spoliatorem provincialium significari putant, coll. Lucan. IV, 415 seq. qui tamen locus parum ad rem facit. Possit etiam designari magister societatis, qui *socios*, publicanos, dolis circumvenerit. *Hirrus* tutoris fraudulenti nomen nobis ignotum. Cf. Var. Lect. *Circumscribere*, ut *circumvenire*, *circumducere* et *circumire* pro decipere, defraudare. Conf. inf. XIV, 237. et XV, 136. — 223. *exsorbeat viros*, v. ad VI, 126. et IX, 59. *longa*, procera. Nota Ach. est: *longa* potius pro macilenta, Gall. *efflanquée*, ut expressit Dusaulx: nam in feminis vis Venerea eas macilentas eoque *longas* efficit. 224. De *Maura* v. VI, 307 seq. *Hamillus* s. *Amillus* (v. Var. Lect.) infamis corruptor et pædico. v. Martial. VII, 61. *inclinet*, v. ad IX, 26. — 225. 226. Conf. ad I, 24. 25. ubi idem legitur versus. *Percurram citius*, ut v. 220. *promtius expediam*, et XIV, 27. *contexere cursu*.

227 seq. Alia recensentur senectutis incommoda. Conf. Sen. Ep. 101. *luscis*, unoculis, *invidet*, qui plane cœcus est, tamquam multo felicioribus. Verbum *invidere* apposite h. l. dici, quoniam proprium id senum sit, monet Lubin. 229. Quidam senes alienis digitis uti coguntur propter chiragram vel paralysin. Conf. Var. Lect. — 230. *Ipse*, quia gulosus est, *suctus rictum diducere*, instar bestiæ voracis, nunc cibum ne sua quidem manu capere potest, ob chiragram, et hinc *hiat tantum, ceu pullus hirundinis*, quem cibat mater, cujus *os plenum* est cibus et venter *jejunus*. Venustæ comparationes hominis gulosi vel senis, cui non major quam edendi voluptas est, cum bestia voraci et pullis hirundinum. Poetæ animo obversata videntur præclara verba Pluti ap. Lucian. in Timone (T. I. p. 158. ed. Schmid.): Ἐμὲ οἱ ἐπελπίσαντες ἐν τῇ ἀγορᾷ περιμένουσι κεχηνότες, ὥσπερ τὴν χελιδόνα προσπετομένην τετριγότες οἱ νεοττοί, et Homeri Il. IX, 323. 324. ubi Eustath. p. 655. 2. laudat versum Achæi tragici: Χάσκοντα λιμῷ μόσχον ὡς χελιδόνος. Cf. Huschke Anal. crit. p. 100.

233 seq. *Omni membrorum* sensuumque *damno major* est *dementia* senum; omnium miserrimum est, quod præter corporis vires etiam memoria, ratio et reliquæ animi vires labant atque hebescunt, quod senes iterum desipiunt et repuerascunt. Δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Conf. ad v. 199. — 236. *eduxit*, educavit. *Nam sævo*, iniquissimo, *codice*,

codicillo, testamento, *suos,* proximos cognatos, *vetat esse heredes,* exheredat, per oblivionem, *et bona tota feruntur ad Phialen,* testamento relinquuntur fellatrici, quæ *halitu artificis oris* senem ita delinivit, ut suorum plane oblivisceretur cognatorum eamque ex asse heredem institueret, immemor simul legis, quæ id vetabat. Conf. Var. Lect. et ad I, 55 seq. — 238. *halitus artificis oris,* halitus artifex, h. e. artificiosus, scitus, *oris,* mulieris fellantis. Conf. ad VI, 51. 301. et 306. "Halitus impurus *oris artificis,* quod tum fellatione, tum blandiloquio hereditatem senis captaverat; *quod steterat,* ex eo, quod tam diu prostiterit." Schol. *in carcere fornicis,* in angustis cellis et *veteri centone fumoque lucernæ fœdis,* (cf. VI, 121 seq. et 131.) quales solent esse in carceribus et in lupanaribus.

240—288. *Ut,* h. e. quamvis senes etiam multi corpore et animo vigeant, in longa tamen illa vita multa vident et patiuntur acerbissima, quæ non sensissent, nisi ad summam vixissent senectutem, præmaturam propinquorum mortem, miseramque ipsorum ac patriæ fortunam. *ducenda sunt funera natorum* proprie dicitur: nam in funebris pompæ ordine præibant ac *ducebant,* qui sanguine proximi mortuum contingebant; Hennin. 242. *sororibus,* cineribus earum. 245. *veste nigra,* pulla, ob luctum.

246—255. Quæ modo dixerat poeta, nunc illustrat exemplo Nestoris. Conf. simil. loc. Prop. II, 13, 43—50. *Rex Pylius,* Noster rex Pyli in Elide; quem ultra duas hominum ætates, γενεὰς, vixisse tradit *Homerus* Il. α, 250 seq. non vero CCC annos, quos ei tribuunt recentiores poetæ, quorum errorem ridiculum peperit vox γενεὰ male intellecta.[65] Itaque h. l. non Homerica, sed vulgaris tantum opinio erat ridenda. 247. *vitæ a cornice,* a cornicis vita, *secundæ;* non ei paris, sed proximæ et longissimæ post eam. *Cornici* fabulose ab Hesiodo novem hominum ætates tribui, referunt Plin. VII, 48. et Macrob. VII, 5.[66] — 248. *tot,* tria. 249. *computat,* numerat, (v. ad VI, 199.) *jam annos suos dextra:* nam veteres numerabant computabantve per digitos, et numerum quidem centenario minorem sinistræ, majorem dextræ manus digitis, usque ad ducentesimum, qui a dextra rursum ad sinistram referebatur, ut trecentesimo major inde iterum ad dextram. Cf. Schneider ad Eclog. phys. Vol. II. p. 317—319. Jacobs

[65] v. Eustath. et Kœppen ad Hom. l. l. et intpp. Horat. Od. II, 9, 13.

[66] Cf. Hard. ad Plin. l. c. et Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 13, 25.

ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 242. et al.[67] — 250. *novum toties mustum bibit,* tot auctumnos, h. e. annos vixit. 251. *quantum querutur de legibus fatorum,* quibus tam longa ipsi vita sit constituta. *de nimio stamine* Parcarum, h. e. de vita nimis diuturna. Cf. ad III, 27. — 252. *quum videt acris Antilochi barbam,* h. e. Antilochum, filium suum fortissimum et jam barbatum, (quæ gravissimi luctus causæ sunt) *ardentem* in rogo, occisum a Memnone, quum patrem in pugna servasset. Conf. simul. loc. Prop. II, 13, 49 seq. Dictys IV, 6. Qu. Calab. II, 243—266. Pind. Pyth. VI, 22 seq. (quibus locis, ut et nostro, egregie declaratur patris luctus) Mitscherl. ad Horat. Od. II, 9, 14. Heins. ad Ovid. Her. Ep. I, 15. Virtus Antilochi nota ex Homero, (Il. Δ, 177 seq. 457. N, 396. 545. O, 515. 576.) ut et pietas insignis in patrem, unde Φιλοπάτωρ dictus est. (v. Xenoph. de venat. p. 974. ed. Frft.) — 253. *quærit ab omni, quisquis adest socius,* v. Var. Lect. ad v. 211. — 254. *cur hæc in tempora,* tamdiu, ut filium immatura morte defunctum videat, *duret,* vivat. 255. *dignum tam longo ævo,* tamquam summa calamitate pœnaque gravissima. Servius ad Virg. Æn. IX, 497. notat, Juvenalem ex eo loco traxisse colorem.

256. *Hæc eadem* sc. queritur (v. 251.) vel lugens quærit. (v. 253.) *Peleus* pater Achillis. *raptum* morte immatura et interfectum a Paride. Quo nuntio accepto Peleus mœrore confectus obiit. Conf. Pind. Pyth. III, 178 seq. ibique Schmid. 257. *alius,* Laertes, *cui fas* est *lugere Ithacum,* Ithacium Ulyssem, (v. ad XIV, 287.) filium suum, *natantem,* decem annos per maria jactatum et tristi errore vagantem, vel sæpe naufragum. Cf. Prop. III, 12, 32.

258 seq. Felix fuisset Priamus, si ante excidium Trojæ tristemque suorum fortunam mortuus esset. Cf. Cic. Tusc. Quæst. I, 35. quem locum poeta imitatione expressit. Tiberius contra idemtidem felicem Priamum vocabat, quod superstes omnium suorum exstitisset. v. Suet. Tib. 62. *venisset ad umbras Assaraci,* h. e. majorum suorum, bonum ac facilem sortitus exitum. *Assaracus* Trois filius et frater Ganymedis atque Ili, qui Ilus Laomedontem genuit, patrem Priami. v. Heyne ad Virg. Ge. III, 35. *magnis solennibus,* splendida pompa, magnifico apparatu funebri. *funus,* corpus mortui patris. (v.

[67] v. Rhodig. XXIII, 11 seq. Barth. ad Claudian. in Rufin. I, 116. Anthol. Gr. II, 9. (Γραῖα, ἡ φάος ἀθρήσασα ἐλαφρὸν πλέον, ἢ χερὶ λαιᾷ γῆρας ἀριθμεῖσθαι δεύτερον ἀρξαμένη.) Gronov. ad Plaut. mil. glor. II, 2, 48 seq. Reimarus ad Dion. Cass. p. 1195. et Beda de computo, qui numeros 1—100 sinistra, 100—1000 dextra, 1000—2000 iterum sinistra manu designatos fuisse dicit.

Burm. ad Valer. Fl. VII, 643. et ad Quintil. declam. XII, 26.) *portante Hectore,* filio maximo natu, et *fratribus* ejus. Funera humeris et patrum corpora a filiis portari solebant; Grang. coll. Plin. VII, 44. XVIII, 3. Suet. Aug. 100. Valer. Max. VII, 1. al. De Priami filiis et filiabus v. Apollod. III, 12, 5. ibique Heyne. — 261. *inter lacrumas Iliadum,* matronarum Trojanarum, funus prosequentium lamentis, ululatu, ploratibus, næniis et *planctu,* qui perpetuus est mos et veterum et barbarorum populorum. Cf. Virg. Æn. XI, 35. *ut,* ita ut. *primos edere planctus,* more præficarum, quæ luctum modumque plangendi ac lamentandi ceteris feminis præibant. — 262. *Cassandra* et *Polyxena* filiæ Priami. *Palla* Gr. πέπλος, mantel, propr. Angl. *shawl* et quidem geminatum vel triplicatum. (v. Ferrar. de re vest. I, 3, 18. et in Anal. p. 81. Böttigeri Sabina p. 397. 416 seq. et XX. ed. pr.) *scissa palla:* nam in luctu et pompa funebri vestes scindi solebant. v. Ferrar. l. l. 263. *tempore diverso,* alio et quidem priori, *quo non,* nondum, *Paris carinas cœperat ædificare audaces,* h. e. audax, navigaturus sc. et rapturus Helenam; antequam patriam vidisset eversam.

265. *Longa dies,* vita, *quid* commodi *contulit,* præstitit Priamo, quid profuit ei? 265 seq. Conf. versus Ennii ap. Cic. Tusc. Qu. I, 35. et Virg. Æn. II, 554 seq. *Asiam* propriam s. minorem, et quidem h. l. ejus partem florentissimam, Troadem, quæ Priami imperio subjecta erat. Conf. Virg. Æn. II, 557. ibique Heyne. Hæc pristinæ et præsentis fortunæ comparatio multum valet ad commiserationem faciendam.

267—270. Cf. omnino Virg. Æn. II, 506—558. ibique Heyne in Exc. XI. de Priami nece. *Tunc miles tremulus* senio, Priamus, *arma tulit,* cepit et induit, ut impetum Græcorum propulsaret, *posita tiara,* fascia, diademate, regio insigni, (v. ad VI, 516.) *et ruit,* jugulatus a Neoptolemo, *ante aram Jovis* Hercei, Ἑρκείου. Cf. Virg. l. l. v. 509 seq. et Heyne l. c. — 268—270. Comparatio aptissima et ad miserationem egregie comparata; simplex tamen et obvia, ad quam mentio *aræ* facile ducere poterat. ruit ante aram, *ut vetulus bos,* gravius sonant illa Virg. Æn. V, 481. *Sternitur exanimisque tremens procumbit humi bos;* Ach. 270. *jam fastiditus,* contemtus, *ab ingrato aratro,* h. e. agricola, qui bovem jam ob senium arando inutilem mactat, immemor tot laborum officiorumque, quæ ille præstitit.

271. 272. *Exitus* tamen *ille,* mors et extrema fata Priami fuere *utcumque,* quodammodo, *hominis* mors, non belluæ, ut mors *uxoris* ejus,

Hecubæ, quæ propter luctum animique acerbitatem quamdam et rabiem conversa dicitur in canem. Vetus Schol. " Hecuba, dicit, excœcato Polymnestore, cum saxis impelleretur a populo Thracum, versa in *canem* fertur. An quia Græcis convitia congerebat, *canem* nominaverunt?" Conf. Cic. Tusc. Qu. III, 26. Dictys V, 13. et 16. Plaut. Men. V, 1, 14 seq. Ovid. Met. XIII, 422—575. Muncker. ad Hygin. fab. 111. Potter. ad Lycophr. v. 331. Eurip. Hecuba et Heyne l. l. *Latravit rictu canino*, ut ap. Ovid. l. l. v. 568.

273. *Festino ad nostros*, Romanos, ad exempla Romanorum, quibus longa vita fuit perniciosa. *Regem Ponti*, Mithridatem, qui annos LXIX vixit et, bellis infeliciter adversus Romanos gestis, Bituiti manu periit. v. Appian. bell. Mithrid. c. 111. 112. et Plin. XXV, 2. s. 3. *transco*, ut VI, 602. — 274. *Crœsum*, opulentissimum regem Lydiæ, qui, antequam a Cyro captus esset, felicissimus sibi hominum esse videbatur, cuique *Solon* dixisse fertur, neminem ante obitum beatum esse dicendum. v. Herodot. I, 30—32. et 86. Hanc Solonis sententiam expressere multi, v. c. Eurip. in Troad. v. 510. in Iphig. Aul. v. 161. et Ovid. Met. III, 135 seq. Illam vero Solonis apud Crœsum commorationem disputationemque de fortuna humana dubiam facit chronologia. Vid. tamen Gatter. Handb. d. Gesch. T. I. p. 838 seq. Historia Crœsi nota ex Herodot. I, 26—94.

276—282. Exemplo C. Marii et v. 283—288. Pompeii probatur, quam perniciosa sæpe hominibus sit longa vita, et, si hæc brevior fuisset, quot mala evitassent multi. 276—278. Nisi tam longa fuisset Marii vita, non perpessus esset tot calamitates, *exsilium carcerem*, *paludes* cet. Nam ex Urbe pulsus a Sulla profugit *Minturnas*, (oppidum in Auruncis, ad Liris ostia, in confinio Latii et Campaniæ) ubi, equitibus Sullæ eum persequentibus, in *paludibus* latuit et deinde proditus quidem atque a Minturnensibus in custodiam (*carcerem*) mulieris privatæ traditus, sed, quum nemo eum occidere auderet, in navem publicam impositus est: ea trajecit in Africam et *Carthaginem* appulit, ubi exsul et pauper *panem mendicasse* dicitur. v. Appian. bell. civ. I, 61. 62. Plut. in Mario et Sulla, Vellei. II, 19. Flor. III, 21. Quo modo Marius obierit, discrepat inter scriptores: constat tamen, eum senectute confectum et primo septimi consulatus mense mortuum esse. v. Appian. l. l. c. 75. et Plut. l. c. — 278. *Hinc*, e lóngiori vita. *illo cive*, C. Mario. 280—282. Si statim mortuus esset post triumphum de Cimbris et Teutonis s. Teutonibus actum. v. Vellei. I, 12. et Plut. ll. cc. *animam opimam*, præclaram, aut lætitia ex-

sultantem propter spolia *opima*, (h. e. tot tantasque victorias) vel ad satietatem. — 282. *de curru Teutonico*, quo vehebatur triumphans de Teutonibus.

283—286. Cn. *Pompeius* Magnus Neapoli in Campania gravi laborabat febri, sed *optanda* ac salutari, quam ei *dedisse* vel immisisse videri poterat *Campania provida*, quasi prævidens mala ipsi imminentia, h. e. prospera sors ita tulit, ut graviter ægrotaret Neapoli; sed *vota publica*, a *multis urbibus* pro ejus sanitate concepta, *vicerunt*, a diis exaudita perfecerunt, ut ex morbo convalesceret: *igitur Fortuna* adversa multas et *ipsi* et *Urbi* importavit calamitates fecitque, ut ei *victo* a Cæsare in pugna Pharsalica et ad Ptolemæum, Ægypti regem, confugienti ab Achilla, præfecto regio, et L. Septimio trib. mil. gladiis *auferretur caput servatum*, ad hanc ignominiam calamitatemque reservatum vel servatum in adventum Cæsaris. (Πομπηίου τὴν μὲν κεφαλὴν ἀποτεμόντες οἱ περὶ Ποθεινὸν ἐφύλασσον Καίσαρι, ὡς ἐπὶ μεγίσταις ἀμοιβαῖς, Appian. bell. civ. II, 86. pr.) v. Plut. vit. Pompeii, Appian. b. civ. II, 76—86. 90. Plin. V, 12. VII, 26. Flor. IV, 11. Dio XLI. pr. Conf. simil. loca Senec. Consol. ad Marc. c. 20. Vellei. II, 48. et inpr. Cic. Tusc. Qu. I, 35. unde locus noster desumtus est. Pompeius autem, tantus vir, qui tres gessit consulatus totidemque triumphis ex tribus orbis terrarum partibus relatis *Magni* cognomen sibi peperit, obtruncatus est pridie natalis sui duodesexagesimi. v. Vellei. II, 53. et Plut. — 286. Cf. Barth. Advers. IX, 14. qui poetam ad Corn. Severi versus allusisse suspicabatur. 287. P. Corn. *Lentulus* Sura, P. principis Senatus nepos, qui a. U. 682. Consul fuerat, et C. *Cethegus*, socii *Catilinæ*. v. ad VIII, 231. *Integer et cadavere toto*, non absciso capite vel corpore truncato, ut Pompeius. Lentulus et Cethegus jussu Ciceronis in carcere necati sunt; Catilina in acie fortiter pugnans cum suis periit. v. Appian. bell. civ. II, 6, 7. Flor. IV, 1. Sallust. et al. Horum itaque conditio et mors minus acerba fuit et ignominiosa, quam Pompeii, etsi is tantus vir fuit et illi contra rem publicam conjurarunt.

289—345. *Forma* pulcra etiam multis injuriis, corruptioni aliisque periculis obnoxia adeoque non exoptanda est. *Murmure*, susurro, ψιθυρισμῷ, obscura voce intra dentes edita; quo vota parum honesta designantur. v. ad VI, 539. Ardentius autem magisque *puellis*, quam *pueris formam* pulcram *optat mater*, quoniam ea utilior est illis, quam his; unde h. l. egregie *majori murmuri* opponitur *modicum*. 290. *quum*, quoties, *videt*, adit, *fanum Veneris*, quæ et pulcerrima dearum

est et symbolum amoris ac venustatis. Colebatur etiam olim Ἀφροδίτη ψίθυρος in templo, in quo mulieres preces ac vota huic deæ insusurrabant. v. Sen. Ep. 10. et Eustath. ad Homer. Odyss. XX. p. 1881. A. *mater anxia,* sollicita de forma liberorum et anxie precans. 291. *Usque ad delicias votorum,* ita ut pro ipsis vota deliciarum dulcedinisque plena faciat, quibus favorem animumque Deæ, qualis Venus est, conciliari posse sperat. Ita mentem poetæ recte mihi cepisse videor.[63]

291. *Cur tamen corripias,* reprehendas hæc vota, tamquam inhonesta, quandoquidem et *Latona Dianæ,* filiæ suæ, pulcritudine delectatur? Conf. præclarus locus Virg. Æn. I, 498 seq. qui animo poetæ obversabatur. *inquit* scil. illa mater, vel potius pro *inquis* aut *inquitis;* nam *inquit,* ut Gr. ἔφη et φησί, sæpissime dicitur pro *inquis, inquitis* et *inquiunt,* ubi aliquid nobis ab uno seu pluribus, a præsente seu absente, objici fingimus innuimusque, aliquem nobis contradicturum esse; quod jam notatum est multisque exemplis comprobatum a Bentl. ad Horat. Sat. I, 4, 78. Gron. et Drak. ad Liv. XXXIV, 3. et 5. Schellero in Lex. et a me ipso ad Liv. VI, 40, 3.

293 seq. Respondet poeta, ostenditque exemplis Lucretiæ, Virginiæ aliarumque mulierum pulcerrimarum, in quantis illæ periculis versentur. *faciem* pulcram. *Lucretia,* quæ propter formam a Sex. Tarquinio per vim stuprata necem sibi conscivit. 294. *Virginia,* a patre, L. Virginio, occisa, ut pudicitia ejus ab insidiis Appii Decemviri libidinosi vindicaretur. *Rutila* mulier deformis et gibbosa, quæ illis temporibus vixisse videtur. Vulgo designari putant Liviam, Rutilii uxorem, quam excessisse quidem XCVII annos, nec tamen gibbosam fuisse, Plinius VII, 48. memorat. Lepide autem h. l. utriusque feminæ forma comparatur. 295. *suam* sc. faciem et formam. 296. *trepidos,* sollicitos de castitate filii; verentes, ne corrumpatur.

297. Vera sententia, quam etiam expressere Petron. 94. Martial. VIII, 53. Ovid. Her. XVI, 282. et Am. III, 4, 41 seq. al. — 298. *horrida domus,* disciplina et institutio severa, tetrica ac tristis, sine

[63] Minus apte alii, v. c. ex votis ipsis captans delicias et gaudia, Prat. optans, ut tam formosa sit, ut eam juvenes in suos amplexus optent, usque ad delicata nimis vota, Brit. usque adeo demens, ut etiam delicias in votis voveat filiabus et ut in amplexus ob pulcritudinem rapiantur, Schurzfl. usque ad hoc deliciæ hominum veniunt, ut pulcritudinem optent filiis suis, Schol. languenti ardentique desiderio, Bahrdt.

cultu et elegantia, qualis *veterum Sabinorum* fuit. v. Var. Lect. 300. *vultum modesto sanguine ferventem,* suffusum rubore vel pudore, quod est τὸ χρῶμα τῆς ἀρετῆς. 301. *natura larga,* liberalis, benigna. Quoad sensum melius jungi possunt *natura benigna* et *larga manu.* 303. Cf. Sen. Epist. XI. et de ira II, 2. Horat. Epist. I, 10, 24 al. — 304. *Non licet esse viris,* (conf. Var. Lect.) desinunt mox esse viri; nam (quæ ratio adjicitur) formosi solent effeminari et vel corrumpi, s. stuprari et pati muliebria, vel castrari; vel pathici fiunt et cinædi, vel spadones. *corruptoris improbitas,* cinædus improbus. 305. *tentare,* sollicitare muneribus, ut filios suos corrumpi patiantur; vel ipsos parentes donis sollicitare ad stuprum.

306—309. Formosi pueri ac juvenes vel *castrantur* vel *rapiuntur* sc. ad stuprum (ut *rapere virginem* et *rapta,* vel nostrum *entführen,* ap. Liv. XXVI, 13. Sallust. Cat. 51. Ovid. Ep. Her. XVI, 327. 339. XVII, 22.) a potentioribus, quod non verendum est deformibus. *castravit;* v. ad VI, 368 seq. — 308. *Neronis* pæderastia nota e Suet. c. 28. al. *prætextatum,* v. ad I, 78. Kœnig ad Pers. V, 30. hæc adnotavit: Frequentem fuisse amorem in prætextatos, in primis sub Imperatoribus, eamque ætatem omnis generis libidini maxime fuisse expositam, constat ex Cic. in Phil. II, 18. in Catil. II, 2. et 10. multisque locis Martialis. *loripedem,* v. ad II, 23. *Strumosus* dictus a *struma,* tumore glanduloso, qui in lateribus, inguinibus, sed maxime in cervice nascitur, (v. Cels. V, 28. s. 7.) et *scrofula* quoque, Gr. χοιράς, vocatur, quoniam sues hoc morbo potissimum laborant.

310. *I nunc,* ut VI, 306. ubi v. not. *specie,* forma, et quidem pulcra. 312. *Publicus adulter,* qui omnes amat appetitque matronas et ab iis amatur; ut fere *juvenum publica cura* dicitur Horat. Od. II, 8, 8.

312—317. Pœnæ adulterorum deprehensorum magis permissæ maritorum vel magistratuum Cæsarumque arbitrio, quam legibus definitæ fuisse videntur, et in feminis mitiores erant.[69] Nota Henninii est: Videtur Romanis privatim, quamvis sine lege, permissum fuisse, ut adulteros deprehensos pro lubitu punirent, παρατιλμῷ, ξαφανιδώσει, *mugile,* ut loris conciderent, pecunias extorquerent, viro mulctarent, interficerent, quod ex Horat. Serm. I, 2. Varr. de Pace, Catull. carm.

[69] Conf. Voss. ad Catull. p. 41 seq. Cujac. Obss. VI, 11. Lips. Exc. ad Tac. Ann. IV, 42. Gothofr., Brisson. et Hofman. ad leg. Jul. de adult. Paull. Sent. II, 26, 14. ibique intpp.

15. Plauti Pœnulo et Nostro constat. — 312. 313. v. Excurs. ad h. l. — 313. *nec erit felicior Marte*, in adulterio deprehendetur, ut Mars, quem cum Venere concumbentem Vulcanus, Veneris maritus, *laqueis* vel potius retibus impeditum omnibus diis videndum præbuit; quæ lepida fabula, facete h. l. memorata, notissima est ex Hom. Odyss. 9, 266 seq. Ovid. Met. IV, 171 seq. et A. A. II, 561 seq. Conf. inf. ad XVI, 5. et de origine hujus commenti Heyne antiq. Aufs. Fasc. I. p. 161. Herrman. Mythol. T. I. p. 258 seq. et Wernsdorf Poet. min. T. IV. p. 52. 53. *Astrum* autem *Martis* poeta forsan pro ipso Marte dixit respectu sideris natalitii, cui hoc Martis infortunium tribuit, et hujus astri, quod infaustum erat. v. ad VI, 533 seq. Nec tamen dissimulo, hanc interpretandi rationem duram esse. — 314. *Exigit plus*, pœnam graviorem. 316 seq. Conf. Horat. Sat. I, 2, 37 —46. *secat*, concidit, lacerat. Conf. Horat. Epod. IV, 11. ibique Mitscherl. — 317. Vetus Schol. "*Mugilis* (s. *mugil*) piscis grandis capitis, (unde et *capito* dicitur, Gall. *mulet*) postremus exilis, qui (æque ac scorpio et raphanus) in podicem mœchorum deprehensorum (Athenis olim) solebat immitti." [70] De ipso pisce v. Athen. VII, 16. (77. 78.) p. 306. 307.

318. *tuus Endymion*, filius tuus formosus. *Endymion* pastor, a Luna adamatus: qui mythus inde ortus, quod primus lunæ cursum observavit, (v. Plin. II, 9.) et pulcer fuit; summam enim hominis pulcritudinem adumbraturi poetæ fingunt, deos ejus amore captos esse eumque rapuisse. [71] *dilectæ*, formosæ, et quam amat propter pulcritudinem. — 319. *Servilia*, matrona deformis ac dives. Nomen cujusdam mulieris turpissimæ; Schol. Vix crediderim, poetam respexisse duas Servilias, turpissimas Catonis sorores, e quibus altera, Bruti mater, cum Cæsare libidinis commercium habuit, altera autem a Lucullo, marito suo, ob prostratam pudicitiam fuit repudiata. v. Suet. Cæs. 50. Plut. in Lucullo p. 517. in Cat. min. p. 759. 769. 770. 785. et in Bruto p. 984. Illa certe non *numos dedit* Cæsari, sed amplissima potius ab eo accepit dona ac prædia. v. Suet. et Plut. ll. cc. — 320. *illius*, hujus Serviliæ. *Exuet* filius tuus turpi matronæ, qualis Servilia est, *omnem corporis ornatum*, h. e. amores ejus sectabi-

[70] v. Kusterus ad Suid. v. ῥαφανὶς, Dœr. ad Catull. XV, 19. Schol. et intpp. ad Aristoph. Plut. 1068. et Nub. 1079. Casaub. ad Athenæum I, 5. p. 5. Schweigh. ad Athen. VII, 77. (qui a figura piscis illum morem puniendorum mœchorum putat ductum) Voss. de idolol. IV, 49.

[71] v. Heyne antiquar. Aufs. St. I. et de Endymione idem ad Apollod. I, 7. 5. et Harles ad Ovid. Trist. II, 299.

tur, donec omnibus eam nudaverit unionibus vel gemmis reliquoque corporis ornatu.[72] — 321. *quid enim* pretii ac muneris *ulla* mulier impudica *negaverit udis inguinibus*, in Venerem libidinemque conferre dubitabit? 322. *Oppia* judice Brit. forte patricia ac nobilis, *Catulla* vero plebeia, vel illa liberalis ac prodiga et hæc avara, vel denique illa dives et hæc pauper. Nota Ach. est: " Sic omnes interpretes. Ego vero sensum multo magis satiricum h. l. aperio: scil. *Catulla* mulier infamis et impudica, (*libertine effrontée*) quæ publice notabatur, (v. Martial. VIII, 53. et sup. ad II, 49.) *Oppia* mulier formosa et pudica, *prude achevée*. Porro, quum illas poeta opposuerit, in animo ei fuisse suspicor, omnes feminas impudicitiæ insimulare." *Casta* tamen mulier parum apte h. l. memorari videtur. *Oppia* forsan h. l. nomen deformissimæ, et *Catulla* formosissimæ mulieris. *Catulla* certe, cujus mentionem facit Martialis VIII, 53., et formosissima fuit et impudicissima. — 323. Idem Ach. ita interpretatur: *femina* omnis, quæcumque, sit *deterior* aut melior, habet *totos*, eosdem, *mores illic*, quum de inguinibus udis agitur, Gall. *toute femme bonne ou mauvaise est la même, quand il s' agit de . . ., et ne refusera jamais, quoiqu'il en coûte, d'assouvir sa passion*. Sed quam dura sit hæc explicatio, vix est quod moneam. Vulgaris est hæc: *Femina deterior*, in ceteris male morata et in reliquos omnes avara et nequam, *illic habet totos mores*, hic induit comitatem, liberalitatem cet. ut mœchis largiatur et placeat. Sed bene hæc adnotavit Manso: " Ipse olim tentaveram *tortos* pro *totos*, respiciens ad Plauti (Menæchm. IV, 2, 25.) conditiones *tortas* et confragosas, h. e. ambiguas et difficiles, et ad Persii *mores curvos* et *intortos*, (III, 52. V, 38.) h. e. abnormes et ad regulam non exactos. Nunc accuratius re perpensa mentem muto et *totos mores* de universa vivendi agendique ratione intelligo. Dixerat poeta de libidinibus feminarum generosiorum et summo loco natarum. His missis, pergit: Quid dicam de *feminis deterioribus*, i. e. inferioris conditionis? Hæ totæ ab inguinibus pendent; harum *mores* et consuetudines plane *illic* (in inguinibus) sunt et inguinum imperio temperantur. Habemus epiphonema satis aptum et claudenda sententia dignum, cui, si verba spectemus, non absimile fuerit Lucretianum illud VI, 1203. *Huc hominis totæ vireis corpusque fluebat.*

[72] Interpretes, quotquot vidi, hæc verba ita exponunt: *exuet* Servilia *omnem corporis ornatum*, ut adultero donet. Sed verbum *exuet* ad idem subjectum, ad quod *fict*, referendum est.

Ceterum frustra quæritur, quæ sint *Oppia, Hippia* et *Catulla,* quæve sub earum nomine lateant. Si admittimus lectionem *Hippia,* quæque h. l. occurrat, eandem esse dicimus cum *Hippia,* cujus poeta VI, 82. meminit, habemus senatoris Rom. uxorem. De Catulla nil certi quidem diserta testimonia definiunt, nec tamen repugnant generosæ familiæ, quæ de ea, si modo nostra fuerit, Juven. II, 49. et Mart. VIII, 53. prædicant. Non vero opponere sibi invicem voluit Juvenalis *Oppiam* et *Catullam,* sed potius utriusque exemplo docere, feminas vel nobilissimas, si libidine corripiantur, temperare sibi non posse, quin, generis et loci immemores, famam ac numos abjiciant." Huic tamen consilio non repugnat oppositio, quæ probabilis quoque fit ex vocc. *sive, sive.* Fortasse etiam non deerunt, qui *amores* legere malint. Cf. Var. Lect.

324. *Sed casto quid forma* pulcra *nocet?* Objectio, quam refellit poeta exemplis *Hippolyti* et *Bellerophontis,* quorum castitas vel in proverbium venit quosque *grave propositum* castæ vitæ vel castitatis servandæ non a periculis tutos præstitit, sed in ea potius conjecit. *Quid profuit immo,* potius (Gall. *au contraire*) his, libidini incestoque amori mulierum restitisse et castitatem servasse? *Hippolytus,* Thesei filius pulcerrimus, qui a Phædra noverca, cujus incesto amori non obsequebatur, falso apud patrem stupri insimulatus et, quum hujus iram fugeret, ab equis, quos Neptunus, Thesei precibus ad vindictam provocatus, consternaverat, curru dejectus raptatusque misere periit. v. Ovid. Her. IV. et Met. XV, 491 seq. Eurip. et Senec. in Hippol. Athen. XIII, 8. (74.) p. 600. Mythos de Hippolyto exponit Ill. Creuzer Symbolik T. II. p. 357. 489. T. IV. p. 163 seq. *Bellerophon* s. Bellerophontes filius Glauci et Sisyphi, Corinthiorum regis, nepos, qui, quum a Prœto, Argivorum rege, hospitio exceptus et ab ejus uxore *Sthenebœa* ad adulterium pellectus esset, propter repulsam ab ea stupri apud maritum accusatus et ad Jobaten socerum missus est, ut ab eo interficeretur. De his et reliquis ejus fatis v. Hom. Il. ζ, 152 seq. Heyne ad Apollod. II, 3, 1. et Mitscherl. ad Horat. Od. III, 17, 13 seq. Conf. Creuzer's Symbolik T. IV. p. 62. — 327. *Sthenebœa,* quæ Ἀντεια dicitur Hom. Il. ζ, 160. et vel Jobatæ vel Amphianactis filia fuit. Conf. Var. Lect. et Heyne ad Apollod. II, 2, 1. et III, 9, 1. *Cressa* Phædra, Minois regis Cretensis filia. Cur vero *Cressa* h. l. dicitur, nec potius proprio nomine *Phædra?* Nonne ex hac quoque, ut ex aliis causis, probabile fit, Phædræ jam antea mentionem factam et a librariis lectionem v. 326. corruptam

esse? vid. ibi Var. Lect. — 328. *Concussere se,* propter repulsam commotæ sunt, excitarunt se iratæ ad vindictam, ut ap. Flor. III, 1. pr. *non leviter se Numidia concussit* ad pugnandum, ad bellum fortiter gerendum. Genus loquendi a leone, qui iratus se caudamque concutit, petitum videtur, non a luctatoribus, qui certaturi manus concutiunt; nisi malis: *concussere se,* animum agitarunt, vindictam secum animo volutarunt. Conf. Virg. Æn. VII, 338. ibique Heyne. Sed illud aptius graviusque. 329. *Quum pudor* ob rem turpem, qualem meditabantur Phædra et Sthenebœa, *stimulos admovet odio,* accendit odium et iram. Genus loquendi notum ductumque a *stimulo,* κέντρῳ s. σαυρωτῆρι, quo equi aut boves aratores pungi et incitari solebant, unde proverb. πρὸς κέντρα λακτίζειν et κεντρηνεκέες ἵπποι.

329—345. Pulcritudinem esse noxiam, probatur etiam exemplo C. Silii, juvenis formosissimi et consulis designati, cui Messalina, Claudii Imp. uxor, insano amore capta, palam nupsit, absente marito Ostiamque sacrificii causa profecto; quæ et ipsi et Silio causa exitii fuit. v. Tac. Ann. XI, 5. 12—38. Nota Ach. est: "Juvenalis h. l., ipsâ historiâ mitior, in Silio multo majoris pretii virum nobis offert, quam re vera fuit: nam Silius quidem a Messalina sollicitatus Juniam Silanam uxorem suam repudiavit; at ille paulo post, et ambitione pessima ductus, et honorum atque dignitatum spe mente occœcatus, ipsam vicissim Messalinam impulit, ut insanas illas nuptias celebraret. v. Tac. Ann. XI, 26." Silius tamen id fecit necessitate coactus, quamvis non ita castus et propositi tenax, ut Hippolytus et Bellerophon, tamen non minus fere dignus fuit, cujus misereremur. — *Elige,* dic, *quidnam suadendum esse putes* Silio, precibusne Messalinæ obsequatur eamque uxorem ducat, nec ne? Si duxerit, periculum mortis metuendum a Claudio; si abnuerit, a Messalina. Conditio itaque ejus miserrima fuit certumque et inevitabile exitium. 332. *rapitur* Silius *Messalinæ oculis,* amore ardentibus, h. e. amore ejus detinetur ac devincitur, *exstinguendus,* periturus, ut pereat: nam oculi vel facies aliæque partes corporis pulchræ adspicientem *capere, rapere, sibi subripere* et *venari* dicuntur.[73] Male jungunt: *rapitur exstinguendus oculis Messalinæ,* occidendus ante oculos ejus.

[73] v. Ovid. Am. III, 11, 48. Burm. ad Phædr. IV, 4, 4. et Mitscherl. ad Horat. Od. IV, 13, 20.

333—336. Describuntur solennia nuptiarum Messalinæ et Silii, de quibus conf. Tac. Ann. XI, 27. — *334. Flameolo* velo, quo tecta sponsa vel nova nupta traditur sponso. v. ad II, 124. *Tyrius,* purpureus, *Genialis* sc. lectus nuptialis, purpura stratus. v. ad VI, 22. *in hortis* Lucullianis, de quibus v. Tacit. ejusque intpp. Ann. XI, 1. 32. et 37. quibus tamen locis memorat, Messalinam nuptiis demum celebratis in hortos illos digressam et in iis interfectam esse. Henninius monet, salem habere voc. *palam,* poetamque, ut indomitam Messalinæ libidinem ureret, notare, eam contra morem Romanum non in *lecto adverso,* qui fere in atrio domus ante ipsam januam, (*adversus* januam, de quo v. Lips. Elect. I, 17.) statuebatur, sed publice *in hortis* pudorem prostituisse, obiterque ita tangi mirificum Imperatoris mariti stuporem. Conf. Tac. Ann. XI, 27. — *335.* Poeta non ait, antiquas sive ritus antiqui dotes fuisse *decies centena ;* sed notat invidiosam illo ævo Romanorum opulentiam, quæ tantum ab antiqua tenuitate recesserat, ut quasi legitima et solennis dotium summa esset decies centena millia, unde et Seneca: *Pantomimæ decies sestertio nubunt ;* Rigalt. v. ad VI, 137. — *336. Auspex* adhibebatur in nuptiis, ut auctoritatem iis daret et per eum auspicia caperent sponsus ac sponsa ; nam auspicato, ut alia, sic quoque matrimonia contrahebantur: *dos* etiam *inter auspices consignabatur,* Suet. Claud. 26. (Conf. Ern. clav. Cic. v. *Auspex,* Tac. Ann. XI, 27. XIII, 37.) Ciceronis autem ævo res non amplius in usu fuit, sed nomen tantum. v. Cic. de div. I, 16. *cum signatoribus* tabularum dotis s. nuptialium, inter quos ipsum quoque Claudium fuisse quidam putarunt, *inductum, quasi de industria simularentur nuptiæ ad avertendum transferendumque periculum, quod imminere ipsi per quædam ostenta portenderetur.* Ita Suet. Claud. 29. Enimvero ille non ultimus domus suæ dedecus scire potuisset, (v. 342.) si ipse inter signatores hoc prætextu allato adfuisset ; Ach.

337 seq. Poeta ipsum alloquitur Silium: *Tu putabas* forte, hæc clam Claudio Imp. futura esse: sed Messalina, non contenta furtivis adulteriis et secura ob stuporem mariti, palam ac *legitime,* adhibitis scil. signatoribus tabularum dotis, auspice cet., justa et cuncta nuptiarum solennia celebrare voluit ac celebravit. Itaque *dic, quid placeat* tibi, ducturusne sis Messalinam uxorem, nec ne? *Nisi parere velis* et obsequi insano amori ac voluntati Messalinæ, quæ palam et legitime vult nubere, *pereundum* tibi *est ante lucernas,* λυχναψίαν, antequam accendi solent lucernæ, h. e. ante vesperam, confestim, jussu

iratæ feminæ: *si* autem *scelus admittas,* palam ac legitime eam duxeris uxorem, *dabitur mora parvula* supplicio tuo, *dum res* cet., h. e. ipsi Claudio pœnam temeritatis scelerisque dabis, quam primum rem compererit. — 341—345. Bene poeta notat stuporem Claudii et facete Silium hortatur, ut Messalinæ desiderio satis faciat. *Res nota* fuit *Urbi et populo,* priusquam *contigit Principis aures. Ille* Princeps *dedecus domus* Augustæ *ultimus,* postremo omnium, *sciet,* (v. Tac. Ann. XI, 28—32.) et *sciet* tantum, non ulciscetur: nam Messalina effugisset pœnam sceleris, nisi Narcissus cædem ejus properavisset. (v. Tac. Ann. XI, 37. et inf. XIV, 330.) *Interea,* dum res temeraria ad Principis aures pervenerit, *tu,* Sili, *obsequere imperio* et cupidini Messalinæ; *sit* tibi *tanti* pretii *vita dierum paucorum,* h. e. fac illud, ut certe aliquot dies vitam protrahas: nam si parere abnueris, extemplo Messalinæ jussu tibi pereundum erit; si ejus amori ac desiderio satis feceris, vives saltem aliquot dies, donec res contigerit Principis aures, qui ultimus eam resciscet. 344. 345. Quodcumque ceperis consilium, vel quæcumque ratio tibi levior meliorque visa fuerit, mors tibi parata est, sive a Messalina, sive a Claudio. 345. Conf. Tac. Ann. XI, 35. et Dio LX, 31. *pulcra et candida cervix,* quæ pulcritudo exitialis fuit Silio et immaturæ mortis causa.

346—366. Locus plane divinus omniumque, quos memini, gravitate ac præstantia sententiarum nobilissimus. Conf. sup. ad Argum. Sat. 346. *Nil ergo optabunt homines?* Vetabimus ergo homini vota? nihil minus: hæc objectio suo stat talo et magni ponderis est, siquidem omnis hominum vita, (et maxima ejus voluptas) si rem accurate ad rationem voces, nihil aliud est, quam concatenata spei et votorum successio, qua demta homo quid erit, nisi iners stupor, nisi viva morte sepultus; sed vota exsuperantissimæ Dei providentiæ sunt accommodanda, quæ mens est Nostri, qui hac Sat. idem docet, quod in Enchiridio Epictetus et in morali philosophia Stoici, Hennin.

347 seq. Σωκράτης εὔχετο πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τἀγαθὰ διδόναι, ὡς τοὺς θεοὺς κάλλιστα εἰδότας, ὁποῖα ἀγαθά ἐστι· τοὺς δὲ εὐχομένους χρυσίον ἢ ἀργύριον ἢ τυραννίδα ἢ ἄλλο τι τῶν τοιούτων, οὐδὲν διάφορον ἐνόμιζεν εὔχεσθαι, ἢ εἰ κυβείαν ἢ μάχην ἢ ἄλλο τι εὔχοιντο τῶν φανερῶς ἀδήλων, ὅπως ἀποβήσοιτο, Xenoph. Mem. Socr. I, 3, 2. Ἄνθρωποι δὲ μάταια νομίζομεν, εἰδότες οὐδέν· θεοὶ δὲ κατὰ σφέτερον πάντα τελοῦσι νόον, Theogn. Sent. v. 141. 142. Θεοῖς εὔχου, οἷς ἔστι μέγα κράτος· οὔ τι ἄτερ θεῶν Γίγνεται ἀνθρώποις, οὔτ' ἀγαθ' οὔτε

κακὰ, ibid. v. 171. 172. Ipse Socrates ap. Plat. Alcib. II. p. 154. ed. Nürnbergeri: Δοκεῖ μοι φρόνιμός τις εἶναι ἐκεῖνος ὁ ποιητὴς, ὃς φίλοις ἀνοήτοις τισὶ χρησάμενος, οἷῶν αὐτοὺς καὶ πράττοντας καὶ εὐχομένους ἅπερ οὐ βέλτιον ἦν, ἐκείνοις δὲ ἐδόκει, κοινῇ ὑπὲρ ἁπάντων αὐτῶν εὐχὴν ποιήσασθαι. λέγει δέ πως ὧδί. Ζεῦ βασιλεῦ, τὰ μὲν ἐσθλὰ καὶ εὐχομένοις καὶ ἀνεύκτοις Ἄμμι δίδου, τὰ δὲ δεινὰ καὶ εὐχομένοις ἀπαλέξειν κελεύει. et pag. 172. Τοῦτον μὲν τοίνυν καὶ Λακεδαιμόνιοι τὸν ποιητὴν ἐζηλωκότες, εἴτε καὶ αὐτοὶ οὕτως ἐπεσκεμμένοι, καὶ ἰδίᾳ καὶ δημοσίᾳ ἑκάστοτε παραπλησίαν εὐχὴν εὔχονται, τὰ καλὰ ἐπὶ τοῖς ἀγαθοῖς τοὺς θεοὺς διδόναι κελεύοντες αὖ σρίσιν αὐτοῖς. πλεῖον δ' οὐδεὶς ἂν ἐκείνων εὐξαμένων ἀκούσειε. Conf. Valer. Max. VII, 2. ext. 1. et Pind. Pyth. III, 106 seq. — 349. *pro jucundis,* pro iis, quæ nobis jucundissima videntur, vel quæ ad voluptatem spectant et maxime a nobis expeti solent. 350. Dii enim nobis dant utilia, etiam non petita; nos sæpe noxia votis expetimus.

352. 353. Socrates ap. Plat. l. l. pag. 152. Εὑρήσεις δὲ καὶ περὶ τέκνων τὸν αὐτὸν τρόπον εὐξαμένους τινὰς ἤδη γενέσθαι, καὶ γενομένων εἰς ξυμφοράς τε καὶ λύπας τὰς μεγίστας καταστάντας. οἱ μὲν γὰρ, μοχθηρῶν διὰ τέλους ὄντων τῶν τέκνων, ὅλον τὸν βίον λυπούμενοι διήγαγον· τοὺς δὲ, χρηστῶν μὲν γενομένων, συμφορᾶς δὲ χρησαμένων, ὥστε στερηθῆναι, καὶ τούτους οὐδὲν εἰς ἐλάττονας δυστυχίας καθεστηκότας ἥπερ ἐκείνους, καὶ βουλομένους ἂν ἀγένητα μᾶλλον εἶναι ἢ γενέσθαι.

354. 355. Preces veterum plerumque simul vota erant. *Tomacula,* (*tomacinæ pernæ* Varr. R. R. II, 4. § 10.) Gr. τόμοι s. τόμια, et τεμάχη s. τεμάχια, pinguia quædam viscera, inpr. porcina, vel minutatim concisa vel simpl. abscisa, qualia Diis offerri solebant: (unde h. l. *divina*) sic dicta a τέμνω vel τομάω. Conf. Martial. I, 42, 9. Petron. 31. et 49. *Divina* dicuntur, quæcumque ad deos eorumque sacra spectant vel diis offeruntur; unde *res divinæ* dicuntur sacrificia. *Porcus* olim nuptiarum potissimum initio et a Græcis Veneri immolabatur. v. Varr. R. R. II, 4. § 9. et Athen. III, 49. p. 96. a. — 356. Conf. Horat. Od. I, 31, 17 seq. Sen. Epist. 10. Pers. II, 8. et Mart. X, 47.

357. 358. Conf. Virg. Ge. II, 490 seq. ibique Heyne, Plat. Phæd., Plin. XXVIII, 1. s. 2. extr. Sen. Cons. ad Marc. c. 20. ad Sil. II, 223 seq. 576. III, 134 seq. XIII, 883 seq. Stoici potissimum sapientis erat, non timere mortem omniaque, quæ vitari nequeant. *spatium extremum,* finem, *vitæ,* mortem imminentem. Sic θανάτου τέλος, βιότοιο τελευτὴ, τέκμαρ, *metæ ævi* Sil. X, 209. et similia: nam vitæ spatium comparari solet stadio decurrendo in circo et finis vitæ, mors,

metæ, *νύσσῃ*. Conf. Pind. Nem. VI, 13. (*δραμεῖν ποτὶ στάθμαν*) Virg. Æn. X, 472. et XII, 546. (ubi v. Heyne) et Kœnig ad Pers. III, 68. 359. Epicuri præceptum erat: *Ἀνέχου καὶ ἀπέχου* et eris *ἀναμάρτητος καὶ ἀμεταμέλητος*. 360. Etiam hæc Stoicam spirant sapientiam. Conf Sen. de ira II, 6—8. et Horat. Epist. I, 6. Ex affectibus autem et perturbationibus animi, quæ vitam non patiuntur quietam esse et beatam, potiores tantum memorantur, ira et cupiditas. 361. 362. Animum, qui variis, immo Herculeis, laboribus, quibus eluceat virtus et incrementa capiat, exerceri malit, quam ignavam in otio ac voluptatibus vitam agere. *Sardanapalus* ultimus Assyriæ rex idemque mollissimus, unde h. l. *plumis*, plumeis culcitis, h. e. lectis mollibus.[74]

363. 364. Bonam mentem ac felicitatem ipse tibi parare poteris studio virtutis et sapientiæ, unde eas optare stultum est. Conf. Sen. Epist. 27. 41. et 80. Cic. Nat. Deor. III, 36. Horat. Epist. I, 18, 111. 112. ibique Bentl. *semita vitæ tranquillæ*, via ad vitam tranquillam ac beatam, *μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος* cet. Hesiod. op. et d. 286 seq. nam poeta memor fuisse videtur fabulæ, quam de Hercule commentus est Prodicus; de qua v. ad Sil. XV, 18 seq. et Kœnig ad Pers. III, 56. 57. — 365. 366. *Nullum numen*, nullam potestatem, *Fortuna* habet in homines, minime in studiosos sapientiæ ac virtutis, qui animi cupiditatibus imperant neque externa sectantur bona, quæ subjecta sunt Fortunæ, sed animi, quæ vera sunt bona neque a fortuna nobis auferri possunt: qui vero causas rerum non satis solerter explorant pravisque cupiditatibus ducuntur, per imprudentiam res humanas non divina providentia, sed Fortunæ arbitrio regi existimant vel tacite quasi confitentur, et huic, tamquam auctori, tribuunt, quæ ipsis culpa sua contingunt. Conf. Plin. II, 7. et Sen. Epist. 98. *Numen* poetis primum Dei voluntas et quodcumque ejus indicium, monitum oraculumque, deinde ejus potentia ac majestas, (ut forte h. l.) vel auxilium, hinc vero Deus ipse, et denique illius vel natura vel nomen quoque ac titulus dicitur.[75] Si tamen quis propter ea, quæ mox sequuntur, verba, *nos te facimus Deam*, vulgarem vocis notionem retinere malit, (ut *nullum numen habes*

[74] Conf. Diodor. II, 23 seq. Athen. XII, 7. Justin. I, 3. Vellei. I, 6. Buher. ad Cic. Tusc. Qu. V, 35.

[75] v. Heyne ad Virg. Æn. I, 8. 133. 666. II, 123. III, 372. IV, 611. V, 56. VII, 119. VIII, 78. IX, 661. XI, 232. Burm. ad Ovid. Trist. II, 551. et IV, 2, 9.

sit id. qd. nullum numen es, s. non es Dea) equidem non magnopere repugnem. Ceterum hi versus laudantur Lactant. Inst. III, 29. et inf. XIV, 315. 316. repetuntur. Conf. Var. Lect. *locamus te* in *cœlo*, locum tibi in cœlo damus, h. e. te in Deos referimus. [76]

[76] v. Heins. ad Ovid. Met. XV, 818.

IN

SATIRAM XI.

---

1. 2. Cf. IV, 13. 14. et VIII, 182. *Atticus* h. l. pro quovis nobili ac divite; qualis fuit ille T. Pomponius, qui vel tironibus ex Nepote et Cicerone notissimus est. *lautus,* splendidus et magnificus, qui ita vivit, ut solent nobiles ac divites, utque eos decet. — 2. *Rutilus* pro quovis paupere, divites æmulante.[1] — 2. 3. v. ad III, 152. *Apicius* pro homine luxurioso s. guloso. v. ad IV, 23. — 4. *Convictus,* convivia, h. e. omnes, qui in conviviis sunt, ut mox *thermæ, stationes* et *theatrum.*[2] *Thermæ* h. l. vel proprie dicuntur, et quidem homines, ibi convenientes, vel potius thermopolia, aut popinæ. v. ad VIII, 168. *Stationes* sunt συστάσεις, circuli seu omnia loca, ubi frequenter, vel audiendi vel confabulandi causa, convenire aut consistere solent homines, v. c. cives post negotia, legati civitatum vel municipiorum, de jure respondentes, senatores, qualia fuere senaculum, forum, porticus cet.[3] — 5. *De Rutilo* scil. loquuntur, fabulantur, rident. 5—8. Nam mox, dum juvenis est, dicunt eum, consumtis bonis et inopia cogente, sponte operam daturum esse gladiaturæ. Cf. ad II, 143 seq. et VIII, 192—210. *Sufficiunt galeæ* portandæ armisque tractandis. 7. *nec prohibente tribuno,* Impe-

[1] Conf. ad XIV, 18. Cognomen fuit gentis Marciæ, (v. Liv. VII, 16—39. IX, 33. 38. X, 9. 47.) Virginiæ, (Liv. III, 7.) Nautiæ, (Fast. Capitol. ap. Gruter. p. 291.) et al.

[2] Cf. Voss. ad Vellei. II, 33.

[3] v. Ernesti ad Suet. Ner. 37. Turneb. Adv. I, 17. et 21. Rævard. var. lect. IV, 7. Intpp. Plin. XVI, 44. s. 86. Plin. Ep. I, 13, 2. II, 9, 5. Gell. XIII, 13. Valer. Max. II, 2, 6.

ratore, ejusmodi dedecus Urbis. Cf. Var. Lect.[4] — 8. Dicunt eum gladiatorem futurum; non, quod alii putant, lanistam aut ejus scribam. *Scripturus*, descripturus, excepturus, scil. ut ediscat, *leges*, præcepta artis gladiatoriæ, dictata, *lanistæ*, qui *commentari* dicebatur et *dare dictata*.[5] *verba regia*, superba, imperantia, *lanistæ*, qui tironibus in palum vel adversarium, cum rudibus primum, deinde cum justis armis, irruentibus subinde acclamabat: *adtolle! cæde! declina! urge! percute!* vel etiam *seca* et *ure:* unde *regia* quoque *verba* possunt crudelia h. l. esse. *Regia* enim contemtim dicebantur Romanis, quippe qui inde a regibus exactis summum in eos odium gerebant. Vix autem crediderim, poetam h. l. respexisse P. Rutilium consulem et quæ de eo tradit Valer. Max. II, 3, 2.

9 seq. Sunt præterea multi gulæ indulgentes, qui pecunia mutuo sumta lautas emunt dapes quosque *creditor sæpe elusus*, h. e. deceptus vana pollicitatione solutionis, in *macello*, ubi delicata venduntur opsonia et gulosi homines frequenter conveniunt, *exspectat*, ut exigat ab iis fenus. Cf. Horat. Sat. I, 2, 7 seq. et Epist. I, 15, 26 seq. Macellum frequentabant Romani ipsique ibi emebant opsonia, quæ servis domum ferenda tradebant. 11. Qui tantum vivunt et vivere volunt, ut edant et serviant gulæ; ᾧ ὁ θεὸς ἡ κοιλία, Phil. III, 19. Conf. inf. XII, 50. 51. Gell. VII, 16. et Athen. IV, 15. (48.) p. 159. ubi etiam laudantur verba Socratis: ὁ Σωκράτης δ' ἔλεγεν τῶν ἄλλων ἀνθρώπων διαφέρειν, καθόσον οἱ μὲν ζῶσιν, ἵν' ἐσθίωσιν, αὐτὸς δ' ἐσθίει, ἵνα ζῇ, quæ et leguntur ap. Macrob. Sat. II, 8.

12. Quo quis horum miserior est et pauperior, eo vivit *egregius*, h. e. magis egregie, lautius: comparat. adverb. ut ap. Lucret. IV, 469. — 13. Qui mox ad incitas vel extremam redigetur paupertatem. Metaphoræ ab hianti et rimoso pariete s. muro ductæ, vel ab ædificio, cujus ruina jam impendet et manifesta est. *perlucente*, apparente.

14. *Interea*, priusquam ad incitas sunt redacti, *gustus*, epulas, quas gustu explorant, *quærunt per omnia elementa*, per aerem, aquam et terram: volucres, pisces, feras et fructus terræ exquisitiores; ut ap. Sen. Controv. V. præf. *Quidquid avium volitat, quidquid piscium na-*

[4] In MS. Barthii (v. ej. Advers. XLII, 16.) vetera hæc legebantur Scholia: "Poeta ostendit, omnem publicæ militiæ disciplinam esse exstinctam et meditationem armorum resedisse tantum in gladiatoribus. *Lanistæ* autem magistri gladiatorum erant, et mos erat, ut, si quis coactus gladiaturam adsumeret, statim, ut vellet, eam relinqueret, qui vero sponte, numquam." Cf. Salmas. de mod. usur. c. 10.

[5] v. Lips. Elect. I, 15.

tas, quidquid ferarum discurrit, nostris sepelitur ventribus. Quære nunc, cur subito moriamur : mortibus vivimus. [6]

15. 16. Magnitudo pretii non obstat, quo minus desiderio ciborum capiantur, non minuit desiderium, quin potius illud auget: *si interius adtendas,* accuratius rem consideres, *magis illa juvant,* delectant, suaviora iis videntur magisque appetuntur, *quæ pluris,* majori pretio, *emuntur.* Cf. Petron. 93. et Sen. Consol. ad Helv. c. 9.

17. Non dubitant, mutuo accipere, quæ perdant magis, quam erogent; Schol. Quamdiu supellectilis aliquid superest, facile iis est parare sibi pecuniam *perituram,* quæ mox gulæ luxu intereat; Ach. 18. Cf. VII, 73. *oppositis* pigneri, hypothecæ loco, ad securitatem creditoris; ut ap. Plaut. Curc. II, 3, 77. Senec. Ben. VII, 14. et Catull. XXVI, 2. ubi v. Vulp. et Dœr. *Lancibus* pretiosis, argenteis, aureis cet. *matris imagine fracta,* non casu, puto, vel vetustate, vel ut partem statuæ vendat, sed *fracta* ex industria, ut non cognosci possit et sine pudore vendi. 19. *quadringentis numis,* magno pretio; non vero integro censu equestri, quo sensu *quadringenta,* scil. sestertia, dicuntur I, 106. II, 117. V, 132. nam *numi* sunt sestertii, non sestertia, et de homine sermo est, qui devorata re familiari supellectilem oppignerat, unde non facile efficiet censum equestrem. *condire,* cibis bene conditis vel delicatis implere. *fictile* vas, ut *testa alta* IV, 131. (ubi v. not.) *Fictile,* quia lances argenteas opposuerat, aut quia maxima aliqua patina ei opus erat, Grang. [7] *gulosum* vas, quale est hominum gulosorum, vel capax. 20. *Sic,* hoc luxu, *veniunt ad miscellanea,* cibum e variis ferculis mixtum, vel immundam saginam, (ut utar verbis Prop. IV, 8, 25.) *ludî,* ludii, gladiatoris; (v. ad VI, 82.) h. e. gladiatores fiunt, (cf. v. 8.) ut largiorem certe victum, cui adsueverunt, retineant: nam gladiatores et athletæ epulis largioribus ali solebant, ut vires eorum augerentur, (*coliphia* II, 53.) unde *gladiatorium saginam* dixit Tac. Hist. II, 88. et Prop. l. l. (ubi v. Brœkhus.) *vulsi carpenta nepotis, Qui dabit immundæ venalia fata saginæ,* h. e. qui patrimonio dilapidato vitam animamque suam lanistæ vendet. *Miscellanea,* genus miserabile fer-

[6] Male Grangæus coll. Sen. Ep. 89. et consol. ad Helv. c. 9. exponit, per omnes orbis terræ easque longinquiores partes; nec melius alii: quærunt omnes cibos, quorum nomen ab unaquaque alphabeti litera incipit, ut *aper, anas, anser, bos* cet. vel simul apponi jubent edulia, quorum nomina ab eadem litera incipiunt, qualia sunt *pullus, perdix, pavus, perna, porcellus, piscis* cet. cujus luxuriæ inventor Antoninus Geta teste Spartiano.

[7] Cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 586.

culi, cibus gladiatorum, qui omnia, quæ apponuntur sibi, *miscent* et sic manducant, Schol. Alii *miscellanea ludi* putant esse *ludos miscellos*, h. e. e variis generibus mixtos, (v. intpp. Suet. Cal. c. 20.) ut sensus sit: fiunt histriones seu ludii. Rigaltius exponit: Sic isti luxu conturbatore pereunt, ut in miscella consummatione gladiatores. Grangæus: Sic lurcones illi *ludii* seu gladiatores futuri *veniunt ad miscellanea*, condiunt patinas omni ciborum genere refertas et intermixtas; de quo v. Sen. Epist. XCV. Turnebus Adv. XXII, 23. innui credebat et ludos *miscellos* et homines omnia *miscentes* et conturbantes, h. e. ad paupertatem redactos. Cf. ad VII, 129.

21—23. Multum interest, divesne sit an pauper, qui lautas *parat* epulas et magnos sumtus facit. Cf. v. 1 seq. *Ventidius* h. l., ut v. 1. *Atticus*, pro homine divite ac nobili.[8] *laudabile*, honestum. — 23. Luxuria *a censu famam trahit*, ducit, sumit; si magnus est census, (res familiaris, opes) liberalitatis, magnificentiæ et honestatis, si exiguus, luxuriæ famam nomenque obtinet.

24—27. Stulti sunt et contemtu digni, qui rerum externarum scientiam, quæ vel prorsus inutilis est, vel ad beate vivendum nihil confert, sectantur ac probe tenent, at intus et domi suæ hospites vel in metiendis facultatibus et se ipsis cognoscendis cæci, ignorant, multum inter magnas atque exiguas opes interesse et pro illorum modo ac mensura faciendos esse sumtus. *Tecum habita: noris, quam sit tibi curta supellex*, Pers. IV, 52. *Atlantis*, montis Mauritaniæ, mira altitudo notissima.[9] — 26. *Ferrata arca* et claustris munita, in qua pecunia et opes servabantur. *Arca* divitum est, pauperum vero *sacculus* s. *loculus* et *crumena*, (inf. v. 58.) unde *arca* magnas, *sacculus* vero modicas designat rerum copias et facultates. v. ad X, 25. et XIV, 260. 261. — 27. *E cœlo descendit*, deum habet auctorem, vel divina, aurea, præstantissima est sententia illa γνῶθι σεαυτόν, quæ in vestibulo templi Delphici aureis literis inscripta erat et a quibusdam Thaleti, vel Chiloni, Cleobulo, Bianti, Pythagoræ, Socrati aliisque hominibus, ab aliis ipsi Apollini, vel ejus oraculo, tamquam auctori,

[8] Nonnulli putant designari P. Ventidium, de quo v. VII, 199. alii Ventidium Cumanum, de quo v. Tac. Ann. XII, 54. alii denique eum, de cujus divitiis Pers. IV, 25. 26. *Nostin' Ventidi prædia? cujus? Dives arat Curibus, quantum non milvus oberret.* Hæc bene h. l. conveniunt: sed Casaubonus jam ad Pers. l. l. notavit, in membranis Persii *Vectidi* ac *Vetidi* legi, et Ventidium Persii sordibus præterea, non luxuria insignem esse.

[9] v. Heyne ad Virg. Æn. IV, 246 seq. et 480 seq.

(propter divinam ejus præstantiam) tribuitur.[10] Γνῶθι σεαυτὸν, nosce te ipsum, si discere cupis, quid tibi, quid aliis debeas; et in tota vita age secundum animi, corporis et fortunæ vires ac modum. Confer. qui hæc illustrant Socrates ap. Plat. in Alcib. I. T. V. p. 56. 65. ed. Bip. et Sen. Epist. 82. — 28. *Figendum* illud, altius animo infigendum est, ut in eo inhæreat. Cf. ad V, 12. — 29 seq. In omnibus vitæ partibus hanc sententiam oraculi instar consule, v. c. in matrimoniis contrahendis, ut tibi parem ducas, vel in petendis honoribus, ut explores ante, num iis idoneus illisque bene administrandis par sis. *sive conjugium quæras;* id dixit ex altero Sapientis dicto: (Ovid. Her. IX, 32.) *nube pari,* Grang. *Senatus sacri,* venerandi, ut ἱερὰ σύγκλητος.[11] *in parte Senatus,* Senator, *esse.* — 30. 31. Verba difficillima, quæ olim ita interpretabar: Non petendos esse honores, viribus nostris majores, ipse *Thersites* (de quo v. ad VIII, 269.) intellexit, qui, quamvis intolerantius se jactaret, non tamen ita immemor fuit suæ tenuitatis et ignaviæ, ut *loricam* et reliqua *Achillis* arma *posceret, in quibus,* quibus indutus, ipse *Ulysses se transducebat,* se videndum, vel potius se ridendum præbebat; (v. ad VIII, 17.) nam poeta haud dubie respexit contentionem heroum de armis Achillis (de qua vid. sup. ad VII, 115. et X, 84. 85.) innuitque, hæc arma ne Ulyssem quidem decuisse, ne hunc quidem iis gestandis parem fuisse vel hoc honore dignum. Neque obstat, quod Ach. obvertit: "nullibi legimus, Ulyssem a Græcis propter hoc derisum fuisse vel etiam derideri debuisse, quum ipsimet illum Græci sponte sua et in commendationem suarum (ejus) virtutum etiam Ajaci prætulerint." Sola eloquentiæ vis in judicio illo vicit et superior discessisset Ajax, si tam promtus lingua, quam manu fuisset: quod poeta significasse videtur. Sufficit etiam, hunc ita et recte quidem judicasse. Sed locus noster aliis premitur difficultatibus. Ut enim taceam, ita non satis convenire verba *nec enim* et *poscit* pro *poscebat* vel *poposcit,* poeta saltem alios auctores, nobis ignotos, secutus est: nam Flavius jam Conjectan. c. 31. ex Qu. Calabro et Lycophr. v. 999. notavit, Thersiten alapæ ictu ab Achille interemtum esse adeoque non potuisse illi de armis certamini adesse; Juvenalem igitur vel memoria lapsum esse, vel variasse historiam.[12] Hanc ob causam et quia non modo eadem vox inepte repetatur, *anceps causa* et *causa magno discrimine,* sed verba quoque

[10] Cf. Diog. Laert. I. Cic. ad Qu. Fr. III, 6. et Tusc. Qu. I, 22. § 52. Harduin. ad Plin. VII, 32.

[11] v. Spanhem. de usu et præst. num. Diss. V. p. 411 seq.

[12] Cf. Tzetz. et Potter. ad Lycophr. v. 999.

molesta et absurdissima *nec enim — Ancipitem,* ne litera quidem mutata, e medio versuum tolli possint, ea omnino e contextu ejicienda censet Heinecke. Gravissima est prior ratio; sed sola non sufficit et satisfacit: nam sæpissime variat priscarum rerum narratio et ex diversis fontibus iisque scriptis, quæ interciderunt, hausta est; Gordii quoque nodus ita conciditur potius, quam solvitur. Reliqua argumenta sunt levissima. Quot enim versus sine literarum sententiarumque mutatione deleri possunt? et quis sibi persuadeat, hæc verba, in quibus et doctrina et summa vis venustasque inest, absurdissimum esse glossema notulamque ludi magistri exempli loco margini adscriptam? Neque etiam omnis *causa anceps,* h. e. ambigua, cujus eventus est dubius, cum *magno discrimine* agitur; et mireris, hunc censorem veris tautologiis non offendi in aliis locis. Præterea nihil proficitur illa versuum ejectione et hac verborum junctura: *sive Conjugium quæras, vel sacri in parte senatus Esse velis, seu tu magno discrimine causam Protegere affectas; te consule, dic tibi* cet.; nam verba *te consule* etc. non nisi ad causæ defensionem spectant. Omnia vero jungi voluit; nam illud *seu* ita aptissimum est, et ipse docet, modorum mutationem *quæras, velis* et *affectas* usitatissimam esse et exemplis comprobatam a Cort. ad Cic. Ep. ad div. XII, 2, 7. et Munk. ad Hygin. f. 148. Quid igitur respondendum erit Hein. quærenti: " scrupulos si exemero, ecquid erit pretii?" Meo qualicumque judicio nihil erit, quod in h. l. displicere possit, dummodo *poscat* legatur pro *poscit,* et verba hæc ita exponantur: *Figendum — velis: nec enim,* neque etiam, (v. Heyne ad Virg. Ge. II, 104. et al.) *loricam* et arma *Achillis poscat Thersites,* homo qualis Th. fuit, *in qua se t. Ulixes. Ancipitem tu causam seu* cum *magno discrimine protegere affectas,* (conaris) — *te consule* cet. Non deerunt forte, qui suspicentur, pro *seu* reponendum esse *si;* sed venustior est abrupta hæc dictio et affectui magis consentanea quam vulgaris: *si tu affectas, te consule* cet. Eadem utitur Juvenalis passim, v. c. VI, 329. 330. ubi tamen et suppleri potest *si,* ut h. l. *33. te consule,* te ipsum interroga, vel te et vires tuas excute, explora, *et dic tibi, qui,* qualis, *sis;* (quo sensu *in sese descendere* et *secum habitare* dixit Pers. IV, 23. et 52.) utrum sis *orator vehemens,* gravis et acri verborum actionisque genere ad permovendos animos idoneus, h. e. præclarus, *an* mediocris, vel infimæ notæ rabula, ut *Curtius* Montanus, (v. ad IV, 107.) *et Matho,* (v. ad I, 32.) *buccæ,* rabulæ, fastuosi causidici ac ventosi, vel, ut verbis vet. Schol. utar: jactanticuli, qui tantum buccas inflant et nihil (graviter

et apte vel accommodate ad persuadendum) dicunt. Sic fere *buccam loquacem vetuli cinædi* dixit Martial. I, 42, 13. et *hominem duræ buccæ* Petron. 43. Conf. sup. ad III, 35. et Var. Lect.

35 seq. Præclarum præceptum! Conf. VI, 358 seq. et Casaub. ad Pers. VI, 25 seq. *mensura sui,* modus virium suarum et facultatum. — 37. *mullum,* piscem pretiosum et grandem. v. ad IV, 15 seq. et V, 92 seq. *gobio,* h. e. pretium gobionis, vel quo ematur *gobio* s. *gobius, κωβιός, cobio,* vilis pisciculus,[13] ut *asini, ovis* et *boves in crumena* ap. Plautum, Asin. III, 2, 44. Truc. III, 1, 10. et Pers. II, 5, 16. *In loculis* et *crumena,* v. ad v. 26.

38. 39. Conf. ad VI, 129. *ære paterno,* patrimonio, *ac rebus,* re familiari. *mersis in ventrem;* unde homo gulosus ac prodigus vocatur *gurges* et *vorago patrimonii* vel *barathrum macelli.* Hinc et lepide *venter* dicitur h. l. *capax* omnium bonorum, *feneris, argenti* cet. quæ quasi vorat ac deglutit. *feneris,* pecuniæ, fenere et datæ et acceptæ. 41. *Argenti gravis,* v. ad IX, 141. — 42. *Talibus a dominis,* helluonibus, *novissimus,* postremo, (conf. ad VI, 356.) *exit,* oppigneratur aut venditur, *annulus* aureus, insigne Equitum; (conf. Martial. II, 57, 7. 8. VIII, 5, 2. et Apul. Apol. p. 322, 21. ed. Elm.) unde *digito nudo,* imminuto censu equestri: nam *constitutum erat, ne cui jus annulorum* (s. annuli gestandi) *esset, nisi cui ingenuo ipsi, patri avoque paterno sestertia CCCC census fuisset,* Plin. XXXIII, 2, s. 7. *Pollio,* decoctor, forte is, de quo Plin. IX, 10. s. 13. *Testudinum putamina secare in laminus lectosque et repositoria his vestire Carvilius Pollio instituit, prodigi et sagacis ad luxuriæ instrumenta ingenii.* Conf. ibi Hard. et sup. ad IX, 6.

44. 45. Mors *præmatura* et *acerba* minus *metuenda* est *luxuriæ,* h. e. luxuriosis hominibus, quam *senectus,* et morbis et fame laborans, quæ gravissima est helluonum et helluationis pœna; nisi sensus est: mors in infantia vel in juventute luxuriosis minus metuenda est, quam senectus. Nam mors infantium dicebatur *acerba,* juvenum *immatura* et senum *naturalis.* Conf. Virg. Æn. VI, 429. Sen. Ep. 123. et Kirchman. de fun. Rom. I, 4. extr. *Cineres* et *funus* pro morte. — 46—49. *Hi plerumque gradus* sunt, quibus isti perditæ gulæ homines ad inopiam perveniunt et fidei violationem: primum *conducunt,* h. e. fenere accipiunt, *Romæ pecuniam;* deinde eam *coram dominis* ejus, h. e.

[13] Gall. *goujon* aut *boulerot.* v. Hard. ad Plin. IX, 57. Athen. VI, 44. et VII, 85 ed. Schweigh.

creditoribus vel feneratoribus ipsis, non sine gaudio primum et deinde dolore id videntibus, *consumunt;* tandem, *ubi paulum* et *nescio quid,* forsan vel ferme nihil, *superest,* et jam *auctor feneris,* fenerator, *pallet,* timet, ne fenus cum sorte perdat, *vertunt solum* patriæ et sponte in exsilium abeunt: nam *qui volunt pœnam aliquam subterfugere aut calamitatem, solum vertunt, hoc est, sedem ac locum mutant,* Cic. pro Cæc. c. 34. Lepide autem poeta dicit, eosdem *currere,* festinanter patria cedere, ne a creditoribus comprehendantur, et se conferre *Baias,* propter loci amœnitatem et delicias, quo h. l. referuntur *ostrea,* quæ ibi capiuntur. Conf. ad III, 4. IV, 141. et VIII, 86. Vetus Schol. " *Baias,* ubi major est luxuria, ubi et reliquam, si est, pecuniam devorent." — 50. *Cedere foro,* creditores fraudare, *jam,* nostris temporibus, *non est deterius,* non magis ignominiosum habetur, quam ex media et æstuosa Urbis regione migrare in suburbanam et frigidiorem. *Cedere foro,* ut ap. Sen. Ben. IV, 39. id. qd. Galli dicunt *faire banqueroute:* nam in *foro* argentariorum erant tabernæ, et res pecuniaria perscriptione, transscriptione cet. tractabatur; unde negotiatores *in foro* (Germ. börse) *versari* et contra *foro cedere* dicuntur. [14] — 51. *Esquilias,* quæ *gelidæ* dicuntur V, 78. regionem Urbis infrequentem et fere desertam. *Subura ferventi,* ob situm, vel potius maximam populi frequentiam. v. ad III, 5.

52. 53. Hoc tantum dolent, quod aliquamdiu Circensibus ludis carent. Facete de insana ludorum spectandorum cupiditate, qua Romani ardebant. v. ad III, 223. — 54. *Non gutta sanguinis,* nihil ruboris, h. e. pudoris, nullum ejus vestigium. Conf. ad X, 300. — 55. Qui pauci hodie sunt, quos puderet malefactorum et infamiæ; *pudorque* jam tantum non omnibus ridicula res videtur, et prorsus ex Urbe effugeret, nisi pauci essent, qui eum quasi retinerent. Conf. ad VI, 19.

56 seq. Poeta jam ad *Persicum,* amicum suum, nobis ignotum, quem ad cœnam vocaverat, se convertit: Cognosces hodie, utrum iis, quæ de frugalitate pulcerrime dixisse ac præcepisse videri possim, etiam vita et mores mei congruant. Conf. ad Sat. II. princ.

58. *Sed* potius *laudem siliquas,* victum tenuem ac pauperum, (conf. Horat. Epist. II, 1, 123. quem etiam imitatus est Pers. III, 55.) quum tamen *occultus* sim *ganeo,* clam popinas frequentem et domi gulosus

[14] Conf. Ernesti clav. Cic. voc. *forum.* Nonnulli *forum* h. l. pro tota urbe, cujus frequentior est locus, positum putant: quod minus linguæ, quam h. l. congruit; nam mox sequitur *migrare* et *patriam fugere.*

sim. *Siliquæ* vel legumina et propr. eorum folliculi, quales pisa, fabæ, lupini cet. habent, (Gr. λοβοί, Gall. *des gousses*) vel fructus arboris silvestris s. ficus Ægyptiæ, (κεράτωνία, unde fructus κεράτιον, Gall. *carobes* s. *carouges*) quo non tantum sues, ut apud nos glandibus, sed etiam servi et infimæ conditionis homines alebantur.[15] *pultes*, v. ad VII, 185. et inpr. XIV, 171. — 59. *Coram aliis*, palam, vel clara voce, ut alii id audiant meque frugalem existiment. *dictem puero*, parari afferrique mihi jubeam. *in aure*, clam et insusurrans. Cf. Horat. Sat. I, 9, 9. 10. *placentas*, dulciaria, cibum delicatiorem; quem quomodo paraverint Romani, docet Cato R. R. 76. ubi v. intpp.

60. *conviva mihi promissus*, qui te mihi convivam futurum promisisti: Schol. Qui invitatur ad cœnam et se venturum promittit, dicitur *promittere* (se venturum) *ad aliquem* s. *ad cœnam; condicere* vero *cœnam alicui* et simpl. *alicui* vel *aliquo ad cœnam*, (Germ. *sich zu gaste bitten*) qui denunciat, se ad cœnam venturum.[16] 61. *habebis Evandrum*, me pauperem et frugalem hospitem, et *venies Tirynthius aut minor illo hospes*, a me hospitio ita excipieris, ut olim ab Evandro Hercules aut Æneas. Poeta memor fuit loci Virg. Æn. VIII, 100 seq. et 359—369. ubi agitur de paupere Evandro, qui Herculem et Æneam hospitio exceperit. De *Evandro* v. Creuzer's Symbolik T. II. p. 426. 489. Æneas *hospes illo*, Hercule, *minor* quidem virtute et rebus gestis, *et ipse tamen contingens cœlum*, Deos, sanguine, propinquitate; originem, et paternam et maternam, a Diis repetens: ut ap. Sil. VI, 627. et VIII, 293 seq. Sensus est: Si Evander rex hospitibus, a Diis oriundis, frugalem dedit cœnam, non lautiorem a me expectabis. 65. *Alter*, Æneas, *aquis, alter*, Hercules, *flammis ad sidera missus*. Nam Æneam *veneranda Numici Unda*, in qua vel juxta quam in prœlio periisse dicitur, *Deum cœlo misit Indigetem*, abluto omni, quod in eo fuerat, mortali, ut utar verbis Tibull. II, 5, 43. ubi v. Heyne. Herculis autem, *fulgente sacratis ignibus Œta, Ingentem animam rapuere ad sidera flammæ*, Sil. III, 43. 44. ubi v. not. Cf. Luciani Hermotimus c. 7. (φασὶ τὸν Ἡρακλέα ἐν τῇ Οἴτῃ καταυθέντα θεὸν γενέσθαι καὶ γὰρ ἐκεῖνος, ἀποβαλὼν ὁπόσον ἀνθρώπειον εἶχε παρὰ τῆς μητρὸς καὶ

[15] v. Harduin. ad Plin. XIII, 8. s. 16. XV, 24. s. 26. Salmas. Exerc. Plin. p. 459. 460. Bochart. Hieroz. P. I. p. 708. Casaub. ad Persium III, 55. et Schleusneri Lexicon Novi Testamenti voc. κεράτιον.

[16] v. intpp. Phædr. IV, 24, 15. et Hotom. ad Cic. Rosc. Com. 9.

καθαρόν τε καὶ ἀκήρατον φέρων τὸ θεῖον, διευκρινηθὲν ὑπὸ τοῦ πυρὸς, ἀνέπτατο ἐς τοὺς θεούς.)

64. *Fercula,* quæ tibi apponentur. v. ad I, 94. *ornata,* v. Var. Lect. *macellis,* ut VI, 40. ubi v. not. *Dapibus mensas onerabat inemtis,* Virg. Ge. IV, 133. *Bene erat, non piscibus urbe petitis, Sed pullo atque hœdo* Horat. Sat. II, 2, 120. ubi similis descriptio frugalis cœnæ legitur. — 65. *De Tiburtino agro,* ubi forte Juvenali villa fuit. *veniet,* afferetur infereturque in triclinium. 66. *toto grege mollior,* cui caro mollior est et tenerior, quam ulli hœdulo totius gregis. *inscius herbæ,* lactens, qui adhuc herbam non contigit, Schol. 67. Qui nondum tentavit *mordere,* carpere, *virgas salicti,* salicis, vel salices. *salicti humilis,* conf. Virg. Ge. II, 434 seq. — 69. *Asparagi montani,* silvestres, minus delicati, quam hortenses. v. Plin. XVI, 36. s. 67. et XIX, 8. s. 42. *villica,* v. ad IV, 77. *quos legit villica,* ut ap. Martial. I, 56, 11. IX, 61, 3. et X, 48, 7 seq.

71. *Ova calentia torto fœno,* h. e. recentia, modo sumta e nido calenti, qui ex torto fœno conflatus fuit. *matribus,* gallinis. — 72. *Uvæ* variis *servabantur* modis, et inde *ollares, pensiles* cet. dicebantur. v. Colum. XII, 43. Varr. R. R. I, 54. Plin. XIV, 1. XV, 17. XXII, 1. Apic. art. coq. I, 17. Didymus Geop. IV, 15. — 73. *Signinum pirum,* sic dictum a Signia (hod. *Segni*), Latii opp. et Rom. colonia, ut al. *testaccum* a colore. v. Plin. XV, 15. s. 16. Cels. II, 24. IV, 19. Colum. V, 10, 18. Idem oppidum celebre fuit opere Signino et vino austero, quod ventri sistendo adstringendoque adhibebatur. v. Plin. XIV, 6. et XXXV, 12. *Pirum Syrium* s. Tarentinum species Falernorum, e Syria primum allata et nigri coloris.[17] *de corbibus iisdem,* omnia promiscue, quod simplicitatem denotat; Prat. — 74. *mala æmula,* certantia cum *Picenis,* quæ etiam prædicat Horat. Sat. II, 3, 272. et 4, 70.[18] — 75. *postquam auctumnum,* auctumnalem succum, *et pericula crudi succi,* crudum noxiumque succum vel humorem, quem, quum recentia essent, per auctumnum habuerant, *frigore* hiemis *siccatum,* exhaustum et excoctum, *posuere,* deposuere, amisere. Vocem *auctumnum* poeta ipse adjectis verbis *crudi pericula succi* explicavit.

[17] v. Plin. XV, 15. s. 16. Colum. V, 10, 18. Macrob. III, 19. Martial. V, 79, 13. Intpp. Virg. Ge. II, 88. et Bodæus a Stapel ad Theophr. IV, 4. p. 529.

[18] Pira Picentina laudat Plin. XV, 15. s. 16. ubi Harduin. notat, *æmula Picenis* pira h. l. designari. Hæc itaque verba ad præced. retulit; quæ ratio paulo durior est. Olivas quoque et panes Picenos laudat Mart. XIII, 36. et 47.

77—119. Præclara priscæ Romanorum simplicitatis frugalitatisque descriptio, quam v. 120—129. excipit non minus venusta magnificentiæ elegantiæque serioris ævi imago: quæ comparatio deinde v. 129—180. continuatur et lectorem mirum quantum delectat. Conferant harum deliciarum studiosi VI, 286 seq. XIV, 160 seq. Horat. Od. I, 12, 33 seq. II, 5, 10—20. III, 6, 17—48. Ovid. Fast. I, 197 seq. et Prop. IV, 1. *Senatus,* senatorum. — 78 seq. Hæc notissima ex Valer. Max. IV, 3, 5. Plin. XIX, 5. s. 26. extr. Sen. Cons. ad Helv. c. 10. al. Conf. sup. ad II, 3. Eadem de C. Fabricio Luscino tradit Sen. de prov. c. 3. *Oluscula* pro vilissimo cibi genere, ut ap. Horat. Sat. II, 2, 117. Conf. Ammiani Epigr. XX. in Brunck. Anal. T. II. p. 388. Notanda etiam h. l. epitheta *parvo* et *brevibus.* — 80. Bene vilitas ciborum exprimitur, etiam comparatione temporum. Cf. Pers. VI, 40. Servi autem ergastularii pedibus vincti, etiam quum opus in agro facerent. Conf. Ovid. ex Ponto I, 6, 31. 32. (ex quo loco verba quædam petita videntur) Plin. XVIII, 3. et Lips. Elect. II, 15. — 81. *meminit,* quia ante servitutem non parce consueverat vivere. *quid sapiat,* quem, h. e. quam bonum, saporem habeat, ut inf. v. 121. *nil rhombus sapit* et Germ. *es schmeckt nach nichts,* vel *mella herbam sapiunt* (Plin. XI, 8.) et similia, ubi verbum *sapere* vel propr. de sapore, vel de odore adhibetur. (Cf. intpp. Phædr. III, 4, 3.) *Vulva* suilla in deliciis erat Romanis, et magis quidem ejectitia, extracta utero matris prægnantis, ἐκβόλιμος, ἐκβολὰς, μήτρα ἐκβολάδος, ejecto per abortum partu, quam porcaria, partu edito legitimo tempore ac nascendi modo. Conf. Apicius de re culin. VII, 1. Plin. VIII, 51. et XI, 37. s. 84. (ubi v. Hard.) Martial. VII, 19, 11. XIII, 56. Horat. Epist. I, 15, 41. et inpr. Athen. III, 17. 21. 22. (51. 57—59.) p. 96. et 100 seq. *Vulva popinæ,* delicate præparata in popina, deversorio gulosorum hominum, *calidæ,* ubi perpetuo ignis est in foco et cibi parantur. Conf. ad VIII, 168.

82 seq. Annotatio Casaub. ad Athen. I, 10. p. 13. est: "Satis constat tam ex sacris quam aliis literis, primis temporibus, iguota hominibus carnium manducatione, tantum in honorem numinis mactari solitas hostias. Piguit postea mortales olerum et τῆς ἀπύρου τροφῆς: itaque cœpere et ipsi carnibus vesci, sed parce initio et fere non nisi salitis." *Sicci,* fumo exsiccati, (v. ad VII, 119.) *terga suis,* ut mox *lardum.* *pendentia* in carnario non procul a foco e *crate* lignea et *rara,* non densa, ut vento aërique magis pervia essent; ut *rara tibi curta craticula sudet ofella* in Martial. XIV, 221. Veteribus non,

quales nobis sunt, camini erant et cellæ fumariæ, sed fumus per fores et fenestras emittebatur, quapropter res fumo condiendæ aut tigillis suspendi solebant, ut a rusticis nostris, aut in summa ædium parte locari, quæ vinorum præcipue servandorum ratio erat.[19] *Terga* suis et capita, sale fumoque durata, ut diu reservari possent, cibi vulgares erant et rustici. Conf. Horat. Sat. II, 2, 117 seq. — 83. *festis diebus* pro *in festos dies*, locutio parum Latina, nisi forte *apponenda* subaudias; H. Vales. Sed conf. Virg. Æn. I, 207. et similia passim obvia. — 84. *cognatis ponere*, apponere in mensa, *lardum natalitium*, die nàtali, vel quod eo die apponi solet in epulis, quæ in illo parantur. — 85. *Accedente*, addita tantum, *nova*, recenti vel alia, *carne, si quam dabat hostia*, si forte hostia mactaretur vel ab ipsis vel a magistratibus: *immolatarum enim ab his hostiarum exta ad quæstores ærarii delata venibant; sacrificiisque populi Rom. tum deorum immortalium cultus, tum etiam hominum continentia inerat*, Valer. Max. II, 2, 8.

86 seq. Clarissimi quoque homines *ad has epulas*, tamquam lautissimas, *maturius solito ibant*, ut largius diutiusque genio indulgerent, et quia ingenti cupiditate tam delicati cibi ardebant. *imperiis castrorum*, militaribus. Alii ad titulum Imperatoris referunt. *solito maturius*, ante horam nonam, Schol. (v. ad I, 49.) Τρεχέδειπνοι, Lindenbr. (v. ad III, 67.) — 89. Priscis temporibus proceres civitatis agrum colebant et opere rustico delectabantur, unde et prima cognomina orta, Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, Serranorum, Pisonum, Pilumnorum; quod notum ex Plin. XVIII, 3—5. Colum. in Præf. et aliis. *Erectum*, humeris sublatum, *a monte domito*, a colle vel agro montano, quem subegit ligone et aratro, (conf. Martial. IV, 64, 33. et Virg. Æn. IX, 608.) *ligonem referens* domum. En venerandam priscorum civitatis procerum imaginem!

90 seq. Quamdiu Roma timuit Censores horumque censura severa fuit, simplices quoque fuere eorum victus et supellex. *Tremere* aliquid s. aliquem docte dicitur passim.[20] *Fabii, Cato, Scauri* et *Fabricii* h. l. clarissimorum Censorum nomina. Septem, quod sciam, *Fabii* fuere Censores: M. Fabius Ambustus a. U. CCCXC. (v. Pigh. Ann. T. I. p. 274.) Q. Fabius Maximus Rullianus a. 449. (Liv. IX,

[19] Conf. VI, 321. VII, 119. Colum. XII, 55. inpr. Macrob. Sat. VII, 12. Heins. ad Ovid. Met. VIII, 647. et Fast. II, 645. Gesner. ad Script. rei rust. in Ind. v. *carnarium*, Burm. ad Petron. c. 96. 135. 136.

[20] v. Burm. ad Valer. Fl. V, 520. et Heins. ad Claud. in Rufin. II, 125.

46. Valer. Max. II, 2, 9. Aurel. Vict. de vir. ill. c. 32.) Q. Fabius Gurges, Maximi Rulliani filius, a. 473. (v. ad VI, 266. et Pigh. Ann. T. I. p. 431. 432.) Q. Fabius Maximus Verrucosus Cunctator a. 523. (Pigh. Ann. T. II. p. 107.) M. Fabius Buteo a. 512. (Pigh. Ann. T. II. p. 66.) Q. Fabius Max. Servilianus a. 627. (Valer. Max. VI, 1. Pigh. Ann. T. III. p. 33.) Q. Fabius Max. Æmilianus Allobrogicus a. 645. (Pigh. Ann. T. III. p. 130.) Non male vetus Schol. "*Fabium* (nam ita legendum pro *Fabricium*, ut sit Q. Fabius Maximus Rullianus, collega P. Decii in censura, qui cum eodem consul fuit et certamen de provinciis habuit teste Liv. X, 24.) Censorem dicit, cui in Censura *Maximi* nomen obvenit, qui luxuriam reipubl. damnans a collega P. Decio postulavit, ut aut ipse, quemadmodum ei videretur, mores hominum emendaret, priorum Censorum negligentia perditos, aut pateretur se revocare pristinum civitatis statum: quorum si neutrum faceret, minitatus abdicaturum se eum magistratu. Decius ergo exterritus permisit, ut, quemadmodum vellet, remp. administraret, se consentiente." — *Cato* h. l. est M. Porcius Cato, Tusculanus, *Censorius* ac *Sapiens* et vulgo *Cato Major* vel *Priscus Cato* dictus, acerrimus nobilitatis adversarius, cujus frugalitas notissima et celeberrima ob severitatem censura, quam a. 569. gessit. v. Liv. XXXIX, 40—44. Plut. vit. Cat. et Pigh. Ann. T. II. p. 251. 310 seq. et 425. Hinc et *durus*, h. e. severus, h. l. et Martial. XI, 2, 1. (*Triste supercilium durique severa Catonis Frons*) dicitur. — E *Scauris* clarissimus M. Æmilius Scaurus, qui princeps Senatus, Censor a. 645. bis Consul a. 638. et 646. et auctor legis cibariæ fuit, et Æmiliam stravit viam pontemque Mulvium fecit. v. Ernesti clav. Cic. et Pigh. Ann. T. III. p. 126. — De *Fabricio* Censore v. ad IX, 142. — 92. Hæc referri possunt ad censuram Fabii ac Decii, de qua v. verba vet. Schol. sup. ad v. 90. adscripta, et C. Claudii Neronis ac M. Livii Salinatoris a. 549. de qua v. Liv. XXIX, 37. Valer. Max. II, 4. et Pigh. Ann. T. II. p. 217.

93 seq. Illis temporibus nemo sollicitus fuit de lecto testudine exornando aliaque supellectilis magnificentia comparanda. Poeta memor h. l. fuisse videtur nobilissimi de laudibus vitæ rusticæ loci ap. Virg. Ge. II, 462 seq. — 94. 95. *Testudines tantæ magnitudinis Indicum mare emittit, ut singularum superficie habitabiles casas integant; atque insulas Rubri præcipue maris his navigant cymbis. — In Phœnicio mari haud ulla difficultate capiuntur* cet. Plin. IX, 10. s. 12. *Testudinum putamina secare in laminas lectosque et repositoria his vestire*

Carvilius Pollio instituit, id. ibid. c. 11. qui lib. XXXIII, 9. s. 51. tradit, Carvilium, Equitem Romanum, paulo ante Sullana tempora vixisse. Conf. de testudinibus ac supellectile, inpr. lectis testudineis, quos Clemens Alex. χελώναις πεποικιλμένας κοίτας et Lucianus κλίνας ἀπὸ χελώνης Ἰνδικῆς appellat, VI, 80. et Plin. ll. cc. et XXXII, 4.[21] 95. *Trojugenis,* ut sup. I, 100. ubi v. not. *fulcrum,* spondam. v. sup. ad VI, 22. Lecti tricliniares præcipua supellectilis pars. — 96. *nudo latere,* vulgo exponunt: sine fulcro, ad quod discumbentes se inclinent; sed rectius Schol. non ornata (testudine vel argento aurove) sponda. *frons,* anterior pars lecti et altior ad caput, *ærea,* lamina æris obducta: quod unicum fuit *lecti,* et quidem parvi, (conf. III, 203.) ornamentum. — 97. Hujus ritus causam Ferrarius Elect. II, 26. jam recte petiit ab Hygino fab. CCLXXIV. pr. cujus loci lacunam ita supplevit: *Antiqui nostri in lectis tricliniaribus in fulcris capita asellorum vite alligata habuerunt, significantes quod pampinos prærodendo putare vites docucrit atque ita vini suavitatem invencrit.* Conf. Muncker. ad h. l. Huic conjecturæ favet Pausan. II, 38. Τὰ δὲ ὑπὸ τῶν ἐν Ναυπλίᾳ λεγόμενα ἐς τὸν ὄνον, ὡς ἐπιφαγὼν ἀμπέλου κλῆμα ἀφθονώτερον ἐς τὸ μέλλον ἀπέφηνε τὸν καρπόν, καὶ ὄνος σφίσιν ἐν πέτρᾳ πεποιημένος διὰ τοῦτό ἐστιν, ἅτε ἀμπέλων διδάξας τομήν, παρίημι οὐκ ἀξιόλογα ἡγούμενος. *Frons* itaque *lecti ostendebat,* videndum præbebat *caput aselli,* effigiem capitis asinini, in ea expressam vel potius caput vite alligatum; quod *vile* ornamentum erat, si *claro* illi *ac nobili fulcro* comparetur. *Frons* autem h. l. designare videtur fulcra lecti in anteriore ejus parte; quod ex Hygin. l. l. probabile fit. *coronati* sertis, puto, non panibus, ut in sacris Vestæ, de quo v. Ovid. Fast. VI, 311. et 319 seq. Sed v. Var. Lect. — 98. *ruris alumni,* rustici infantes; vivi, opinor, non efficti. 99. *Tales ergo,* tam simplices erant, *cibi,* de quibus v. sup. v. 77 seq. Cf. Var. Lect.

100—108. Priscis temporibus miles capta urbe eximia vasa, quorum ignorabat pretium, frangebat, ut inde equorum armorumque ornamenta, quæ sola curabat, conficeret vel eorum fragminibus ac cælaturis equos et arma ornaret. De eo vid. verba Polybii ap. Strab. p. 381. Quam rudes artium Romani adhuc fuerint ante excidium Corinthi, vel ex eo intelligitur, quod de Mummio referunt Vellei. I, 13. et alii. *Græcas artes,* sculpturam, picturam aliasque artes, a Græ-

[21] ad quæ loca v. Hard. Conf. etiam poet. Lat. min. T. III. p. 406. et T. IV. Sen. Ben. VII, 9. et Wernsdorf. ad p. 657.

cis potissimum excultas. 101. *prædarum in parte,* quam sorte acceperat. 102. *Magnorum artificum,* quales VIII, 102 seq. laudantur. 103. *Phaleræ* propr. equi, deinde et equitum aliorumque (etiam cursorum ap. Petron. c. 28. p. 100.) ornamenta, quæ tamen qualia fuerint, parum constat, nisi forte non minus vera, quam perspicua est eorum descriptio in Panciroli notitia dignitatum imperii Orientis: (in Grævii Thes. Ant. Rom. T. VII. p. 1396.) *Aliæ purpureæ tæniæ dorsa ac pectora collaque equorum complectuntur: pro fasciis aureæ phaleræ cernuntur, quæ sunt ovales orbiculi et auro distincta lora.* [22] — 103. *gauderet,* lætaretur quasi ac superbiret. Præclare sensus tribuitur equo, et sic præstantia ornatus designatur, quam et equus intelligit. Male vulgo interpretantur: ut equus phaleras haberet. 103 seq. Cælatura vel galearum vel clipeorum patria et origo aut historia majorum rerumque ab his præclare gestarum exprimi solebat. [23] — 104. 105. Res fabulosa et vel tironibus nota. Eadem adumbrata in clipeo Æneæ ap. Virg. Æn. VIII, 630 seq. cujus loci venusti Juvenalis memor fuit. *Romuleæ feræ,* lupæ, *geminos Quirinos,* h. e. Romulum Remumque, lactantis. — 105. 106. Conf. Var. Lect. 105. *Imperii* Rom. *fato* ac fortuna ita ferente, ut lupa mammas præberet pueris, conditoribus tantæ urbis. *sub rupe,* juxta petram aquas vomentem, teste Dionys. Hal. lib. I. Conf. Cerda ad Virg. Æn. VIII, 630. Pro rupe vulgo memorant ficum Ruminalem; de qua v. Hard. ad Plin. XV, 18. s. 20. — 107. *Dei,* Martis, parentis Romuli et sic populi Rom. *pendentis* vox obscura, quam Britan. interpretabatur: in summa casside expressi: nam quæ alta sunt, *pendere* dicunt poetæ. Conf. ad VII, 46. et h. l. Var. Lect. [24] *perituro hosti,* venuste et apte ad virtutem militis adumbrandam. 108. Conf. Casaub. ad Suet. Cæs. c. 67.

[22] v. ad X, 134. not. 48. Cerda et Heyne ad Virg. Æn. IX, 359. Ernesti clav. Cic. Lips. Mil. Rom. V, 17. Duker. ad Flor. p. 52. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. VIII, 33. Intpp. Petron. 55. et Suet. Ner. 33. Drakenb. et nos ad Sil. XV, 255. Böttigeri Sabina p. 350. 363. 438. 457. ed. pr.

[23] v. Drak. et nos ad Sil. I, 407. 415. VIII, 385 seq. et XV, 682.

[24] Vetus interpres mss. a Rigaltio laudatus: "quasi ad ictum se inclinantis." Sic fere *proni aurigæ in verbera pendent* ap. Virg. Æn. V, 147. et al. Sed *pendere* non simpl. ita ponitur. Lubinus exponit: sculpti in clypeo, qui e sinistro militis humero dependet. Addison (Reisen, Deutsche Uebers. p. 249.) et Spenc. (Polymetis Dial. VII. p. 77.) ex numis: ad Rheam Sylviam se demittentis, ut cum ea concumbat, et in aëre pendentis. Lessingius: (Laocoon c. VII. p. 81 seq. ed. sec. ubi illos refellit) incerti, dubii, vel communis, coll. Servio ad Virg. Æn. XIII, 118. (*Dii communes sunt Mars, Bellona, Victoria, quia hi in bello utrique parti favere possunt*) ut innuatur, victorias propriæ potius virtuti tribuendas esse, quam dubio auxilio dei, modo his modo illis partibus faventis.

109. *Ponebant,* apponebant olim, *farrata* cibaria, cibos e farre, pultem, (v. ad VII, 185. et XIV, 171.) in *catino,* vase fictili, *Tusco:* nam fictilia Tusca, et præcipue Arretina, erant nobilissima. v. Martial. XIV, 98. Intpp. Pers. II, 60. et Hard. ad Plin. XXXV, 12. s. 46. " Quædam exstant hodie sub hoc nomine, *vases Etrusques :* quæ antiquarii nuperi, forsan ex levibus argumentis, contendunt esse indistincte et omnia Græca;" Ach. — 110. *Omnia,* quæ *tunc* temporis possidebant homines, parvo contenti et beati, ita comparata erant, ut iis *invidere* possis, *si lividulus sis,* si vel paululum ad invidiam proclivis sit animus. — 111—116. Dii quoque ipsi, quum minus luxuriosi essent homines, magis erant propitii, et vel vatum loco imminentia prænuntiabant mala. Sensus est: homines paucis contenti longe religiosius vivebant multoque cariores erant diis; felicius vivebant et securius: quidquid enim boni contingit nobis, prisca loquendi ac cogitandi ratione Diis tribuitur. Conf. loca præclara Sen. Consul. ad Helv. c. 10. et Epist. 31. extr. (*Deos finges non auro, non argento : non potest ex hac materia imago Deo exprimi similis. cogita illos, quum propitii essent, fictiles fuisse.*) Martial. XIV, 178. Tibull. I, 10, 19 seq. et Lucian. Contempl. T. I. p. 505. ed. Reitz. — *Templorum* Deorumque majestas erat *præsentior,* magis propitia: nam dii favent et auxilium præstant, quum adsunt. Conf. ad III, 18. in Var. Lect. Cerda et Heyne ad Virg. Ecl. I, 42. et Georg. I, 10.

111—114. *M. Cædicius de plebe nunciavit tribunis, se in nova via, ubi nunc sacellum est, supra ædem Vestæ, vocem noctis silentio audisse clariorem humana, quæ magistratibus dici juberet, Gallos adventare;* Liv. V, 32. Conf. ibid. c. 50. — 113. *Invisitato atque inaudito hoste ab Oceano terrarumque ultimis oris bellum ciente* cet. Liv. V, 37. — 114. *his,* ex his templis. Alii: *his* rebus, hoc modo; et Ach. de *his,* de adventu Gallorum. Conf. Var. Lect. *monuit nos,* ut periculum, quod instaret, caveremus. 115. *rebus Latiis,* rei publicæ Rom., imperio Romano, ut *res Romanæ, Asiæ, Agamemnoniæ, Iliæ* cet. ap. Virg. et al. — 116. Conf. ad v. 111. ad III, 18 seq. VI, 342 seq. Plin. XXXIV, 7. s. 16. XXXV, 12. s. 45. 46. Valer. Max. IV, 4. Ovid. Fast. I, 201. 202. — *nullo violatus Jupiter auro,* v. sup. ad III, 20. De Jove Hammone Lucan. IX, 519 seq. *Pauper adhuc deus est, nullis violata per ævum Divitiis delubra tenens; morumque priorum Numen Romano templum defendit ab auro.*

117 seq. Priscis temporibus mensæ conficiebantur e nucibus aliisque arboribus vernaculis vulgaribusque, non e citro, quæ arbor longe,

ex Mauritania, petebatur. v. ad I, 75. et 137. — 118. *hos in usus*, ut mensæ inde conficerentur. *lignum*, nux. *stabat*, erat, ut passim *stare* et ἑστάναι pro *esse*.[25] — 119. *Annosam*, quæ hinc facile *dejici* s. subverti poterat. *Eurus* pro quovis vento vehementiori. — 121. Exquisitissimi etiam cibi nullum saporem habere videntur, eos fastidiunt luxuriosi homines, *nisi* cet. Sic *ventrem invitant pretio* (appetitum excitant rebus pretiosissimis) ap. Claudian. XX, 329. et *renovant per damna famem* ap. Petron. 119. Cf. Horat. Sat. II, 2, 21. Petron. 55. ibique intpp. *Nil sapit*, v. sup. ad v. 81. *rhombus*, v. ad IV, 39. *Damæ*, Λιβύστιναι δορκάδες, diversissimæ ab iis, quæ Gallis *daims*, nobis *damhirsche* dicuntur. v. Ælian. H. A. XIV, 14. — 122. *Unguentorum* et *rosarum* vel coronarum usus in conviviis notissimus.[26] *latos orbes*, mensas grandes et rotundas. v. ad I, 137. et h. l. Var. Lect. *orbes sustinet grande ebur et pardus sublimis*, h. e. pes altus s. fulcrum eburneum, cælatum in pardi hiantis figuram, *dentibus ex illis*, elephantinis, *quos mittit* cet. Conf. ad III, 205. Plin. XII, 5. et loca simil. Lucan. X, 144. Martial. II, 43, 9. 10. IX, 23, 5. XIV, 89. et 91. Τραπέζας ἐλεφαντίποδας dixit Lucian. in Somn. Rotundæ mensæ ferme μονόποδες fuere, quadratæ vero tripedes nec ita in pretio et tenuioribus relictæ, Hennin. Conf. Lips. Antiq. Lect. III, 1. — 124. *Dentibus*, quos Pausanias et alii rectius *cornua* appellant.[27] *Syene* opp. et penins. in Nilo et confinio Ægypti atque Æthiopiæ, sub cancri tropico, (Ptol. IV, 5.) hod. *Essuen* s. *Asvan* et *Assevan*, quo Juvenalis ablegatus dicitur sub honorificæ militiæ prætextu: nam tres ibi cohortes Romanæ præsidii causa excubabant, (Strab. XVII. p. 797.) quæ *Castra* vocantur Plin. V, 9. s. 10. ubi conf. Harduin. Hinc *portam Syenes* h. l. dici putabat Calder. Alii existimant, Elephantidem s. Elephantinam ins. et urbem vicinam (v. Plin. et Harduin. l. l.) designari, quoniam ex ea et Æthiopia per Syenen, tamquam *portam*, in Ægyptum transitus, et illa ab elephantorum multitudine sic dicta sit. v. ad VIII, 160. 125. 126. *Elephantos fert Africa ultra Syrticas solitudines et in Mauritania: ferunt Æthiopes et Troglodytæ: sed maximos India*, Plin. VIII, 11. Hinc etiam præcipue laudantur *Indi dentes* et *Indum ebur*, v. c. Ovid. Met. VIII, 288. Catull. LXIV, 48. et Petron. c. 135. — *Mauri celeres*, ut fere omnes

[25] v. Heyne ad Virg. Æn. I, 646. VII, 553. et Burm. de Jove Fulgerat. c. 14. p. 322 seq.

[26] v. ad IX, 128. et intpp. Horat. Od. I, 5, 1. 38, 3. II, 3, 13 seq. 7, 22. III, 14, 17.

[27] v. Drakenb. ad Sil. XVI, 206. Intpp. Plin. VIII, 3. et 10. Broekhus. ad Prop. II, 23, (al. 31.) 12.

Africæ populi, v. c. Pœni, (Sil. III, 232.) Gætuli, (Sil. III, 292 seq.) Autololes, (ibid. 306 seq.) Æthiopes Troglodytæ, (Herodot. IV, 183. Plin. VI, 29. s. 34.) et alii. Conf. Lucan. IV, 677 seq. *Mauro obscurior,* nigrior, *Indus* Orientalis. Μαῦρον Græcis obscurum dicitur. *Concolor Indo Maurus* ap. Lucan. IV, 678. — 126. *Nabatæi,* quorum μητρόπολις fuit Petra, unde Arabia Petræa nomen accepit. Strab. XVI. p. 779. et Plin. VI, 28. s. 33. Ex his quidem commigrarunt in Africam.[28] Elephanti autem dentes quovis fere biennio, ut cervi certo tempore cornua, *deponunt* et, quoties id faciunt, plerumque recipiunt graviores crassioresque. Si fides habenda Plin. VIII, 3. s. 4. dentes *deciduos casu aliquo vel senecta defodiunt, — circumventique a venantibus impactos arbori frangunt prædaque se redimunt.*

127. Facete poeta deridet luxum. *Hinc,* quum mensæ sunt citreæ et pes earum eburneus, *surgit,* crescit, *orexis,* ὄρεξις, (ab ὀρέγομαι, appeto) appetitus ciborum ; ut ap. Lamprid. in Heliog. 29. extr. *Amabat sibi pretia majora dici earum rerum, quæ mensæ parabantur, orexin convivio hanc esse asserens.* Conf. v. 16. et ad VI, 428. — 128. *bilis,* ut *improba ventris rabies,* vel *rabies edendi* de lupo, qui *asper et improbus ira sævit in absentes oves,* ap. Virg. Æn. II, 356. et IX, 63. Prateus : " *Stomacho bilis,* velut ira ad cibos devorandos. Porro famem irritari constat bili stomachum vellicante." Schurzfleischius : " In cod. meo additur scholium *amaror,* qui videlicet escas faciat delicatas." Conf. Var. Lect. *Pes argenteus* non majoris nunc æstimatur, quam *annulus ferreus,* cujus usus priscis temporibus honorificus fuit. v. Plin. XXXIII, 1. Nunc eburnei tantum mensarum pedes in pretio sunt, ut aurei annuli.

129. *Ergo,* quum tam delicate nunc et luxuriose vivatur. 130. *caveo,* non invito ad cœnam. *qui me sibi comparat,* qui postulat, ut in supellectilem et cœnam non minores, quam ille, sumtus faciam, et *superbus* me frugalem despicit. 132. *Tesseræ* et *calculi* vel latrunculi ex *ebore,* quorum etiam mentionem faciunt Prop. II, 24, 13. et Martial. XIV, 12. al. 14.[29] — 134. *Ossea,* non eburnea. *his,* vilioribus cultellis, cibi non fiunt *ranciduli,* ingrati saporis. v. ad VI, 185. *opsonia,* v. ad IV, 64. *non secatur pejor,* pejus ; vel : gallina non *pejor* est et fit, si his cultellis *secatur.*

[28] Plin. XII, 20. s. 44. Conf. Diodor. II, 48. Joseph. Ant. Jud. I, 12, 4. Relandi Palæst. p. 90.

[29] Conf. Casaub. ad Theophr. Char. V, 4. et Wernsdorf ad poet. Lat. min. T. IV. p. 408.

136—144. Cf. V, 120—124. et ibi not. — *Structor*, v. ad V, 120. — 137. *Pergula*, magistri in pergulis docentes, et quidem h. l. artem scindendi cibos. *Pergulæ* magisteriales erant cellulæ s. diætæ propendentes in ædium parte inferiore vel editiore, (unde ὑπερῷα) in quibus artifices opera sua, ut populo innotescerent, exponebant venalia, aut omnium artium professores, pictores, ludimagistri et artifices, eas publice docebant.[30] *Trypheri doctoris*, clarissimi structoris s. carptoris et scissoris, qui pergulam in Subura (v. 141.) habebat ibique artem fercula scindendi tradebat discipulis. Nota C. Valesii est: " *Trypherus*, nomen videtur fictum a luxu, (τρυφερὸς, delicatus, mollis, a τρυφὴ) aut certe alicujus ævo suo celebris coqui: *pergula* autem fuit tantum appendix ædificii, in publicum spectans, Gall. *échoppe;* ob id artifices et magistri minus noti in pergulis opera sua proponebant aut docebant, ut innotescerent." 138. *Sumen* cibus delicatior, mammæ suillæ, post recentem partum exsectæ et lactis plenæ. Conf. Martial. XIII, 44. et Plin. XI, 37. s. 84. extr. ibique Hard. *Pygargus* vel lagopus, vel caprea Libyca, (gazella) a clunibus albis, πυγαῖς ἀργαῖς, sic dicta.[31] Aquilæ etiam genus (*vultur albicilla* Linn. *Jean le blanc* Gall.) a cauda albicante πύγαργος appellatum.[32] 139. *Scythicæ volucres*, quæ a Phaside Colchidis fl. *Phasianæ* s. *Phasiani* dicuntur, quod ibi abundant vel inde ab Argonautis primum sunt advectæ.[33] Colchidis (hod. Mingreliæ) fines a geographis antt. late extenduntur; sed multo latius fines Scythiæ, cui vicinam faciunt alii Colchidem. *Phœnicopterus* genus avis, quæ habet *pinnas* (πτερὰ) colore *phœnicio;* in aqua semper est, abundans in Africa: hujus rostrum tam prolixum est et curvum, ut, nisi merso capite, aqua in os ipsius non possit intrare; Schol. *Nomen debet quæ rubentibus pennis* Mart. III, 58, 14. Ejus lingua et cerebellum præcipui saporis.[34] 140. *Oryx* caprea unicornis et bisulca, in *Gætulia*, Africæ regione.[35] *lautissima cœna*,

[30] v. Harduin. ad Plin. XXXV, 10. s. 36, 12. Intpp. Suet. Aug. c. 94. Salmas. ad Script. hist. Aug. T. II. p. 733.

[31] Vetus Scholion h. l. est: " *Pygargus* fera est specie cervi, quæ retriores partes *albas* habet: ideo et *pygargus* dictus est, quia Græce *nates* πυγαὶ dicuntur (et *album* ἀργόν). *Pygargus* (etiam) avis genus, quæ *lagopus* (ita leg. pro *clagalopes*, et de lagopode v. Plin. X, 48. et intpp. Martial. VII, 86, 1.) appellatur." v. Plin. VIII, 55. s. 79. et X, 3. Ælian. H. A. VII, 19. Bochart. Hieroz. III, 20. T. I. p. 902. et Spanhem. de Usu et Pr. Num. Diss. III. p. 156 seq. edit. sec.

[32] v. Aristot. H. A. IX, 41. Plin. X, 3. ibique Harduin.

[33] Conf. Martial. XIII, 72. et Wernsdorf ad Petron. c. 93. in poet. Lat. min. T. III. p. 70.

[34] Conf. Martial. XIII, 71. Suet. Vitell. 13. Plin. X, 48. s. 67. et 68. ibique Hard.

[35] Conf. Martial. XIII, 95. Ælian. XIV, 14. Plin. II, 40. et 46. VIII, 53. s. 79. X, 73. s. 94. XI, 46. s. 106. et ad hæc loca Hard. *Oryx* animal minus, quam

facete, quoniam non nisi simulacra ciborum sunt, etsi lautissimorum. Eadem cœna dicitur *ulmea :* nam scissores s. carptores, artem struendæ mensæ dapiumque rite scindendarum docentes, utebantur simulacris ciborum, ex ulmo aliove ligno confectis, quorum singulæ partes connexæ erant filo aut leviter conglutinatæ, ita ut vel obtuso cultello (*hebeti ferro,* nisi *hebeti* dictum pro hebetato scissione) possent dividi, et sic tirones membrorum reperire juncturas ac scite partes distribuere aut carpere discerent: quod non sine sonitu fiebat (unde *sonat*) in *Subura,* quoniam multæ ibi erant structorum pergulæ.[36] De *Subura* v. ad III, 5.

142—144. Neque etiam *tirunculus noster,* servulus, novit scite *subducere* furto partes delicatiorum ciborum, ut servi nobilium ditiorumque hominum, *rudis omni tempore et* adhuc *imbutus* tantum, initiatus quasi huic arti furandi *furtis,* furto *ofellæ exiguæ :* nam *imbutus* h. l. non est a teneris adsuefactus, sed qui alicujus rei initium fecit. v. Ernesti clav. Cic. et Heyne ad Virg. Æn. VII, 542. Ita lucet hic locus, in quo alius et vulgaris hujus vocis significatus interpretibus et mihi quoque fraudi fuit. Sic aptissima sunt omnia, irrisio servorum furantium, primum *tirunculi* furtum, (rudes enim pastoris bubulcique filii Romæ mox corrumpuntur vitiorum illecebris) diminut. *ofella* (offula, frustulum carnis, panis cet.) et epitheton *exigua,* quo adjecto vis ejus augetur; (ut V, 85. et al.) nam parva plerumque sunt vitiorum initia. Quorum si meminisset Manso, non dixisset: *quis est, quem non offendat tirunculus omnis fraudis et furti expers idemque furtis imbutus?* neque depravasset, quæ corrigere voluit. v. Var. Lect. *capreæ,* capræ silvestris, damæ cet. *Afræ* s. *Africanæ aves* et *volucres* (Horat. Epod. II, 53. et Petron. 93.) vocantur etiam *Libycæ volucres* Martial. XIII, 45. *gallinæ Numidicæ* et *Africanæ* Petron. 55. Colum. VIII, 2. pr. et Varr. R. R. III, 9, 18. qui

bubalus, quem Mauri *Uncem* vocant; cujus pellis ad citonas proficit, scuta Maurorum minora ; Schol.

[36] Conf. ad V, 121. et Valesiana p. 196. Vetus Schol. *ulmeam cœnam* ad codices lanionum, ex ulmis plerumque confectos, referebat. Non male autem Grangæus putabat, a doctoribus illis discipulos *ulmis* cæsos esse, si quando cibos non apposite sciderint, hosque *ulmorum* ictus, per totam *Suburam* resonantes, facete *cœnam ulmeam* vocari, quod, quum edidicerint apparatum cœnarum, *cœnam* primi, sed *ulmeam* prægustaverint. Structores certe vel scissores in domo et conviviis nobilium divitumque Rom. servi erant, et servi tum *ulmeis* plerumque virgis, (v. Plaut. in Asin. II, 2, 74. 96. in Rud. III, 2, 22. in Epid. V, 1, 20. in Amph. IV, 2, 9. et al.) tum in *Subura* sæpe flagris cædebantur. (conf. Martial. II, 17.) Sed h. l. de institutione, non de suppliciis agitur, et *lautissima* atque *ulmea cœna* omnino ad aves ferasque, ante memoratas, referenda est, nec *sonat* tantum, sed *cæditur* etiam *ferro.*

docet, eas grandes, varias gibberas esse Græcisque dici μελεαγρίδας, quibus tamen illas tantum similes esse tradit Colum. l. l. et a quibus eas discernit Suet. Cal. 22. Varroni adstipulatur Plin. X, 26. s. 38. ubi v. Hard. qui præter alia docet, Meleagridas non esse nostras gallinas Indicas, (*Indianische, Türkische, Calecutische hühner, truthühner, auerhühner, puter*) quum his non conveniat descriptio illarum ap. Athen. X, 24. et XIV. p. 655. (attamen illa Varronis, Plinii et Colum.) et gallinæ Indicæ ab occidentali primum India s. America ad nos allatæ adeoque prorsus incognitæ fuerint veteribus. Confer Bochart. Hieroz. II, 1, 19. — 145. *Plebeios,* vulgares vilesque, *calices,* non pretiosos et multa arte conspicuos. De utroque genere poculorum v. V, 29—48. et Martial. XIV, 93—96. — 146. *puer incultus,* non ornatus, *atque a frigore* tantum vel bene *tutus,* crassa sc. veste tectus. *Non Phryx aut Lycius,* sed Italus et rudis, pastoris aut bubulci filius. Cf. v. 148. 151. et ad V, 56. *non petitus a mangone,* qui servos peregrinos *et magno* sc. pretio vendit, quique, ut verbis Quintil. II, 15. utar, *colorem fuco et verum robur inani sagina mentitur.* Cf. Plin. X, 50. XXI, 26. XXIV, 6. XXX, 5. et sup. ad V, 56 seq. *Quum posces* aliquid vini aut cibi, *posce Latine;* nam servi mei sunt Itali, nec aliam callent linguam, quam Latinam, non Græcam, cujus studium usumque delicatuli nunc homines affectant.

149. Non *idem habitus* familiæ servorum in magnifica domo. Cf. Lucan. X, 127 seq. Sen. Ep. 95. et de brev. vit. c. 12. *tonsi,* quales sunt rustici aliique, qui parum curant cultum corporis; intonsa vero coma, h. e. promissa s. prolixa, decor juventæ.[37] *Capilli recti* vel horridi, (*fruticantes* IX, 15.) vel simplices, sine ornatu et arte, non crispati aut calamistrati et cirrati. Sic Sen. Ep. 95. dixit: *ne quis, cui rectior est coma, crispulis misceatur.* — 150. Contra ap. Horat. Sat. II, 8, 70. *omnes Præcincti recte pueri comtique ministrant.* — *pexi,* deducti pectine, Schol. Conf. Heins. ad Ovid. Met. IV, 311. — 151. *Pastoris duri,* asperi moribus et ingenio. Confer Var. Lect. — 152. *Suspirare aliquid* docte pro suspirando aliquid desiderare, Gall. *soupirer:* nam propr. dicimur *suspirare aliqua re* vel *in aliqua re* vel *propter aliquam rem.*[38] Dulcedinem autem vss. 152—155. quis est qui non sentiat? 153. *casulam,* in qua natus est

[37] Conf. Horat. Sat. I, 5, 31. et Epist. I, 18, 7. Heyne Obss. in Tibull. I, 4, 38. et 7, 16.

[38] v. Brœkhus. et Heyne Obss. in Tibull. I, 6, 35. al. 7, 41. Mitscherl. ad Hor. Od. III, 7, 10.

et educatus. *hœdos notos,* quos scil. sæpe olim pavit. — 154. 155. Qui, quamvis servus, vultum, pudorem animumque non servilem habet, sed *ingenuum,* liberalem et generosum, qualis decet pueros *ingenuos,* h. e. liberis parentibus natos, quos *ardens purpura,* prætexta, *vestit,* h. e. prætextatos. v. ad I, 78. *Purpura* dicitur *ardens,* ut *ignea* Valer. Fl. I, 427. *flammata* Martial. V, 20, 2. et Stat. Achill. I, 297. *candens* Horat. Sat. II, 6, 102. *mixto incensa auro* Stat. Theb. X, 60. Quæ verba, ut Gr. αἴθειν, αἴθεσθαι et φλέγειν, de fulgore coloris ac splendore purpuræ, auri, armorum cet. sæpissime adhibentur.

156—158. Puer est simplex, purus et castus, neque turpia aliorum servorum officia præstat vel obscœna novit. *Pugillares,* pugilli s. pugni instar crassos, prægrandes, *bilibres* VI, 372. Confer Var. Lect. *in balnea,* v. ad VI, 374. 375. *raucus* ex nimis frequenti Veneris usu, quo vox enervatur et raucescit, (v. ad VI, 73. 74.) vel potius quia eunuchus est et jussu heri castratus. v. ad VI, 368 seq. et 515. — 157. *nec jam,* nondum, *alas,* earum pilos dropace vel volsellis *vellendos jam præbuit* alipilo, ne fœteant oleantque hircum ; nam per ætatem illi pili nondum excreverunt. *Alæ grandes* virilitatis indicium XIV, 195. Non ei ante ætatem orti sunt pili sub alis, qui solent fruticari his, qui ante legitimam ætatem per libidinem viri fiunt; Calder. coll. Martial. XI, 23, 7. Non male! 158. *gutto,* olei vasculo. v. ad III, 263. *pavidus,* balnea intraturus et voraces drauci oculos (Mart. I, 97, 12.) veritus; Farn. *non pavidus tegit inguina gutto,* forte quia simplex est, neque novit, illorum adspectu libidinem excitari posse. — 159. *vina* Tiburtina, non longe petita aut transmarina. *diffusa* in cados. *lusit* in infantia.

162—164. Forte et speras, Persice, illecebras libidinum, *ut* (quæ sunt verba Macrob. II, 1.) *nos puella ex industria supra naturam mollior canora dulcedine et saltationis lubrico exerceat illecebris.* Nam in comessationibus fidicinæ, tibicinæ, sambucistriæ et cantrices esse solebant, meretrices, quæ lascivis cantilenis et saltationibus (quarum tres modos Scaliger Poet. I, 18. refert, scil. χειρονομίαν, ἅλμα et λάκτισμα) convivas delectarent excitarentque in Venerem. (v. ad v. 177.) Quales tum temporis potissimum erant *Gaditanæ* puellæ. Cf. Stat. Silv. I, 6, 71. Athen. IV, 1. (3.) p. 129. Martial. I, 42, 12. I, 62, 9. III, 63, 5. VI, 71, 1 seq. inpr. V, 79, 26 seq. (in simili frugalis cœnæ descriptione: *Nec de Gadibus improbis puellæ Vibrabunt sine fine prurientes Lascivos docili tremore lumbos*) et XIV, 203. de puella Gadi-

tana: *Tam tremulum crissat, tam blandum prurit, ut ipsum Masturbatorem fecerit Hippolytum.* Notus autem est locus Liv. XXXIX, 6. *Luxuriæ peregrinæ origo ab exercitu Asiatico invecta in Urbem est. Ii primum lectos æratos, vestem stragulam pretiosam, — Romam advexerunt: tunc psaltriæ sambucistriæque et convivalia ludionum oblectamenta addita epulis; epulæ quoque ipsæ et cura et sumtu majore apparari cœptæ. Vix tamen illa, quæ tum conspiciebantur, semina erant futuræ luxuriæ.* Hanc Juvenalis in Sat. nostra passimque describit et perstringit. Quam solennis vero ille mos fuerit, jam ex eo intelligitur, quod Macrob. l. l. tradit, ne philosophos quidem defuisse, qui psaltrias in convivia intromitti jusserint. Cf. et Gell. XIX, 9. *ut Gaditana* puella *incipiat prurire,* mollem lascivumque corporis motum edere, in *canoro choro,* in choro saltantium canentiumque puellarum; nisi *canorus chorus* est potius saltatio cum cantu juncta, ut *lascivus chorus* ap. Tibull. II, 1, 88.[39] *probatæ,* laudatæ et incitatæ *plausu* accumbentium, convivarum. — 164. *Ad terram descendant,* terram pedibus, alte jactis, vel saltibus tripudiisque indecoris, pulsent; *tremulo clunc,* lumbis natibusque lascive motis et vibratis.[40] — 165. Quæ omnia sunt *irritamenta Veneris* cet. Cf. mox ad v. 168. *urticæ,* v. ad II, 128. — 166. Hæc Gaditanarum crissatio saltatioque majori afficit voluptate ac libidine *alterum,* femineum, *sexum;* (v. ad VI, 254.) *magis ille* sexus *extenditur* ad Venerem, (ita vet. Schol.) erigitur, excitatur ad libidinem, vel potius intenditur, (*kommt in spannung;* Bahrdt.) *et mox urina movetur, auribus atque oculis concepta,* h. e. irritatur semen genitale, libidine excitata auditu cantilenæ et visu saltationis lascivæ: ut VI, 63 seq. et Mart. XIV, 203.[41] — Alio sensu versus 166—168. cepit Henninius, cujus nota est: "Videtur poeta tangere morem beatiorum, qui scitissimas utriusque sexus alebant delicias in Venerem fractas easque imbuebant omni libidinis arte, ut nimirum scientissime saltarent, ut suavissime canerent aliaque libidinis incentiva nossent, ut constat ex Gell. XIX, 9. Sed *tamen,* ait Noster et indignatur, majorem isti Joves voluptatem capiunt ex Ganymedibus suis et Bathyllis eorumque *πορνικῇ καλλιρωνίᾳ.*" Henninio adstipulantur Dusaulx et Achaintre, qui h. l. ita exponit:

[39] Plerique h. l. *prurire* dictum putant pro: pruritum libidinis excitare, scil. in convivis; quæ ratio durior est. Confer tamen mox ad v. 168.

[40] Lubinus et alii: ad terram procumbant, quasi ad sese stupratores admissuræ, idque, ut magis intuentes convivas irritent, clune tremulo et crissante.

[41] Cf. ad VI, 63 seq. et 314. Casaub. ad Pers. I, 20. 21. et Lucian. Nigrin. c. 15. 16. (Opp. T. I. p. 70. ed. Schmid.)

" Lascivis saltationibus et cantilenis Gaditanarum puellarum aptis ad Venerem irritandam poeta opponit saltationes et cantilenas adolescentium, veluti ad excitandam libidinem divitum plerumque draucorum et pathicorum aptiores et efficaciores. *Major tamen ista voluptas sexus alterius*, masculini, quia in formosis adolescentibus Ganymedibus reperiuntur conjuncti saltationes lubricæ et motus lascivi, ejusque sexus clunes et lumbi scite *magis extenduntur*, moventur; quod verissimum est: nam in maribus firmiores et significantiores sunt gestus, motus corporis, quam in feminis."

169—176. *Hæ nugæ*, vanæ deliciæ et illecebræ libidinum, non humilis conditionis hominibus, quales nos sumus, sed nobilibus divitibusque aptæ vel sunt, vel esse putantur. *Non capit*, non admittit, tamquam ipsi consentaneas. *audiat ille* sc. dives, *qui pytismate lubricat orbem* v. 173. — 170. *Testas* crepitacula s. crotala (*κρέμβαλα*, Gall. *castagnettes*) ex piscium testaceorum testis et conchyliis, quibus Hispani potissimum Indicæque mulieres in saltationibus utuntur.[42] Brodæus in Misc. IX, 17. et alii ita dici putant vasa testacea, parietibus in theatris infarta, ut exceptum spectatorum plausum cum harmonica quadam redderent; alii cymbala s. tympana; alii vero genus plausus, manibus planis et expansis editi sonumque collisarum testarum referentis.[43] *cum verbis* obscœnis, *quibus abstinet* adeo *mancipium nudum*, (v. ad VI, 122.) meretrix vel prostibulum, in *olido stans* (v. ad VI, 123.) *fornice*, ut ap. Horat. Sat. I, 2, 30. Conf. sup. VI, 131. 132. — 171. *ille fruatur*, delectetur. 172. *omni libidinis arte*, qua ad libidinem pelliciuntur homines. — 173. Divitis, opinor, hominis descriptio et magnificæ domus, sed valde obscura; unde vix quemquam ullius scriptoris locum reperies, qui magis virorum doctorum ingenia exercuerit. Simplicissima est et ceteris, opinor, præferenda interpretatio vet. Schol., quam probarunt etiam Ferrar. Elect. II, 6. et Ach., *qui exspuit supra marmor Lacedæmonium, quo stratum est pavimentum;* inepta autem, quam subjungit, ratio: *ut leve sit, ut saltantibus puellis nihil impediat. Marmor Lacedæm.* s. Tænarium

[42] Cf. intpp. Mart. VI, 71, 1. (*Edere lascivos ad Bætica crumata* s. *crusmata*, *κρούματα* s. *κρούσματα*, *gestus*) Scalig. Poet. I, 17. Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. p. 505. Suidas v. *ἐξύβαφον* et *Διοκλῆς*, Schol. Aristoph. Ran. 1340 seq. (1305. ed. Brunck.) Casaub. et Schweigh. ad Athen. V, 4. (21.) p. 193. et XIV, 9. (39.) p. 626. (*Δίδυμός φησιν, εἰωθέναι τινὰς ἀντὶ τῆς λύρας κογχύλια καὶ ὄστρακα συγκρούοντας, ἔνρυθμον s. εὔρυθμον ἦχόν τινα ἀποτελεῖν τοῖς ὀρχουμένοις.*)

[43] v. Casaub. et Ernesti ad Suet. Ner. cap. 20. extr. Vetus Schol. " *Testis* antea percutiebant saltantibus pantomimis; quoniam tunc non erat, ut mesochori percuterent manibus."

pretiosissimum et viride.[44] *Pytisma*, Gr. πύτισμα, sputum, a πυτίζειν, synon. verbi πτύειν, exspuere, inpr. vinum, gustandi causa haustum. Donatus: *pytissare* i. e. exspuere, dum sapor vini probatur. Sic ap. Terent. Heautont. III, 1, 48. et *pytisma* ap. Vitruv. VII, 4. *in conviviis, quod poculis et pytismatis effunditur, simul atque cadit, sicceseit.* *Lubricare* est udum facere et lubricum; *orbis* vero pavimentum tessellatum s. vermiculatum: nam duplex erat musivarii operis species, altera, quæ crustis marmorum diversicolorum, in quadratas, sexangulas, triquetras, forte et rotundas figuras (v. Vitruv. VII, 3.) sectis, vermiculatas animalium effigies referret; altera, quæ marmoris maculas, quas Plinius XXXV, 1. *ovatas figuras*, Seneca ep. 87. *orbes* et Mathematici ἑλλείψεις vocant, marmori insereret.[45] Quidam *orbem* de triclinio accipiunt, quod nonnumquam rotundum erat, (vel ob cottabi lusum) et marmore constratum: alii de mensa. (v. ad I, 137.) Sic Salmasius in Obss. ad Jus Att. c. 23. p. 487. et ad Spartian. Pescenn. Nigr. c. 6. ubi ita h. l. exponit: Delphica ex Lacedæm. marmore, poculis onusta, ad quam *pytissabant*, h. e. vinum experiebantur ac degustabant, quod more degustantium quum ore rejicerent, (v. sup. Vitruv. l. l.) mensam ipsam *lubricabant*. Aptiore sensu *orbem Laced.* h. l. nates dici, contendit Böttiger in: London und Paris V. Jahrg. Nr. VI. 1802. p. 179. At Jacobs in Vol. I. Miscell. philol. ab Aug. Matthiæ edit. Altenb. 1803. " Longissime, dicit, a vero sensu aberrant, qui rem obscœnam significari existimant. Cave etiam ne cum Ferrario divitum luxuriam carpi existimes, qui pretiosa triclinia oris excrementis fœdaverint; sed, quod Schol. jam perspexit, est simpliciter magnifici triclinii descriptio, more Juvenalis adumbrata, qui in talibus spurcas voces honestioribus præferre solet. Si quis tamen *pytisma* cum Scaligero de cottabismo accipere velit, nec hic ineptam interpretationem probaverit. Cogitandum est autem de simplicissimo cottabismi genere, quo vini partem residuam e poculo in pavimentum jaculabantur. Pro *orbem* legendum esse suspicabar *œcum*, quod verbum de conclavibus, majoribus hominum conventibus destinatis, usurpari solet. Conf. Vitruv. VI, 5, 4. Nunc perpensa Scaligeri explicatione et Juvenalis dicendi more, qui generalioribus

[44] v. Hard. Plin. H. N. XXXVI, 7. s. 11. intpp. Lamprid. in Heliog. 24. (*Stravit et saxis Lacedæmoniis ac porphyreticis plateas in palatio, quas Antonianas vocavit*) Brœkh. ad Tibullum III, 3, 14. et ad Propertium III, 1, 49. al. 2, 9.

[45] Id jam notavit Hard. ad Plin. l. c. et ante eum iisdem verbis Scalig. ad Manil. p. m. 454.

circumscriptiora præferre solet, *orbem* verum esse puto. *Lacedæmonius orbis* est *macula* in marmore Laconico, *circuli speciem gerens*, cujusmodi maculæ marmori pretium addidisse videntur. In hunc sensum accipio locum Sen. Ep. 87. *Pauper sibi videtur ac sordidus, nisi parietes magnis pretiosis orbibus refulserint, nisi Alexandrina marmora Numidicis crustis distincta sint.*" Equidem adsentior Ferrario et *pytisma* h. l. non modo salivam seu sputum, sed etiam merum largius haustum orisque excrementa dici crediderim, adeoque designari et hominem opulentum eumdemque luxuriosum ac potatorem, qui ejusmodi pytismate *orbem Laced.*, mensam s. pavimentum marmoreum, *lubricet*, madefaciat atque inquinet, et splendidam ejus domum, (cui *humilis* v. 169. opposita est) parte (*orbe Laced.*) pro toto posita. Sic multum et ponderis et sarcasmi inest his verbis atque sententia admodum consentanea tum ingenio poetæ satyrici, tum moribus illius ævi, præcipue vero spurcissimis comessationibus obscœnitatibusque modo (v. 162 seq. et 170 seq.) memoratis. Eadem firmatur locis simil. VI, 429 seq. et, quæ ibi laudata sunt, Horat. Od. II, 14, 27. Cic. Phil. II, 41. et Salv. IV. ad Eccl. Cath. Cur vero minor spurcities ab h. l. aliena est, si majores eidem rei conveniunt et v. 162—172. tribuuntur? [46]

174—176. Hæc aliaque hujus generis turpia videntur et inhonesta in pauperibus, in divitibus ferri solent et, ex opinione vulgi, sunt

[46] Jos. Scaliger ad Manil. p. m. 454. *pitysma* (immo *pytisma*) referebat ad κότταβον s. κοτταβισμὸν, genus ludendi, quo vinum, a potu in poculo reliquum, ita in altum jaciebatur, ut in æreas caderet phialas s. pelves, et, si ab his tacta esset ærea statua, (μάνης) sub illis posita, sonitus (λάταξ) ederetur. (v. Potteri Archæol. Gr. IV, 20. p. 711 seq. vers. Rambach.) Hinc putabat, sensum h. l. esse: Ne exspectes a pauperc, quod ei competit, qui non plebcium, ut nos, pavimentum, sed pretiosum crustisque marmoreis vermiculatum *pytismate* tingit. Sed in illo ludo maxime cavendum erat, ne quid vini in terram s. pavimentum caderet, et quomodo vinum, e poculo effusum, non vero exsputum, πύτισμα, sputum, dici potest? — *Grangæus* suspicabatur, *orbem* significare quid propudiosi, scil. μολύνειν Κλαζομενὰς, ut ap. Suet. Aug. 68. extr. (ubi tamen vid. Burm. et Ernesti) et magis *orbem Lacedæmonium*, sumtum ex Aristoph., cui Clinias dictus Κυσολάκων, unde Hesych. λακωνίζειν, παιδικοῖς χρῆσθαι, et Eupolis μισῶ λακωνίζειν; *pytisma* vero pro re obscœna sumi, ut *sputum*, *salivam*, *rorem*, *serum*, *spuere*, *despuere*, *perdespuere*, (ap. Catull. LXXIV, 3. ubi tamen vid. Scalig. et Dœring.) *vomere* ap. Arnob.; adeoque sensum h. l. esse: qui nova Elephantidos figura nudum supinatumque in ventrem exsecrandis uredinibus flagitat. — Plerique intpp. innui credebant annulum Equitis frequenti saliva lubricatum et ostentationis causa indutum sæpius ac detractum; Nic. vero Heinsius, ab Henninio consultus, notas amoris liquore vini in mensa ductas. Alia non magis probabilia conjecere Voss. ad Catull. p. 59. 60. Politianus Epist. XI, 6. Turnebus Adv. XXIV, 28. C. Valesius in edit. Juven. Paris. 1811. Lindenbrog. ad Terent. Adelph. IV, 7. Casaub. ad Sueton. p. 243. Salmas. ad Hist. Aug. p. 150. et 445. et Faber Semestr. III, 25. Plura recensui in Excursu ad h. l.

ferenda, vel adeo laudabilia et pro virtutibus, non vitiis, habentur. Conf. ad IV, 13. 14. *Alea turpis*, v. ad I, 88. *mediocribus*, ut VI, 582. *nitidi*, lauti, ut v. 1.

177 seq. In lautioribus Romanorum conviviis, ut in theatris, acroamata esse solebant, h. e. homines, qui vel cantu vel saltatione vel facete dictis vel etiam recitatione aliqua auditores oblectarent. [47] Honestiora oblectamenta erant recitationes, inpr. carminum Homeri (*conditoris*, auctoris, *Iliados*) et Virgilii. Illa ab Homeristis et plurimum Latine decantabantur. (v. Wernsdorf ad poet. Lat. min. T. IV. p. 567 seq.) — 178. *Maronis altisoni*, præclare, ob majestatem dignitatemque epicam Æneidis. *carmina Maronis, dubiam facientia palmam*, victoriam, principatum, scil. carminibus Homeri. Comparationem Homeri Virgiliique certatim instituere viri docti et veteris et nostri ævi, v. c. Prop. II, 34, 61 seq. Macrob. Sat. I, 24. et inpr. lib. V. et VI. Plut. de Homero et al. passim, Quintil. X, 1. Gell. III, 11. IX, 9. XVII, 10. Scalig. Poet. V, 2. Ursinus et alii, sed acutissime Heyne in duabus Disquisitt., Æneidi præmissis. Cf. sup. ad VI, 437. — 180. *versus tales*, tam egregios, quorum præstantiam quisque intelligit sentitque, si vel a rudi puero male recitentur.

181. Ad epulas affer hilarem animum omniumque curarum expertem. — 183. *non feneris*, quod ipse debes aut quod tibi debetur, *ulla mentio* et recordatio ingrata scil. sit tibi hodie, vel *contrahat tibi bilem*, iram tibi moveat et indignationem.

184 seq. Jocus paulo liberior acerbiorque, sed aptus illis temporibus morumque corruptelæ. 185. *tibi tacito*, dissimulanti suspicionem adulterii, etsi satis probabilem et ex multis signis (v. 186. 187.) manifestam, neque eam prodere audenti; quo tum patientia viri, tum uxoris imperium libertasque dissoluta et effrenata feminarum libido acerbe notantur. Conf. I, 56. 57. VI, 206 seq. 224 seq. 433. al. — 186. *multicia*, v. ad II, 66. *Humida*, effusa genitura super veste, Grang. coll. Suet. Ner. c. 28. extr. Alia eaque recentia libidinis indicia sunt *rugæ* vestis, *vexatæ*, disjectæ, *comæ et vultus auresque calentes* s. rubentes. Cf. Suet. Aug. 69. et Calig. 36.

188. *Protenus*, confestim, simul ac *limen* domus meæ intraveris. *quidquid dolet* tibi, te mentemque tuam vexat et angit. *Exuere* aliquid mente vel mentem aliqua re, pro oblivisci, ut ἐκδύσασθαι τι et

[47] Cf. ad VI, 434 seq. Ernesti clav. Cic. v. *acroama* et Exc. VIII. ad Suet. Aug. c. 74.

τινὰ, et contra *induere patrem* ap. Claud. Cons. Hon. III, 157. (Conf. ad Sil. I, 38. et VII, 496.) — 189. *Pone*, depone, abjice (animo) *domum*, domesticas curas, vel curam domus, *servorum* cet. ne quid hodie hilaritatem tuam turbet vel imminuat. 190. *sodales*, amicos, *ante omnia*, tamquam acriorem curam.

191 seq. *Interea*, dum nos convivium instruimus vel cœnabimus, omnes, quotquot sunt, cives Circensibus detinebuntur ludis, unde ne quidem negotii quidquam cum aliquo perficere eoque liberius genio hodie indulgere poteris.[48] *Megalesia*, ludi Circenses instituti in honorem Cybeles, quæ magna Mater Deum et a montibus Phrygiæ dea *Idæa*, Berecyntia et Dindymene dicebantur. v. ad VI, 69. Heyne ad Virg. Æn. IX, 80 seq. et 617 seq. *Spectacula* pro spectatoribus posita putabat Grang. Sed poeta potius ipsos ludos dixit *spectacula mappæ* et per *ἐπεξήγησιν Idæum solenne*. *Mappa* e loco super carceres escenso editor ludorum iis committendis mittendisque quadrigis signum dabat.[49] De verbis *similisque triumpho Præda caballorum Prætor sedet* v. ad X, 36 seq. et Excurs. ad h. l. — *pace*, cum bona venia, *immensæ* cet.; facete.

194 seq. De insana Cirsensium spectandorum cupiditate, qua plebs Rom. flagrabat, v. ad III, 223. — 195. *Fragor*, acclamatio, et inpr. plausus spectatorum vel auditorum, ut ap. Quintil. VIII, 3. pr. et Sen. de tranq. an. c. 2. ubi v. Lips. *Percuti, quati, verberari, feriri, pulsari, ici* dicuntur *aures* vel loca *fragore*, voce, clamore, rumoribus cet.[50] — 196. Ex *quo* fragore *colligo eventum* felicem, victoriam, *viridis panni*, factionis prasinæ, cui maxima plebis pars et olim Imperatores favebant. v. Suet. Cal. 55. Ner. 22. sup. ad VI, 590. et VII, 114. ubi etiam de factionibus aurigarum in Circo agitur. De iisdem et spectatorum studiis v. inpr. Sidon. 23. *Pannum* autem non sine acerbo sale dixit poeta; quod intelligitur ex loco præclaro Plin. Ep. IX, 6. *Si aut velocitate equorum, aut hominum arte traherentur, esset ratio nonnulla. At nunc favent panno, pannum amant* cet. — 197 seq. Etiam hæc sarcastice dicta. v. Cassiodor. Epist. III, 51. *si deficeret* animo viribusque et hinc cederet ac vinceretur. Conf. v. 53.

[48] Vetus Schol. "*Interea* ideo, quia Megalesiaci Circenses ante solem prope edebantur."

[49] Cf. intpp. Suet. Ner. 22. et Martial. XII, 29, 9. Tertull. de spectac. c. 16. Scalig. ad Manil. II, 189. et Spalding. ad Quintil. Inst. Or. I, 5, 57. Statuam Prætoris mappam mittentis exhibet Ruben. in Elect. et ex eo Ferrar. Analect. de R. V. c. 34.

[50] v. ad I, 13. et ad Sil. III, 694. IV, 7. Burm. ad Val. Fl. I, 743. II, 91. V, 273. ad Ovid. Fast. III, 741. et ad Quintil. Declam. 301. p. 584.

et Priscian. lib. VIII.[51] — 198. *Cannensis* clades cum delectu memoratur. *Cannarum in pulvere,* prœlio Cannensi, quo ventus, quem Vulturnum Apuli vocant, adversus Romanis coortus, multo pulvere in ipsa ora volvendo prospectum ademit; quod vel ex Liv. XXII, 43. extr. et 46. extr. notum. Cf. ad Sil. IX, 491 seq.

199 seq. Hæc cum summa indignatione dicta. *spectent* Circenses ludos *juvenes,* quos magis certe id decet, quam nos viros. *Sponsio* facta pro victoria hujus vel illius factionis. Conf. Ovid. A. A. I, 168. et Tertull. de spectac. c. 16. *decet clamor et adsedisse,* ut *me juvat nec spes nec certare* ap. Horat. Od. IV, 1, 29 seq. — 201. 202. Non male Henninius: "Sensus obvius: vs. 199. 200. Sed concedamus Circensia ludicra puellis et adolescentulis; v. 201. cum stomacho subdit: immo spectent et in Circensibus cum maritis suis nuptæ illa, quæ ne quidem dicere præsentibus ipsis, nedum facere pudor prostitutus audeat; reliquamus his hominibus sua crepundia, nos interim curabimus cuticulam, et apricabimur. (Conf. Plin. Ep. IX, 6.) At quærit Grangæus: Quid ludis Circensibus obscœni? Respondebit pro me Ovidius A. A. I, 135—170. et Trist. II, 280 seq. Hanc Circi licentiam et ipsi Patres priscæ ecclesiæ gravissime notarunt. Fugiendum ergo bonis moribus Circum innuit." Conf. Var. Lect. —203. Nobis jam senibus aptior, gratior utiliorque est apricatio s. insolatio, ἡλίωσις s. ἡλιοκαΐα. Ea olim in usu erat et varia, ut tum corpori siccitas, tum cuti color fuscus et post unctionem nitor conciliaretur. v. Plin. H. N. XXI, 14. Plin. Ep. III, 1. Kœnig ad Pers. IV, 18. 33. V, 179. *Nostra cuticula,* jam vetula et in rugas *contracta* oleoque inuncta, *bibat vernum solem,* imbibat ejus ardorem eoque calefiat; ut ap. Martial. X, 12. *totos avida cute combibe soles,* et ap. Pers. IV, 18. *adsiduo curata cuticula sole.* — *vernum solem:* nam Megalenses ludi prid. Non. Apr. agebantur. v. ad VI, 69. 204. Verba *effugiat togam* quidam exponunt, exuat togam ad insolationem et balnea; alii fugiat curas et negotia togatorum, h. e. hominum tenuiorum. v. ad I, 96. An de toga meretricum cogitavit poeta? v. ad II, 70.

204 seq. *Jam nunc,* quamvis nondum octava, sed quinta tantum dici hora sit, *salva fronte,* non læso pudore, *in balneum* ire poteris, h. e. non turpe erit lavari et deinde sexta hora ad cœnam venire: nam

[51] Vetus Schol. "*Si deficeret,* si vinceretur Prasinus (Prasina factio); aut si hoc spectaculum deficeret, ut non essent Circenses, sic tristem urbem videres, ut si esset bello victa." Sed prior ratio præferenda.

festo lætoque die convivia tempestiva non sunt turpia et inhonesta. Conf. ad I, 49. et VI, 418 seq. et Lips. Exc. ad Tac. Ann. XIV, 2. — 205. *Frons* pro pudore, cujus sedes est in ea; ut ap. Pers. V, 104. al. Male alii *frontem salvam* putant esse exporrectam curis omnibus depositis. 206. *Facere hoc*, genio otioque indulgere. 207. *talis*, voluptariæ et otiosæ. 208. *Nulla est voluptas, quæ non adsiduitate sui fastidium pariat* Plin. XII, 17. Τὸ γὰρ ἡδὺ, ἐὰν πολὺ, οὔ τί γε ἡδύ. Cf. etiam Sen. de vit. beata c. 7. Macrob. Sat. VII, 7. et inpr. Cic. de Oratore III, 25.

IN

SATIRAM XII.

---

1. *Corvinus* amicus poetæ, ad quem hæc Sat. missa est et quem Juvenalis una cum Catullo ad festam lætitiam invitasse videtur. Suavissimum est initium: *Hæc lux*, dies, *dulcior mihi natali die*, qui ceteris et lætior et sanctior est atque, ut omnis fere dies festus, religione epulisque quotannis celebrari solebat. Hic dies *Jure solennis mihi sanctiorque Pæne natali* Horat. Od. IV, 11, 17. Conf. Var. Lect. *hæc lux*, dies, quo rediit Catullus, mihi amicissimus. Conf. v. 15 seq. et 29 seq. — 2. Color orationis ductus ex Horat. Od. IV, 11, 6 seq. *cespes*, ara e vivo cespite, cespititia, *βωμὸς αὐτοσχέδιος*, qualis tempore urgente et in privatis etiam sacrificiis exstrui solebat. Conf. v. 85. *festus*, festo diei et lætitiæ conveniens, ut *festa frons* et similia ap. Virg. Æn. II, 249. et al. *animalia*, victimas. *Deis promissa* et vota olim, quum Catullus discederet, pro reditu ejus et incolumitate. Conf. v. 15 seq. — 3. *ducimus* (v. 11. *traheretur* funibus) sc. ad aram, ut v. 112. X, 65. et passim de victimis. (v. Heins. ad Ovid. Met. XV, 114.) Sic et Gr. *ἄγειν*. *Reginæ*, in honorem ejus. *Regina* et *βασίλεια* quævis Dea major vocatur, sed inpr. Juno, regina deorum. *Junonis Reginæ* templa Romæ condidere Camillus et M. Æmilius. (Liv. V, 22. XXXIX, 3.) *niveam agnam:* nam Diis superis albæ, inferis nigræ mactabantur victimæ. — 4. *Par vellus*, nivei velleris agna, ejusdem generis victima. *pugnanti* cum *Gorgone Maura*, h. e. Palladi, pugnanti cum ægide, vel ope ægidis, h. e. clipei vel thoracis, in cujus medio erat caput Medusæ Gorgonis, a

Perseo in *Mauretaniæ* finibus vel in extrema Africa interfectæ. *Gorgones* s. Grææ fuere tres filiæ Phorci, Φορκίδες; sed Medusa κατ' ἐξοχήν dicta Γοργώ.[1]

5 seq. Adumbratur h. l. et quidem præclare natura ferocis vituli, non, ut quidam putant, valde reluctantis, quod mali erat ominis. Nam *observatum est a sacrificantibus, ut, si hostia, quæ ad aras duceretur, fuisset vehementius reluctata ostendissetque, se invitam altaribus admoveri, amoveretur, quia invito deo offerri eam putabant,* Macrob. Sat. III, 5.[2] Conf. similes victimarum immolandarum descriptiones ap. Horat. Od. III, 13, 3 seq. et IV, 2, 54 seq. ubi Jani jam recte notavit, eas convenire homini, meditatione sacrificii, quod parat, pleno, easque inprimis valere ad victimæ, per se exiguæ, pulcritudinem commendandam declarandamque super ea re lætitiam ac spem, gratam Diis hostiam fore. *procul,* longe, *extentum funem,* quo ad aram ducitur. Ascensius et alii victimas dicunt ad aram fune longiore et laxo, non arcte ligato, ductas fuisse, ne visæ essent invitæ ire et trahi, quod mali fuerit ominis. 6. *Jovi Tarpeio* s. Capitolino. Tria, quæ h. l. memorantur, numina, Juno, Minerva et Jupiter, simul in Capitolio colebantur.[3] *frontem coruscat,* crispat, vibrat, quatit, ut *coruscare tela, linguam* cet. (v. Heins. ad Ovid. Met. IV, 493.) nisi malis, vibrat frontem, micantem propter cornua primum protuberantia; vel denique *coruscat κατὰ frontem,* h. e. micat in fronte, cornibus jam enascentibus. *Coruscare,* ut κορύσσειν s. κορύπτειν, proprie est arietare s. cornu petere, κερατίζειν, (v. c. ap. Theocr. III, 5.) deinde splendere, quoniam lucidæ res vibrant et quatiunt ex se fulgoris radios. Conf. Lucret. II, 320. ibique Wakef. Vetus Schol. "movet sicut telum, quod coruscat." — 7. *maturus templis et aræ,* aris templorum; jam satis grandis, ut sacrificetur. Cf. VIII, 169. — 8. *Spargendus mero:* nam consecrabatur victima vino in caput, inter cornua, (ut ap. Virg. Æn. IV, 61.) libato s. infuso. *merum,* ut ap. Ovid. Met. VII, 584. *fundit purum inter cornua vinum.* — 9. *Ducere ubera matris quem pudet,* ut *matre relicta* ap. Horat. Od. IV, 2, 54. sed quanto venustius illud! — *vexat nascenti robora,* arbores, *cornu,* ut ap. Virg. Ge. III, 232. 233.

[1] Cf. Heyne ad Apollod. II, 4, 2. et 3. ad Virg. Æn. II, 616. VIII, 435. et Comment. de Theog. Hesiodi p. 142 seq. De sensu mythi v. Creuzer's Symbolik T. IV. p. 57. 270. 460.

[2] Conf. Saubert. de sacrif. c. 19. p. 456—459.

[3] v. Drakenb. vel nos ad Sil. X, 452 seq. et intpp. Horat. Od. I, 12 19. 20.

10 seq. Hoc suaviter adjectum et sensui amicitiæ convenienter. Vota autem et sacrificia facultatibus cujusque respondebant: at Dii non nisi purum ejus, qui dona offert, animum respiciunt. Cf. Horat. Od. II, 17, 30 seq. III, 23, 9—20. IV, 2, 53 seq. *res* familiaris. *similis*, par, *affectibus*, voluntati, cupiditati vel affectui amoris. — 11. *Pinguior Hispulla*, facete. Conf. Var. Lect. et ad VI, 74. *traheretur*, sc. funibus, ut *ducere* v. 3. — 12. *Mole*, pinguedine. *finitima in herba*, in pascuis Romæ vicinis, forte ut ap. Horat. Od. III, 23, 11. *Albanis in herbis*, in pascuis lætis circa Albam Longam. — 13. *Clitumnus*, Umbriæ Cisapenninæ fluvius, (nunc *Timia*) qui juxta Mevaniam (hod. *Bevagnam*) *Tiniæ* fl. (*Topino*) miscetur, et cujus aquæ ea vis inesse putabatur, ut candida redderet armenta, quorum magna ibi in *lætis pascuis* copia erat, unde multa Romam adducebantur, ut in solennibus mactarentur sacrificiis.[4] *sed* cujus *sanguis, ostendens læta Clitumni pascua, iret*, manaret, profunderetur, et quidem ingenti impetu ac vi, qua *ostendit*, taurum pinguem esse et in *lætis*, opimis, *pascuis* nutritum. Conf. Var. Lect. 14. *a grandi* ac robusto *ministro* sacerdotum, popa, qui plerumque robustus est et obesus, victimis saginatus. Cf. Pers. VI, 74. — 15. Pro ituris suscipiuntur vota, quæ solvuntur in *reditu*. 16. *amici*, Catulli, (conf. v. 29 seq.) qui nunc ipse *miratur, incolumem sese* esse et tot tantaque pericula maris evasisse. 17. *pelagi casus*, pericula maris, inpr. tempestatem. *Evasi*, quod evasit. Conf. Var. Lect. 19. *Nube una*, atra nube, per totum expansa cœlum. *subitus antennas impulit*, subito in eas incidit, illas percussit, *ignis*, non fulguris, (nam Catullus *fulguris ictum evasit* et *præter* fulmen *subitus ignis*, adeoque ab eo diversus, *antennas impulit*) sed Helenæ, (*Helenenfeuer*, *le feu Saint-Elme*) electrica materia vel igneus ardensque vapor, qui, præcipue post tempestatem, in mari circumvolat et malo navis adhæret; de quo v. Plin. II, 37.[5] Conf. Var. Lect. — 20 seq. Præclare adumbratur pavor eorum, qui navi vehuntur. *Attoniti* vocantur, *qui vivi stupent et in totum sibi excidunt*, Sen. Nat. Quæst. II, 27. — 21. *conferri*, comparari, *posse*, h. e. incendium multo terribilius esse naufragio. — 23. *si quando*, h. e. aliquando, *poetica surgit*, exoritur, *tempestas*, h. e. atrox et sæva tempestas fingitur aut describitur a poetis rem exaggerantibus. Facete, ut ap. Lucian. quomodo historia conscribenda sit, Opp. T. III. p.

[4] v. intpp. Plin. Ep. VIII, 8. Virg. Ge. II, 146 seq. Prop. II, 19, 25. 26. Claud. Cons. Hon. VI, 506 seq. Oberlin. ad Vib. Sequ. p. 101 seq. 221 seq. Keyssleri Itinerar. p. 887. ed. pr.

[5] Cf. ibi Hard. Barth. ad Stat. Theb.

405. ed. Schmid. δεήσει γὰρ τότε (ὁ συγγραφεὺς) ποιητικοῦ τινος ἀνέμου ἐπουριάσοντος τὰ ἀκάτια cet. et in Timon. pr. καὶ εἴ τί σε ἄλλο οἱ ἐμβρόντητοι ποιηταὶ καλοῦσι, καὶ μάλιστα ὅταν ἀποξῶσι πρὸς τὰ μέτρα. — ἅπαντα γὰρ ταῦτα λῆρος ἤδη ἀναπέφηνε καὶ καπνὸς ποιητικὸς ἀτεχνῶς, ἔξω τοῦ πατάγου τῶν ὀνομάτων.

24. Ita exclamabundi loqui solent scriptores, superveniente novo aliquo infortunio, (v. Barth. ad Stat. Theb. XII, 349.) etiam de re vel improvisa ac subita vel gravi, attentionem moturi. *aliud genus discriminis*, quod, sententiis quibusdam facete præmissis et interjectis, memoratur v. 29 seq. — 25. *cetera*, quæ mox dicturus sum. *sortis ejusdem*, non minus tristia. — 27. 28. v. ad XIV, 302. *quis* enim *nescit* tot quotidie fere naufragia esse, ut *pictores* jam eorum pictura sibi parare possint, quæ ad victum suppeditent? *ab Iside pasci*, ali, *pictores*, quoniam in ejus potissimum templis *tabellæ*, in quibus pictum erat naufragium, suspendebantur. Navigantes ejus tutelæ commissos fuisse monet Lucianus, et præcipuum illius festum Romæ erat *Isidis navigium*, de quo v. Lactant. Inst. I, 11. et Apul. Met. l. XI. p. 367. ed. Elm.

31. *Alternum latus arboris* (navis, ut ap. Ovid. Her. XII, 8. non mali, ut ap. Virg. Æn. V, 504.) *incertæ*, fluctuantis, (*instabilis* ap. Virg. Ge. IV, 195.) quæ fluctibus et ventis modo in dextrum, modo in lævum latus jactabatur; unde etiam *alteruum latus*. Conf. Var. Lect. — 33. *Rectoris cani*, senis adeoque usu periti; quo periculum augetur. *Decidere*, de vita quasi pacisci *cum ventis jactu*, projectis bonis suis et pro vita oblatis, ut ita lis dirimatur, h. e. navi exonerata, vita saltem servetur jactura bonorum. Lepida dictio petita a litigantibus, qui de re vel rem controversam secum decidunt, litem dirimunt pactione. Cf. Gron. Obss. II, 6.

34. 35. Festiva et apta comparatio, etsi continetur errore vulgi, quo *castor* s. fiber, ab hominibus exagitatus, *testiculos* suos morsu avulsos abjicere putatur, ut ipse salvus *evadat*, quasi *intelligat*, sciat, propter castoreum se maxime expeti insidiasque sibi parari. Conf. simil. loc. Sil. XV, 484 seq.[6] Idem de dentibus elephantorum memorat Plin. VIII, 3. s. 4. — 36. Poeta ridet opinionem vulgi. *inguen*, testes et castoreum. " Nostris temporibus notum est, casto-

VII, 792 seq. et Heyne Opusc. Academ. T. III. p. 257.

[6] v. Aristot. H. A. VII, 5. Ælian. H. A. VI, 33. et 34. Dioscor. II, 23. et 26. Horus Hierogl. II, 65. et 214. Schott. Nod. Cic. I, 25. Hard. ad Plin. VIII, 30. s. 47. XXXII, 3. s. 13. XXXVII, 6.

reum, medicamentum, in testiculis castoris non contineri, sed in sacculo infra ventrem posito;" Ach. *medicatum*, active, ut passim, pro: ad medicandum et medicinas utile.

37. *Fundite*, projicite in mare. Quare? v. intpp. Act. Apost. XXVII, 38. — 39. *vestem teneris quoque Mœcenatibus aptam*, v. ad I, 66. — 40 seq. *Atque alias* vestes, *quarum pecus ipsum natura*, indoles, *generosi graminis infecit*, h. e. e lana aut vellere pecudum s. ovium Hispanarum, cujus color nativus s. naturalis est rutilus aut purpureus, quem ei non ars operaque hominum, purpura et lutum, tribuit, sed naturæ beneficium, *gramen generosum* ac præterea *vis occulta egregii fontis, Bœtis* fl., et *aeris*, s. cœli temperies juxta illud, in Hispania, cujus maximus fluvius est *Bœtis*, Arabibus inde dictus *Vadi al Kibir*, fluvius magnus, corrupte *Guadalquivir*. Conf. Virg. Ecl. IV, 42 seq. Plin. VIII, 48. Martial. V, 38, 7. VIII, 28, 5. 6. IX, 62. XII, 100 XIV, 133. — 43. *argentum*, argentea vasa, ut I, 76. *mittere* in mare *lances factas* a *Parthenio*. *Parthenius* cælatoris nomen, Schol. Sculptor, de quo Plin. Grang. Sed, quod jam monuit Lessingius, (Laocoon p. 293. 294. ed. sec.) neque a Plinio, neque ab alio memoratur; et dura est ellipsis præpositionis. Conf. Var. Lect. et Excurs. ad III, 90. *Crater* vas vinarium et quidem capacius, pateræ s. poculi formam referens. (v. intpp. Horat. Od. III, 8, 13. 18, 7.) De *urna* v. ad VI, 426. — 45. Facete amplitudo crateris designatur. *cratera dignum Pholo*, Centauro, *sitiente*, vini avidissimo. Locus desumtus ex Stesichoro, Lyrico poeta, qui Centaurorum et Lapitharum convivium describens, ait Pholum implevisse Herculi, hospiti suo, craterem trium lagenarum capacem, quem prior ipse exhausisset; Grang. Verba Stesichori servavit nobis Athen. XI, 14. p. 499. (XI, 99. ed. Schweigh.) Σκύφειον (propr. Σκύφειον) δὲ λαβὼν δέπας ἔμμετρον ὡς τριλάγυνον, Πῖεν ἐπισχόμενος, τό ῥά οἱ παρέθηκε (Φόλος) κεράσας.[7] *conjuge Fusci*, quæ ebriosa fuit, Schol. Quidam suspicantur, hanc esse Laufellam, de qua v. VI, 320 seq. et IX, 117. *Fuscus* forte idem, cujus mentio fit XVI, 46. (ubi v. not.) vel alius, de quo v. ad IV, 112. — 46. *bascaudas*, vasa, ubi calices lavabantur, et cacabus; Schol. Conchæ æreæ, genera vasorum; Papias. Canistra Britannica (baskets); Marshall. Conf. Martial. XIV, 99. — *escaria* vasa, lances, *multum cælati*, multa vasa, h. l. pocula aurea argenteaque eaque cæ-

[7] Conf. Diodor. V, 2. Heyne ad Apollod. II, 5, 4. et ad Virg. Ge. II, 455 seq. Intpp. Valer. Fl. I, 337. 338. Junii Obss. IV, 5. et Barth. ad Stat. Theb. II, 564.

lata. 47. Poculorum pretium augetur antiquitate et dignitate priorum possessorum. *biberat* ex *quo*, quibus poculis usus fuerat. *emtor Olynthi*, Philippus, Alexandri M. pater, qui multis artibus frustra usus est, ut *Olynthum*, maximam olim Thraciæ urbem,[8] Atheniensium imperio eriperet, eamque tandem cepit, Lasthene et Euthycrate pecunia corruptis. v. Demosth. Olynth., Thucyd. I, 58 seq. et Diodor. XVI, 53. 54. — *callidus*, v. Justin. IX, 8. Idem Philippus plures civitates emit, (Sen. Ep. 94.) et castellum olim oppugnaturus, quod exploratores munitissimum esse nuntiaverant, quæsivisse ex iis dicitur, εἰ χαλεπὸν οὕτως ἐστὶν, ὥστε μηδ' ὄνον προσελθεῖν χρυσίον κομίζοντα.[9] *Poculo aureo pulvinis subdito Philippum regem dormire solitum* tradit Plin. XXXIII, 3. s. 14.

48 seq. Poeta narrationem interrumpit quatuor versibus insertis, quibus vituperatio avaritiæ, illis temporibus vigentis, et laus Catulli continentur. *alius*, præter Catullum. 49. *caput*, vitam. *rebus*, rei familiari, opibus. 50. 51. *Non propter vitam*, vitæ sustentandæ causa, *faciunt patrimonia*, opes colligunt, *quidam, sed vitio cæci*, avaritia excæcati, *propter patrimonia vivunt*, putant se eam ob causam vivere, ut opes cumulent. Conf. VIII, 83. 84. et ad XI, 11. Sed vid. Var. Lect.[10]

52 seq. Retexitur tela abrupta. *Jactatur* in mare a Catullo et sociis ejus. *sed nec damna*, jactura bonorum, *levant* in sublime atque tollunt scil. navem, (scopulo vadisve hærentem, ut ap. Virg. Æn. I, 145. quem locum contulit Hein.) vel *levant*, imminuunt, sc. discrimen. Sed neutra vox antea est memorata.[11] Conf. Var. Lect. 53. *adversis* fatis *urgentibus*, prementibus, periculo crescente. *adversis* ventis, alii. *illuc recidit*, eo redactus est. Conf. Var. Lect. — 54. *malum ferro*, securi, *submitteret*, succideret. — 55. *se angustum*, in angustias adductum, impeditum, implicatum magnis difficultatibus ac periculis, *explicat*, expedit ex iis, propr. se arctum expandit, angustum, quo inclusus erat, spatium dilatavit. *Discriminis ultima*, maxima tunc pericula adsunt, *quando præsidia afferimus*, quum ea præsidia afferimus, quæ *navem* faciunt *minorem*, leviorem; Marshall.[12]

[8] v. Xenoph. hist. Gr. lib. V. p. 435—442. Intpp. Curt. VIII, 8. 9. 19. Nep. Pelop. 1. et Steph.

[9] v. Plut. Apophth. Opp. T. II. p. 178. ed. Frft. et Cic. ad Att. I, 16.

[10] Multi sunt, qui ob hanc causam colligunt patrimonia, tantum ut habeant, non tamen ut utantur, sed avaritiæ satisfaciant, Schol.

[11] Alii: *sed nec* res in mare projectæ *levant damna*, discrimen. At *damna* eo sensu non capi possunt.

[12] Alii, qui distinguunt: *ac se Explicat angustum, discriminis ultima quando* cet., exponunt: quod facere solemus, quando

Conf. Var. Lect. Succisionem vero mali ultimum esse naufragii remedium, nota res est.

57—61. Poeta cogitatione ac sensu periculorum, quæ in amicum ingruerant, intime affectus, omnem acerrime exsecratur navigationem, tamquam rem non minus temerariam ac periculosam, quam miseram. Similiter multi poetæ navigantium audaciam increpant.[13] *I nunc*, ut in simili loco Senec. Med. 650. et sup. VI, 306. ubi v. not. *nunc*, postquam audisti, navigantibus tot tantaque imminere pericula. *ventis animam*, vitam, *committe*, ut ap. Horat. Od. I, 3, 10. *qui fragilem truci Commisit pelago ratem*, et Sen. Med. 304. *Animam levibus credidit auris.* — *dolato ligno*, v. Var. Lect. — 58. 59. Laertius lib. I. tradit, Anacharsidem, quum audisset, τέτταρας δακτύλους εἶναι τὸ πάχος τῆς νεὼς, dixisse, τοσοῦτον θανάτου τοὺς πλέοντας ἀπέχειν. Hinc et Dio Chrysost. Orat. LXIV. de Fortuna navem appellat τριδάκτυλον ξύλον πεύκινον. Aratus Phæn. 300. ὀλίγον δὲ διὰ ξύλον Ἄϊδ' ἐρύκει. Seneca Controv. III. *parva* (navigiorum) *materia sejungit fata*, et Med. v. 306 seq. *Potuit tenui fidere ligno, Inter vitæ mortisque vias Nimium gracili limite ducto.* Cf. et inf. XIV, 288. Ovid. Am. II, 11, 25 seq. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 55. — 59. *tæda*, ut alibi *pinus*, cognata arbor, pro navi, e pinu texta, h. l. pro tabula vel assere navis. (Conf. Gron. Obss. III, 13. extr.) *latissima*, crassissima. 60. 61. *Mox*, ubi in navi eris et lustrabis res, quas tecum tulisti et quæ tibi maxime necessariæ sunt ad vitam et salutem, præter panem et vinum, *adspice*, respice (ut ap. Ovid. Fast. VI, 29. et Virg. Æn. II, 690.) etiam *secures*, quæ *sumendæ* sunt, (alii: ne obliviscaris tecum *sumere* secures) quibus opus est *in tempestate*, ad malum succidendum. *Reticulum* pera, ad modum retis texta, ut ap. Horat. Sat. I, 1, 47. *ventre lagenæ*, lagena ventrosa, h. e. ampla, itineri apta. Conf. IV, 107. al.

62—67. Sedata tempestate, 67 seq. *vestes* pro velis, quæ igne conflagrarant, (v. 19 seq.) extendebantur et in *prora* alterum *velum* minus, quod unum superfuerat; atque ita (75 seq.) lacera navis portum subiit Ostiensem. 62. *jacuit planum mare*, h. e. tranquillum factum est et *planum*, quo sensu passim *unda* vel *mare jacere*, *stare*, *cubare*,

cet. quæ durissima est ellipsis. Non magis probanda interpretatio Ach. *tunc angustum se explicat* sc. periculum h. e. extremum est, *quando*, quum *ultima præsidia*, remedia, *afferimus* cet.

[13] Conf. Prop. III, 7, 29 seq. (al. 5, 41 seq.) Horat. Od. I, 3, 9—24. ubi v. intpp. et Burm. ad Ovid. Amor. III, 2. et ad Phædr. IV, 6, 8. Barth. ad Grat. p. 45.

sedere, et contra *surgere* dicitur.[14] — 63. *Fatum*, quo salus nautarum et Catulli continebatur, *valentius Euro*, ventis, *et pelago*, efficacius fuit tempestate. Fatis Dii quoque ipsi impares, eorumque leges fixæ. (v. ad Sil. V, 76. 406.) — 64 seq. Conf. ad III, 27. *Pensa ducere*, ut *p. trahere, torquere, versare, volvere.* — 65. *Parcæ hilares*, adspirante fortuna et cœptis blandiente; ut contra *Sorores tristes* et *duræ*.[15] *Stamen album* Parcarum longiorem felicioremque vitam significat et portendit, ut contra *atrum* vel *pullum* mortem et infortunium.[16] *Lanificæ staminis albi*, docte pro, ducentes stamen album vel lanam staminis albi, h. e. lanam albam, facientes. 67. Bene *miserabilis* visu *prora*, navis, malo, velis aliisque armis destituta; et *arte inopi*, non multum fructuosa, quam necessitas docuerat, *extentis vestibus*, velorum loco expansis, ut ap. Tac. Ann. II, 24. ubi etiam *vestes* sunt proprie sic dictæ, non, ut Schol. putabat, funes aut vela aut artemon. — 69. *Velo* minori, in *prora*, quod *dolon* vocatur, ut majus ἀρτέμων, *artemon*, et, quod ad puppim est, forte *epidromus*. *suo*, quia in prora est, vel vestibus opponitur, quæ proprie non sunt vela navis. *deficientibus* vi, vel cessantibus. *Austri* cum delectu positi, tamquam venti vehementiores ac tempestatem cientes. — 70. Sic Neptunus *Collectas fugat nubes solemque reducit* ap. Virg. Æn. I, 143.

70—72. *Tum conspicitur sublimis apex*, mons Albanus, *gratus*, dilectus, *Iulo* s. Ascanio, Æneæ filio, quippe qui, condita in eo Alba Longa, *sedem* ibi imperii collocavit et Laviniæ, *novercæ* suæ, concessit *Lavinium*. Res notissima vel ex Liv. I, 1. et 3. Virg. Æn. I, 267 seq. ubi v. Heyne. 71. *Lavino*: nam veteres etiam *Lavinum* pro *Lavinium* dixisse videntur.[17]

72—74. Etiam hæc nota ex Virg. Æn. III, 388 seq. VIII, 42 seq. 81 seq. ad quæ loca v. Heyne. . Conf. Varr. R. R. II, 4. *cui*, Albano monti, ut et Albæ Longæ, *nomen dedit candida scrofa*, sus alba. *Phrygibus*, Iulo et Trojanis, *lætis* ob repertam ex oraculi responso suem. *sumen*, sus. Conf. Var. Lect. et ad XI, 138. — 74. *Mamillas* facete forsan substituit poeta pro porcis, ut rei miraculum augeretur.

75 seq. Describitur portus Ostiensis, de quo Suet. Claud. c. 20.

[14] v. Heyne ad Virg. Ecl. II, 26. Nic. Heins. et nos ad Sil. V, 585.

[15] v. Broukh. et Heyne ad Tibull. III, 3, 35. et nos ad Sil. I, 281.

[16] Conf. intpp. Horat. Od. II, 3, 16. Martial. IV, 73, 3. 4. VI, 58, 7. 8.

[17] v. Heyne Obss. in Tibull. II, 5, 49. et ad Virg. Æn. I, 2. in Var. Lect.

Portum Ostiæ exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio et ad introitum, profundo jam salo, mole objecta, quam quo stabilius fundaret, navem ante demersit, qua magnus obeliscus ex Ægypto fuerat advectus, congestisque pilis superposuit altissimam turrim in exemplum Alexandrini Phari, ut ad nocturnos ignes cursum navigia dirigerent. [18] — *moles,* ingentia saxa, in mare jacta alteque exstructa instar aggeris, quibus pars maris *inclusa* et exclusa. Itaque jungo: *moles positas per æquora,* in æquore; non, ut suadet H. Valesius, *intrat æquora inclusa per moles positas,* molibus jactis. *Tyrrhenamque Pharon,* turrim excelsam, in mari Tyrrheno ædificatam. [19] *brachia,* portus partes vel moles prominentes et dextra sinistraque *porrectas,* protentas in mare, *rursum,* retro, (*rursum* enim propr. quasi *revorsum*) h. e. ultra Pharon, ad introitum portus exstructam. [20] — 77. Magnitudo portus Ostiensis designatur. *pelago occurrunt,* v. Var. Lect. *relinquunt Italiam,* ab ejus ora recedunt. 78. 79. Hæc verba languere videntur; nisi forte hæc eorum sententia est: Hic portus Ostiensis multo mirabilior, quam naturales, qui passim a poetis describuntur, admirationem magis, quam veritatem sectantibus. 79. *magister,* gubernator, *petit interiora tuti stagna* (aquas) *sinus,* h. e. subit portum interiorem, ubi naves tutæ sunt a tempestate et naufragio, unde vel *cymbæ Baianæ,* quali utuntur in lacu Lucrino, *pervius,* navigabilis est. 81. *vertice raso:* nam in luctu summoque vitæ periculo caput radi et crines ab iis, qui ex naufragio, vel diuturno morbo alioque discrimine salvi evaserant, Diis sospitatoribus offerri solebant. [21] — 82. Comparant verba Euripidis, (Ὡς ἡδὺ τὸν σωθέντα μεμνῆσθαι πόνων;) Sen. Ep. 78. Macrob. VII, 2. et Cic. Ep. ad Div. V, 12. *Garrula,* quæ garrulos faciunt homines; vel pro garrulis nautis, vel denique adject. pro

[18] Conf. Cluver. Ital. Ant. III, 3. et Burm. ad Valer. Fl. VII, 84 seq.

[19] Conf. Burm. l. l. Wernsdorf Poet. min. T. V. p. 120. et 149. Heins. ad Ovid. Met. XI, 393. et XIII, 903.

[20] Ita voc. *rursum* interpretari malim cum Grangæo, quam cum vet. Schol. *iterum:* "quia Trajanus portum Augusti restauravit in melius, et interius tutiorem sui nominis fecit." Ab Augusto quoque portum hunc inchoatum esse nemo, quod sciam, prodidit. Exstruxit eum Claudius et perfecit Nero, si numis ejus fides habenda. Trajanum vero addidisse interiorem, Cellarius in Geogr. ant. II, 9. inde colligit, quod, quem geminum injecta mole fecerit Claudius, postea tergeminus s. triplex fuerit, λιμέσι τρισὶ περιγραφόμενος, Philostorg. de Alarico XII, 3. Cf. Tab. Peuting. Possis et jungere *rursum intrat* atque *rursum* exponere ut *rursus* X, 150. quod tamen minus arridebit.

[21] Conf. Anthol. Gr. VI, 21. epigr. 1. Artemid. Oneirocr. I, 23. Lucian. Hermot. c. 86. (δοκῶ δέ μοι οὐκ ἀλόγως ἂν καὶ ξυρήσασθαι τὴν κεφαλὴν, ὥσπερ οἱ ἐκ τῶν ναυαγιῶν ἀποσωθέντες ἐλεύθεροι) Petron. c. 63. Potteri Archæol. Græc. III, 20. IV, 5. Kirchman. de fun. Rom. II, 14. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 422.

adverbio, ingenti garrulitate, qualis plerumque est hominum, magno periculo liberatorum. *nautæ*, Catullus ejusque socii, quorum affectus animi egregie adumbrantur.

83—92. Præclara conversio! nam descripto periculo et reditu Catulli repente sensus in actionem transeunt, qua dramatica ac vivida rerum adumbratione summa poeseos virtus continetur. Poeta ob reditum amici, qui in extremo vitæ discrimine versatus erat, lætitia exsultans, advocat servos; jubet properare necessaria ad vota pro reditu Catulli solvenda remque divinam rite faciendam; omnis moræ impatiens est. Festinantes oculis quasi cernimus servos et dominum jam sequentem, jam diis majoribus vota solventem in templis et mox Laribus domi, ubi omnia ad festam lætitiam parata sunt. *Linguis animisque favete*, εὐφημεῖτε, solennis in sacris formula, qua populus vel tacere jubebatur, vel fari verba bona, εὔφημα, boni ominis, ne, qui adessent, seu consulto seu temere, quid mali s. sinistri ominis dicerent, quo vel profanaretur res sacra, vel ejus vis infringeretur.[22] — 84. *Serta* vel coronæ, etiam frondes et infulæ, in magna, vel publica vel privata, lætitia, super postibus foribusque et templorum et ædium suspendebantur.[23] *Farra*, h. e. mola salsa, ex farre tosto et sale, *cultri*, frons victimæ et ignis s. focus adspergebantur. — 85. *ornate*, parate, vel potius coronate. *molles focos glebamque virentem*, h. e. aram, confectam e cespite molli ac virenti s. recenti: (conf. ad v. 2. et Mitscherl. ad Horat. Od. I, 19, 13. ubi *vivus cespes* eodem sensu dicitur) non aram *molli* cinctam vitta, ut ap. Virg. Ecl. VIII, 64.

86. *sacro, quod præstat*, quod præstantius et majus est, in Capitolio et majoribus Diis *peracto*. Conf. sup. v. 2—9. *peracto rite*, bene et recte, ex legibus præscriptis, animo, loco ac tempore idoneo. *Rite* vox sacrorum s. religiosa.[24] — 87. 88. Poeta etiam domesticos placat deos: tanta ejus est lætitia, tantus amoris gratique animi affectus! Præclare autem *parva* Jovis Lariumque *simulacra, graciles coronas* et *fragili cera* de diis parvarum ædium. Conf. simil. loc. IX, 137. 138. ibique not. Eorum vero simulacra cur *nitent cera?* quia cerea erant? quod nusquam me legere memini. Nota Ach. est: videtur Lares magna parte cera confectos fuisse, unde eos Horat. Epod. II,

[22] Conf. ad VI, 559. Casaub. ad Theophr. Char. XIX, 3. Mitscherl. ad Horat. III, 1, 2. 14, 11. Heyne ad Tibull. II, 1, 84. 2, 1.

[23] Conf. v. 91. et ad VI, 51. IX, 85. Intpp. Virg. Æn. II, 249. IV, 459. Hom. Iliad. α, 39. Toup. Opusc. T. II. p. 102. ed. Lips.

[24] Conf. intpp. Horat. Od. I, 32, 16. IV, 4, 25. 6. 37. 15, 28.

66. *renidentes* vocat. Nonnulli eam designari putant *ceram*, de qua v. ad IX, 139. et X, 55. *fragili cera*, flexibili, molli, ut ap. Ovid. Met. XV, 169. vel potius de simulacris cereis, quæ facile franguntur.

89. *Hic*, domi, postquam Jovi Tarpeio vitulum mactavi, (cf. sup. v. 6.) *Jovem nostrum*, meum, domesticum, (v. ad IX, 137.) cujus *parvum simulacrum* domi habeo, *placabo*, venerabor et ei satis faciam, agens gratias et vota persolvens, ne irascatur, [25] vel potius *thura dans*. *Laribus paternis*, v. ad VIII, 14. — 90. *jactabo*, spargam flores, inpr. *violas*, (v. Casaub. ad Pers. V, 182.) et quidem *omnium*, quotquot sunt, *colorum*, nigram s. pullam, (τὸ μελάνιον s. κατ' ἐξοχὴν τὸ ἴον, *wilde, dunkle märzviole*) albam, (λευκόϊον, *helle viole, leukoje*) luteam, (τὸ φλόγινον) pallentem cet. [26] — 91. 92. Jam omnia domi parata sunt ad festi diei lætitiam. *erexit janua ramos*, h. e. rami, inpr. laurorum, erecti, suspensi sunt in janua. v. ad v. 84. et VI, 51. *longos ramos*, ut *grandi lauro ornetur janua* VI, 79. ubi v. not. — 92. Sacris festisque diebus, in omni publica privataque lætitia, ad januas ac fenestras, etiam medio die, catenulis suspendebantur *lucernæ*, lampades, cerei, funalia accensa; unde *festa janua*, et forte non sine sale acerbo *matutinis*, tamquam claro die opus esset alia luce. [27] *operatur*, v. Var. Lect.

93 seq. Subita aptaque transitione ad alterum idque primarium Satiræ argumentum progreditur poeta arripitque occasionem sibi oblatam heredipetas perstringendi. *suspecta*, quasi non profecta ex animo in amicum benevolo et vera lætitia, sed ex studio captandæ hereditatis. — 95 seq. Καινὴν γάρ τινα ταύτην τέχνην ἐπινενοήκατε, γραῶν καὶ γερόντων ἐρῶντες, καὶ μάλιστα εἰ ἄτεκνοι εἶεν· οἱ δὲ ἔντεκνοι ὑμῖν ἀνέρασται, Lucian. Dial. Mort. VI, 3. *Libet exspectare*, exspectet aliquis, vel frustra exspectabo donec reperiatur, qui cet. (Germ. *darnach warte einer*, vel *den mögt' ich sehen*.) — 96. Bene non modo *gallinam* dixit poeta, sed et *ægram* atque *oculos claudentem*, moribundam. *impendat*, mactet, ut dono eam mittat vel pro salute amici sacrificet diis; de quo v. ad XIII, 233. *amico tam sterili*, a quo tam parum emolumenti speres, qui tam exiguam fructus spem præbeat, quum tres

[25] Cf. intpp. Horat. Od. I, 36, 2. et III, 23, 3.

[26] v. Curtii Sprengelii Antiquit. Botan. Spec. I. c. 1. Lips. 1798. et Voss. ad Virg. Ecl. II, 47. V, 38. X, 39.

[27] Cf. Lips. Elect. I, 3. et ad Tac. Ann. III, 9. (ubi de redeuntis Pisonis domo agitur) Casaub. ad Pers. V, 180. 181. Grot. ad Capellam p. 31. Ferrar. de lucern. sepulcr. p. 5. Sagittar. de jan. vett. c. 32.

habeat filios. v. ad VII, 49. Alii *sterilem amicum* εἰρωνικῶς dici putant. — 98. Ne vilis quidem avicula *pro patre,* pro eo, cui liberi sunt, *cadet,* mactabitur. [28] *Coturnix* autem h. l. pro vilissima ave: de quo v. Bochart. Hieroz. P. II. Lib. 1. c. 15. et Varr. R. R. III, 5, 17. Plinius X, 23. s. 33. *Coturnicibus,* inquit, *veneni semen gratissimus cibus: quam ob causam eas damnavere mensæ; simulque comitialem propter morbum despui suetum, quem solæ animalium sentiunt, præter hominem.* (ad quæ verba v. Hard.) Idem Plinius paulo ante dixerat, coturnices sæpe volando fessas tanta in naves incidere copia, ut eas pondere suo demergant. Sed vilitas coturnicum non tam ab ingenti, quæ Romæ fuerit, harum avium multitudine, quam ab illis causis, a Plinio memoratis, repetenda. *calorem,* æstum febris, ut ap. Tibull. IV, 11, 2. ubi v. Heyne.

99—120. Si *Gallita* et *Paccius,* h. e. divites iidemque *orbi,* vel levi tentantur morbo; captatores reverentiam iis amoremque votis pro salute eorum susceptis probare certant, ut ab illis, talibus officiis delenitis, si ex morbo convalescant, heredes scribantur. *Paccius,* v. sup. ad VII, 12. in Var. Lect. 100. *Legitime,* rite et ordine. *fixis,* suspensis, in parietibus. *vestitur,* bene de copia et ornatu. *tabellis* votivis, quæ vota continebant suscipienda, et in *porticibus* atriisque ædium ac templorum vel aliis locis publicis figebantur, ut omnes voti essent conscii. *Non defuerunt, qui depugnaturos se armis pro salute ægri Caii, quique capita sua titulo præposito voverent,* Suet. Cal. c. 14. ubi v. Ernesti. Conf. Var. Lect. — 101. Ἑκατόμβη, sacrificium, propr. centum boum, [29] sed et ovium, caprarum cet. *promittant,* diis voveant pro salute ægrorum.

102—114. Elephantos voverent heredipetæ, si *hic,* Romæ, vel in *Latio* nascerentur. Apta sententia, cujus tamen vis infringitur intempestiva doctrina. Confer Var. Lect. — 103. *nostro sub sidere,* cœlo ejusque vertice, climate, (ut contra *terras alio calentes sole* dixit Horat. Od. II, 16, 18.) non *concipitur,* nascitur. v. tamen Columell. III, 8, 3. et Pigh. ad Valer. p. 801. — 104. *furva,* nigra, a *gente,* ab Indis, Mauris, Æthiopibus. v. ad XI, 125. 126. De voce *furvus* copiose disputavit Heins. ad Ovid. Met. III, 273. — 105. *Arboribus Rutulis et Turni agro,* in saltibus agrisque Rutulorum, quorum rex olim Turnus fuit et metropolis Ardea, *pascitur,* ut et in agro Tibur-

[28] ut ap. Tibull. I, 1, 23. IV, 1, 15. Horat. Od. III, 18, 5.

[29] v. Sophocl. Trachin. v. 762. ibique Hœpf. et Larcher ad Herod. I. not. 107.

tino, (v. Martial. IV, 62. et VII, 12.) in quem vetulos elephantos de armento Imperatorum actos putabat H. Vales., ut eorum dentes ibi pristino candori restituerentur cœli solique beneficio.

106. Elephanti sunt *armentum Cæsaris,* non a *privatis* hominibus ali possunt, sed a solis Imperatoribus, qui hæc animalia, quorum usus olim in bellis erat, (v. 107 seq.) nunc ad voluptatem et spectacula ludorumve Circensium pompam adhibent.[30] *Privato,* v. ad VI, 114. — 108 seq. *siquidem majores horum* elephantorum, qui nunc a Cæsaribus voluptatis et spectaculorum causa aluntur, *parere solebant Hannibali Tyrio,* cujus patria fuit Carthago, colonia Tyriorum, *et nostris ducibus,* Romanis, qui eos non modo in triumpho duxerunt, (v. Plin. VIII, 6. ibique intpp.) sed illis etiam in bello usi sunt, v. c. L. Scipio ap. Appian. bell. civ. II, 96. *Regi Molosso,* Pyrrho, Epirotarum regi, in cujus *bello elephantos Italia primum vidit et boves Lucas appellavit, in Lucanis visos a. U. CCCCLXXII,* Plin. VIII, 6. *Molossi* gens Epiri.

111. *Nulla mora per Novium* (v. ad VI, 333.) scil. foret, si Romæ et in Italia elephantorum copia esset. *Novius* et *Pacuvius* heredipetæ tunc temporis famosi. De hoc cf. II, 58 seq. — 112. *ebur,* elephas. *ducatur ad aras,* v. ad v. 3. — 113. *Gallitæ,* ut v. 99. Quæ *victima sola* est *digna tantis Deis,* Laribus Gallitæ, ditissimæ matronæ; vel potius hominibus, tam divitibus et orbis, qui a *captatoribus* non solum divino coluntur honore, sed etiam *tanti* illis videntur *Dii,* ut elephanti iis sacrificandi sint, non vulgares victimæ. Ita egregie ingenium et mores *captatorum* s. heredipetarum adumbrantur: cui picturæ mox etiam vividiores fortioresque inducuntur colores v. 115—120. *Alter enim,* Pacuvius, (quod ex v. 128. intelligitur) ne illud mireris, pro salute ægri hominis, qui orbis et ditissimus est, *corpora servorum* cet. h. e. *servos* atque *ancillas,* quin et liberos *voveret, si concederes,* si per leges liceret, *mactare* horum *corpora,* sacrificia humana. Quæ sacrificia non tam ad opinionem antiquitatis, mortem morte redimi posse, quam ad divinum honorem hominibus præstandum et mitigationem iræ deorum, spectant. — 118. *frontibus ancillarum imponet vittas,* tamquam victimarum, quæ vittis circum tempora ornatæ immolantur. Sic de Sinone aræ destinato Virg. Æn. II, 129. 133. — 118. 119. Filiam adeo, si qua ei est, eamque

[30] v. Plin. VIII, 2. et 7. Suet. Cæs. 37. Fabric. ad Dion. XLIX. p. 574. 23. Spanhem. de usu et pr. num. T. I. p. 170. 720. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 169.

jam *nubilem*, (quo scelus augetur) sacrificabit pro salute ægri, quemadmodum olim Agamemnon, quum cervam Dianæ sacram fixisset et tempestas, ira Deæ immissa, classem Græcam in Aulide retineret, Calchantis consilio, ut iratam Deam placaret, ei immolandam statuit *Iphigeniam*, filiam suam, natu maximam; quam tamen Diana, *cerva* pro ea substituta et caligine sacrificantibus objecta, in terram Tauricam per nubes detulit ibique templi sui sacerdotem fecit. Fabula notissima ex Eurip. Iphigen. in Aul. et in Taur., Hygin. fab. 98. al. et varie olim tractata: nam alii Iphigeniam vere immolatam tradunt, alii loco cervæ substituunt ursam vel anum vel juvencam vel bovem cet.[31] *Iphigenia*, v. ad v. 127. — 120. Etsi non sperandum sit heredipetæ, filiam suam ope divina servatum iri, quod contigisse Iphigeniæ, *cerva* ei supposita, *tragici* poetæ fabulantur. *Cerva* fuit *piaculum*, sacrificium expiandi sceleris iræque mitigandæ causa Dianæ factum et quidem *furtivum*, quia furtim vel insciis Græcis cerva pro ipsa Iphigenia fuit substituta: eadem *tragica* dicitur, quoniam ex ingenio tragicorum poetarum profecta est. Facetissimo itaque sale et artes heredipetarum et poetarum figmenta notantur.

121—127. Etiam hi versus pleni facetiarum. *Laudo civem meum*, Pacuvius mihi multo sapientior Agamemnone ejusque consilium magis, quam hujus, laudandum videtur, et salutem divitis orbi, ob *testamentum* vel amplæ hereditatis spem, pro qua vel filiam immolare haud dubitat, multum puto præferendam esse saluti *mille* navium, h. e. classis Græcorum, pro qua Iphigenia est mactata: nam si dives convaluerit ex morbo, testamentum forte mutabit et Pacuvium ex asse scribet heredem, summo ejus amore devinctus vel existimans adeo, salutem suam ac valetudinem illius votis et sacrificiis tribuendam esse. 122. *Mille rates* s. naves Græcorum Trojam profectas esse, poetæ memorant, certo numero pro incerto posito. (v. ad Sil. III, 229. et Heyne ad Virg. Æn. II, 198.) *Libitinam evadere*, ut *L. vitare* ap. Horat. Od. III, 30, 7. pro mortem effugere. Nam Venus Libitina funerum Dea apud Romanos, in cujus templo apparatum funebrem servabant ejus redemtores vel curatores funerum, qui *Libitinarii* inde dicti sunt. 123. *Delebit tabulas* testamenti, in quibus alios scripserat heredes. *inclusus carcere nassæ* venuste dicitur dives et orbus, qui *mirandis meritis*, officiis, votis ac sacrificiis, ab he-

[31] Cf. Tzetz. ad Lycophr. v. 183. Heyne ad Virg. Æn. II, 116. Heins. et Burm. ad Ovid. Met. XII, 34.

redipeta irretitus et devinctus capitur, velut piscis in nassa. *Nassa, κύρτος,* (Oppian. Ἁλιευτ. III, 85. et 341 seq.) ἐκ σχοίνων λαβύρινθοι, (Theocr. XXI, 11.) calathus vimineus angusti colli, quo quum intravit piscis, exire non potest. Ea γραφικῶς describitur in loco sim. et class. Sil. V, 47 seq. ubi v. not. Conf. Cic. ad Att. XV, 20. Plaut. Mil. II, 6, 98. et loca scriptorum, in quibus similis est metaphora, a captura piscium desumta, Plaut. Truc. I, 1, 21. 22. et Curc. III, 61. Martial. VI, 63, 5. 6. Horat. Sat. II, 5, 44. Epist. I, 1, 79. et, qui de eadem re agit, Lucian. in Tim. § 22. οἷος αὐτοὺς ὁ θύννος ἐκ μυχοῦ τῆς σαγήνης διέφυγεν, οὐκ ὀλίγον τὸ δέλεαρ καταπιών, in dial. mort. VI, 4. ὁ δὲ, τοσοῦτόν μοι δέλεαρ καταπιών, ἐφειστήκει θαπτομένῳ πρώην ἐπιγελῶν, in dial. mort. X. Νῦν Ἑρμόλαος ἔχει τὰ ἐμὰ, ὥσπερ τις λάβραξ καὶ τὸ ἄγκιστρον τῷ δελέατι συγκατασπάσας, in Hermotimo c. 59. Ὡς ὀλισθηρὸς εἶ καὶ διαδιδράσκεις ἐκ τῶν χειρῶν, ἀλλ' οἰόμενος ἐκπεφευγέναι ἐς τὸν αὐτὸν κύρτον ἐμπέπτωκας. — 125. *Forsan* non sine vi dictum: innuit enim, incertam hominis spem esse, adeoque improbiora ejus vota, sacrificia et cupiditatem. *breviter:* nam paucis tantum verbis opus est in testamentis, quibus heredes ex asse scribuntur, nec plura in iis memorantur heredum nomina vel legata. Cf. ad I, 68. — 126. Præclare de simili re Lucian. in Timone § 22. Ἐκεῖνος μὲν, ὅστις ἂν ᾖ ποτε, ἁρπασάμενός με (sc. Plutum, h. e. divitias) αὐτῇ δέλτῳ, θέει φέρων ἀντὶ τοῦ τέως Πυθέου, ἢ Δρόμωνος, ἢ Τιβίου, Μεγακλῆς, ἢ Μεγάβυζος, ἢ Πρώταρχος μετονομασθείς, τοὺς μάτην κεχηνότας ἐκείνους εἰς ἀλλήλους ἀποβλέποντας καταλιπών, ἀληθὲς ἄγοντας τὸ πένθος cet. — *rivalibus,* aliis heredipetis, eandem hereditatem captantibus. *Incedere* aptum h. l. verbum, quod superbiæ s. ostentationis et gravitatis vim passim habet. v. ad Tac. Ann. IV, 23, 5. ad Liv. I, 26, 9. Cort. ad Sall. Jug. 31. et intpp. Virg. Æn. I, 46. — 127. *jugulata Mycenis,* Iphigenia, (a patria sic dicta, ut ap. Ovid. Met. XII, 34.) h. e. immolatio filiæ. Nam *Mycenis* h. l. filia Pacuvii, (altera quasi Iphigenia vel ei similis) ut sup. v. 119. *Iphigenia,* quoniam pro salute ægri divitisque hominis, ut vera Iphigenia pro salute Græcorum, immolatur.

128—130. Poeta, qui ridendo dixerat verum, nunc cum summa indignatione Pacuvio eique similibus heredipetis dira imprecatur, vitam longissimam, et, qualis avarorum esse solet, miserrimam: quid enim tristius esse potest, quam ex divitiis, iisque inhoneste partis, nullam percipere voluptatem et per longam vitam omnibus æque ac sibi ipsi gravem esse atque odiosum? Imprecatio tamen hæc non tam ab indignatione, quam ab ironia et sarcasmo petita videtur Ach.

vivat vel Nestora totum, h. e. totam Nestoris ætatem.[32] — 129. *Quantum rapuerit Nero,* docent Xiphilinus, Suet. Ner. c. 26. 32. et alii. — *Montibus aurum,* auri cumulum, *exæquet,* ut ap. Valer. Max. II, 9. *partarum rerum æquatus cœlo cumulus sedem stabilem non habebit.* 130. Cf. Ovid. in Ibin v. 115 seq.

[32] Conf. Martial. X, 24, 11. (*post hunc Nestora*) X, 48, 4. (*immodico Nerone calet,* h. e. thermis Neronianis) XI, 12, 5. (*Mentora frangis,* i. e. toreuma Mentoreum) Heins. ad Ovid. Met. XII, 188. et de Nestoris ætate sup. ad X, 246.

IN

SATIRAM XIII.

---

1 seq. SEN. Ep. 42. *Nulla major pœna nequitiæ, quam quod sibi ac suis displicet:* et præclare Ausonius: *Turpe quid ausurus te sine teste time.* Cf. Var. Lect. — 2. *ultio,* pœna. *se judice,* judicio animi sui et conscientiæ. — 3. Cf. Pauli Ep. ad Rom. II, 14. 15. *quamvis improba gratia Prætoris,* a reo corrupti, *vicerit fallaci urna,* h. e. fecerit, ut reus judicio vincat fallacibus sententiis judicum sortito datorum: nam Prætor s. Quæsitor, cui quæstio s. causa capitalis obtigerat, sortiebatur vel sorte legebat et dabat judices selectos e decuriis, tabellis in urnam conjectis; unde reo favere poterat, secernens in judicibus legendis ejus vel suos amicos. Idem quoque judicibus tabellas dabat, absolutionis, condemnationis et ampliationis, quas hi, in consilium missi, in *urnam* conjiciebant, iisque eductis sententiam ferebat: unde *urna* etiam h. l. ad suffragia judicum selectorum, a reo corruptorum, referri potest. Sed h. l. *Prætoris* potissimum *gratia* iniqua notatur.[1] Hinc probabile sit, amicum Calvini, qui depositum abnegaverat, accusatum ab eo, sed Prætoris judicumque corruptorum sententiis absolutum fuisse.

5. *Calvinus;* alius forte Calvinus Umber, malus poeta, ap. Mart. VII, 89. — 8. *te mergat,* funditus te evertat bonis et ad paupertatem redigat. Conf. ad X, 57. — 10. *Casus tritus,* vulgaris, (metaph. petita a via) *et e medio,* non e summo, *Fortunæ* adversæ, h. e. malo-

[1] Cf. Heyne in not. et Exc. ad Virg. Æn. VI, 432. et Sigon. de Judic. II, 22.

rum, *ductus acervo*, multum abest a summo infortunio. — 11. *Flagrantior*, acrior, vehementior. 12. Conf. Horat. Epod. X, 17. et Sen. Ep. 99. *vulnere*, damno. 13. 14. Junge: *particulam malorum, quamvis minimam levium exiguamque, vix ferre potes, Ardens visceribus spumantibus*, æstuantibus bile et ira, in qua sanguis ab imis præcordiis exæstuat. Conf. ad I, 45. — 16. *Depositum*, quidquid custodiendum alicui datum est, παρακαταθήκη, *sacrum*, sancte servandum et reddendum, vel ob jusjurandum interpositum, vel ne tollatur amicitia, fides violetur et amicus afficiatur injuria ac damno, quo nihil scelestius est.

16—22. Talis fraus non mira videri debet homini, longo rerum usu edocto, cui ejusmodi mala tum nota sint ac familiaria necesse est, tum æquo ferenda animo. In interrogatione major vis inest. *Stupet hæc*, ut sup. IV, 119. ubi v. not. *post terga relinquere*, conficere, ut nos dicimus: *im rücken haben*. 16. 17. Ex h. l. probabile fit, hanc satiram Hadriani temporibus scriptam esse, LXI annis (nam LX annos jam *post terga reliquit* Calvinus) post Fonteii consulatum. Sed quatuor, non duo, ut vulgo putant, Fonteii Capitones Consules in fastis memorantur. Prior Consul fuit a. U. C. DCCXX, at suffectus tantum, *ad unguem Factus homo, Antonî, non ut magis alter, amicus* Hor. Sat. I, 5, 32. (v. Pigh. Ann. T. III. p. 497.) Alter a. DCCLXIV vel DCCLXV cum Germanico Cæs. biennio ante mortem Augusti. (v. Pigh. l. l. p. 540.) Tertius a. DCCCXI vel DCCCXII cum C. Vipsanio s. Vipstano, sub Neronis imperio. (v. Pigh. p. 593. Tac. Ann. XIV, 1. Plin. II, 70. s. 72. et VII, 20. Suet. Cal. c. 8.) Quartus a. DCCCXIX vel DCCCXX cum C. Julio Rufo. (v. Pigh. p. 601. 602.) Si alterum h. l. designari credideris, a. DCCCXXV vel DCCCXXVI, tertio vel quarto anno imperii Vespasiani; si tertium, a. DCCCLXXII vel DCCCLXXIII, secundo vel tertio anno imperii Hadriani; si quartum, a. DCCCLXXX vel DCCCLXXXI, regnante eodem Imperatore, hæc Satira scripta est. Tertium innui, probabilis, nec tamen certa, est intpp. conjectura, quam iis persuasit Lips. Quæst. Epist. IV, 20. Conf. ad v. 157. et ad XV, 27.

19—22. *Sapientia*, σοφία, quam Pythagoras primus φιλοσοφίαν dixit, est quidem *magna*, potens ac valida, *victrix Fortunæ*, quæ minas ejus ac vim contemnere nos docet; sed idem discimus quoque *magistra vita*, longo usu et experientia. Inde discere poteras, *incommoda vitæ* patienter *ferenda* esse, quamquam non sis philosophus. Cf. v. 120

seq. — 19. *libellis sacris*, præclaris, divinis; (ut ἱερὸς et δῖος) vel quoniam philosophia, ut verba Cic. Tusc. Qu. I, 26. mea faciam, est *donum inventumque deorum — ejus prorsus divina vis — et animus divinus, aut deus* cet. — 20. *Philosophia est inexpugnabilis murus, quem Fortuna multis machinis lacessitum non transit*, Sen. Ep. 82. Similiter *Cato Fortunæ victor* dicitur Manilio. Conf. X, 52. 53. 365. 366. — 22. *jactare jugum*, impatienter ferre incommoda vitæ. Metaphora ducta a bobus ferocibus vel succumbentibus oneri, qui *jugum detrectant, quatiunt, excutiunt eique subtrahunt colla*. Contra *jugum accipere, subacta cervice ferre, ei submittere colla* et propr. et metaph. dicitur.[2] *magistra*, v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XV, 83.

23—37. Descriptio illorum temporum scelerumque, quæ tum grassabantur: brevis pictura, cui principales tantum colores induxit poeta. — 23. Nunc quotidie committuntur flagitia, iisque profanatur quævis *festa dies*, quæ religiose olim et sancte agebatur. *ut cesset prodere furem*, quo non cernere possis furem et deprehendere. 25. *gladio*, vi, *vel pyxide*, veneno, (quod in ea condebatur, de quo v. Cic. Cœl. 25. et Suet. Ner. 47.) non fritillo vel alea. 26. Conf. Sen. Ep. 42. pr. Ad numerum Sapientum allusisse poetam, judicio parum probabili suspicantur Interpp. *Numerus vix est totidem* cet. v. Var. Lect. 27. *Thebarum* Bœotiarum scil. *portæ* septem, unde ἑπτάπυλος Θήβη Hom. Il. δ, 406. Hesiod. Ἔργ. 162. al. Nam Θῆβαι Αἰγύπτιαι ἑκατόμπυλοι Hom. Il. IX, 383. Conf. Mel. I, 9. et inf. XV, 6.[3] *Ostia Nili* celeberrima septem, Canopicum, Bolbitinum, Sebennyticum, Phatniticum, Mendesium, Taniticum, Pelusiacum:[4] quæ adhuc superesse tradit Pocock.[5] unde Nilus dicitur *septemfluus* Ovid. Met. XV, 753. *septemplex* ibid. V, 187. *septemgeminus* Virg. Æn. VI, 801. — *Nili divitis*, quia multis auctus fluviis et per plura ostia in mare Mediterr. effunditur; vel quia inundatione limoque suo Ægyptum ditat s. fecundat.[6]

28—30. Hæc varie exponunt interpretes.[7] Notissimum vero est,

[2] Cf. ad VI, 208. intpp. Horat. Od. I, 33, 12. 35, 28. II, 5, 1.

[3] Fuere et alia, sed minora et minus clara hujus nominis oppida in Phthiotide Thessal., (Plin. IV, 8.) in Cilicia s. Mysia, (Hom. Il. β, 691. ζ, 397. Steph., Strab. XIII. p. 710. al.) in Arabia felici, (Ptolem.) Attica, (Steph.) Corsica cet.

[4] v. Strab. XVII. p. 801. 802. Plin. V, 10. s. 11. (ubi cf. Hard.) Herodot. II, 17. Diodor. I, 33. Athen. II, 90. ibique Schweigh.

[5] Itiner. T. I. p. 29 seq. et 433 seq. vers. Germ.

[6] Grangæus: "quia fluit arena aurea, unde Cedreno dictus χρυσορρόας."

[7] Nonnulli ita: Vivimus eo tempore, quod quatuor, sic dictas, mundi ætates,

priscos poetas, ut indicarent, homines a naturali optimaque vitæ ratione ad pessimam gradatim esse delapsos, omne illud tempus, quod effluxerit inde ab origine mundi, in ætates, a *metallis* pro cujusque ratione denominatas, descripsisse, et quidem vel in duas, (v. Virg. Ge. I, 125 seq.) vel in tres, (Arat. Phæn. 100 seq.) vel in quatuor, (Ovid. Met. I, 89 seq. et al.) vel in quinque; (Hesiod. Ἔργ. 109—208.) non vero, ut plerique intpp. h. l. putant, in octo, quot sint metalla, in auream, argenteam, electream, æream, cupream, stanneam, plumbeam, ferream; etsi gradus plures non male ita exprimi potuisse videntur. Itaque suspicabar olim cum Vossio, (v. not.) Juvenalem respexisse vaticinia illa Sibyllina de ἀποκαταστάσει s. παλιγγενεσίᾳ (de quatuor sæculis denuo revolvendis et renovandis) vel famam illam, ab Etruscis vatibus profectam, de octo sæculis mundo datis et vita moribusque hominum diversis, de sæculo nono, a Sullæ temporibus (quibus maxima fuit rerum mutatio et pravitas morum) incipiente,

auream, argenteam, æream et ferream, tantopere excedit, ut pro nona ætate haberi possit, si cum ferrea comparetur et morum respiciatur corruptela. Alii: tempora nostra jam duplo pejora sunt, quam fuere ferrea. Plerique arbitrantur, non probant, a Latinis quidem poetis quatuor effingi ætates, a Græcis autem octo, quot sint metalla, auream, argenteam, electream, æream, cupream, stanneam, plumbeam, ferream. Ascensius putabat, *primam* ætatem fuisse Deorum regnantium sine crimine; *alteram* Deorum adulterio aliisque vitiis fœdatorum; *tertiam* Semideorum magis ad divinitatem accedentium; *quartam* Semideorum ad hominum magis vitam inclinantium; *quintam* Heroum, mortalium quidem, sed virtutem totam amplexantium; *sextam* Heroum, non omnino perfectorum; *septimam* hominum, plus virtuti, quam vitiis deditorum; *octavam* hominum, vitiis magis quam virtuti studentium; *nonam* hominum, ex meris vitiis sceleribusque consutorum. — Grangæus suspicabatur, Juvenalem mundo tot ætates sive earum potius mutationes, in septennia descriptas, tribuisse, quot Solon adsignaverit homini, cujus nona ætas langueat et infirma sit. (Vide de ταῖς τῶν ἡλικιῶν μεταβολαῖς κατὰ ἑβδομάδα Solonis Fragm. ap. Clement. Alex. Strom. VI, 16. p. 814. ed. Potteri, et Philon. de mundi opificio lib. I. vel in Gnomicorum Poett. Opp. a Glandorf. et Fortlage Lips. 1776. editis T. II. p. 77 seq.) — Plathneri animadversio est hæc: "Procul dubio poeta respexit ad septem metalli species. Ut igitur ostenderet improbitatem sæculi, nonam esse ait ætatem, i. e. nonam speciem metalli esse inveniendam, ut nomen capiat. Sed cur non *octavam?* Ex commistione hoc specierum fieri poterat. Magis vero est, poetam ad Sibyllam respexisse, quæ mundi ætates quatuor metallorum generibus notasse dicitur, ut esset aurea, argentea, ænea, ferrea, et quarta finita παλιγγενεσίαν statuisse. *Nona* igitur *ætas*, quæ ferrea renata, adeoque octava deterior." Vossius de Sibyll. Orac. c. 4. p. m. 42. hæc notavit: "Nullum dubium est, quin Juvenalis Cumæam sequutus sit vatem, quæ nonam ætatem, nullo signatam metallo, descripserat velut omnium ætatum teterrimam, ut contra decimam ætatem veluti omnium optimam, utpote qua futura esset ἀποκατάστασις per Christum. Sed poeta quum istam ἀποκατάστασιν non admitteret, scribit nonam etiamnum fluere ætatem: in libris enim Cumææ Sibyllæ ἀνεπίγραφος et sine titulo fuit octava et nona ætas. Si id non sit, verisimile est, ab octo cœli regionibus s. sphæris octo ætatibus, a tellure vero cognomen additum fuisse nonæ, quum constet, aliquot Pythagoreos eosque sequutum Philonem Judæum istoc ordine cœli digessisse regiones." Omitto aliorum conjecturas minus probabiles.

et de decimo, meliorum temporum aureæque ætati similium principio et rerum ἀποκαταστάσει. v. Heyne in argum. et notis ad Virg. Ecl. IV, 4 seq. Serv. ad Virg. Ecl. IX, 47. Censor. c. 17. Plut. in vita Sullæ Opp. T. I. p. 456. A. ed. Frf. et Fabric. Bibl. Gr. T. I. p. 246. ed. Harles. Ita duplici modo designaretur sæculum, ut simile nono illi, quod Etrusci vates, et ut pejus ferreo, quod poetæ commenti sunt. Neque hæc conjectura aliena est ab ingenio Juvenalis, qui doctrinam ostentare amat. Iis vero, quæ contra eam disputavit Heinecke, non tanta inest vis, quanta ipsi videtur; nam simile quidem idemve tempus, at diversa ratione ab Etruscis vatibus priscisque poetis adumbratum fuisse contendi, et verba *quorum* (sc. sæculorum, i. e. cujus sæculi) *sceleri — metallo* non ad *nonam* retuli *ætatem*, sed ad *sæcula ferri temporibus pejora:* neque Censorinus tantum, sed alii quoque auctores consulendi; ex nota autem Servii ad Virg. Ecl. IX, 47. et ex hoc Maronis loco sæculum illud decimum non multo pejus, sed longe melius fuisse, quam nonum, colligo; nam sermo ibi est de sæculo felici, quod læto portendatur prodigio et infaustam Sullæ ætatem excipiat. Neque tamen diffiteor, illam interpretationem argutam magis, quam veram, vulgatamque lectionem emendandam potius quam explicandam et videri posse et mihi semper visam esse. Conf. Var. Lect.

31. Summa δεινότης inest his verbis, et brevitas affectui convenit. *Nos* sceleratissimo vivimus sæculo, quo ubivis et quotidie tot tantaque grassari videmus scelera, et tamen tam stupidi sumus, ut, si quid mali aut injuriæ nobis aliisve accidat, continuo præ stupore et tamquam novitate miraculoque attoniti *hominum Divumque fidem*, opem, *cieamus*, imploremus, quasi hæc inusitata sint nec semper et ubique obvia. *Pro Deum atque hominum fidem!* vel *Dii, obsecro vestram fidem* cet. admirationis quiritationisque formulæ, ut nostræ: *um des himmels willen! um Gottes willen!* Ita exclamasse videtur Calvinus: unde *nos ciemus* mollius dictum pro *tu cies*. — 32. Hæc et δεινῶς et σαρκαστικῶς dicta. *Quanto* clamore *Fœsidium* male *agentem* causas vel perorantem in foro *laudat vocalis*, clamosa, *sportula*, h. e. clientum aliorumque hominum turba, præmio sportulæ conducta, ut dicenti acclamaret *Pulcre, Bene*, σοφῶς, cet. v. ad I, 1 seq. et de *sportula* ad I, 95 seq. Non minus facete locuti sunt de hac re Martial. VI, 48. Plin. Ep. II, 14. in loco class. et auctor epigr. in Anal. Brunck. T. II. p. 331. (Ποιητὴς πανάριστος ἀληθῶς ἔστιν ἐκεῖνος, Ὅστις δειπνίζει τοὺς

ἀκροασαμένους. Ἢν δ' ἀναγινώσκῃ καὶ νήστιας οἴκαδε πέμπῃ, Εἰς αὐτὸν τρεπέτω τὴν ἰδίην μανίην.)

33. Salse Calvinus sexagenarius (v. 16. 17.) dicitur *senior dignissimus bulla*, h. e. qui inter pueros referatur propter simplicitatem rerumque imperitiam; νήπιος γέρων· nam *bulla* puerorum insigne. v. sup. ad V, 164. *senior* ἐμφατικῶς, ut *Tun' vetule* ap. Pers. I, 22. — 34. *Quas habeat Veneres*, voluptates, gratiam, venustatem, illecebras, h. e. quam grata sit et jucunda avaris.

34—119. Præclare docet poeta, corruptos sæculi sui mores vitiorumque licentiam, quæ remp. Rom. invaserit, ex contemtu religionis, tamquam ex primario fonte, fluxisse, hanc vero irreligiositatem ex superstitione et inepta natam esse theologia, quæ phantasiæ quidem præbeat alimenta, sed mentem corrumpat et jam *vulgo*, plebi, sit contemtui ac ludibrio; homines itaque, quamdiu simplex adhuc fuerit religio, pie et sancte vixisse, at postquam ingenium poetarum eam multis argutiis, fabulis pravisque opinionibus de natura, vita, moribus et ingenti numero Deorum deformaverit, a probis majorum moribus ad impietatem et scelera defecisse. Hæc igitur θεολογούμενα et commenta poetarum multis deridentur salibus facetiisque, (ut in Luciani dial. Deorum) sed et nimia forsan ingenii orationisque luxurie et judicio paulo iniquiori de mythologia vet.[8] — 37. Stulti et simplices sunt, qui Deos verentur perjuriorum vindices. *aræ rubenti* sc. igne, vel potius sanguine victimarum.

38—52. Festiva, sed declamatorio potius, quam poetico dicendi genere adumbrata descriptio aurei sæculi, quo Ausonum adeoque Aboriginum Latinorumque religio admodum simplex fuit et præter Saturnum, Janum, Picum et Faunum alios ignoravit Deos; qui postea ex Græcorum mythologia adsciti sunt. Conf. Var. Lect. ad v. 40. *Indigenæ*, prisci incolæ Latii, Aborigines, non tantum ἐγχώριοι, sed etiam αὐτόχθονες, αὐθιγενεῖς, *hoc more*, hac simplicitate ac fide, pietate et sanctitate vitæ, *vivebant*, aurea ætate, qua regnavit *Saturnus*, *prius quam* hic, a Jove filio suo exutus regno, *fugiens diademate deposito sumeret agrestem falcem*, symbolum messis: nam ipse Saturnus fuit symbolum melioris vitæ, cujus origo a satione, messe frugibusque inventis repetenda est, et hinc Aborigines agri vitæque cultum docuisse fingitur.[9] — 40. 41. *Tunc, quum adhuc Jupiter*, quo reg-

[8] Conf. Rigalt. de Sat. Juven. et sup. ad III, 312 seq.

[9] v. Heyne in Excurs. IV. et V. ad Virg. Æn. VII. et in Exc. II. ad Æn.

nante argentea fuit ætas, *privatus,* regno nondum paterno potitus, aleretur in *Idæis antris,* neque jam uxorem duxisset *Junonem.* Conf. VI, 14—16. *antris Idæis,* Idæ, montis Cretensis. Fuere tamen, qui Jovem in Ida, Phrygiæ monte, natum educatumque traderent, postquam confusæ fabulæ Cretenses et Phrygiæ. [10]

42—45. Tum vita Deorum a poetis nondum ad heroum vitam accommodata erat, nec tam luxuriosa etiam efficta, vel jucunda et otiosa, ut Saliarem in modum quotidie epularentur. Poetæ fabulantur, quod vel tironibus notum est, convivia a Diis heroum more agi, iisque *ad cyathos,* a poculis, *οἰνοχόους* esse, (ut ap. Prop. IV, 8, 37. et Horat. Od. I, 29, 8. ubi v. Mitscherl.) *puerum Iliacum,* Ganymeden, pulcerrimum juvenem filiumque Trois vel Erichthonii vel Assaraci vel Ili, regum Trojanorum, *et formosam Herculis uxorem,* Heben. — 44. 45. Verba explicatu difficillima, nec a quoquam interpretum intellecta: [11] quæ hoc sensu capio: *Nec puer Iliacus ad cyathos* (erat, vel *quum nec* — esset), *nec Herculis uxor et Vulcanus,* pocillator deorum, ex officina *Liparæa* arcessitus, fumo niger et hinc *brachia* e fornace et camino *nigra tergens,* sibi detergens, quum in eo esset, ut porrigeret diis pocula, *nectare,* vino deorum, more olim solito, *jam siccato,* exhausto, ex crateribus, majoribus vasis in abaco positis, et in *cyathos,* minora pocula, infuso. Conf. ad V, 47. Nam Juvenalis respexit locum Hom. Il. I, 597 seq. ubi Vulcanus Αὐτὰρ ὁ τοῖς ἄλλοισι θεοῖς ἐνδέξια πᾶσιν Ὠνοχόει, γλυκὺ νέκταρ ἀπὸ κρητῆρος ἀφύσσων. (ut h. l. *siccato nectare,* et ap. Hom. Od. IX, 9. 10. μέλυ δ' ἐκ κρητῆρος ἀφύσσων Οἰνοχόος φορέῃσι καὶ ἐγχείῃ δεπάεσσιν.) Ἄσβεστος δ' ἅρ' ἐνῶρτο γέλως μακάρεσσι θεοῖσιν, Ὡς ἴδον Ἥφαιστον διὰ δώματα ποιπνύοντα. Notavit simul discrimen insigne illorum pincernarum, e quibus duo fuere *formosissimi,* Ganymedes et Hebe, tertius vero deformis, Vulcanus claudus et fumo *niger;* nec sine irrisione deorum et pocillatoris. Cf. X, 130 seq. et V, 52—62. ibique not. Verba tamen *siccato nectare* paulo durius sic

VIII, 314—329. Conf. sup. VI, 1—15.

[10] v. Passerat. ad Prop. III, 1, 27. et Heyne ad Apollod. I, 1, 1. extr. p. 15. 16. ed. rec. p. 7.

[11] Hæc verba varie interpretantur, vel: nondum Vulcanus, post haustum in cœlo nectar detersisque brachiis, revertebatur ad officinam Liparæam; vel, nondum V. brachia detergens, deorum accumbebat mensæ et nectar potabat; vel, nondum erat Vulcanus faber Deorum, qui jam post remotas epulas et mensam, ubi nectar exhausit, surgit, manus *tergens,* aqua lavans, aut potius madefaciens et irrigans nectare epoto; vel denique, nondum Vulcanus in officina Liparæa epotum nectar nigro brachio ab ore detersit. Ceterum omnia plana esse et facilia dicit Ach. in hoc sensu: *et* quum nondum *Vulcanus, tergens brachia nigra* fuligine tabernæ, *et jam siccato nectare,* exhausto prius poculo nectaris pleno, *ad cyathos* adhuc esset.

dicta, et lectio vulgaris emendanda videtur. Olim suspicabar legendum esse: *nec jam* vel potius *aut jam* (ut mox v. 50.) scil. ad cyathos erat seu quum esset *siccato nectare tendens* (extendens, protendens) *Brachia Vulcanus,* scil. quum pocula diis porrigeret. Has conjecturas, quarum me nondum pœnitet, reprobavit Heinecke, cujus nota est: " Post *neque* disjunctivas particulas *aut, vel* etc. negandi vim habere, nullo modo autem *et, ac, que,* docere studet Bentl. ad Hor. Epod. 16, 6. et Serm. I, 6, 68. cum quo facit Ruhnken. ad Vellei. II, 45. Sed vide (præter Burm. ad Ovid. III, 492. Ern. ad Tac. Ann. I, 32. Johnson. et al.) summum Wolfium acute pro more suo de his disputantem ad Tac. Ann. I, 32. Mox in iis, quæ sequuntur, mendum esse puto; ea certe, quæ interpretes attulere, nauci non sunt. Ipse nihil, quod satisfaciat, extundere potui. Quid dicamus vero de conjectura *tendens?* Quomodo Vulcanus pocula porrigere potuit *siccato nectare?*" Potuit omnino, si verba *siccato nectare* eo quo supra dixi et ad V, 47. sensu acceperis; quem, etsi præfracte eum defendere nolim, probabilem certe faciunt ea, quæ notavi. Nihil vero difficultatis et plus salis h. l. inerit, si reposueris: *libato nectare tendens* cet. Ita Vulcano non tantum pincernæ, et quidem nigri, partes tribuuntur, sed etiam prægustatoris, qui vina convivis porrigenda *libat* vel *delibat,* h. e. antea et primus vel leviter et primoribus labris gustat, prægustat, προγεύεται. v. ad VI, 633. Pro *libato* a librariis facile substitui poterat *sicato.* Utrum itaque vel nulla opus sit medicina, vel lenior meliorque adhiberi possit, judicent me acutiores. Comparandus autem est locus similis et facetiarum plenus Luciani in Dial. Deorum V. cap. 4. et 5. ΖΕΥΣ. Τὸν Ἥφαιστον ἔδει τὸν σὸν υἱὸν οἰνοχοεῖν ἡμῖν χωλεύοντα, ἐκ τῆς καμίνου ἥκοντα, ἔτι τῶν σπινθήρων ἀνάπλεων, ἄρτι τὴν πυράγραν ἀποτιθέμενον, καὶ ἀπ' ἐκείνων αὐτῶν τῶν δακτύλων λαμβάνειν ἡμᾶς τὴν κύλικα καὶ ἐπισπασαμένους φιλῆσαι μεταξύ, ὃν οὐδ' ἂν ἡ μήτηρ σὺ ἡδέως φιλήσειας ὑπὸ τῆς ἀσβόλου κατηθαλωμένον τὸ πρόσωπον. ἡδέως ταῦτα· οὐ γὰρ καὶ παρὰ πολὺ ὁ οἰνοχόος ἐκεῖνος ἐμπρέπει τῷ συμποσίῳ τῶν Θεῶν· ὁ Γανυμήδης δὲ καταπεμπτέος αὖθις ἐς τὴν Ἰδην· καθαρὸς γὰρ καὶ ῥοδοδάκτυλος, καὶ ἐπισταμένως ὀρέγει τὸ ἔκπωμα καὶ, ὅ σε λυπεῖ μάλιστα, καὶ φιλεῖ ἥδιον τοῦ νέκταρος. ΗΡΑ. Νῦν καὶ χωλὸς, ὦ Ζεῦ, ὁ Ἥφαιστος, καὶ οἱ δάκτυλοι αὐτοῦ ἀνάξιοι τῆς σῆς κύλικος, καὶ ἀσβόλου μεστός ἐστι, καὶ ναυτιᾷς ὁρῶν αὐτὸν, ἐξόστου τὸν καλὸν κομήτην τοῦτον ἡ Ἰδη ἀνέθρεψε· πάλαι δὲ οὐχ ἑώρας ταῦτα, οὐδ' οἱ σπινθῆρες, οὐδ' ἡ κάμινος ἀπέτρεπόν σε μὴ οὐχὶ πίνειν παρ' αὐτοῦ. ΖΕΥΣ. Εἰ ἄχθη παρὰ παιδὸς ὡραίου δεχομένη τὸ ἔκπωμα, σοὶ μὲν ὁ υἱὸς οἰνοχοείτω· σὺ δὲ, ὦ Γανύμηδες, ἐμοὶ μόνῳ ἀναδίδου τὴν κύλικα cet. 45. *Vulcani* et Cyclo-

pum *taberna* s. officina a poetis collocatur in iis locis, quæ ignibus subterraneis ardent, præcipue in Ætna, Lemno, insulis Æoliis s. Vulcaniis circa Siciliam earumque potissimum maxima, *Lipara.* [12]

46. *Prandebat, quisque Deus sibi,* privatim, solus; nondum enim luxuriosi erant. [13] — 45 seq. Πολυθεΐα, a poetis efficta, lepide irridetur. Conf. Plin. II, 7. et Cic. de Nat. Deor. passim. — 48. Conf. Wernsdorf. Poet. min. T. III. p. 56. *miserum,* bene, ob gravitatem ponderis. 49. 50. Nondum aliquis poeta commentus erat, Saturni filios, Jovem, Neptunum et Plutonem de mundi imperio *sortitos* esse. *Imperium profundi,* maris, (non inferorum) *triste,* ob tempestates, in mari sævientes, quæ tot calamitatum causæ sunt. *Pluton,* Πλούτων, *torvus,* sævus, durus, inexorabilis, Ἀΐδης ἀμείλιχος ἦδ' ἀδάμαστος· Τοὔνεκα καί τε βροτοῖσι θεῶν ἔχθιστος ἁπάντων, Hom. Il. IX, 158. 159. *cum conjuge Sicula,* Proserpina, in Sicilia nata et rapta a Plutone juxta Hennam, unde et *Hennæa* dicitur. De Proserpina v. Creuzer's Symbolik T. IV. p. 344 seq. — 51. 52. Conf. ad II, 149 seq. Nondum aliquis poeta fabulose multa tradiderat de inferis et pœnis ibi luendis, v. c. de *rota* Ixionis, de *Furiis,* de *saxo* Sisyphi et de *vulture atro,* jecur Tityi et Promethei depascente; neque etiam de *regibus* judicibusque *infernis,* de Plutone, Minoe, Æaco, Rhadamantho, Triptolemo: nam his non opus erat, quum scelera ne nota quidem essent, nedum admitterentur, neque talia in mentem veniebant hominibus, quorum et vita et religio simplicissima erat.

53. *Improbitas,* exemplum improbitatis, *illo ævo,* quod poetæ aureum dixerunt sæculum, *admirabilis,* inusitata et inaudita, *fuit,* ut nunc probitas, de quo v. mox v. 61 seq. — 55 seq. De antiquissima hac honoris testificatione et veneratione majorum natu v. Heyne ad Virg. Ecl. VI, 66. Kœnig ad Claudian. XXI, 48. (*Cedentes spatiis assurgentesque videbas*) Intpp. Gell. II, 15. et inpr. Klotz. ad Tyrt. p. 139. — 56. *Barbato,* non viro tantum, sed etiam juveni, cui *prima lanugo* erat. Conf. v. 59. *licet ipse* puer *videret plura domi fraga* cet., h. e. quamvis ditior esset. *Fraga* autem et *glandes* primi hominum cibi erant solæque divitiæ. Conf. VI, 10. Plin. XVI, 3. et 5. XVIII, 7. et 8. XXI, 15.

58. 59. Dodwell. in Annal. Quintil. p. 79. et 136. " *Prima,* inquit,

[12] v. Heyne ad Virg. Æn. VIII, 416 seq. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 47. et Kœppen ad Hom. Il. α, 594. Cf. sup. ad I, 8. et X, 132.

[13] Henninius putabat, Deorum delicias scoptice exagitari, quasi qui bis de die saturarentur, quod Plato in Epist. ad Diogen. et Cic. Tusc. Qu. V. in Italis Sicu-

adolescentiæ barbatæ *lanugo* ab anno censebatur ætatis XVIII. eoque ut videtur, expleto. Hoc nos docet h. l. Juvenalis, quum *barbatum* suum, quem *puero* opponit, *quatuor* dumtaxat *annis* puero majorem agnoscit, et prima tantummodo lanugine vestitum. Ita *prima lanugo* in annum XVIII. expletum convenerit, quum etiam *pueritia* in anno XIV. similiter expleto terminata fuerit. Inde *barbatuli juvenes* (Cic. ad Att. I, 14.) appellabantur ad illum usque annum, ut videtur, quo *barbam primam radebant*, ætatis scilicet XXI. Hanc *pubertati plenæ* ætatem constituunt JCti, (Dig. L. I. tit. 7. l. 40. 1. L. XXXIV. tit. 1.) usque a temporibus Hadriani. Nec id immerito, etiam pro sententia veterum cet. — *Venerabile* fuit *præcedere quatuor annis :* ita nimirum, ut *parem* aliquatenus reverentiam illam agnoscat poeta, quæ a pueris primæ juvenum lanugini dari solebat et ætati barbatæ ; utrobique enim pariter *adsurgebant*, proinde aliam illam, nec suæ æqualem, ætatem agnoscentes." Conf. ad VI, 105. — 59. *Primæ lanugini*, adolescentulis, etsi adhuc imberbibus, idem *adeo* honor habebatur a pueris, qui *sacræ*, venerandæ, *senectæ*, senibus, veneratione dignis, a juvenibus.

60—70. Nostris temporibus fides et probitas portento miraculoque similes sunt. *Depositum* dicitur, quodcumque deponitur apud aliquem eique adservandum traditur. 61. *follem*, saccum, crumenam, (ut XIV, 281. Veget. II, 20. Plaut. Aul. II, 4, 23.) *veterem*, dudum sibi commissum, *cum tota ærugine*, cum omni pecunia, quæ fuit in eo et præ vetustate ac situ jam æruginem contraxit. Æris vitium *ærugo* dicitur, ferri *robigo* s. *rubigo*, Schol. 62. 63. Ejusmodi *fides* nunc *digna* videtur, quæ, prodigii instar, in *libellis Tuscis*, h. e. haruspicum, notetur, et ex horum præscripto expietur lustreturve *agna* aliave victima iratis diis cæsa. Haruspicina, quæ jam Pelasgis in usu fuit, ab Etruscis maxime exculta est et ab iis ad Romanos pervenit : unde *Tusci libelli*, ut *libri Etruscorum* ap. Cic. de Div. II, 23. et *Etruscæ disciplinæ volumina* ap. Plin. II, 83. s. 85. — *coronata agna :* nam victimæ et vittis, et sertis floribusque ornabantur.

64—70. *Egregii sanctique viri* exemplum nunc tam rarum est, ut simile sit *monstro*, quale est *bimembris puer* cet. Cicero de Div. II, 28. *Si*, inquit, *quod raro fit, id portentum putandum est, sapientem esse, portentum est : sæpius enim mulam peperisse arbitror, quam sa-*

lisque mensis improbaverint. Sed poeta et *prandere* h. l. est id. qd. cœnare ; hæc potius communia Deorum convivia ridet, autem verba opponuntur verss. 42 seq.

pientem fuisse. — *Monstrum,* insolita species. v. ad II, 122. 123. Poeta autem paulo prolixior h. l. videri potest in recensendis variis *monstris,* ostentis, prodigiis portentisque v. 65—70. De horum aliorumque generibus ac causis v. Heyne Opusc. Academ. T. III. p. 198—215. et 255—274. *bimembri puero,* duplicia vel hominis animalisque membra habenti, partui monstroso. Cf. Liv. XXVII, 11. et XLI, 26. Heyne l. l. p. 271. 272. *Piscibus inventis sub miranti* (v. Var. Lect.) *aratro* terram scindente. Conf. Liv. XLII, 2. Strab. XII. Plin. IX, 57. s. 83. ibique Hard. — 66. *Mulæ fetæ* exemplum rarissimum quidem, (unde et proverbii loco dicebatur *quum mula peperit,* v. c. Suet. Galb. c. 4.) sed non omnino negandum.[14] — 67. *Lapidei imbris* crebra fit mentio ap. Livium, v. c. I, 31. VII, 28. XXI, 62. XXII, 36. XXIII, 31. XXV, 7. al. Conf. Plin. II, 58. XXXI, 1. et de causa hujus prodigii, a violentis ventis repetenda, qui lapides in altum sublatos iterum in terram (vel de montibus quoque) dejecerint, Heyne l. l. p. 212. 213. — 68. *Examen apum* in pendentis *uvæ* speciem (*βοτρυδὸν* Hom. Il. II, 89.) *considens in culmine delubri* domusque, vel in arbore, foro, castris signisque militaribus, sæpius in dira refertur omina. Conf. intpp. Sil. VIII, 633 seq. Virg. Ge. IV, 554 seq. et Æn. VII, 64 seq. Harduin. ad Plin. XI, 17. et Drak. ad Liv. IV, 33. *apium* pro *apum.*[15] — 69. 70. *Amnes* passim memorantur *fluxisse gurgitibus miris,* portentosis, h. e. sanguineis, (cf. Var. Lect.) aut *vortice lactis,* aquis scil. a soli cretacei aut argillacei aut ferruginei contagione albescentibus aut rubescentibus, aut nigrescentibus. Cf. Heyne Opusc. Acad. T. III. p. 265. 266. Liv. XXII, 1. XXIV, 10. 44. XXVI, 23. XXXIV, 45. Plin. II, 56. *Gurgitibus* et *vortice* poet. pro aquis. Grangæus *gurgites miros* referebat ad nimiam vim aquarum, quæ religionem fecerit.

71 seq. Infortunium tuum neque insolens est impio hoc sæculo, neque magnum, si comparetur cum iis, quæ passi sunt alii. *Ἅπαντα γὰρ τὰ μείζον' ἢ πέπονθέ τις Ἀτυχήματ' ἄλλοις γεγονότ' ἐννοούμενος, Τὰς αὐτὸς αὑτοῦ συμφορὰς ῥᾷον φέρει,* Timocles ap. Athen. VI, 1. (2.) p. 223. *fraude sacrilega,* scelerata, improba, quæ scil. perfidia et perjurio amici fiebat. — 73. *arcana,* h. e. sestertia arcano s. secreto apud ali-

[14] Conf. Liv. XXXVII, 3. Aristot. anim. VI, 24. Plut. plac. philos. V, 14. Harduin. ad Plinium VIII, 44. s. 69. Spallanzani Memorie sopra i muli. Modenæ 1768. 8. et Bochart. Hieroz. I, 2, 20.

[15] v. ad Sil. I. c. et Ernesti ad Tac. Ann. XII, 64.

quem deposita ejusque fidei clam, sine testibus, commissa. 74. *patulæ*, amplæ.

75 seq. Apta improbitatis imago et simul irrisio theologiæ veterum vel doctrinæ de Diis, quos vel minus hominibus metuendos esse poeta docet. Lucianus Timon. c. 2 seq. Θᾶττον, inquit, τῶν ἐπιορκεῖν τις ἐπιχειρούντων ἕωλον θρυαλλίδα φοβηθείη ἄν, ἢ τὴν τοῦ πανδαμάτορος κεραυνοῦ φλόγα cet. — 77. *neget* depositum amicus tuus. 78. *fulmina Tarpeia*, h. e. Tarpeii s. Capitolini Jovis. 79. *Frameam* gladium fuisse docent Isidorus et Augustin. Ep. 120. c. 16. sed hastam Tac. Germ. c. 6. ubi v. Lips. *Cirrhæus vates*, μάντις, ut *Delius vates* ap. Virg. Æn. VI, 12. Apollo Delphicus, sic dictus a *Cirrha*, Phocidis oppido et navali Delphorum, quod inde pro ipsis Delphis ponitur. Ei *spicula* et arcum dari, notissima res est. 80. Conf. Tibull. I, 4, 25. *calamos*, sagittas. *Puella venatrix* est Ἄρτεμις ἀγροτέρα. 81. *Tridens* insigne Neptuni, quod tamen et Nereo tribuitur a Virg. Æn. II, 418. *Neptunus* docte dicitur *pater Ægæi* sc. maris, (ut ap. Horat. Od. II, 16, 2. et Virg. Æn. XII, 366.) quoniam in eo præcipua illius sedes est, unde et ipse *Ægæus* vocatur. v. intpp. Virg. Æn. III, 74. Cur vero *pater* maris appelletur, v. ad VI, 394. — 82. *Herculis arcus* et sagittæ fatales ac Philocteti dono datæ; quod vel ex Hygini f. 102. notum. 83. *Armamentaria cœli* facete dicuntur. 84. 85. Non tantum *jurabit per caput filii*, ut solebant patres, sed, quod horribilius, se, Thyestæ exemplo, manducaturum filii sinciput adseverat; Grang. *Comedam*, scil. si mentior. *Sinciput flebile nati*, h. e. flebilis, miserandi nati, ut *s. miserabile* ap. Sidon. V, 418. *Sinciput* totum caput, ut ap. Plaut. Men. III, 2, 41. IV, 2, 69. al. etsi proprie vel dimidiam ejus partem (qs. *semicaput*) vel priorem ita dici putant. *aceto*, condimento capitis. *Pharii*, Ægyptio: nam *Pharos*, parva Ægypti ins., de qua v. sup. ad VI, 83., totam passim Ægyptum designat. Ægyptium autem *acetum* laudant Martial. XIII, 122. et Athenæus II, 26. s. 66. (κάλλιστον δ' ὄξος εἶναι, φησὶ Χρύσιππος ὁ φιλόσοφος, τό τε Αἰγύπτιον καὶ τὸ Κνίδιον.)

86—119. Causæ memorantur, cur multi homines pejerare non dubitent. — 86—88. Notæ sunt sententiæ veterum philosophorum, qui Deos vel esse, vel, ut Epicurei, res humanas curare negabant, quique Naturam credebant vel nihil aliud quam Deum, vel ab eo diversam esse. Conf. quos jam alii laudarunt, Plin. II, 7. Senec. de Provid., Cic. de Nat. Deor., Plut. de plac. philos. I. et inpr. Barth. ad Clau-

dian. in Rufin. I, 1 seq. p. 1077—1094. De antiquorum vero philosophorum theologia accuratius disputarunt Tiedemann, Meiners, Buhle et Tennemann. *omnia ponant,* omnes res humanas contineri existiment. — 87. *moveri,* gubernari. 88. *Natura volvente vices,* moderante vicissitudines, ut ap. Virg. Æn. III, 376. et Claudian in Rufin. I, 6. ubi v. Barth. — 89. *Altaria tangunt,* qui vel precantur, vel jurant. Conf. ad XIV, 219.

90—105. Præclare perjurorum animus adumbratur. — 93. Perjuri ab ipsis Diis pœna et plerumque quidem præsenti, inpr. cœcitate, mulctari credebantur et ab Iside. Conf. Ovid. Amor. III, 3, 1. 2. et ex Ponto I, 1, 51 seq. Apul. Met. VIII. p. 213, 9. ed. Elm. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 466. et Jablonski Panth. Ægypt. T. I. p. 111. 112. ubi monet, magnam semper fuisse et esse hodie in Ægypto cœcorum multitudinem, hanc vero cœcitatem a superstitiosis hominibus Isidis iræ, non naturalibus causis, tribui. Idem de hac Dea copiose egit ibid. T. II. p. 3 seq. *Isidis* autem sacra e peregrinis maxime vigebant Romæ et superstitiosissime agebantur. Conf. ad VI, 525—541. XII, 28. et Heyne ad Tibull. I, 3, 23 seq. Ad hanc vanam superstitionem perstringendam spectat mentio Isidis et *sistri,* quo *irata* dea *lumina,* oculos, excutere fingitur. *Sistrum,* (Isisklapper) quo olim sacerdotes Isidis accinebant iis, qui mortem Osiridis lamentatione complorabant, erat æneum rotundumque crepitaculum, a σείεσθαι, concutere, sic dictum, in cujus parte superiore felis cum facie humana, in inferiore Isis sculpta erat. Ejus *per angustam laminam, in modum baltei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem,* ut utar verbis Apul. Met. XI. p. 258, 33.[16]

95. Aliæ pœnæ, quæ perjuris infliguntur ab iratis diis. *Phthisis,* φθίσις, tabes lenta. *Vomicæ putres,* ulcera putrida, apostemata, abscessus maligni puris pleni. *Sunt tanti* æstimanda, ut non eligantur cum opibus et patienter ferantur? "Melius est ægrotare cum divitiis, quam esse sanum pauperem," Schol. 96. *Podagram locuple-*

[16] v. Plut. de Is. et Osir. c. 63. Brœkhus. et Heyne ad Tibull. I, 3, 24. Isidor. Orig. II, 21. III, 13. Serv. ad Virg. Æn. VIII, 696. Fabricii Antiq. p. 202. Schotti Obss. II, 6. intpp. Petron. 114. et Prop. III, 9, 45. Gruter. Inscript. p. 82. n. 3. et 4. (ubi imago sistri expressa est) Oisel. Thes. num. tab. 47. et 117. et in comment. p. 566. Maffei gem. an. T. II. t. 1. 2. 3. Spon. ant. mon. Jablonski l. l. Bachierii et Tollii diss. in Vol. VII. Thes. Græv., Fabretti Inscriptt. p. 467. 488. Böttigeri Sabina p. 204. 205. Creuzer's Symbolik T. I. p. 335.

tem, h. e. quæ, vel si cum divitiis conjuncta est: non, quæ divitibus (immo luxuriosis) plerumque infesta et familiaris est. De podagra divitum pedibus insidiante cf. Martial. XII, 17. Luciani Epigr. XXVII. in Brunck. Anal. T. II. p. 313. et Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 427 seq. *Ladas,* velox cursor, qualis fuit Ladas, cursor Alexandri M., qui in Olympicis palmam tulit. v. intpp. Catull. LV, 25. Martial. II, 86. X, 100. Pausan. II, 19, 6. III, 21, 1. VIII, 12, 3. X, 23, 9. *si non eget Anticyra, nec Archigene,* facete pro: si sanus est, si sapit. *Anticyra* pro helleboro s. veratro, cujus præstantissimum genus nascebatur parabaturque Anticyræ, cuique vis stomachi ventrisque insanorum, delirorum cet. purgandi inerat, inpr. ubi in illa urbe vel insula bibebatur. Conf. Pers. IV, 16. (ubi v. Fülleborn p. 88. 89.) Horat. Sat. II, 3, 83. 166. et A. P. 300. loca class. Gell. XVII, 15. et Plin. XXV, 5. s. 21. ubi conf. Hard. *Anticyra,* Ἀντίκυρα, (propr. Ἀντίκιρρα, Cirrhæ adversa) nomen duarum urbium maritimarum in Phocide ad sinum Crissæum et in Phthiotide ad Maliacum sinum. Utrique hellebori proventus tribuitur, illi a Pausan. in loco class. X, 36. huic a Stephano et Strab. IX. p. 288. 299. — 98. *Archigene,* h. e. medico, qui mediam pertundat venam. v. ad VI, 46. et 236. *plantæ,* pedis. — 99. Quid Ladæ profuit, in stadio Olympico vincere et tamen esurire? *Pisææ,* Olympicæ: nam Pisa urbs Elidis in Peloponneso ad Alpheum fl. ubi Olympici agebantur ludi eo loco, cui postea Olympiæ nomen fuit. Victores autem in Olympiis ludis, Ὀλυμπιονῖκαι, non modo coronis *oleagineis,* (v. Pausan. V, 15, 3. et 16, 2. al.) sed etiam aliis muneribus honoribusque fere divinis afficiebantur. Conf. Le voyage du jeune Anacharsis en Grèce chap. 38. At tot honores et præmia non ab inopia tutos præstabant victores.

100—105. Alia pejerantium effugia et perjurii causæ lepide memorantur. 100. Sententia notissima. Χρόνια μὲν τὰ τῶν θεῶν πως, εἰς τέλος δ' οὐκ ἀσθενῆ Eurip. in Ione 1615. Cf. Plut. de sera num. vind., Plat. de legg. X., Plin. II, 7. Valer. Max. I, 1. ext. 3. Heyne ad Tibull. I, 9, 4. Kœnig ad Pers. II, 24 seq. et Mitscherl. ad Horat. Od. III, 2, 32. *Ut,* quamvis. 103. *his,* ejusmodi delictis, *solet ignoscere,* quia plerumque non puniuntur, vel quia non ad Numinis contemtum, sed ad commodum pejerantis spectant. 105. Exempla suppeditabit historia omnium temporum. *crucem,* servile supplicium. *diadema,* regiam dignitatem, regnum. Conf. ad VIII, 259.

107 seq. Egregie adumbratur perditorum hominum audacia. *te ad delubra vocantem* eum, ut juret, *præcedit* talis homo, non sequitur, *immo paratus* est *trahere* in jus te cunctantem *et vexare,* objurgare te velut sycophantam et calumniatorem. Sic φθάνει δέ τε καὶ τὸν ἄγοντα dixit Strato Epigr. XXVI. in Brunck. Anal. T. II. p. 365. Mutatio numeri, *confirmant, præcedit* cet., passim obvia est et affectui apta. 110. *fiducia* innocentiæ. 110. 111. Conf. ad VIII, 186. *Urbani* non cognomen, sed epitheton scurræ s. faceti hominis. Conf. Ernesti clav. Cic. ubi hæc notavit: " *Urbanitas* est virtus ingenii animique, qua eleganter possumus, ut homines in urbe liberaliter educati, de omnibus rebus judicare, neque aliquid inepti et absurdi dicimus et facimus, sed potius venuste et cum specie quadam liberali; estque hoc genus urbanitatis per totam vitam, orationem moresque fusum. Hinc *urbanus* elegans in omni judicio, dicto, facto, qui opponitur imperito s. absono, ut ἀστεῖος a Stoicis ἀμαθεῖ: deinde perpetuo Romæ vivens, aut otiose aut causas in foro gerens cet.: denique facetus, dicax, quales fieri solent otiose Romæ viventes nihilque agentes, nisi ut in foro stent cet. unde tandem pro scurra dici cœpit." Conf. ad XVI, 25. Gron. ad Plaut. Trinum. I, 2, 165. et de Sestert. IV, 9. Scal. et Dœr. ad Catull. XXII, 2. 9. 12. et Salmas. ad Poll. XXX tyr. p. 316. —*fugitivus scurra Catulli,* v. ad VIII, 187.

112. 113. Ridet poeta Homeri commenta. *Tu miser exclamas,* ut v. 31. 32. *vincere* clamore *Stentora* χαλκεόφωνον, "Ος τόσον αὐδήσασχ', ὅσσον ἄλλοι πεντήκοντα, Hom. Il. V, 785. *Gradivus,* Mars, *Homericus,* qualem Homerus effingit: ὁ δ' ἔβραχε χάλκεος Ἄρης, Ὅσσον τ' ἐννεάχιλοι ἐπίαχον ἢ δεκάχιλοι Ἀνέρες ἐν πολέμῳ, ἔριδα ξυνάγοντες Ἄρηος, Il. V, 859 seq.

114—119. Facete increpatur ipse Jupiter ὅρκιος s. ὅρκων ταμίας et perjurii vindex, tamquam impotens et ignavum numen, (ut Mars II, 130. 131.) simulque stultitia hominum, a quibus colantur Dii, qui nec audire, nec videre et loqui possint, adeoque vita careant, quique instar hominum muneribus capiantur. Similis est lepos et sarcasmus Luciani in Timone c. 1—6. Conf. et Virg. Æn. IV, 206 seq. — 114 seq. Si audis, Jupiter, cur non *vocem mittis,* respondes? *video,* in statuis tuis *marmoreis æneisque* non plus vitæ inesse, quam in *statua Vagellii* s. *Bathylli.*

116. 117. Gravis objurgatio et apta religioni veterum, qui Deos non tam benignos, quam sui commodi donorumque non minus, quam homines, cupidos fingebant, adeoque non precibus eos implorabant,

sed votis, horumque exauditionem non ab illorum benignitate, sed grato beneficiorumque memori animo exspectabant. Hinc etiam in precum formulis Dii sæpe munerum acceptorum admonebantur, v. c. ap. Hom. Il. I, 39 seq. VIII, 240. Odyss. IV, 763 seq. XVII, 240 seq. Virg. Æn. IX, 406 seq. *carbone*, ara, in qua carbones incensi; non acerra: nam *jecur* etiam et *omenta* dicuntur imposita. *charta*, in qua thus involutum, *thuris piperisque cucullus* ap. Martial. III, 2, 5. *soluta*, aperta, ut thus effunderetur. Conf. Ovid. Ep. Her. XI, 4. *pia thura*, quæ pietatem in deos testantur, ut ap. Sil. IV, 794. Virg. Æn. IV, 637. V, 745. et al. — 117. *jecur*, præcipuam extorum partem. *sectum*, resectum a ceteris extis. Alii interpretantur minutatim sectum, forte ut facilius comburatur. *Omentum*, panniculus s. membrana tenuis, ventriculo pulvinaris instar instrata et intestina involvens; (Gr. ἐπίπλοον, Germ. *netz*) deinde intestina molliora; denique adeps, ut forte h. l. et κνίσση vel ὀημὸς ap. Hom. Il. I, 460. et VIII, 240. *alba* e natura adipis; vel albi porci. — 119. vid. Var. Lect.

120—125. Audi nunc, Calvine, quæ *solatia* ego tibi *ferre*, afferre, possim, et quidem e sensu communi desumpta, quoniam non sum philosophus: neque enim philosophicis opus est argumentis ad te consolandum ob levem, quam fecisti, jacturam, scil. decem sestertiorum. Hæc præclare expressit poeta, inpr. v. 124. et 125., ubi metaphora petita est ab ægrotantibus, quibus pro vario morborum genere vel peritiores, vel rudiores adhibendi sunt medici. Conf. v. 19 seq. Infra tamen v. 184 seq. philosophiæ præcepta traduntur. — 122. *Cynicorum* et *Stoicorum* idem auctor erat, Antisthenes, eademque pæne dogmata; solo fere habitu *distabant*. Utrique etiam pallio utebantur, sed sub eo Stoici *tunicam* gerebant, Cynici vero leviores interulas sive tuniculas lineas; unde passim ἀχίτωνες dicuntur.[17] *tunica* tantum *distantia*, quod nudius et inverecundius Cynici, quæ velant et tegunt leviter Stoici; Lips. ad Tac. Ann. XVI, 34. E sectis philosophorum h. l. memorantur, quæ potissimum Romæ vigebant. 123. vid. ad XIV, 319. *Suspicit*, veneratur, magni æstimat, admiratur. *plantaribus*, plantis vel arboribus. 124. *ægri dubii*,

[17] v. Ferrar. de re vest. I, 4. 15. III, 2. et P. II. lib. 4. c. 19. et 20. Menag. ad Diog. Laert. VI, 104. Athen. XIII, 2. (19.) p. 565. (ubi legitur præsagium Zenonis de Stoicis ad Cynismum deflexuris) Lips. ad Stoic. philos. Diss. I, 13. inpr. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. II. p. 472. Böttiger über den raub der Cassandra p. 58. not. 56. und Sabina p. 311. ed. pr.

quorum salus dubia s. anceps est. 125. *committe venam* secandam, h. e. curationem morbi. *Philippi*, medici et forte imperiti. Modeste poeta se talis medici *discipulo* comparat.

126—135. Vid. ad v. 1—12. *tam detestabile factum*, quam quod amicus tuus commisit in te. Similis autem orationis color ap. Horat. Sat. II, 3, 41. *hoc si erit in te Solo, nil verbi, pereas quin fortiter, addam.* 127. 128. Maximi doloris indicia. Conf. Heins. ad Claudian. XV, 135. — 129. Nimirum necesse est, ut *accepto damno janua claudatur*: εἰρωνικῶς hæc, quibus, quæ sequuntur, optime respondent; Hein. *claudenda est janua*, in signum mœroris, ut in *funere* (v. 131.) propinquorum fieri solet, (Tac. Ann. II, 82. al.) h. e. justus est dolor et luctus. — 131. *nummi* amissi, jactura pecuniæ. 132—134. Jactura pecuniæ vero, non ficto, dolore, *veris lacrimis ploratur*, non fictis vel simulatis, *coacto humore*, ut plurimum funera propinquorum, (Martial. I, 34. Senec. Ep. 93. al.) quod lepide h. l. notatur. *Nemo dolorem fingit in hoc casu*, ita ut *contentus* sit, *vestem summam*, ejus superiorem partem, *deducere* tantum ab humeris, neque etiam scindere s. dilacerare, ut fit in summo luctu. Cf. Var. Lect. 133. *Vexare oculos humore coacto*, ut ap. Terent. Eunuch. I, 1, *una falsa lacrimula, quam oculos terendo vix vi expresserat.* Sic *coactus, inanes* et *jussas lacrimas* dixere Virg. Æn. II, 196. IV, 449. X, 465. Martial. I, 34. Cf. sup. ad VI, 273 seq.

136—139. Si sæpe fit, ut *tabellis*, cautionibus s. obligationibus, non semel, sed *decies* et *diversa* in *parte*, variis locis coramque testibus, qui singuli eas subsignarunt, *lectis* a creditore et ipsa debitorum manu scriptis, tamen hæc *chirographa*, has tabulas a se ipsis scriptas, *vana*, conficta et adulterina, adeoque *supervacua*, quibus nulla insit vis probandi, esse *dicant* ii, debitores, *quos arguit*, convincit, *ipsorum litera*, scriptura, manus, chirographum, et *sardonyx*, sigillum gemmæ insculptum. 137. *chirographa ligni*, tabulas ligneas, cera illitas, et cautiones ipsa debitoris manu scriptas, quales sunt obligationes nostræ et literæ cambiales. (v. Salmas. de modo usur. p. 391.) Eodem forte sensu *ligna* dixit Ovid. ex Ponto II, 9, 69. 70. quos versus Cujacius Obss. XI, 14. ita e libris mss. non male restituit: *Nec mea fallaci convicta est gemma sigillo Mendaces lignis imposuisse notas.* Conf. tamen Var. Lect.[18] 139. *Sardonyx* vel *Sardonychus* (v. Var.

[18] Scholion vetus ap. Barth. Advers. XIV, 16. "*Lignum* sicut et membrana partibus supra denuo sibi jungebant, et hoc pro chirographo erat."

Lect.) *princeps gemma,* sigillum, quod præcipue in sardonyche insculpitur, *quoniam sola prope gemmarum scalpta ceram non aufert,* Plin. XXXVII, 6. s. 23. ubi v. Hard. Conf. sup. ad I, 68. VI, 382. VII, 144. XIV, 132. *loculis,* in thecis.

140. Num *te, — O delicias!* O rem ridiculam! vel O ridiculum hominem! — *extra communia ponendum,* a communi hominum fortuna eximendum *censes?* Faceta irrisio! Conf. Var. Lect. et ad VI, 47. — 141. *qui,* h. e. qua ratione, cur tu es, (qui fit, ut tu sis) *gallinæ filius albæ,* h. e. singulari felicitate natus, cui contigerit uni, quod nescio an ulli, (ut *Fortunæ filius* ap. Horat. Sat. II, 6, 49. Gall. *le fils de la poule blanche* et nostrum *glückskind*) *nos* vero reliqui homines *viles pulli nati infelicibus ovis,* h. e. communi hominum fortunæ obnoxii? Horum proverbiorum, quibus perperam comparant illud, *mali corvi malum ovum,* origo incerta est,[19] et forsan deducenda vel a præcipua gallinarum in pullis custodiendis defendendisque sedulitate et singulari erga eos affectu; (φιλοστοργίᾳ, de qua v. Bochart. Hieroz. II, 1, 18.) vel potius a raro partu et sterilitate *albarum gallinarum,* quæ, ut verba Columellæ R. R. VIII, 2, 7. mea faciam, *quum sint fere molles ac minus vivaces, tum ne fecundæ quidem facile reperiuntur.* Conf. Var. Lect. — *infelicibus ovis,* avis inauspicatæ, (mali ominis) aut cornicis aut bubonis aut potius corvi, ovum per os reddentis, Brit. — 143. *bile,* ut V, 159. — 144. *Confer,* compara tuo damno, quæ alii patiuntur, *latronem,* sicarium, *conductum* mercede ad necem alicui inferendam, et *incendia* excitata *sulfure,* face aliaque materia sulfurata, quæ *dolose* apposita est *januæ,* ut hæc *primos colligat ignes,* et exitus præcludatur iis, qui in domo sunt. Cf. IX, 98.

147 seq. Varia sacrilegii genera venuste adumbrantur, et magna vis inest in epithetis. 148. *adorandæ robiginis,* venerandæ antiquitatis, qua pretium eorum augetur et quasi sanctitas. *Robigo* autem h. l. id. qd. ærugo, æris, non ferri vitium. — 149. *Dona,* ἀναθήματα, (unde et mox *positas*) et quidem non singulorum hominum, sed *populorum* et *antiqui regis.* " Non de Romæ *regibus* hic loquitur, sed de regibus rei publicæ sociis, de Attalo aliisque, vel ducibus Carthaginiensium, Græcorum, Syrorum, Ægyptiorum cet., qui sæpe coronas aliaque dona Jovi Capitolino Romam mittebant;" Ach. et Dusaulx.

[19] Alii eam inde repetunt, quod candida boni, nigra mali ominis sint; alii a gallina alba, ab aquila prætervolante in Liviæ Drusillæ gremium demissa; (v. Suet. Galb. 1. Dio XLVIII. p. 389. Plin. XV, 30. s. 40.) alii vero a Leda, duo ova pariente, e quibus immortales et mortales nati.

Vulgo autem non male suspicantur, tecte h. l. notari Neronem, (quem et incendiarium, et sacrilegum fuisse simulacraque ex auro vel argento fabricata et templis detracta conflavisse, Suet. c. 32. 38. et alii memorant) aut alium satis notum illa ætate. 152. *bracteolas*, tenues auri laminas, æri inductas, *πέταλα*, *de Castoris*, Castoris statua s. imagine, *ducat*, detrahat.

153. *An dubitet*, tam tenues bracteas vel auri quid argentive detrahere, is, qui *solitus* est, (cf. Var. Lect.) *conflare totum Tonantem*, totam Jovis effigiem? 155. *artifices veneni*, qui illud parant. *mercatorem veneni*, non qui vendit, sed emit venenum, ut eo aliquem necet. Sic *emtores provinciarum* dixit Cic. p. red. in Sen. c. 4. — 155. Parricida designatur. Conf. ad simil. loc. VIII, 213. 214. *deducendum in mare corio bovis*, culeo, cui insuitur. — 156. *simia innoxia*, lepide, quæ nihil peccavit et tamen simul pœnam luit.

157 seq. Hæc est minima pars scelerum, *quæ usque a Lucifero, donec lux occidat*, a mane ad vesperam, *audit* ad se delata *custos Urbis*, præfectus Urbi, cui tutela Urbis commissa est,[20] *Gallicus*, Rutilius Gallicus Valens, quem Domitiani temporibus præfectum Urbi fuisse, patet ex Stat. Silv. I, 4. cujus carminis v. 16. est hic: *Quem penes intrepidæ mitis custodia Romæ.*[21] Conf. ad IV, 77. Henninius putabat, ex h. l. constare ætatem, quo Satira nostra sit scripta. Sed v. ad v. 16. 17. — 160. *una domus* scil. Rutilii Gallici, ubi audies, quot Romæ scelera et quam gravia quotidie committantur: nam præfectus Urbi sub Imperatoribus omnem fere jurisdictionem exercebat, quod notissimum ex Tac. Ann. VI, 10 seq. et aliis. *Paucos consume dies* in domo ista, *et te miserum dicere aude*, si potes, h. e. non audebis, si te aliis, qui graviora passi sunt, comparaveris.

162—173. Non magis mirum est, Romæ tot videre sceleratos homines, quam in Alpibus tot strumosos cet. Quis vero mirabitur, quæ sunt vulgaria et naturæ quasi cujusvis loci congruunt? Conf. ad III, 167—196. — Exquisita variarum rerum similitudine ostenditur, quanta sit Romæ morum corruptela. 162. *Æquicolis in Italia et Alpibus in natione Medullorum est genus aquæ, quam qui bibunt, efficiuntur turgidis gutturibus*, Vitruv. VIII, 3. extr. Conf. Plin. XI, 37. s.

[20] ut ap. Sen. Ep. 86. et in Elegia, quæ legitur in Wernsdorf. poet. min. T. III. p. 159. v. 27.

[21] Male vet. Schol. "*Gallicus* nomen præfecti vigilum, qui institutus est, postquam *Galli* Capitolium ceperunt." Quod mireris arrisisse Cujacio in Paratitlis ad Digest. I, 12. et aliis. Præfectus vigilum ab h. l. alienus est.

68. ibique Hard. — 163. Hoc non alibi legere memini. Pomp. Melam consuli jubent intpp. sed vellem ejus locum laudassent, quem nondum reperi. De *Meroe* v. ad VI, 528. *mamillam* feminarum.

164. 165. *Cærula Germani lumina,* cæruleos oculos Germanorum, quales et his et Britannis omnibusque pæne populis septemtr. s. Scythis tribuuntur; quod Aristoteles Probl. XIV, 14. naturæ vitium esse putabat et frigoris effectum, alii vero arti potissimum tribuunt et glasto, quo se colorasse Britannos tradunt Cæsar B. G. V. Plin. XXII, 11. et Solin. c. 35. unde etiam *Brith* et *pictos* Mart. XIV, 99. eos dici putant. Conf. intpp. Tac. Germ. 4. et Mart. XI, 54, 1. Mitscherl. ad Horat. Epod. XVI, 7. et Conring. de habitus corporum Germanic. causis Frft. 1727. p. 81 seq. *stupuit lumina,* v. ad IV, 119. — *Cæsariem flavam,* ξανθήν, (*hochblond, goldgelb*) Germanis Gallisque tribuunt Diodor. V, 28. Herodian. IV, 12. et alii, (unde *auricomus Batavus* Sil. III, 608. et Vandali χρυσοειδεῖς dicuntur Procopio) sed rutilam, rufam, πυῤῥήν, (*feuerfarben*) Tac. in Hist. IV, 61. in Germ. 4. in Agr. 11. Galenus in comm. ad Polybum de victu c. 6. ad Hippocr. de diæta p. 31. ed. Bas. 1538. Sen. de ira III, 26. Liv. XXXVIII, 17. Mart. XIV, 176. et utramque Sil. IV, 200 seq. Rutilum iis crinem non natura tantum, sed ars quoque dabat: nam capillos crebro lavabant rutilabantque lixivio seu sapore Gallico, qui ex sevo s. sebo et cinere factus erat, ut et pulchram ita et terrificam sibi induerent faciem; unde h. l. *madido cirro.* v. Martial. VIII, 33, 20. XIV, 26. et 27. (*spuma Batava* et *caustica*) Plin. XXVIII, 12. s. 51. (ubi v. Hard.) Suet. Cal. 47. Eosdem *vertere capillum croco* dicit Tertull. de cultu II, 6. et aqua calcaria, τιτανου ἀποπλυματι σμωντες τας τριχας συνεχως, Diodor. V, 28. Quæ tantum non omnia jam notavit Lips. ad Tac. Germ. 4. ut et hæc: " Romanæ etiam matronæ veteres amabant colorem flavum rutilumque et summa diligentia capillos cinere rutilabant; posteriores magis avide, quæ capillitium ipsum emebant a Germanis et pro comis suis supponebant. v. Valer. Max. II, 1, 5. Ovid. Am. I, 14, 45. et Tertull. de cultu II, 6." Cf. ad VI, 120. (*nigrum flavo crinem abscondente galero,* quæ verba hinc explicanda videntur) ad V, 115. Conring. l. l. p. 97 seq. Grupen de uxore Theotisca c. 4. p. 140—221. Anton's Gesch. d. Deutschen Nation p. 79 seq. Böttigeri Sabina p. 139. 140. Ab iisdem Germanis matronæ Rom. adsciverunt *cornua,* κέρατα, h. e. capillorum nodos, implicationes, struem et tutulum: (v. ad VI, 502. Salmas. ad Solin.

p. 762. al. 535. Böttiger l. c.) nam *insigne Germanorum obliquare crinem nodoque substringere ; — horrentem quoque capillum retro sequuntur ac sæpe in ipso vertice religant : — in altitudinem quamdam et terrorem adituri bella ornantur*, Tac. Germ. 38. Martial. V, 38. et de Spect. III, 9. Sen. Ep. 24. et de Ira III, 26. Germani longam nutriebant comam eamque non crispabant aut inurebant calamistris, ut Phryges, sed in nodum cogebant, vel, ut poeta noster dicit, *torquebant cornua cirro madido*, madidato, madefacto. *Cirri Germanorum* memorantur etiam Tertull. de virginibus velandis c. 10. et ita dicuntur cincinni, annuli, (*locken*) capilli deflui, dependuli, diffusi, tam in vertice, quam retrosecus collecti, renodati, religati. Conf. Tac. l. l. ibique Gron. *torquentem cæsariem*, cui docte tribuitur, quod proprie ad ipsum spectat Germanum.

167—173. Fabula de parva *Pygmæorum* statura eorumque pugna cum *gruibus*, quæ ingruente hieme in calidiores plagas abeunt, (v. Plin. X, 23.) notissima est et ex etymologia forte efficta, (nam *πυγμὴ* s. *πυγὼν cubitus* dicitur et *πυγὸς brevis*) vel, judice Strab. XVII., inde, quod corpora summo solis et calore et frigore exigua fiunt et contorta: Pygmæos enim Plinius VII, 2. in India, (at IV, 11. in Thracia) Homerus, Mela et Strabo in Æthiopia, alii in Scythia ponunt. v. Kœppen ad Hom. Il. III, 3—7. Hard. ad Plin. ll. ll. et Kœnig ad Claudian. XV, 474 seq. Nota Ach. est: " Forsan hæ fabulæ debentur peregrinatorum quorumdam hyperbolicis, ut sæpe sunt, narrationibus, qui in Scythia, Laponiæ contermina, visis uno vel aliquot ex Laponibus, eos multo breviores, quam re ipsa essent, effinxerunt; inde crescente similibus testimoniis mendacio, ex quatuor pedibus (mensura Laponum) ad duos tantum et minus fuerunt adacti Pygmæi. Similem fabulam narrat Prateus et *le Mercure Galant* m. Apr. 1683." Poeta autem de industria ridicule magis quam vere rem memoravit et satirice auxit, unde etiam v. 169. gruibus *curvos ungues*, hominem rapientes, et v. 173. Pygmæis minorem tribuit staturam, quam Gellius IX, 4. Plinius et alii. *Ad*, adversus, *subitas*, subito advolantes, *Thracum volucres*, grues, quæ hieme ingruente e Thraciæ finibus in Græciam plagasque calidiores migrant, unde *Threiciæ* dicuntur Ovid. Art. III, 182. et *Strymoniæ* Virg. Ge. I, 120. et Æn. X, 265. XI, 580. *nubem*, ingentem gruum multitudinem, ut Gr. *νέφος*. Conf. ad Sil. I, 311. — 172. *Quamquam*, immo quoniam. v. Var. Lect.

174. Schol. " Anthypophora, quasi objectio: Ergo nulla pœna

manet eos, qui pejerant?" Sen. de Ira III, 26. *Quid ergo, inquis, impune illi erit? Puta te velle, tamen non erit. Maxima est enim factæ injuriæ pœna, fecisse: nec quisquam gravius afficitur, quam qui ad supplicium pœnitentiæ traditur;* quæ respondent verbis poetæ inf. v. 192 seq.

175—179. Responsio poetæ: Supplicio scelerati hominis nihil proficis, nec damnum, quod passus es, sarcitur. 178. 179. *sed* vel *minimus sanguis* e *trunco*, truncato, mutilato, *corpore* effluens *dabit* tibi *solatia invidiosa*, quæ tibi invidiam conflent et odium. Præstiterit tamen, verba, *sed corpore trunco — vita jucundius ipsa*, jungere et Calvino tribuere, ut sensus sit: *Sed* vel minimum sanguinem si e truncato scelerati hominis corpore effluere videro, id mihi *dabit solatia invidiosa*, invidenda, amplissima, quæ mihi quis invidere possit; *at vindicta* est *bonum jucundius ipsa vita*. Ita pro *At* suspicari possis *Et:* illud vero convenientius affectui, in quo certe *sed* sæpe repetitur. [22] — 180. Conf. Hom. Il. Σ, 108 seq. Aristot. Rhetor. I, 11. II, 2. Sen. de ira II, 32. Ratio est, quia vindicta agrestis et naturalis quædam justitia est, ut Baco Verulam. Serm. Fidel. IV. subtiliter judicat, Hennin.

181—192. Præclare respondet poeta. *hoc indocti* dicunt sentiuntque. *præcordia flagrantia*, animum æstuantem ira. Sen. de ira II, 19. *Volunt quidam ex nostris* (Stoici) *iram in pectore moveri, effervescente circa cor sanguine. Causa, cur hic potissimum adsignetur iræ locus, non alia est, quam quod in toto corpore calidissimum pectus est. Quibus humidi plus inest, eorum paulatim crescit ira, quia non est paratus illis calor, sed motu acquiritur. Itaque puerorum feminarumque iræ* (conf. inf. v. 191. 192.) *acres magis, quam graves sunt levioresque, dum incipiunt* cet. — 184 seq. Hoc non præcipit philosophia. *Chrysippus* Stoicus. *mite Thaletis ingenium*, Thales mitis ingenii vir. v. ad IV, 39. — 185. *senex vicinus Hymetto*, monti Atticæ, (*dulci*, ob mellis optimi copiam) est Socrates Atheniensis; de cujus patientia ac moderatione iræ v. Sen. de const. sap. c. 18. et de ira I, 15. III, 11. Plat. Apol. Socr. passim. Eadem præclare adumbratur h. l. v. 186. 187. *cicutæ*, v. ad VII, 206. *acceptæ inter vincula*, in ipso carcere, in quo venenum hausit Socrates. *sæva*, ob ejus innocentiam. 187. Tres proprie Socratis fuere accusatores, Anytus, Melitus, Lycon. *nollet*, noluisset, scil. si is ad pœnitentiam versus

[22] v. c. ap. Ovid. Met. V, 17 seq. 507 seq. VI, 612. VII, 718.

simul cum vel pro ipso voluisset mori.[23] *felix Sapientia*, philosophia, quæ felices reddit homines.[24] Egregia h. l. ac vera philosophiæ laus. Conf. ad v. 120 seq. — 188. *exuit vitia*, nos vitiis, vel facit, ut ea exuamus. Conf. Var. Lect. 190. Conf. Sen. de Ira II, 34. qui contra de Clem. I, 5. *magni* dicit *animi esse proprium, placidum esse tranquillumque et injurias atque offensiones superne despicere.*

191. Lepida argumentatio. *Continuo*, sine ulla dubitatione, *sic collige*, judica, scil. infirmi animi esse ultionem, *quod*, quoniam, *vindicta nemo magis gaudet, quam femina*, quam scil. natura finxit imbecilliorem et iræ affectuumque impotentiorem. Conf. ad v. 181.[25]

192—249. Pulcerrima malæ conscientiæ, tamquam gravissimæ scelerum pœnæ maximique cruciatus animi, imago. Conf. I, 166. 167. et sup. ad v. 174. Pers. III, 35 seq. Cic. Mil. 23. Sen. Ep. 43. 97. 105. Plut. de his qui sero a num. pun. Opp. T. II. p. 554—556. et al. *Evasisse* meritas pœnas. — 194. 195. Conscientiæ malæ, animum torquenti et urgenti, ut symbolis ejus, Furiis, quæ Græcis Ἐρινύες et Εὐμενίδες dicuntur, veteres præclare *flagellum* tribuebant et stimulum quoque, v. c. Æschyl. Eumen. 150 seq. Ἐμοὶ δ' ὄνειδος, ἐξ ὀνειράτων μολὸν, Ἔτυψεν, δίκαν διφρηλάτου, Μεσολαβεῖ κέντρῳ, Ὑπὸ φρένας, ὑπὸ λοβόν. Πάρεστι μαστίκτορος Δαΐου δαμίου (vel θυμικοῦ ex emend. Schütz.) Βαρύ τι, περιβαρὺ κρύος ἔχειν. Hinc conscientia *flagellare* et *verberare* dicitur Sen. Ep. 97. et al. Prov. Græc. ἡ συνείδησις τὴν ψυχὴν πλήττει. *surdo verbere*, ut mox *occultum flagellum*. v. ad VII, 71. Conscientia mala etiam *tortor* est et carnifex, qui cædit, torquet, urit, lancinat. *Carnificina est ægritudo*, Cic. Tusc. Qu. III, 13. — 196. seq. Cruciatus animi multo graviores, quam corporis. Conf. Pers. III, 39 seq. et Horat. Epist. I, 2, 58. — 197. *Cœdicium* aulicum Neronis crudelissimum fuisse, notat vetus Schol. Alius, opinor, *Cœdicius* et quidem patronus causarum, non judex, memoratur XVI, 46. *gravis*, severus. De *Rhadamantho*, severissimo judice, v. Diodor. V,

[23] Ex h. l. lepidam effinxit historiam vetus Schol. " Socrates quum argueretur proditionis, receptus est in carcere cum accusatore, qui, cum sibi daretur venenum, accusatori petenti noluit dare."

[24] Male vetus Schol. " Quicumque *felix*, i. e. doctus et sapiens. Potior ergo est Sapientia, quam felicitas. Siquidem illa paulatim amittit, hæc statim purgat."

[25] Vulgo hæc ita interpretantur: inde collige, neminem magis vindicta gaudere, quam feminam. Sed illa sententia, ni fallor, et melior est, et linguæ convenientior.

80. Heyne ad Apollod. II, 4, 11. et in Exc. XI, ad Virg. Æn. VI. — 198. Præclare Ausonius: *Turpe quid ausurus te sine teste time;* et Sen. Ep. XLIII. *Bona conscientia turbam advocat, mala etiam in solitudine anxia atque sollicita est. Si honesta sunt, quæ facis, omnes sciant: si turpia, quid refert neminem scire, quum tu scias? O te miserum, si contemnis hunc testem!*

199—207. Historia nota ex Herodot. VI, 86. sed parum apte intexta h. l. ubi de mala conscientia agitur. *Spartano cuidam,* Glauco Epicydidis filio, qui *dubitaverat* tantum, redderetne Milesio cuidam pecuniam apud se depositam nec ne, et hinc Delphicum consuluerat oraculum. 204. *moribus,* bona animi indole et principiis honestatis vel probitate ductus. 205. *vocem adyti — probavit,* v. Var. Lect. *adyti,* sacri penetralis, vel specus, cui tripus Pythiæ impositus. 207. *longa deductis gente,* ab antiqua gente originem genusque ducentibus. Ad multitudinem potius propinquorum hæc spectare, putat Ach. 208 seq. Sola voluntas *habet crimen facti,* habetur pro facto, et non minus rerum ac pœna dignum facit.[26] — 210. *cedo,* quid autem dices, quantaque eum pœna dignum censebis, *si conata peregit?* v. ad VI, 504.

211 seq. Venusta imago hominis, malæ conscientiæ cruciatus sentientis. " Verbum *anxictas,* ut Gall. *anxiété,* ad pingendos conscientiæ morsus aptissimum est et fere unicum: differt autem ab *angore;*" Ach. 212. Præ continuo animi æstu *fauces* semper *siccæ* sunt et siti uruntur, ut in *morbo* et æstu febrili, et tamen *displicent* ei et insipida sunt *vina,* etiam pretiosissima. *Cibus difficilis,* quem difficulter tantum mandit deglutitque, *inter molares,* maxillares dentes, præ fastidio ipsi faucibus hæret et *crescere* videtur. Sic *in ore crevit cibus* ap. Sen. Ep. 82. *Crescit et invito lentus in ore cibus* ap. Ovid. Ep. Her. XVI, 226. — 213. 214. Conf. Var. Lect. et de *Albano* vino ad V, 33. cujus pretium *senectute* augetur. *Albani senectus,* v. ad IV, 39. — 215. Si vel *melius* vinum *ostendas,* ei dederis. *densissima ruga C. in f.* frons caperatur ob mœrorem et animi æstus, quos patitur; Ach. 216. v. ad IV, 138. — 218. Sen. de tranq. an. c. 2. *Adjice illos, qui non aliter, quam quibus difficilis somnus est, versant se et hoc atque illo modo componunt, donec quietem lassitudine inveniant.* Cf. Hom. Il. XXIV, 5. 10 seq. Catull. L, 10 seq. et Prop. I, 14, 21. —

[26] Conf. Wetsten. ad Matth. V, 8. et 28. Cujac. Obss. VIII, 22. Gothofr. ad l. 18. D. de pœnis, Sen. de Ben. V, 14. et Gell. VII, 3. *Pari sorte sceleris voluntas* l. 1. cod. Theodos. ad leg. Jul. de ambitu.

219. *templum et aras,* ubi pejeravit. Cf. ad v. 223 seq. — 220. *sudoribus* gelidis æstu ac perturbatione animi expressis. Conf. I, 166. 167. — 221. *tua imago sacra,* veneranda, (al. exsecrabilis) religionem horroremque incutiens, *et major humana,* divina, qualis deorum esse solet.[27] Egregie declarantur effectus turbatæ phantasiæ, omnia augentis, maxime in solitudine, nocte et somno.

223—228. Præclare et graphice de homine scelerum sibi conscio, in quo reviviscit sensus religionis, quem frustra opprimere conatur. Conf. v. 219. Sen. Nat. Qu. II, 59. et Suet. Calig. c. 51. Contra Horat. Od. III, 3, 1 seq. *Justum ac tenacem propositi virum* cet. 225. *fortuitus,* casu, ex Epicureorum sententia. Conf. Plin. II, 43. et Sen. Nat. Qu. VI, 3. *ventorum rabie,* ex conflictu ventorum nubiumque. Conf. Sen. Nat. Qu. I, 1 seq. — 226. *Iratus,* ab irato missus Jove, scelera vindicante. Sic *iracunda fulmina* dixit Hor. Od. I, 3, 40. et ζάκοτον ἔγχος Pind. Nem. 5, 90. *judicet,* v. Var. Lect. 227. Si *illa,* prima tempestas, *nihil nocuit* cet. — 228. *hoc sereno,* hoc die, quo mox serenitas rediit.

229. *lateris dolorem,* pleuritida, h. l. pro quovis morbo acuto et *vigili,* h. e. qui nos vigiles facit, vel non dormire patitur. 230. Morbos corporis mortemque præmaturam pœnas esse gravioris sceleris, inpr. perjurii, a diis vindicibus inflictas, vulgaris olim opinio erat. v. Mitscherl. ad Hor. Od. II, 8, 1 seq. — 231. Metu perculsi grandinem et fulmina *putant Deorum* iratorum *saxa et tela* esse. Sed h. l. de morbis potius sermo est, et iterum forte Epicureorum dogmata respiciuntur. Sen. de ben. IV, 19. *Tu,* inquit, *Epicure, Deum inermem facis: omnia illi tela, omnem detraxisti potentiam, et, ne cuiquam metuendus esset, projecisti illum extra motum.* Morbi quoque acutiores sagittis Apollinis et Dianæ immitti credebantur.

232 seq. Ovem non audent pro salute sua vovere Diis, quibus se invisos esse sciunt. 233. *cristam galli promittere Laribus* pro avertendo morbo. Sic Æsculapio gallus immolabatur ab iis, qui convaluerant, unde se huic deo gallum debere dicit Socrates ap. Plat. in Phæd. Wernsdorf in poet. Lat. min. T. I. p. 249. " Ab gallis, inquit, multa remedia morborum petiit vetus superstitio. Exta eorum et fibras, ut opimas victimas, Diis acceptissimas esse tradit Plin. X, 21. et cristam galli contritam efficaciter imponi cani, morso ab alio

[27] v. Lips. ad Tac. Ann. XI, 21. Cerda ad Virg. Æn. II, 773. et Heyne Exc. XIII. ad Virg. Æn. I.

rabioso, Plin. XXIX, 5. s. 32." Cf. sup. XII, 96. Plin. X, 56. s. 77. et Jacobs ad Anthol. Gr. T. II. P. I. p. 122. De *Æsculapio* ejusque historia mythica v. Creuzer's Symbolik T. II. p. 248 seq. 286. 336 seq. III, 248 seq. — 235. Magna cum vi poeta dicit, *hostiam*, et quidem quamcumque ac vel minimam, *vita digniorem* esse scelerato homine, pro cujus salute voveatur.

236—249. Ultimum consolationis momentum. " Hoc potissimum est ad consolationem Calvini; ait enim, malorum variam et mobilem esse naturam, ut ad peccandum constantes sint, moxque peracto scelere sua cognoscant malefacta, sed tamen Natura impellente ad pristina vitia se redire; unde colligit, improbum hominem toties peccaturum, ut aliquando deprehendatur solvatque pœnas;" Britan. Natura autem malorum hominum egregie h. l. ac vere adumbratur. 236. *Hoc habent inter cetera boni mores, placent sibi et permanent: levis est malitia, sæpe mutatur, non in melius, sed in aliud*, Sen. Ep. 47. *natura*, indoles animi, mores, Germ. *character*. *malorum* hominum. 239. 240. Conf. Horat. Epist. I, 10, 24. 25. *Natura* jam facta *fixa*, constans in vitio, *et mutari nescia*, obfirmata consuetudine peccandi, quam sibi contraxit mens ad vitia proclivis eorumque dulcedine jam irretita et in illis abjecto omni pudore confirmata. Conf. ad VII, 50 seq. et Horat. Epist. I, 10, 24. 25. *Ex voluntate perversa facta est libido, et dum servitur libidini, facta est consuetudo, et dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas*, Augustin. Confess. VIII, 5. — 242. *attrita de fronte*, h. e. dura et inverecunda vel pudoris experte. Sic et *perfricare frontem* et *os* dicitur pro, pudorem deponere et expellere vel *ejicere* quasi de fronte attritione ejus. [28]

244. *Dabit vestigia*, pedes, *in laqueos*, quos ei vitia quasi ponunt; metaphora petita a feris avibusque, quæ pedicis et laqueis capiuntur. Alii *laquenm* putant vincula dici et catenas. 245. *uncum* ferreum s. vectem *nigri*, obscuri, tenebrosi, *carceris*, ad quem ibi adstringetur; nisi *uncus* est catena: nam *unci* certe et *hami* dicebantur orbes, quibus catenæ alligantur. v. Heins. ad Ovid. Am. I, 6, 25. Alienus ab h. l. uncus, cujus X, 66. mentio fit, ubi cum *carcere* jungitur. 246. 247. Conf. ad I, 73. — 248. *Nomen* h. l. pro homine, ut ὄνομα. [29] — 249. *surdum*, qui nec preces et vota, nec perjuria audiat. *Tire-*

[28] v. ad II, 8. Cic. Tusc. Qu. III, 18. Martial. XI, 28, 7. Calvus ap. Quintil. IX, 2, 25. et Ernesti clav. Cic. v. *perfricare*.

[29] vide Heyne ad Tibullum III, 4, 61. et Bentleium ad Horatii Od. III, 27, 34.

siam, h. e. cæcum, instar Tiresiæ, ut non videat hominum facinora. Vel tironibus notus est Tiresias, vates Thebanus, ejusque cæcitas, cujus variæ tamen causæ traduntur.[30]

[30] vide Spanhem. ad Callim. H. in Lav. Pall. v. 82. Burm. ad Ovid. Met. III, 322 scq. et Heyne ad Apollod. III, 6, 7.

IN

SATIRAM XIV.

Vs. 1. *Fuscini,* ad quem Satira scripta est, non alibi fit mentio. *fama digna sinistra,* in turpissimis rebus habenda, digna quæ vituperentur. 2. *rebus nitidis,* pulcris præclarisque, *hæsuram,* non facile eluendam, *maculam figentia,* infigentia, inurentia, æternam turpitudinis labem adspergentia. 3. *monstrant* exemplis, et *tradunt* præceptis.

4. 5. Similiter Dryden, qui h. l. expressisse videtur et egregie dixit:

> If gaming does an aged sire entice,
> Then my young master swiftly learns the vice,
> And shakes in hanging sleeves the little box and dice.

Alea damnosa, v. ad I, 89. 90. *heres bullatus,* infans parvulus, qui bullam prætextamque nondum deposuit, vel decimum certe quartum ætatis annum nondum egressus est. Conf. ad V, 164. — 5. *parvo,* ætati infantis apto. *Fritillus* (al. *pyrgus, turricula, orca, pyxis*) pyxis cornea vel vasculum poculo simile, in quo tali et tesseræ, (h. l. *arma,* ludi instrumenta, unde forsan *armiger* dictus sup. I, 92.) concutiuntur et inde per pyrgum s. turriculam, quæ etiam phimus, φιμὸς, et orca vocatur, in alveolum s. forum, tabulam lusoriam s. talariam, conjiciuntur. *movet:* nam tali, fraudis vitandæ causa, mota prius agitataque manu in alveum lusorium jaciebantur; unde Græcis dicuntur διάσειστοι ἀστράγαλοι. [1]

[1] v. Casaub. ad Theophr. Char. V, 4. et intpp. Ovid. Nuc. 87.

6—14. Spes nulla erit, mores filii alios melioresque futuros esse, quam parentis, si hic delicate ac molliter vivet. *Non melius*, quam filius patris ejus, quem alea juvat; vel *non melius de se*, quam de parente suo. 7. *Tubera terræ*, Gall. *des truffes*, *champignons*, Linn. *lycoperdon tuber*, Germ. *trüffeln*, *staubschwämme*. *Tubera terræ* (τύφα in Glossario Philox.) dicuntur ad differentiam tuberum in arboribus crescentium, qui *tuberes Libyci* vocantur ap. Martial. XIII, 42. et 43. forsan Gall. *mousserons* vel *morilles*; H. Vales. *radere*, corticem eorum cultello abradere et tum ea cibo parare.[2] 8. *Boletus* optimum fungi genus, Gall. *champignon poreux*, Germ. *bilz*, *löcherschwamm*. Conf. V, 147. et VI, 621. *eodem jure*, quo parens mergebat. 9. *Ficedula*, motacilla Linn., Gall. *figuier*, *bec-figue*, Germ. *grassmücke*, *feigenesser*, *feigenschnepfe*. v. Hard. ad Plin. X, 29. s. 44. Romanis in deliciis erant *tubera*, (v. V, 116. Martial. XIII, 50. Dioscorid. II, 175. Plut. Symp. Qu. IV, 11.) *boletus*, (v. V, 147. et Suet. Claud. 44.) et *ficedula*. (v. Gell. XV, 8. ibique intpp.) *Mergere*, devorare: nam ficedulæ totæ a gulosis comedi solebant. v. Gell. l. c. *cana gula*, senex gulosus, pater gulæ delicatæ. Conf. ad IV, 39. — 11. Designatur septimus ætatis annus, quo dentes excidunt. 12. *Barbatos magistros*, philosophos, qui barbam alebant; de qua Stoicorum in primis Cynicorumque barba v. Böttigeri Sabina p. 310. 311. 314. *admoveas*, adhibeas ad erudiendam emendandamque mentem, pravo patris luxuriosi exemplo depravatam. 13. *paratu*, apparatu. — 14. Venuste pro, a paterno luxu haud deflectere et quasi degenerare.

15—20. Num clementiam *Rutilus*, pater, mitemque justitiam, quæ placide fert parva delicta, an crudelitatem docet filios, dum in servos propter levia peccata flagris sævit? 16. *nostra materia*, ex eadem, ex qua formata sunt nostra. 16. 17. Conf. ad VI, 222. Sen. Ep. 47. et similia loca Macrob. Sat. I, 11. et Arriani in Epict. Diss. XIII. — 18. *Rutilus* homo forte illius ætatis, nobis ignotus. Britann. putabat, ad Rutilum quemdam respici, qui temporibus poetæ, absumtis per luxum divitiis, ad gladiaturam se contulerit. Alii eumdem XI, 2. memorari suspicantur. 19. Qui Sirenum vocem cantumque non æque suavem et auditu jucundum putat, ac sonum flagellorum. 20. Qui sævissimus in suos tyrannus est. *Lar* domus et qui in ea sunt, h. l. inpr. servi. *Antiphates* Læstrygonum rex, notissimus ex Hom.

[2] v. Heins. ad Ovid. Am. III, 15, 2. et medicam. fac. v. 85. Salmas. Exerc. Plin. p. 708.

Odyss. X, 114 seq. et Ovid. Met. XIV, 233 seq. ut *Polyphemus* Cyclops ex Odyss. I, 68. IX, 182—542. Virg. Æn. III, 618. seq. et Eurip. Cycl. — 21. *Tum felix* sibi videtur, gaudet. — 22. *Ardens ferrum* laminæ ardentes s. candentes, quæstionum cruciatusque instrumenta. v. intpp. Prop. III, 7, 35. et Chariton. Aphrodis. I, 5. pr.[3] *propter lintea,* res viles amissas et desideratas vel dolo subreptas.

23. Quid filium docet pater crudelis, qui delectatur strepitu compedum, quibus servi in ergastulis vinciuntur? — 24. *mire,* mira voluptate. *Ergastula* propr. *carcer rusticus:* nam in villis plerumque et agris erant, et quidem subterranea, angustis illustrata fenestris, in quæ detrudebantur servi, sive fugitivi ac mali, sive captivi, barbari ac viles.[4] Sed h. l. *ergastula* sunt ipsa mancipia, ut alibi *servitia, stabula, naufragia, aucupia* cet. abstr. pro concr. vel *ergastula inscripta* vocantur, in quibus sunt mancipia *inscripta,* h. e. stigmate vel signo fronti inusto notata. Sic *servi inscripti* dicuntur Martial. VIII, 75, 9. et Plin. XVIII, 4. ubi v. intpp. *literati* Plaut. Casin. II, 6, 49. *inusti* Plin. XXII, 3. et *barbarus* (servus fugitivus) *compunctus notis* (στίγμασι) *Threiciis* Cic. Off. II, 7.[5]

25 seq. Conf. VI, 232 seq. 239 seq. ibique not. *exspectas,* sperasne? v. ad VI, 75. — *Largæ* adulteræ eo tempore forsan famosæ. — 27. *contexere,* ordine recensere, *tanto cursu,* tam cito. — 28. ut non ter decies respiret, lepida hyperbole. *conscia matri,* adulteriorum amorumque matris. *ceras,* tabulas ceratas, et quidem h. l. literas amatorias. v. ad VI, 233. — 29. *dictante hac,* matre, ut eas conficere, scribere discat. Conf. VI, 239 seq. — 30. *dat ferre,* ferendas, ut ap. Hom. δῶκε φορῆναι, φέρειν, ἄγειν, vel ὄπασσε κομίζειν. *eisdem,* quibus eas mater ferendas dederat, *cinædis,* turpissimis ministris et internuntiis. Cf. ad IV, 106.

31 seq. Conf. Sen. de ira II, 22. Quintil. Inst. I, 2. et Plut. de puer. inst. — 31. Sic natura comparatum est. 33. *auctoribus magnis,* nam exempla dant parentes, quorum magna est apud liberos auctoritas.

[3] Lipsius Elect. II, 15. existimabat, h. l. candens ferrum designari, quo literæ s. notæ fronti servorum inurebantur, quo etiam referebat verba Nævii ap. Priscian. VII. *signare oportet frontem calida forcipe.* Sed eo poeta potius mox v. 24. respexit.

[4] Conf. VIII, 180. Colum. I, 5. et 8. Lips. Elect. II, 15.

[5] v. ad X, 183. intpp. Claud. XX, 344. Burm. ad Petron. c. 103. p. 480. Lips. Elect. II, 15. Salmas. Exerc. Plin. p. 258. Gesner. ad Colum. X, 125. Schwarz. ad Plin. Pan. 55, 3. Dioscor. parabil. I, 116. IV, 76.

subeunt animos, sensim furtimque iis se insinuant. *Unus et alter juvenes* junge. Perperam Schol. pater et avus. 34. *hæc spernant,* parentum vitia satis habeant perspecta et fugiant. 34. 35. Quibus benigna natura ingenium ad virtutes propensius, quam ad vitia, vel plurimum salis tribuit. *Titan* Prometheus, prudentiæ symbolum, cujus pater Iapetus fuit unus Titanum, ex limo primum hominem formasse fingitur. v. ad IV, 133. et VI, 13. Poeta autem expressit verba Callim. Fragm. 133. εἴ σε Προμηθεὺς Ἔπλασε καὶ πηλοῦ μὴ ’ξ ἑτέρου γέγονας. *meliore luto finxit,* ut contra ap. Claudian. XX, 496. *deteriore luto quos condidit* Prometheus. 36. *fugienda vestigia,* mala exempla, quæ vel inopinantes et inviti sequuntur. 37. *veteris orbita culpæ,* malorum parentum via, h. e. vitæ ratio, vel cursus, vestigium, h. e. exemplum. Sic *neque id ab orbita matrumfamilias instituti* dixit Varro ap. Non. 14. n. 37. — 38. *damnandis,* inhonestis turpibusque factis. *hujus vel una potens ratio est,* ad hoc vel id solum satis grave incitamentum est. *dociles imitandis turpibus,* ut ap. Sil. I, 237. XI, 11. al.

41 seq. Malum hominem patriæque proditorem ubique reperias, sed vix usquam invenietur civis bonus et patriæ defensor, qualis fuit M. Junius Brutus, percussor Cæsaris, ejusque *avunculus,* M. Porcius Cato Uticensis, frater Serviliæ, matris Bruti. Similiter Sen. Ep. 97. dixit: *omne tempus Clodios, non omne Catones feret.* Conf. ad V, 36. 37. *axe,* cœli plaga.

44. *fœdum dictu visuque,* turpe verbum factumque. — 45. Poeta venuste usus est sacrorum formula, *procul, O procul este, profani,* ἐκὰς, ἐκάς ἐστε βέβηλοι. Sancta quasi sunt *limina* illa, h. e. domus, in qua liberi sunt. Conf. v. 68. 69. et h. l. Var. Lect. — *Lenonum puellæ,* prostibula, meretrices, *et cantus,* obscena cantica, quibus convivas oblectant *parasiti, pernoctantes,* qui noctem agunt in aliena domo.

48. Cave credas, filium tuum per ætatem non curare, quæ agas, nec turpitudinem cognoscere. Plutarchus memorat, Catonem a turpibus verbis, præsente filio, ita temperasse, quasi apud Vestales loquutus sit, neque cum eo lavasse umquam. 49. *obstet filius infans,* ejus præsentia, quo minus pecces, ne pravum ei des exemplum.

50—58. Quomodo filium tuum *corripere* audeas et *castigare,* si tibi fuerit simillimus tuoque exemplo peccaverit? *Censoris iru* nota censoria, quæ et ignominia est et pœna. 51. *Quandoque,* aliquando. 52. *morum quoque filius,* qui morum quoque similitudine ostenderit,

se filium tuum esse. *53. tua per vestigia,* tua vestigia premens, tua secutus exempla. *deterius,* quam tu. 54. Hæc εἰρωνικῶς intelligenda. *nimirum,* ut al. *scilicet.* v. ad II, 104. *Clamore,* increpatione. — *55. tabulas* testamenti, scil. ejus exheredandi causa. — *56. Unde tibi* scil. sumes? De qua loquendi forma v. Heins. ad Ovid. Ep. Her. XII, 84. *frontem* sc. gravem, h. e. severitatem gravitatemque. v. ad II, 8. Similiter *quo ore illum* (filium) *objurgabis* dixit Terent. Phorm. V, 10, 53. — *57. cerebro,* sana ratione. *Cerebrum consilii sedes est* et *animæ habitatio est in cerebro, indeque sensus ingeruntur et gubernantur,* Macrob. Sat. VII, 5. et 9. — *58. Cucurbita,* σικύα, (*schröpfkopf*) instrumentum, (vasculum, a cucurbitæ similitudine sic dictum, Gall. *ventouse*) occipitio inciso admotum, quo utuntur chirurgi ad sanguinem e cute eliciendum phrenesinque sanandam. v. Cels. II, 11. VII, 26. et inpr. III, 18. " Potest et intelligi κολοκύνθης, quæ, sumto humore cerebri actionem impediente, curationem affert." Ach. coll. Plin. XX, 3. et Athen. II, 18. *ventosa,* plena aeris. Quoniam concepto *vento* ex flamma stuppæ intus accensæ cuti adhærescit; Brit. — *hoc* δειχτικῶς, tuum. Proprie caput et homo ipse cucurbitam *quærit,* opus habet, desiderat. Venuste autem hoc dictum, ut XIII, 97. *egere Anticyra vel Archigene.*

59—69. Curas, ut domum omni modo nitidam, non ut eam filio castam exhibeas. Seneca Ep. V. *Qui domum,* inquit, *intraverit, nos potius miretur, quam suppellectilem nostram,* et Sallust. orat. I. de rep. ord. *Nam domum aut villam exstruere eamque signis, aulæis aliisque operibus exornare et omnia potius, quam semel visendum efficere, id est, non divitias decori habere, sed ipsum illis flagitio esse.* — *cessabit,* otiosus erit. — 60 seq. Verba domini instantis, vel forte Juvenalis ipsius ad dominum; F. Didot. in ed. Ach. 61. *Aranea arida,* quæ loca arida amat, vel macra, tenuis. 62. *Argentum leve,* vasa argentea et polita nec aspera cælatura, quibus opponuntur *vasa aspera* sculpturis et cælaturis vel signis exstantibus, ἀνάγλυφα.[6] — *63. domini instantis,* urgentis, excitantis servos. 64. *miser trepidas,* misere, h. e. vehementer times. 67. *Scobs* s. *scobis,* qua detergebantur pavimenta, πρίσματα, ramenta serrarum, (quæ tamen a scobe distinguit Colum. IV, 29, 16. ubi v. Schœttg.) Germ. *feilstaub, sägespäne.* Nota Ach. est: " *Scobs* non solum, quod e ligno deteritur, verum etiam quod e ferro deradi-

[6] Conf. ad Sil. II, 432. V, 141. Heyne ad Ovid. Met. XII, 235. et XIII, ad Virg. Æn. V, 267. IX, 263. Heins. 700.

tur. Sententia autem h. l. est: de his adeo sollicitaris, quæ tamen ita facile possunt emendari, ut servus unus singula tergens ac deradens vix inde *scobis,* pulveris, ramentorum, auferat *semodium,* modium dimidium. Alii ita explicant: ergo miser trepidas, ne cet., quum tamen servus unus huic malo facile possit mederi, scil. injecto semodio scobis." 68. *non agitas* mente, non curas. *domum sanctam,* v. Bentl. ad Horat. Od. IV, 4, 25. — 70 seq. Gravissima ac vera sententia. Conf. Var. Lect. 71. *agris* colendis.

74—85. Ipsa quoque animalium exempla docent, mentibus infixa hærere, quæ ab ineunte ætate et a parentibus discuntur. Conf. Horat. Epist. I, 2. extr. Hæc est loci sententia: nec tamen, ut vulgo putant, imitationem malorum morum ciconiæ et vulturis exemplis bonorum aquilæ illustrari crediderim. " *Ciconia* h. l. forte *ibis,* (conf. XV, 3.) sed de vulgaribus quoque ciconiis Juvenalis potuit loqui: ex Plinio enim X, 23. *honos ciconiis exitio serpentium tantus, ut in Thessalia capitale fuerit occidisse; eademque est pœna legibus, quæ in homicidam;*" C. Vales. 76. *sumtis pinnis,* ut passim. v. Heins. ad Ovid. Met. IV, 561. — 77. *crucibus,* quibus non modo servi, sed etiam sicarii et homicidæ affigebantur. v. Lips. de cruce II, 13. — 79. Vultur, ubi adolevit, eodem, cui adsueverat, cibo vescitur. 80. *Vultur facit in arbore nidos,* quod non sine exemplo, etsi rarum est: nam plerumque in excelsissimis rupibus nidificant.[7] 81. *famulæ Jovis* aves, aquilæ, ut ὄρνις Διὸς Κρονίδαο διάκτορος in Antipatri Epigr. XCII. (in Brunck. Anal. T. II. p. 32.) Aquilas fingi armigeros Jovis, fulmina ejus gerentes, ex poetis monimentisque vett. notissimum est. Juvenalis docte loqui vel mythos ita ὡς ἐν παροιδῷ ridere solet. " Varia sunt aquilarum genera, et h. l. sermo est de aquila, quæ Græcis dicitur χρυσάετος et γνήσιος, Lat. *stellaris* vel *Jovis aquila,* Gall. *l'aigle royal;*" Ach. *Generosæ aves* sunt eædem aquilæ; ut alii putant, accipitres, falcones cet. 82. *cubili,* in nido. 85. *rupto ovo,* quum ovo exclusa esset. 86. *Ædificator,* cupidus ædificandi, (*baulustig, ein baugeist*) ut ap. Flor. I, 8, 4. *Ædificator Centronius,* ut Gellius, de quo v. Martial. IX, 47. — 87. *Caieta* promont., urbs et portus in finibus Latii et Campaniæ ad mare Inferum, nunc *Gæta.*[8] Locus amœnissimus et consuetus Romanorum secessus, ut et *Tibur* ac *Præneste,* urbes Latii, non pro-

[7] v. Aristot. H. A. VI, 6. IX, 15. Blumenbachs Handb. d. Naturgesch. p. 184. ed. pr. et Plin. X, 6. ubi Harduinus docet, contrarium affirmare Albert. de anim. L. VI, tr. 1. c. 6. p. 195. Scalig. in Comm. ad Aristot. p. 665. et Aldrov. Ornith. III, 1. p. 245.

[8] v. Heyne Exc. I. ad Virg. Æn.

cul Roma in editis locis sitæ, unde h. l. *summa arce* et *montibus*. v. ad III, 190. et 192. — 89. Magnificentia villarum Rom. vel tironibus nota. v. ad I, 94. *Marmoribus Græcis*, ut ap. Stat. Silv. III, 1, 5. Spartani potissimum marmoris præstantiam laudat Plin. XXXVI, 7. *petitis longe*, procul, ex Ægypto, Armenia, Numidia cet. — 90. *Prænestе* fuit celebre templo Fortunæ, dicato et exstructo ab Augusto, ubi oracula et sortes Prænestinæ edebantur, unde Fortuna etiam dicebatur *Dea Prænestina*;[9] *Tibure* autem Herculis fuit ædes, τὸ Ἡρά-κλειον, condita a Martio Philippo, vitrico Augusti; unde *Tibur Herculeum*. (v. Strab. V. p. 164. et Prop. II, 32, 5. IV, 7, 82.) Sed poeta forte ad templa Romæ condita respexit, ut vs. seq. — 91. *Posides* Claudii Cæsaris libertus et *spado*, (Suet. Claud. 28.) a quo maximis sumtibus exstructæ *Posidianæ aquæ*, thermæ magnificæ in litore Baiano. v. Plin. XXXI, 2. *vincebat*, exstruxit ædes, villas et thermas, quæ magnitudine et magnificentia Capitolium vincebant s. superabant. *Capitolia*, plur. pro sing. ut X, 65. Romæ quoque et vetus, et novum fuit, illud octava, hoc sexta in regione. *Capitolia nostra*, Romana, majora et præstantiora aliis: nam Capitolia etiam fuere Capuæ, Pompeiis, Beneventi aliisque in oppidis Italiæ; arces ac templa magnifica, primoribus Diis dicata Capitolioque Rom. similia. v. ad Sil. XI, 265. Cum delectu itaque poeta dixit *Capitolia*, templum magnificentissimum, et, ut rem augeret, *nostra*. 92. *sic habitat*, tam splendidas exstruxit ædes, in quibus habitet. 92. *Fregit*, imminuit. 94. *turbavit*, absumsit. v. ad VII, 129.

96—106. Ritus etiam, quamvis ineptos et superstitiosos, liberi discunt a parentibus, v. c. Judæos, qui h. l. ridentur, ut III, 14 seq. VI, 159. 160. et 542 seq. Nota Ach. est: "Parum apte hoc exemplum sumitur: nam de bonis moribus hac satira agitur, qui in quacumque religione et in omni ritu possunt vigere et in honore versari." Acerba tamen judicia de Judæis, ut in Sat. XV. de Ægyptiis eorumque religione, condonanda homini, patriis ritibus et religioni avitæ addicto, et poetæ satirico, commodam ridendi occasionem amplectenti. Res etiam Judaicæ per excidium Hierosolymitanum multis quidem innotuere Romanis, sed ita, ut vera mixta essent falsis. *metuentem*, religiose colentem et observantem, *sabbata*, h. e. Judæum, qui religioni sibi ducit, die sabbati consueta vitæ negotia peragere.

VII, 2. et Strab. VI. p. 330. ubi et nominis origo traditur, ad quam nonnulli verba *curvo litore* referunt.

[9] v. Ovid. Fast. VI, 62. Strab. V. p. 165. Liv. XLII, 1. Suet. Tib. 63. Prop. II, 32, 3. et loc. class. Cic. de Div. II, 41.

Sed propter simil. loc. Pers. V, 184. (*Labra moves tacitus recutitaque*, a circumcisis celebrata, *sabbata palles*) suspicor potius, poetam respexisse ad tristitiam et jejunia, quæ sabbatis a Judæis exerceri putabant Romani. Conf. Casaub. ad Pers. l. l. qui existimabat, hoc non ita esse intelligendum, quasi omnia Judæorum sabbata sint tristia, sed tantum superstitiosorum. Romani tamen illud sibi persuasisse videntur. v. Suet. Aug. 76. Petron. XXXV, 6. et Justin. XXXVI, 2. An *sabbata* dicuntur dies festi et feriæ esuriales Judæorum? Conf. ad VI. 159. — 97. Quum Judæi sub cœlo, (vel potius sub dio; nam templo non erat culmen; Ach.) et illud suspicientes precarentur, Romani putabant, ipsum ab iis *cœlum adorari:* unde Petronius etiam p. 683. ed. Burm. per jocum dixit, illos *cœli summas advocare auriculas*, et Tac. Hist. V, 5. (ubi v. Lips.) *Judæi mente sola unumque numen intelligunt — summum illud et æternum, neque mutabile, neque interiturum: igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt.* v. ad VI, 545. " Poeta forsan alludit ad ea, quæ Exod. XIII, 21. leguntur de columna *nubis:* simili vero ratione Socratem velut nubes adorantem sugillabat Aristophanes;" Ach. *Cœli numen*, cœlum, tamquam numen. Cf. Var. Lect. — 98. 99. Poeta salse dicit, Judæos, *carne suilla abstinentes*, eam non magis violandam censuisse, quam humanam, nec minoris æstimasse sues, quam homines. Causas hujus ritus afferunt Tac. Hist. V, 4. et meliores Michaelis Jur. Mos. § 203. Conf. sup. ad VI, 159. — 99. *præputia ponunt:* nam *circumcidere genitalia instituere, ut diversitate noscantur*, Tac. Hist. V, 5. — 100 seq. Tac. Hist. V, 4. pr. *Moses*, inquit, *quo sibi in posterum gentem firmaret, novos ritus contrariosque ceteris mortalibus indidit: profana illic omnia, quæ apud nos sacra; rursum concessa apud illos, quæ nobis incesta.* Et cap. 5. *Nec quidquam prius imbuuntur, quam contemnere deos, exuere patriam, parentes, liberos, fratres, vilia habere.* Cf. Plin. XIII, 4. — 101. *metuunt*, religiose observant, (ut forte v. 96.) inpr. ob metum pœnarum. 102 seq. Conf. Var. Lect. — 103. 104. Judæi non nisi Judæis ulla præstant officia; *non monstrare* solent vel monstrant *vias* errantibus (conf. Cic. Off. I, 16. et Diphilus ap. Athen. VI, 9. seu 35.) vel *fontes* aquarum (quarum penuria laborat Judæa) sitientibus, *nisi eadem sacra colentibus*, eamdem profitentibus religionem, et *verpis*, h. e. Judæis; qui *verpi* dicuntur a *verpa*, verendis, ut *recutiti*, circumcisi. (v. Scalig. de causis ling. Lat. I, 28.) Tacitus Hist. V, 5. *Judæorum*, inquit, *misericordia in promtu, sed adversus omnes alios hostile odium: separati epulis, discreti cubilibus* cet. Conf.

Wetsten. ad Matth. V, 43.[10] — 105. 106. Causa hujus et superstitionis et inhumanitatis est pater, qui quovis sabbato otium agit nec ulla vitæ negotia curat. Ineptas hujus moris causas tradit Tacit. Hist. V, 4. veras autem Michaelis Jur. Mos. § 159. 194—196. et 249. Conf. et Dio XXXVII, 17. *Ignava septima lux*, ut *frigida sabbata* et *septima quæque dies turpi damnata veterno* ap. Rutil. I, 389 seq. et σάββατα ψυχρὰ in Meleagri carm. 83. (in Brunck. Anal. T. I. p. 24.) nam τὸ ψυχρὸν, ut Lat. *frigere*, de otio et ignavia dicitur. — *partem vitæ non attigit ullam*, nulla vitæ negotia curat, nisi verbum *attigit* expresse pingit diligentiam, quam Judæi in observandis sabbatis adhibebant, abstinentes ab omnium rerum contactu et tractatione; Ach. Idem recte subjungit: si tamen ea mens poetæ fuit.

107. *cetera* vitia parentum. 108. *Inviti:* nam *imberbis juvenis Utilium tardus provisor, prodigus æris* — at senex *Quærit et inventis miser abstinet ac timet uti*, Horat. A. P. v. 164. et 170. Conf. idem Sat. I, 2, 16 seq. et Pers. VI, 22 seq. — 109. 110. Hoc *vitium*, avaritia, non nisi *specie et umbra virtutis*, scil. frugalitatis et parsimoniæ, *fallit* et fallere potest homines et præcipue juvenilem mentem, quum externa ejus forma tristissima sit et deterreat magis, quam alliciat. Cf. Horat. A. P. 25. Ovid. Rem. Am. v. 323. 324. Sen. Ep. 45. — 110. Venusta avari imago.

111 seq. Quæ quum ita sint, parentes, ut filios fallant, avaritiæ speciosum frugalitatis nomen tribuunt et vitium tamquam virtutem commendant. Conf. Horat. Sat. I, 3, 49 seq. — 114. De *Hesperidum* hortis ac pomis eorumque custode, dracone, Typhonis et Echidnæ vel Terræ filio, v. Heyne ad Apollod. II, 5, 11. et ad Virg. Æn. IV, 483 seq. De *Ponticо* s. Colchico dracone, qui ejusdem erat stirpis et aureum vellus in Ponto apud Colchos servabat, v. Schol. ad Apollon. II, 1213 seq. Diodor. IV, 49. Ovid. Met. VII, 149 seq. — 116. *fabris*, artificibus. 117. 118. Opes crescunt quocumque modo, per fas atque nefas, flagranti cupiditate et studio. Id poeta egregie expressit metaphora, a fabrili arte desumta et h. l. aptissima, men-

[10] Perperam nonnulli huc referunt fabulosam Taciti Hist. V, 3. narrationem de *fonte* aquarum, ope asinorum a Judæis invento, in cujus originem inquisivere viri docti, quos ibi laudavit Ernesti. Pessime autem Grangæus h. l. ita interpretabatur: *Moses tradidit* jussitque, neminem nisi Judæum ad *vias*, mysteria religionis, admittere, et *fontem*, h. e. eam doctrinam, *quærentes* excludere, nisi eamdem legem colant. Nec melius Schol. vetus: *non monstrare vias*, non confiteri religionis secreta, nec *deducere ad fontem*, ubi baptisantur. Utramque tamen interpretandi rationem cum dictis figurisque bibliorum sacrorum, quorum notionem aliquam habere potuerit Juvenalis, concordare monet Ach.

tione *fabrorum* modo facta, quæ eodem spectat. 120. *Exempla beati pauperis* et vetus et recentior historia suppeditabit: (præter illud Aglai Arcadis, a Schol. memoratum, de quo v. Plin. VII, 46.) avarus autem non nisi divites putat esse felices. *Paupertas* etiam sæpissime non egestas est, sed fortuna mediocris, quæ nec lauta, nec tenuissima et despecta est, vita simplex et paucis contenta, quæ plerumque felicior est, quam quæstuosa, cui opponitur. *Paupertas est, non quæ pauca possidet, sed quæ multa non possidet,* Sen. Ep. 87. — 122. *illam viam* avarorum. *eidem incumbere sectæ,* eamdem *viam,* h. e. vitæ rationem, idem vitæ institutum persequi. *Secta* via et methodus, ut *viam et sectam aut rationem vitæ sequi* ap. Cic. N. D. II, 22. et pro Cœl. c. 17. Bahrdt de secta philosophica accipit, quum pecunia sit optima philosophia sitque intelligentia.

124. *minimas sordes,* avaritiæ principia et elementa. His *protenus,* statim ab initio, teneras puerorum *imbuunt* mentes, non extremis sordibus: sensim iis sensimque avaritiam insinuant, ab qua abhorrent. [11] — 126. Ab hoc versu usque ad 140. referuntur *minimæ sordes,* a v. 141. usque ad finem recenset infamiam et crimina, quorum avaritia semper origo atque causa fuit; Ach. 126. Sic φειδωνίῳ μέτρῳ τὸν πύνδακα ἐγκεκρουσμένῳ μετρεῖν αὐτὸς τοῖς ἔνδον τὰ ἐπιστήδεια, σφόδρα ἀποψῶν, Theophr. Char. XI. extr. ubi conf. Casaub. *castigat ventres,* edendi cupiditatem famemque coercet. *modio iniquo,* injusta ac nimis parva demensi mensura. 127. *Neque sustinet,* ne a se quidem animoque suo avaro impetrare potest umquam, ut omnia, quæ in alium diem servavit et seposuit, *mucidi panis frusta consumat.* Conf. ad XV, 88. et Horat. Sat. II, 2, 57 seq. *cærulei,* nigri. *mucida,* quæ diutino situ mucorem contraxere. 129. *Hesternum minutal,* ut θοίνην ἑῶλον ap. Athen. VII, 2. ubi Schweigh. hæc adnotavit: Cibos ἑώλους i. e. *hesternos* vel *pridianos* dixisse Græcos pro *rancidis* aut *putidis* eamdemque inde notionem ejusdem vocabuli ad alias quoque res putidas aut vetustate obsoletas fuisse translatam, pervulgatum est. *Minutal* condimentum vel cibus, edulia et opsonia ex variis rebus *minutatim* et tessellatim concisis, (ap. Isidor. ex pisce, oleo, ficis et oleribus) unde *varium* dicitur Martiali XI, 32, 11. Conf. Apic. IV, 3. qui minutal marinum, Tarentinum, Apicianum, Matianum, dulce,

[11] Casaub. ad Theophr. Char. X. pr. *minimas sordes* putabat esse μικρολογίαν, quam *sordem infimam* dixerit Apuleius, quodque parcissimi hominis vitium multis quidem nominibus a Græcis exprimatur, at vix ullo a Romanis. Sed hæc notio a toto h. l. aliena est, quod inpr. ex v. 125. intelligitur.

ex præcoci, leporinum, ex jecinoribus pulmonibusque leporis et ex rosis s. rosatum memorat, et in singulis minutalibus porrum capitatum aut porrum simpliciter (i. e. sectivum, ut h. l. vs. 133. fila *sectivi porri* et ap. Apic. VIII, 8. *capillus porri*) minutatim vult concidi. *solitus servare*, conf. Martial. I, 104, 7. — 130. *Septembri* mense, in quo Romæ flagrantissimus pestilensque æstus sævit, adeoque opsonia citius corrumpuntur. Conf. Horat. Epist. I, 16, 16. et sup. ad IV, 59. — 131. *differre in tempora* cet. conf. Aur. Victor. Epit. XXIV. Fabam coctam in alium diem servat cum *lacerto*, sardina, genere piscis salsi; vet. Schol. *Conchis* et *lacertus* vilissimi cibi. *Conchis* faba cum cortice elixa, non *faba fressa*, quæ sine cortice coquitur, *æstiva* et propterea durior, quam quæ primo veris tempore; Grang. v. ad III, 293. Alii *æstivam* dici putant, quoniam opsonia facile æstivo tempore putrescunt. *Lacertus* vile piscis genus, Ital. *lacerto*, Gall. *maquereau* aut *maquerelle*. *Lacerti tenuis* meminit Martial. XI, 28, 3. 53, 7. XII, 19. eumque cum *conche* etiam junxit VII, 77. Cf. Heins. ad Ovid. Fast. II, 578. *Signatam*, obsignatam, sc. annulo signatorio, (siegelring) quo olim materfamilias, non, ut apud nos, claustris clavibusque, omnia obsignare et sic *includere*, claudere et custodire, solebat, ut furta, inpr. servorum, prohiberet. [12] Jam patet, quam venuste etiam his verbis adumbrentur sordes hominis. Ipse paterfamilias obsignat, et quidem omnes, etiam levissimas, res, ut alius, ei similis, ap. Theophr. *περὶ βδελυρίας* Char. XI. extr. *τὰ δὲ καταλειπόμενα ἀπὸ τῆς τραπέζης ἡμίση τῶν ῥαφανίδων ἀπογράφεσθαι, ἵνα οἱ διακονοῦντες παῖδες μὴ λάβωσιν*, et ap. Lucianum, in verbis, a Casaubono ad Theophr. l. l. adscriptis, sordidus homo e cœna domum reversus, *ἀριθμῷ παραλαβὼν τὰ κρέα, ὁπόσα τῷ παιδὶ κατόπιν ἐστῶτι παραδεδώκει, καὶ ἐπισημηνάμενος ἐπιμελῶς τὸ ἀπ' ἐκείνου καθεύδει*. *Silurus*, vilis piscis, potissimum Nili. Conf. Plin. IX, 15. ubi Harduin. suspicabatur, hunc piscem, quem vulgo sturionem esse putant, Pannoniis, Danubii accolis, nunc *Arcia* s. *Hacchia* et propter latum os vernacula voce *voratricem hominum* dici, ejusque imaginem, sub glanidis nomine, exhiberi ab Aldrovando de pisc. V. p. 569. Nostro tamen loco non ingens, sed parvus potius innui videtur. Conf. Bocharti hieroz. II, 5, 14. Athen. VII, 9. (27.) p. 287. et sup. ad IV, 33. *putri siluro*, quem-

[12] v. ad I, 68. Plin. XXXIII, 1. Cic. ad Div. XVI, 26. Plaut. Pers. II, 3, 15. Torrent. ad Horat. Epist. II, 2, 134. Lips. ad Tac. Ann. II. Kœnig ad Pers. VI, 17. Scriver. ad Smetii Antiq. Neom. pag. 25. Abram. ad Cic. Phil. II, 28. et Böttigeri Sabina p. 402. 403.

admodum σαπρὸν σίλουρον dixere Sopater et Diodorus ap. Athen. VI, 4. (18.) p. 230. et VI, 9. (36.) p. 239. — 133. *Porrum* est vel capitatum, (κεφαλωτὸν πράσον, quod in caput nutritur) vel sectile s. sectivum et sectum, Gall. *de la ciboule*, Germ. *schnittlauch;* unde *utrumque porrum* dixit Mart. III, 47, 8. Conf. III, 293. Colum. XI, 3, 30 seq. Plin. XIX, 6. s. 33. Martial. X, 48, 9. *numerata,* ut nemo servorum ne unum quidem auferre possit. Singulis fere verbis vivida avaritiæ imago adumbratur et cernenda quasi objicitur oculis. Theophr. Char. XI. extr. τὰ δὲ καταλειπόμενα ἀπὸ τῆς τραπέζης ἡμίση τῶν ῥαφανίδων ἀπογράφεσθαι, ἵνα οἱ διακονοῦντες παῖδες μὴ λάβωσιν. Conf. ibi Casaub. — 134. *Aliquis de ponte,* mendicus, qui in pontibus stipem colligere solet. Conf. IV, 116. V, 8. Sen. de vita beata c. 25. Martial. X, 5, 3. Ovid. in Ibin v. 418. *negabit,* se esurum, recusabit venire, *ad hæc* fercula, edulia *invitatus.*

135 seq. Conf. Horat. Sat. I, 1, 70 seq. et II, 3, 82 seq. 109 seq. *quo* fine, quem in finem *divitias* scil. habes s. possides? Sic Cicero in Verr. II, 2, 55. dixit, *quo tantam pecuniam?* et Horat. Epist. I, 5, 12. *Quo mihi fortunam, si non conceditur uti?* — *tormenta,* animi curas et sollicitudines. *coactas,* congestas, collectas. — 136. 137. Cf. Horat. Sat. I, 1, 70. et II, 3, 82. 83. — 138. v. inf. ad v. 325.

139. Cf. Sen. de Ben. c. 27. et Epist. 94. 119. Ovid. Fast. I, 211 seq. Horat. Od. II, 2, 13 seq. III, 16, 17. 18. et ad hh. ll. Mitscherl. — 140. *paratur,* et mox v. 143. *mercaris,* forte actus pro conatu. 142 seq. Cf. Horat. Od. II, 18, 23 seq. et Sat. I, 1, 110. II, 6, 8. 9. Ovid. A. A. I, 349. — 144. *canet,* albescit, *oliva,* floribus olivarum, exquisite pro, iis consitus est.

145 seq. Si agri dominus pretio induci non potest, ut eum vendat, fraude et injuria cogetur. Sen. Ep. 90. *Licet agros agris adjiciat, vicinum vel pretio pellat æris, vel injuria.* 145. Magna vis est epithetorum, *macri, lassi* (nimio labore) et hinc *famelici boves.* 148. *Novale* sc. solum, quod alternis annis seritur; (v. Plin. XVIII, 19. et Virg. Ge. I, 71. ibique Heyne) sed h. l. quivis ager, ut ap. Virg. Ecl. I, 71. *In ventres sævos,* ingentes, (v. ad Sil. I, 2. et Heyne ad Virg. Æn. I, 14. 99.) vel potius, quos fames urget et exasperat. Similiter *iratum ventrem* dixit Horat. Sat. II, 8, 5. et *rabiem edendi* Virg. Æn. IX, 63. — *actum,* id factum, vel omnia ablata esse. — 151. Ex h. l. suspicari possis, minimam vel potius nullam fuisse civilem disciplinam agrorum respectu: nam in urbibus *politiam* viguisse quamdam sub prætoribus et ædilibus minime dubium est; Ach. Conf. Hesiod. Ἔργ. 346 seq.

— 152. Quam mala est fama avari ejusdemque potentis? Objectio poetæ, cui avarus v. seq. respondet. Conf. Horat. Sat. II, 2, 94 seq. Egregie *buccina* tribuitur Famæ, quæ omnia quasi debuccinat, h. e. divulgat, *ausposaunt.*

153—155. Conf. I, 48. XIII, 92 seq. Horat. Sat. I, 1, 66 seq. Sen Ep. 115. et Pompon. ap. Non. I. n. 64. *tunicam lupini,* folliculum fabæ; (v. Plin. XVIII, 14. et Athen. II, 14.) h. l. pro re vilissima. (Conf. ad V, 157 seq.) — 156—160. Verba poetæ, quibus amara continetur irrisio. Conf. Horat. Sat. I, 1, 80 seq. et Epist. I, 2, 47 seq. *Scilicet,* v. ad II, 104.

161 seq. Egregia priscæ simplicitatis frugalitatisque imago. v. ad XI, 77 seq. et conf. Var. Lect. *Mox,* paulo post Titi Tatii regnum. *fractis,* debilitatis, *ætate,* veteranis. 162. *immanem,* regem belli peritissimum et bis victorem. *gladios Molossos,* Epiroticos, bella cum Pyrrho, Epiri rege, gesta. *Molossi,* incolæ Epiri. Conf. XII, 108. — 163 seq. *Jugera bina* agri ex hostibus capti viritim plerumque dividebantur colonis eo missis. Conf. Liv. VI, 16. inpr. 36. extr. *Bina jugera a Romulo primum divisa viritim,* Varr. R. R. I, 10. ubi v. Ursin. *Bina tunc jugera populo Rom. satis erant, nullique majorem modum attribuit* Romulus: *quo servos paulo ante principis Neronis, contemtis hujus spatii viridariis, piscinas juvat habere majores; gratumque, si non aliquem et culinas,* Plin. XVIII, 2. *Centuriis vocabulum datum ex eo est, quum antiqui Romani agrum ex hoste captum victori populo per bina jugera partiti sunt, centenis hominibus ducenta jugera dederunt, et ex hoc facto centuria juste appellata est,* Sicul. Flacc. de cond. agr. lib. I. [13] — 166. *Curta,* manca, *fides patriæ nullis visa,* nemini ingrata nimisque parca videbatur patria, quæ hanc mercedem tantis constituebat meritis. [14]

166 seq. Talis agellus alebat patremfamilias et qui in ejus *casa* erant. — Romanorum ædes priscis temporibus non nisi casæ erant. 169. *Vernula,* servæ filius domi natus, *unus.* Temporibus contra poetæ unus dominus magnam servorum familiam alebat. *tres domini,* filiifamilias, domini s. heri minores vel olim futuri, (Germ. *junge herren*) ut ap. Plaut. Capt. prol. v. 18. [15] — 170. *A scrobe,* a fo-

[13] Conf. Colum. V, 1, 7. Non. et Fest. v. *heredium,* Scalig. ad Prop. IV, 11.

[14] De voc. *curta* v. ad VI, 449. et Heins. ad Ovid. Fast. II, 408.

[15] *Filiusfamilias appellatur sicut paterfamilias, sola nota hac adjecta, per quam distinguitur genitor ab eo, qui genitus: itaque post mortem patris non hereditatem percipere videntur, sed magis liberam bonorum administrationem consequuntur: hac ex causa licet non heredes sint, domini*

diendo, plantis vitibusque defodiendis, *vel sulco*, arando agro. *Amplior cœna et grandes ollæ*, quia parantur et apponuntur *fratribus magnis*, adultis et a rustico opere famem integram afferentibus, quodque hi pulte tantum vescuntur. *Juventutem grandi pastam polenta* similiter dixit Pers. III, 55. ubi tamen Casaub. monet, *grandes* vocari *ollas* et *polentam*, quia multo pane vescantur, quibus solus panis sit cibus, et hac voce commendari εὐεξίαν modice viventium: signum enim esse valetudinis bonæ, grandem panis quadram posse comedere, idque non facere delicatulos cum omnibus suis condimentis et gulæ scitamentis. *Altera cœna*, nam prior eaque exigua parvulis fuerat parata. *Puls*, quæ ex farina, fabis aut hordeo parabatur, far tusum et aqua maceratum, cibus priscorum Italorum, (qui eo trecentis annis ante panis usum vescebantur) ut polenta Græcorum: nam illi farre, hi hordeo victitabant. Usus antiqui hujus cibi mansit in sacris. Cf. XVI, 39. et ad III, 187. Plin. XVIII, 8—10. Varr. L. L. IV, 22. Val. Max. II, 5, 5. Heyne Opusc. Acad. T. I. p. 372. — 172. Nunc horti ampliores sunt, quam olim agri. Conf. loc. Plinii ad v. 163. adscriptus. 173 seq. Conf. Virg. Æn. III, 56 seq. et Claudian. XXII, 111 seq. — 176. v. Var. Lect.

177. 178. Conf. Prop. III, 13, 48 seq. et Horat. Od. III, 24, 34 seq. ibique Mitscherl. *properantis*, qui cito vult dives fieri. — 179 seq. Inducitur sermo Marsi senis et Vestini Hernicique cum *pueris*, h. e. filiis suis; et priscorum Italiæ incolarum frugalitas præ luxu hominum, his temporibus viventium, laudatur. Cum delectu autem memorantur *Marsi*, *Hernici* et *Vestini*, gentes laboribus bellisque asperæ, et morum simplicitate ac probitate conspicuæ. Conf. ad III, 169. VI, 164. et Heyne ad Virg. Ge. II, 167 seq. — 182. *Qui satis est mensis*, qui victui tolerando sufficit. Conf. Horat. Sat. II, 2, 17. 18. Sen. Ep. 20. et 25. — 183. 184. Conf. VI, 10 seq. Virg. Ge. I, 7. 8. et Ovid. Fast. I, 675 seq. 185. *Nil vetitum*, nihil, quod nefas est, *fecisse volet*, faciet vel facere cupiet et solet, *quem non pudet, alto per glaciem perone tegi* cet. h. e. homo frugalis, qui in vestitu non ornatus et nitoris, sed usus, quem præstat, rationem habet, quemque non pudet, vili habitu crassoque panno uti, quo frigus arceat. *Pero* corium crudum.[16] *Pedes perone setoso talos adusque vinciebantur, ge-*

sunt, Paul. lib. 2. ad Sabin. et L. II. ss. de lib. et posth.

[16] Gloss. *calceamentum pilosum*, (*rusticum* ap. Isidor. Orig. XIX, 34.) cujus erat usus tempore hiberno. Conf. intpp. Pers. V, 102. Serv. et Cerda ad Virg. Æn. VII, 690.

nua, crura suræque sine tegmine, Sidon. Apollin. Epist. lib. IV. *submovet Euros,* vim ventorum aerisque injuriam arcet. *Pellibus inversis,* quæ introrsum pilos habent. 187. 188. Conf. Prop. III, 13, (al. 11.) 1 seq. et Tibull. II, 4, 27 seq. *purpura,* luxus. *quæcumque est:* nam *nobis ignota* est et de ea non nisi fando audivimus.

190. Sub *finem auctumni* antelucanam lucubrationem incipiebant Romani; Grang. *media de nocte,* cf. ad Liv. IX, 44, 5. *supinum* in lecto, dormientem, pigrum. 191. *ceras,* tabulas ceratas. 192. *rubras leges:* nam veteres Romani legum reliquorumque librorum principia ac titulos rubrica, *μίλτῳ,* minio, vel *κηρῷ μεμιλτωμένῳ,* cera miniata, notabant et pingebant. Nota Ach. est: " Qui mos etiam usque ad initium typographiæ stetit, ut videre est in vett. MSS. et princ. editt., quorum tituli et majusculæ literæ minio, cerussa aliove colore, sed præcipue *rubro,* cum figuris auro depictis scripti fuerunt. In libris autem *legum* textus legis erat rubro colore exaratus, commentarius et glossæ nigro. Hinc h. l. *leges rubræ,* et plerumque *rubrica* pro legibus ipsis." [17] — 193. *libello* supplice, non, ut olim, per et propter virtutem. Honores militares, inpr. ordines, ab Imperatoribus *peti* et per gratiam dari solebant: unde Vegetius II, 3. queritur, *Legionum robur infractum, quum præmia virtutis occuparet ambitio et per gratiam promoverentur milites, qui consueverant per virtutem.* Cf. Lips. de mil. Rom. II, 8. *posce vitem,* pete centurionatum. *Vitis* insigne centurionis, qui milites ea castigabat. [18] — 194. 195. Exhibe vero te incultum vel negligentem circa cultum corporis ac pilosum, ut strenuus idoneusque militiæ videaris. Theophr. Char. XIX. *περὶ δυσχερείας* § 2. *τὰς μασχάλας θηριώδεις καὶ δασείας* (h. l. *alas grandes*) *ἔχειν ἄχρις ἐπὶ πολὺ τῶν πλευρῶν,* ubi Casaub. " Multi, inquit, Athenienses, quo magis viri fortes viderentur et ab omni mollitie alieni, studuerunt hirsuti esse sub axillis. Nam quum in concionem venerant, in suffragiis ferendis partem illam denudabant, ut posset ab omnibus, postquam manum vel brachium sustulerant, conspici cet." Conf. sup. ad II, 11. 12. et Pers. III, 77. ubi idem Casaub. monet, notari illuviem et *δυσχέρειαν* eorum, qui centurionatum, tribunatum cet. ambiebant et

[17] v. Casaub. ad Pers. V, 90. Quintil. XII, 3. extr. intpp. Ovid. Trist. I, 1, 7. et Petron. 46. Schwarz. de ornam. lib. et Funec. de script. vett.

[18] v. ad VIII, 247. et ad Sil. VI, 43. XII, 395. 465. Plin. XIV, 1. Tac. Ann. I, 23. Lips. Mil. Rom. V, 18. Casaub. ad Spartian. Hadr. 10. Rader. ad Martial. X, 26, 1.

cultus neglectu externoque habitu gloriam virorum atque militarium affectabant. *buxo,* pectine buxeo, ut ap. Ovid. Fast. VI, 229. et Martial. XIV, 25, 2. *nares pilosas:* nam molles et delicatuli pilos narium evellebant, ut et alas. Conf. Ovid. A. A. I, 520. — 195. *alas grandes,* axillas grandibus pilis hirsutas, quod virilitatis indicium est; Brit. *Lælius* pro quovis imperatore. 196. *attegias,* casas vel mapalia, (rectius magaria) quæ sunt tuguria Nomadum plaustris imposita. De mapalibus *Maurorum* v. Sil. II, 437—448. et XVII, 88 seq.[19] Vulgo putant, hoc vocab. esse Punicum s. Mauritanum, et synon. *castella.* Sed *attegias* ab *attegendo* dici, ut καλυβας απο του καλυπτειν, contendebant Salmas. Exerc. Plin. p. 311. Bochart. Phaleg. II, 9. et alii. *Brigantes* populus Britanniæ[20] numerosissimus, cujus caput fuit Eboracum (hod. *York*) et regina olim clarissima Cartismandua. v. Tac. in Hist. III, 45. in Ann. XII, 32. 36. et Agric. c. 17. — 197. *aquilam,* primipilatum: nam aquila aurea, legionis signum, erat in custodia centurionis primi pili.[21] *locupletem:* nam hujus centurionis dignitas admodum erat quæstuosa.[22] *sexagesimus annus,* quia gradatim, per decem cohortes, ad primi pili dignitatem adscendebatur. Cf. Plin. XIV, 1. " Hyperbolice hæc et ad notandam præmiorum tarditatem: nam post quinquagesimum annum nemo arma ferre cogebatur;" Ach.

199 seq. Si non sine timore cornuum lituorumque sonum audire poteris, mercaturam exerce, et ita quære opes. Cur venter solvatur pavore, docent Macrob. VII, 11. et Gell. XIX, 4.[23] — 201—204. Neque fastidias merces viliores aut fœtidas, modo fructuosæ sint et quæstuosæ, ut coria, quæ trans Tiberim portantur. Ibi putida conficiebantur opera, v. c. sulphurationes et excoriationes. Conf. Martial. I,

[19] Rufinus *attegias* ponit pro umbraculis, quæ σκηνοστεγιθαι dicit Josephus, ut notat Politian. Miscell. c. 9. Grang.

[20] non, ut Schol. notat, Galliæ, etsi in ea Brigantium opp. (hod. Briançon) nam Juvenalis temporibus et multo ante provincia erat omnis Gallia, nec ulla fuit tunc causa, cur Romani in eam arma ferrent; Ach.

[21] v. Veget. II, 8. Tac. Hist. III, 22. Sil. VI, 25 seq. et Lips. Mil. Rom. II, 8. Vetus Schol. et Farn. *aquilam* h. l. ad signiferi munus referunt. Cf. Fabrett. ad Column. Traj. c. 7. p. 188 seq. ubi probare conatur, centurionem primipilarem fuisse aquilifcrum.

[22] Conf. Suet. in Aug. 49. in Tib. 48. in Calig. 44. Plin. XIV, 1. Martial. VI, 58, 10. Dio LIV, 25. LV, 23. Lips. de mil. Rom. II, 8.

[23] Rem probant exemplis Dionysii, Bruti, Carbonis, ap. Aristoph. in Ranis, Sen. Ep. 82. et Valer. Max. IX, 13, 2. inpr. Arati, summi ducis, quem tradit Plutarchus torpore ac vertigine, quoties fere cœperit tuba cani, correptum esse acieque jam instructa sæpius anxie quæsivisse ab ordinum ductoribus, *num præsentia sua opus sit?* inde vero occasionem quibusdam dedisse faceti dicti: *Prætori Achæorum instante pugna alvum solvi.*

42, 3 seq. I, 109, 2. VI, 93, 4. Turneb. Adv. XXIV, 43. — 204. Poeta respexisse videtur ad nota illa verba, quibus urinæ vectigal commendasse dicitur Vespasianus. v. Suet. Vesp. 23.

206. Dicitur *εἰρωνικῶς sententia Diis atque ipso Jove digna*, digna, quæ dei alicujus atque ipsius Jovis sententia sit. *sententia poetæ*, scil. Ennii, sumta a Bellerophonte Euripidis, qui hoc pariter ironice dixit; Farn. Grangæus comparavit verba incerti poetæ ap. Sen. Ep. 115. *Non quare et unde: quid habeas, tantum rogant. — Unde habeas*, scil. opes, divitias, vel quod possides. *Habere*, ut ἔχειν, absol. pro divitem esse positum accipiebat Grang. 208. *repentibus*, parvulis, ut *qui in purpuris repet* ap. Quintil. I, 1, 6. Conf. Barth. ad Stat. Theb. IX, 427. *assæ*, v. Var. Lect. 209. *ante alpha et beta*, priusquam prima literarum elementa discant.

212. *Festinare*, avaritia imbuere vel ut imbuas ea filios tuos quam primum et ante annos. *Præstare aliquem* dicuntur, qui spondent pro eo, ut talis sit vel futurus sit, qualis esse debet, vel qualem eum esse alii cupiunt et optant. v. Ern. clav. Cic. Grangæus contulit versum senarium ignoti poetæ ap. Cic. Ep. IX, 7. *πολλοὶ μαθηταὶ χρείττονες διδασκάλων.* *magistro*, te, parente. 213. 214. Quemadmodum Ajax Telamonius et Achilles parentes suos virtute, ita te filii tui avaritia omnibusque sceleribus vincent.

215 seq. Salse et hæc dicta: Ignosce puerulis, si tibi nondum pares fuerint sceleribus; exspecta, dum adoleverint, videbisque, iniquitatem eorum cum annis crevisse. *nondum implevere medullas maturæ mala nequitiæ*, summa nequitia, qualis est parentum, nondum satis alte in teneros penetravit animos et tamquam venis medullisque infixa hæret. 217. *mucronem longi cultri*, novaculam barbæ tondendæ causa *admittere*, h. e. adolescere. 218. *perjuria vendet summa exigua*, parvi quæstus commodique causa pejerabit. 219. Jurantes precantesque *tangebant aram*, (conf. III, 145. XIII, 89. Virg. Æn. IV, 219. XII, 201. Liv. XXI, 1. et ad Sil. III, 82.) vel *pedes*, genua et simulacra deorum, ut ap. Suet. Tib. 27. et Ovid. Met. XIII, 585. *Cererис* pro quocumque numine et quidem sanctissimo. 220. *Elatam*, mortuam ac sepultam. Verbum funerale, ut ap. Prop. IV, 7, 7. al. v. sup. ad I, 72. — 221. *Mortifera cum dote*, magna, et hinc causa mortis. Verba *limina subit* spectant ad ritum nuptialem, quo nova nupta, ad ædes sponsi ducta, ut invita virginitatem deponere videretur, a paranymphis portabatur trans *limen*, quod tam ab ingrediente, quam ab egrediente tangi ominosum erat. (v. Burm. ad Ovid. Am. I,

12, 4. et Dœring. ad Catull. LXI, 166.) *premetur*, suffocabitur, strangulabitur. *quibus*, quam scelestis! nisi malis post *digitis* signum interrog. ponere, ut sensus sit: quibusnam aliis quam mariti sui, qui tuus est filius? Alii de digitis aconito infectis accipiunt, coll. Plin. XXVII, 2. *Constat omnium venenorum ocissimum esse aconitum et tactis quoque genitalibus feminini sexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum, quo interemtas dormientes a Calpurnio Bestia uxores M. Cœcilius accusator objecit: hinc illa atrox peroratio ejus in digitum.* 223. Cæde sibi facilius divitias parabit, quam ærumnis *terra marique* tolerandis. 224. Magnum scelus, quod quæstuosum est, cædes, facili negotio perpetratur.

227—232. Quicumque pueros opum amore et cupiditate imbuit et eosdem *lævo monitu*, perversis infaustisque præceptis, *avaros producit*, format, efficit, (v. ad VI, 241.) is similis est aurigæ, qui *curriculo*, equis, *dat libertatem et totas effundit habenas*, h. e. is filiis *dat libertatem* immoderatam vel quodvis scelus audendi, is in effrenatas eos cupiditates et quævis scelera pronos faciet frustraque deinde a cursu quasi et impetu, quo in flagitia feruntur, illos revocare conabitur, ut auriga, qui equis in circo currentibus habenas ita remittit, ut, si cursum deinde velit inhibere, non possit. Comparatio aptissima venustissimaque, a circo petita. Conf. Virg. Ge. I, 512 seq. De v. 229. v. Var. Lect. *totas effundit habenas*, ut ap. Virg. Æn. V, 818. XII, 499. al. *Curriculo*, equis, ut *currus* ap. Virg. Æn. XII, 287. et Ge. I, 514. ἅρματα πεισιχάλινα dixit Pind. Pyth. II, 21. *quem* Græce et docte pro *quod*, sc. curriculum, quoniam, si sensum respexeris, ad equum, h. e. filium, spectat. Conf. ad v. 241.—232. *te*, auriga, h. e. patre et auctore s. doctore. *metis relictis*, equis indomitis adeo ruentibus, ut metas cursu prætereant, nec circum eas flecti se patiantur. Similiter animus in avaritiam præceps fines et modum transit.

233 seq. Poeta vere et naturæ hominum convenienter philosophatur. *Nemo satis* esse *credit*, sufficere putat, satis habet. 234. *indulgent sibi latius ipsi*, filii, non contenti modo finibusque, a patre definitis, eos transeunt. *latius*, conf. Bentl. ad Hor. Sat. II, 2, 113. — 235 seq. Quum stultum esse dicis, qui aliis bene faciat, doces filium, quocunque modo divitias sibi parare. 236. *paupertatem levare et attollere*, ut contra *paupertate*, vel fame, inopia cet. *premi, urgeri, gravari* dicimur, metaph. ab onere petita. 237. *circumscribere*, decipere, fraudare. v. ad X, 222. — 239. *Deciorum*, v. ad VIII, 254. —

240. *Menœceus,* Creontis, Thebani regis, filius Marti se immolavit, ut secundum Tiresiæ vaticinium cives sui victoriam reportarent. v. Eurip. Phœniss. v. 841 seq. Stat. Theb. X, 589 seq. 751 seq. Pausan. IX, 25. Apollod. III, 6, 7. Cic. Tusc. Qu. I, 48. *si Græcia vera,* veridica, verax est,[24] h. e. si Græcorum scriptores vera nobis tradidere, (*quidquid Græcia mendax audet in historia* X, 174. 175.) nec potius hoc commenti sunt, ut alia, quæ de Thebis earumque origine fabulose narrant. Hæc ut rideret poeta, adjunxit vs. 241—243. qui tamen h. l., ubi a comparatione tantum occasio eorum scribendorum petita est neque ipsi ad caput rei illustrandum quidquam faciunt, parum opportuni sunt et intempestivam produnt artis doctrinæque ostentandæ cupiditatem.[25] Historia autem originis Thebarum vel tironibus nota ex Ovid. Met. III, 1—130. et forte ex etymol. vocc. γηγενεῖς et Σπαρτοί orta est.[26] *legiones* pro multitudine virorum armatorum. Res de industria amplificatur, risus captandi causa, quo et v. 243. spectat. *quorum* Græce et docte dicitur pro *quarum* scil. Thebarum, respectu ad incolas urbis et nobilius genus habito, ut *quem* sup. v. 231.[27] — 243. Tam horrido modo tantoque impetu inter se armis decertarunt, ut putares, una cum iis natum fuisse *tubicinem,* qui ad pugnam eos excitaret. 244. *ignem,* insatiabilem avaritiam, quæ etiam *ardens* dicitur Cic. Fin. III, 11. *scintillas,* semina et originem.

246. 247. Filius etiam te ipsum, patrem et præceptorem, interficiet, ut leo nonnumquam magistrum suum, a quo enutritur, in *cavea,* ferarum receptaculo vel theatro, dilacerat. Poetam h. l. respicere historiam sui temporis putant, coll. Martial. de Spect. X. Particula autem comparationis omissa, ut sup. v. 229 seq. et passim, v. c. Horat. Epist. I, 2, 34. 42. 3, 19. al. *leo alumnus,* v. Heins. ad Ovid. Met. IV, 421. — 248 seq. *Filius ante diem patrios inquirit in annos,* Ovid. Met. I, 148. Hosce annos filius e *gencsi* computabit, vel *Ma-*

[24] v. Longol. ad Plin. Ep. II, 9, 4. Intpp. Ovid. Her. XVI, 123. et Met. X, 209.

[25] Non enim crediderim, (quæ Bahrdtii sententia erat) horum versuum addendorum consilium eo spectare, ut iis adumbretur summa vis educationis pravorumque exemplorum et præceptorum, quæ in teneros puerorum animos sine ullo impedimento alte descendant, ut dentes draconis in sulcos Cadmi. Quæ ratio quam longe petita sit, vel me non monente intelligitur.

[26] v. Heyne ad Apollod. III, 4, 1. et Herrman. Mythol. Lyric. T. II. p. 239. 240.

[27] v. ad Sil. V, 495. et X, 506. Brunck. ad Sophocl. Ajac. 760. Kœppen. ad Hom. Il. II, 278. Gron. Obss. I, 16. ad Liv. I, 59. XXIX, 12. et ad Sen. Herc. fur. 1157.

thematicos ea de re consulet et, si hi vitam nimis longam tibi promiserint, eam tibi veneno eripiet, ut tuis divitiis ocius potiatur. v. ad III, 43. 44. et VI, 553 seq. *Sed grave* est filio tuo, *exspectare tardas colus*, mortem, nimis tarde ad te adventantem. Φεῦ μοίρης τε καχῆς καὶ πατρὸς ἀθανάτου Strat. Epigr. LXXII, 4. in Brunck. Anal. T. II. p. 376. *colus*, vitæ *stamina*, quæ fusis suis Parcæ ducunt. *tardas colus*, ut *nimium stamen* X, 252. *stamine* Parcarum *nondum abrupto*, ante naturalem vitæ modum. 251. *senectus cervina*, summa. De longa cervorum vita v. Aristot. H. A. IX, 6. et Plin. VIII, 32. s. 50. extr. — 252. *Archigenen quære*, h. l. medicum. v. ad VI, 46. et de *Archigene* ad VI, 236. *quod Mithridates composuit*, antidotum, de quo v. ad VI, 661. — 253. 254. *Si vis* auctumnum et ver aliud videre, h. e. vel annum vivere. *medicamen* Mithridaticum, antidotum, alexipharmacon. *et pater et rex*, non minus pater, quam rex; quoniam his temporibus patri a liberis non minus metuendum est, quam tyranno a civibus. Verba autem *et pater et rex* ad eumdem quoque Mithridatem referri possunt, qui *et pater et rex* a Pharnace filio, qui patri bellum intulerat, obsessus in regia venenum hausit et, quum eo sumto parum profecisset ad mortem accelerandam, (nam frequenti usu antidotorum, quibus ab ineunte ætate se munierat adversus venena, vis eorum imminuta erat) a Bitœto, milite Gallo, a quo id petierat, interfectus est. Cf. Liv. Epit. CII. Appian. b. Mithrid. c. 109—112. Plut. Pomp. p. 641. Dio XXXVII, 10—14. Gell. XVII, 16. Fabric. ad Oros. VI, 5. et intpp. Aur. Vict. V. I. 76.

256 seq. Majorem voluptatem, quam quæ ex *theatris*, h. e. ludis scenicis capitur, (quibus Romani maxime delectabantur) promitto tibi, si consideraveris labores et pericula, quæ subit avarus, ut omni modo rem augeat. 257. *Prætoris pulpita*, ludi scenici, a prætore dati. *Pulpitum*, λογεῖον, cathedra, suggestus in proscenio s. theatro, ubi histriones recitabant. *lauti*, elegantis, divitis, vel magni et dignitate conspicui; vel potius qui laute, splendido apparatu ludos facit, (ut ap. Pers. VI, 23. *pier lautus*, qui magnis impensis cœnam parat) vel iis in sella curuli et prætexta s. toga picta, veste triumphali, præest. Cf. X, 36 seq. et XI, 192. Ita Prætores viam sibi ad consulatum, ut Ædiles curules ad summos honores muniebant. 258. *quanto constent*, tamquam pretio, quo emta sint et parata. Sic *morte constare* dixit Cæs. B. G. VII, 19. — 260. *Fiscus*, corbis spartea s. viminea, in quam pecunia condebatur, vel ipsa pecunia. *ad Castora*, apud mensarios et feneratores in foro, ubi ædes erat Castoris,

vel in æde Castoris *ponendi numi;* nam non modo fœdera, pactiones et testamenta, sed pecuniæ etiam deponebantur in templis, quæ tuta erant religione deorum et potissimum excubiis militum, unde *vigil Castor* h. l. dicitur.[28] — 261. Ex quo fures in foro Martis, h. e. in foro Augusti, quod æde Martis Ultoris ornatum erat,[29] numularios diripuere, et ipsi quoque Marti insignia sua abstulere; Brit. Ex quo in templo Martis compilatæ fuerunt arcæ ipsiusque Dei galea furto subrepta; Farn. coll. Martial. VI, 72. et Antholog. II, 25. de Eutychida, quæ loca parum ad rem faciunt. Conf. sup. ad X, 25. Poeta forte ad sui temporis historiam, nobis ignotam, respicit; et hac occasione, ut passim, ridet infirmam divini numinis potentiam, et quidem h. l. (ut II, 130 seq.) *Martis*, qui ne *res* quidem *suas*, sua ipsius insignia, servarit, nedum res hominum, sibi, tamquam patri ac tutori Romanæ gentis, in custodiam concreditas. Rigaltius in Diss. de Sat. Juven. suspicabatur, deriso Marte, qui falso *Ultor* dicatur, non modo vanitatem fabulæ perstringi, sed etiam ignaviæ accusari Romanos, qui nihil amplius armis quærant et olim etiam quæsita sibi eripi turpiter patiantur.

262 seq. *Licet relinquas*, relinquere, spernere poteris, *omnia aulæa Floræ* cet., h. e. cuncta ludorum genera, ex quibus non tantum percipies voluptatis, quantum ex avari laboribus; nisi malis: quamvis vel omnes ludos relinquas, nihil cures, non magna carebis voluptate, modo respexeris varia *negotia*, labores, navigationes, peregrinationes, incommoda et pericula, quæ avarus subit, ut rem familiarem amplificet opibusque affluat; tanto tibi jucundius hæc, quam ludi illi, spectaculum offerent. Hæc avari *negotia* cet. in verss. seqq. describuntur. Poetæ animo oculisque obversabatur locus Horat. Epist. II, 1, 197 seq. Cf. sup. III, 223. (ubi v. not.) et loca, quibus vita nostra scenæ, mimo et fabulæ comparatur Sen. Ep. 77. et 80. Suet. Aug. 99. et Palladæ Epigr. C. in Brunck. Anal. T. II. p. 427. ubi v. Jacobs ad Anthol. Gr. Vol. II. P. III. p. 247. *Aulæa* vela picta, in ædibus, porticibus et theatris suspensa, unde h. l. pro ipsis ludis ponuntur. *Floræ* ludi, Floralia sc. sacra s. solennia, de quibus v.

[28] v. Lips. ad Tac. Ann. I, 8. Britannicus *ad Castora* interpretabatur: apud mensarios in foro, ubi erat ædes Castoris. v. Liv. II, 20. 42. Suet. Cæs. 10. et Dionys. Halic. VI. pag. 351. Plathneri nota est hæc: "Ad Castoris ædem jam Ciceronis temporibus negotiabantur numularii vel feneratores, et in ea pecuniæ deponebantur." Conf. Cic. Verr. I, 49. et pro Quint. 4.

[29] v. Suet. Aug. 21. et 29. Ovid. Fast. V, 549 seq. et Dio Cass. LIV, 7. et 8. ubi conf. Reimar. § 85.

Ovid. Fast. V, 183—378. Plin. XVIII, 29. Val. Max. II, 10, 8. et Sen. Ep. 97. *Cereris* ludi, qui in Cerealibus sc. sacris agebantur. v. Ovid. Fast. IV, 390 seq. et Liv. XXX, 39. *Cybeles* ludi, Megalesia, diversa a ludis magnis. v. Liv. XXIX, 14. (ubi conf. Duker.) XXXIV, 54. Ovid. Fast. IV, 179 seq.

265—284. Quam vecors sit avarorum audacia, docet poeta comparatione eorum cum aliis hominibus, qui non minus quidem audaces sunt, sed ut quærant victum, non ut opibus affluant: unde temeritas illorum justiorem habet excusationem. Conf. XV, 93 seq. *Petaurum*, *πέταυρον*, propr. asser s. tabula parieti affixa, ad quam se gallinæ volatu recipiunt, ut pernoctent; hinc machina in altum suspensa, in quam, gallinarum instar, quasi volatu sese ferebant petauristæ, *οἱ πρὸς ἀέρα* vel *πρὸς αὔρας πέτονται*. Ita Grang. qui etiam monet, a Mercuriali et Lipsio petaurum explicari de machina lignea, nostris oscillis simili, qua homines rotis in aërem jactarentur, a Scalig. autem ad loc. class. Manil. V, 433 seq. de rota, in sublimi posita et a duobus versata, altero superne, altero inferne nitente, ita ut alternis dejecti nunc penderent, nunc recte sederent. *Petauri ludus, quum per circulos quispiam veloci cursu transvolat, corpore ita librato, ut circulum non offendat;* Alex. ab Alex. III, 21. *Rota transmisso toties intacta petauro* Mart. XI, 22, 3. Variæ tamen petauristarum artes fuisse videntur. Cf. Petron. c. 47. 53. et 60. it. fragm. 13. et Fest. — 266. Designatur funambulus, *σχοινοβάτης* et *νευροβάτης*. [30]

267 seq. Tu multo majorem risus voluptatisque materiam præbes, qui non victus, sed lucri quærendi causa semper navigas et negotiaris, nulla periculi ratione habita. *Corycia*, Cretensi; epith. orn. petitum a mercatura, quam olim Cretenses potissimum faciebant; quo etiam sequentia spectant. [31] *Corycus* s. *Corycum* urbs et mons Cretæ. [32] — 268. *tollendus* a *Coro* (v. ad X, 180.) cum nave, intumescentibus fluctibus: pro vocat. *tollende*. 269. *Perditus*, miserrimus, omni sæpe ratione ac spe destitutus. *sacci olentis*, croci, opo-

[30] de cujus arte v. Burm. Anthol. Lat. III. Ep. 179. Wernsdorf. Poet. Lat. min. T. VI. p. 569. 570. Prudent. Hamartig. v. 368 seq. Niceph. Gregor. hist. Byzant. VIII, 10. p. 214 seq. ed. Paris. 1702. Firm. VIII, 17. Manil. V, 650 seq.

[31] Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 1, 13. et 35, 7. Mart. III, 65, 2. IX, 39, 5. XI, 9, 2.

[32] Britannicus et alii epitheton referunt ad Corycum, Ciliciæ prom. et oppidum, ut navis designetur errabunda et propemodum prædatoria, quum avarus contemto omni periculo huc et illuc navigando lucra sectetur, quo more errent Cilices, piratæ sævissimi. Sed in vss. seq. de Creta ins. agitur.

balsami; Grang. opobalsami, aut malobathri, fœtidæ mercis, ut ex sententia tali, *tu fœtide*, Schol. 270. *antiquæ Cretæ*, post hominum memoriam jam habitatæ, adeoque fama nominis sui notissimæ. Quemadmodum enim hominum, quæ vulgo dicitur, nobilitas ex antiquitate generis æstimari solet; ita et antiqua origo sæpe a poetis in magna vel urbium vel terrarum laude ponitur. v. Heyne ad Virg. Æn. I, 12. 375. et 531. — 271. *Passum*, vinum, quod ex uvis passis, h. e. ad solem expansis et arefactis,[33] optime conficiebant Cretenses. v. Plin. XIV, 9. Martial. XIII, 106. et verba Athen. X, 11. (56.) p. 440. Παρὰ Ῥωμαίοις δὲ, ὥς φησι Πολύβιος ἐν τῇ ἕκτῃ, ἀπείρηται γυναιξὶ πίνειν οἶνον. τὸν δὲ καλούμενον πάσσον πίνουσιν. τοῦτο δὲ ποιεῖται μὲν ἐκ τῆς ἀσταφίδος, καὶ ἔστι παραπλήσιος πινόμενος τῷ Αἰγοσθενίτῃ γλυκεῖ καὶ τῷ Κρητικῷ. Creticum vinum fuisse dulce, dicit etiam Ælian. V. H. XII, 31. *pingue passum:* nam *ex uvis passis in prælo compressis effluit et conditum vasculo mellis more servatur*, ut utar verbis Colum. XII, 39. *lagenas* vino passo repletas: nam *lagena* vas erat, in quo vinum non modo paratum semper habebatur in triclinio, ut ex eo infunderetur poculis, sed etiam adservabatur. v. intpp. Petron. 22. *municipes Jovis*, Creticas, ejusdem quasi patriæ cum Jove, qui in Creta nutritus dicitur. Sic *municipes siluri* IV, 33. ubi v. not. *testa municeps Sibyllæ*, h. e. Cumana, ap. Martial. XIV, 114, 2. et *lacernæ Cadmi municipes*, h. e. Tyriæ, ibid. X, 87, 10. Grangæus monet, hanc loquendi formulam depromtam esse ex Aristoph. Acharn. Act. II. Sc. II. Ὁ λάρκος δημότης ὅδ' ἐστὶν ἐμός. — 271 seq. Funambulus arte sua periculosa non nisi victum sibi et vestitum parat, avarus autem non minore vitæ discrimine divitias, quibus carere possit. *ancipiti figens vestigia planta*, incerto gradu per funem incedens. 273. *brumam cavet*, frigus arcet, h. e. parat sibi, quo frigus arcere possit. 275. *tu temerarius* es, temere periculis te vitamque tuam objicis. 276. *trabibus*, navibus. *Plus hominum* cet. qui naufragium pertulerunt, quam qui evaserunt; Ach. Immo *plus hominum est jam in pelago*, quam in terra; tanta est hominum avaritia et lucri cupido. Omnia in majus extolluntur, et nihil omittitur, quod ad avaritiam ἐναργῶς adumbrandam valere possit. Eo etiam spectat v. 277. *classis* pro multitudine navium.

278 seq. Naves non Orientem modo, sed Occidentem quoque ex-

[33] v. Columella XII, 39. et intpp. Virg. Ge. II, 93. Varro lib. I. de vita populi Rom. *Passum*, inquit, *nominabant, si in vindemia uvam diutius coctam legerent eamque passi essent in sole aduri.*

tremum petent. Conf. Horat. Epist. I, 1, 45. 46. *Carpathium æquor*, a Carpatho ins., (nunc *Scarpanto*) inter Rhodum sita et Cretam, dictum et cum delectu positum, quoniam et periculosum est, et transeundum iis, qui Bithyniam petunt, quo frequenter commeabant mercatores Romani. Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 35, 7. 8. et III, 7, 3. *Gætula æquora*, Libyca. Libya s. Africa horreum Rom. populi. 279. *Æquora transsiliet*, trajiciet, et quidem cum summa temeritate atque audacia, ipsis naturæ legibus illudente, ut ap. Hor. Od. I, 3, 24. et Sil. IV, 71. *Calpe*, Hispaniæ Bæticæ promont. (*Gibraltar*) *ad gurgitem* h. e. fretum *Herculeum* s. Gaditanum, (*die Strasse*) in quod sol mergitur.[34] — 280. Solem undis se mergentem, instar candentis ferri aqua tincti, *stridorem* sonitumque edere, poetæ passim fingunt, idemque olim et Iberi et philosophi, v. c. Epicurus et Posidonius, credebant.[35] — 281 seq. Sarcasmi vim facile senties. *folle tenso* et *aluta tumida*, βαλαντίῳ, sacco argenti pleno, nummis distento et turgente, instar follis vento repleti. Conf. ad VII, 192. et XIII, 61. — 283. *Oceani monstra* marinæ belluæ, quæ summum maris petunt tempestate imminente. Conf. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 3, 18. *juvenes marinos*, Tritonas et Nereidas. *Ut quis e longinquo revenerat, miracula narrabant, vim turbinum et inauditas volucres, monstra maris, ambiguas hominum et belluarum formas*, Tac. Ann. II, 24.[36]

284 seq. Varia sunt insaniæ et furoris genera, inter quæ avaritia etiam et potissimum referenda. Conf. Horat. Sat. II, 3, 77 seq. *ille* Orestes, a Furiis, *matricidii* ultricibus, *vultu* terribili et *igni*, facibus, *terretur in manibus sororis* Electræ, quæ fratrem, furore correptum et querentem, Ὦ Φοῖβ' ἀποκτενοῦσί μ' αἱ κυνώπιδες Γοργῶπες, ἐνέργων ἱέρειαι, δειναὶ θεαὶ, consolatura dicebat, Οὔ τοι μεθήσω, χεῖρα δ' ἐμπλέξασ' ἐμὴν, Σχήσω σε πηδᾷν δυστυχῆ πηδήματα, sed duris his verbis repellebatur, Μέθες, μί' οὖσα τῶν ἐμῶν Ἐριννύων, Μέσον μ' ὀχμάζεις, ὡς βάλῃς εἰς Τάρταρον. Ita Eurip. Orest. v. 260 seq. qui locus Juvenalis, opinor, animo obversabatur. *Eumenides*, Εὐμενίδες, eædem deæ, quæ antiquioribus poetis Ἐρινύες dicebantur. v. Herrman. Mythol. T. II.

[34] Conf. ad Sil. I, 141 seq. 209 seq. III, 399. et VI, 1 seq.

[35] v. Cleomed. II, 1. Burm. ad Valer. Fl. II, 36. 37. Barth. ad Stat. Silv. II, 7, 27. et Theb. I, 158.

[36] Cf. Hard. ad Plin. IX, 5. et Scalig. Comm. ad Aristot. H. A. II. p. 232 seq. "Apud populos, miraculorum amatores, ut erant Græci Romanique, balenæ, phocæ aliaque marina animantia pro Sirenibus, Nereidibus et Tritonibus, forsan, ut Lapones aliique Scythiæ parvæ staturæ populi pro Pygmæis, habitæ sunt;" Ach.

p. 491 seq. — 286. *Hic,* Ajax, Telamonis f. qui armis Achillis ab Agamemnone aliisque Græcorum ducibus Ulyssi adjudicatis, in insaniam incidit, et quum flagris in *boves* pecudesque sæviret tresque arietes jugulasset, Atridas et Ulyssem a se *percussos* occisosque esse existimabat. Conf. ad VII, 115. et X, 84. *mugire,* bovem esse. *Ithacum,* Ithacium s. Ithacensem, (ut X, 257. et XV, 26.) Ulyssem, ἁπλοῦν et ἐθνικὸν ἀντὶ κτητικοῦ, simplex pro possessivo, ut *Dardanus, Itala tellus, equus* s. *exercitus Astur, populus Phœax,* (XV, 23.) *Mœotis ara* et *Memphitis terra,* (XV, 115. 122.) Δελφὶς ἄκρα s. πέτρα, Κελτὸς Ἄρης, Θεσσαλὸς λεώς et similia. v. ad Sil. I, 14. 252. XVI, 180.

287 seq. Quamquam avarus et mercator, qui divitiis inhiat et lucri studio tot periculis se committit, non, ut furiosi solent, vestes suas lacerat, tamen insanit et propterea *curatoris eget a Prætore dati,* ut utar verbis Horat. Epist. I, 1, 102. Conf. ejusd. Sat. II, 3, 217. 218. — 289. *tabula* ille (propr. navis) *distinguitur,* separatur, disjungitur ab *unda.* v. ad XII, 57—59. — 291. *Argentum concisum in titulos faciesque minutas,* concisum in argenteolos signatumque titulis et imaginibus parvis Principum vel pecudis, urbium, Jani gemini, Victoriæ, navis, bigarum, quadrigarum. Conf. ad VI, 205. Plin. XXXIII, 3. Scalig. ad Caton. p. 69.

292 seq. Mercator lucri cupidus nil curat tempestatem. *solvite funem,* ut ap. Virg. Æn. V, 773. ubi v. Heyne. 294. *fascia nigra,* nubes atra, quæ longo per cœlum tractu fertur, prænuntia tempestatis. 295. *Æstivum tonat,* ut æstate fieri solet ob calorem. *hac ipsa nocte,* ut X, 76. *hac ipsa hora.* 296. *cadet,* peribit. 297. En graphicam avari descriptionem! Tabulam dextra, *zonam* vero (in qua Romani vel peregrinantes vel negotiantes pecuniam habebant, de quo v. Liv. XXXIII, 29. Gell. XV, 12. Horat. Epist. II, 2, 40. Suet. Vitell. 16.) non *læva* tantum manu, sed *morsu* quoque, h. e. dentibus, tenet, quasi eam perditurus, si corpori adhæreat, neque reputans, se ita facilius submergi; mavult autem perire, quam pecuniæ jactura et natatum reddere expeditiorem et sic vitam redimere. "Mavult suffocari, perplexa scil. manu *læva* et hiante ore per *morsum,* quam ut expedita jactura redimeret vitam natando." Hennin. 299. *Tagus* et *Pactolus,* auriferi fluvii Hispaniæ et Lydiæ. *rutila,* aurea. 300. Nudi sunt naufragi, quia, ut facilius natent, vestes abjiciunt; Grang. *sufficient* illi *panni* viles, quibus *inguina,* ex aqua marina uda et frigida, *velare,* tegere et abscondere possit; Lub. et Ach. 301. 302. Qui naufragio olim vel alio insigni periculo evaserant, funestos, quos

tulerant, casus, ne toties eos stipem colligentes narrare cogerentur, et quoniam mentem magis afficiunt, quæ oculis, quam quæ auribus percipimus, pingere et scribere solebant in tabulis, quas humeris primum ferebant, et deinde una cum vestimentis, quæ servaverant, tamquam ἀναθήματα, in templo dei Σωτῆρος, Neptuni vel Isidis et Æsculapii, suspendebant.[37] *picta tempestate*, pictura tempestatis et naufragii, *se tuetur*, vitam sustentat. 303. 304. Conf. Horat. Sat. I, 1, 76 seq. et sup. v. 135.

305. *Hamæ* instrumenta, σκάφη, ad incendia compescenda hauriendamque aquam, (ut ἄμη ap. Plut. et Hesych.) vel vasa aquæ acetique plena, quibus utebantur Vigiles, quorum cohortes septem (unde h. l. *cohortem servorum*, quod præterea ad luxuriam Romanorum spectat et servorum, qui a ditioribus alebantur, multitudinem) incendiis coercendis Augustus instituerat. Vetus Schol. " Per translationem disciplinæ militaris Sparteolorum Romæ, quorum cohortes in tutelam Urbis cum hamis et cum aqua vigilias curare consuerunt vicibus." Vasa autem illa non a Vigilibus incendii exstinguendi causa quavis nocte circumlata videntur, quæ Brissonii (Antiq. select. II, 8.) aliorumque sententia est, sed disposita in publicis privatisque ædibus, inpr. locupletiorum, qui in earum propatulo secundum Neronis edictum (v. Tac. Ann. XV, 43.) *custodes* (nocturnam servorum custodiam) *et subsidia reprimendis ignibus habebant*.[38] *Hami* piscium ab h. l. alieni, ob sensum ac metrum. Nota Ach. est: " Quidam male intelligunt uncos ferreos seu ad diruenda ædificia, seu ad capiendos fures; ego vero non solum vasa s. vascula aquaria, sed et cupas, prægrandia vasa ad eumdem fere modum, quo instrumenta, quæ Galli vocant *pompes à incendie*, e quibus aqua longis siphonibus per medium mittebatur incendium." 306. Licinus forte idem, ad quem poeta potissimum respexit I, 109. ubi hæc est vet. Schol. nota: " *Licinius* ex Germania puer captus tantæ industriæ fuit, ut reliquias cibariorum inter conservos feneraret et, cui quid credidisset, quali poterat chirographo, pugillaribus subnotaret: quos quum in expeditione quadam transiturus flumen in vestimentis recondidisset, C. Julio Cæsari quondam deneganti ei pugillaribus quidquam adnotatum, barbarus lugens

[37] Conf. XII, 27. 28. Strab. VIII. p. 360. Horat. A. P. 20 seq. Heyne ad Tibull. I, 3, 27. Mitscherl. ad Horat. Od. I, 5, 13 seq. et intpp. Pers. I, 89. VI, 32. Grangæus ad h. l. adnotat, eos, qui depictam non habuerint tabulam, *truncum* gestasse fasciis involutum fortunamque suam narrasse, quo refert verba Martial. XII, 57, 12. *Nec fasciato naufragus loquax trunco.*

[38] Conf. Colum. X, 387. Turneb. Adv. II, 29. XIX, 23. Intpp. Plin. Ep.

eos obtulit. Statim ad dispensationem admissus, non multo post manumissus est. Dein curationi Galliarum ab Augusto præpositus eas spoliavit; et quum flagraret invidia, basilicam sub nomine C. Julii Cæsaris ædificavit. Decessit sub Tiberio, proinde dives, quod Cassii opes etiam exhausisset, et dictus est habuisse numos, quantum milvi volant." Conf. Pers. II, 36. (ubi v. Schol. et Casaub. qui tamen ibi agi putabat de Licinio Stolone, ob possessa agri mille jugera damnato) Sen. Ep. 119. et 120. (*Licinum divitiis, Apicium cœnis, Mœcenatem deliciis provocant*) Dio Cass. LIV. Suet. Aug. c. 67. Sidon. Epist. V, 7. *attonitus* δεινῶς pro anxius et sollicitus. 307. *Electro,* poculis et vasis ex electro. Conf. ad V, 38. et Heyne ad Virg. Æn. VIII, 402. *signis,* statuis, vel potius simulacris. *Columna Phrygia,* ex marmore Phrygio, inpr. Synnadico, (nam Synnas s. Synnada urbs Phrygiæ majoris, marmore nobilis) ut ap. Tibull. III, 3, 13. ubi v. Heyne et Brœkhus.[39] *ebore et testudine,* supellectile iis ornata, vel ex iis facta. Cf. XI, 94 seq. et 123.

308 seq. Divite illo Licino s. Licinio, qui quavis nocte incendium domus metuebat, multo felicior Diogenes ille Sinopensis Cynicus, qui paucis contentus erat divitiasque spernebat. Hujus domus non ardebit; nam dolium, quod in Metroo ipsique pro domo erat, non ligneum, sed fictile ex terra: quam domum si quis fregerit, vel cras ex argilla et luto fingetur alia, vel eadem conglutinabitur.[40] *Cynici nudi,* nam Cynicorum humerus alter nudus erat, pallio in alterum rejecto. v. Salmas. de pallio p. 396 seq. *plumbo commissa,* h. e. ferruminatione s. plumbatura, μολυβδώσει. *testa,* dolio fictili. — 311 seq. Nota sunt, quæ tradunt Diog. Laert. VI, 2, 6. et Plut. vit. Alex. T. I. p. 671. Ἐν τῷ Κρανείῳ ἡλιουμένῳ αὐτῷ (Diogeni) Ἀλέξανδρος ἐπιστάς φησιν, Αἴτησόν με ὃ θέλεις. καὶ ὅς, Μικρὸν, εἶπεν, ἀπὸ τοῦ ἡλίου μεταστῆθι. πρὸς τοῦτο λέγεται τὸν Ἀλέξανδρον οὕτω διατεθῆναι καὶ θαυμάσαι καταφρονηθέντα τὴν ὑπεροψίαν καὶ τὸ μέγεθος τοῦ ἀνδρὸς, ὥστε τῶν περὶ αὐτὸν, ὡς ἀπῄεσαν, διαγελώντων καὶ σκωπτόντων, Ἀλλὰ μὴν ἐγὼ, εἶπεν, εἰ μὴ Ἀλέξανδρος ἤμην, Διογένης ἂν ἤμην. 313. Conf. ad X, 168 seq. Cynici honores et divitias spernebant, docentes solam virtutem sufficere ad

X, 42. Casaub. ad Hist. Aug. p. 497. Wower. ad Apollinar. p. 144. Tit. Digest. de off. Præf. vig. Lips. ad Tac. Hist. III, 64. et inpr. Heubach Comm. de politia Roman. Gœtt. 1791. § 46—51.

[39] Conf. ad VII, 182. Heins. ad Ovid. Fast. III, 529. Plin. XXXV, 1. Holsten. ad Steph. Byz. *columnæ Synnades* ap. Capitol. in Gordiano III, 32.

[40] De illo dolio v. Plin. XXXV, 12. Menag. ad Laert. VI, 2. p. 137. et inpr. Sponii Miscell. erud. antiq. ubi dolium quoque depictum videbis.

vitam beatam. *Diogenes, cum Alexandro M. de veritate regni certabundus, baculo vice sceptri gloriabatur,* Apul. Apol. I.

315. 316. v. ad X, 365. 366. ubi eadem leguntur verba. 316 seq. Si quis tamen a me quærat, quantus rei familiaris modus esse debeat, *edam,* dicam, respondeo cet. Conf. Horat. Sat. I, 1, 73 seq. — 318. *In quantum, καθ' ὅσον* vel *εἰς* et *ἐς ὅσον* s. *ἐφ' ὅσον,* ut *ἐς τί.*[41] — 319. *Epicurus* honestæ voluptatis amator, cujus famam, olim magnopere læsam, hodie alii alio modo et successu defenderunt, Athenis in *horto* docere solebat et olere, polenta atque aqua contentus ipso Jove felicior sibi videbatur. Conf. XIII, 123.[42] — 320. *Socratici penates,* frugalis Socratis domus et secta. *ante* Epicurum. — 321. *Natura ;* nam *si ad naturam vives, numquam eris pauper, si ad opinionem, numquam dives,* Sen. Ep. 16. *Sapientia,* philosophia. *dicit,* docet ac præcipit.

322—331. Hæc cum indignatione et sarcasmo disputantur ac suadentur. *Videor acribus exemplis te claudere,* ut *in angustias compellere* s. *cogere,* Germ. *in die enge treiben,* et Lucian. Hermot. c. 63. *περιέρχῃ με καὶ συνελαύνεις ἐς στενόν ;* vel avaritiam et cupiditates tuas nimis angustis frugalitatis terminis circumscribere: exempla Diogenis, Epicuri et Socratis, quæ tibi commendavi, vereor, ne nimis *acria,* severa et rigida sint. Quod si ergo hæc philosophorum frugalitas austeritasque tibi displicuerit ; *de moribus nostris,* Romanorum hujus ævi, *misce,* admisce, adjunge illi austeritati *aliquid,* non multum, ita ut modicis contentus sis opibus, non immensas, ut illi, quæras. — 323—326. Conf. simil. loc. Pers. VI, 78 seq. ibique Casaub. *effice summam, quam lex Othonis dignatur bis septem ordinibus,* para tibi censum equestrem, quadringenta sestertia, quæ ut habeat, qui in quatuordecim ordinibus s. gradibus (orchestræ, in qua senatores sedebant, proximis) sedere cupit, sancitum est lege Roscia theatrali, lata a L. Roscio Othone Trib. pl. a. U. C. DCLXXXVI. Conf. I, 106. II, 117. III, 154—9. V, 132.[43] Docte autem et *εἰρωνικῶς lex* dicitur *dignari summam bis septem ordinibus,* h. e. equestri loco et ordine: nam lege illa proprie quidem non summa, sed, qui eam possideret, hoc ordine

[41] ap. Anacr. III, 25. ubi v. Baxt. Cf. Plin. Ep. X, 75. Ovid. Met. XI, 7. et Ruhnk. ad Vellei. I, 9.

[42] Passerat. ad Prop. III, 21, (al. 20.) 26. Barth. Adv. XX, 20. Bernart. ad Stat. Silv. I, 3, 94. Scalig. ad Virg. Cir. v. 3. Jo. Schrader. Emendatt. p. 31 seq. Sen. Ep. 21. Plin. XIX, 4. et Diog. Laert. in vita Epicuri.

[43] Plin. XXXII, 2. Ernesti clav. Cic. in ind. leg. p. 35. Ruhnken. ad Vellei. II, 32. Torrent. ad Suet. Ner. 11. et Domit. 8. Mart. V, 39.

et honore dignus censebatur; at dignitas hæc magis ex pecunia pendebat, quam ex homine ejusque moribus virtutibusque: quo etiam spectat sarcasmus III, 154—159.

325—329. Si *hæc quoque summa* tibi non sufficit, *sume duos Equites*, h. e. para tibi censum duorum Equitum, et si id nondum satis tibi videtur, trium: sed hoc tibi persuadeas velim, cupiditates avarorum numquam satiari nec ullis terminis contineri posse. Simillimus locus finisque satiræ est ap. Pers. VI, 75—80. *Hæc quoque* summa *si rugam trahit extenditque labellum*, ut contra *jam redit in rugam*, h. e. multiplicatur, πολλαπλασιάζεται, ap. Pers. VI, 79. ubi Casaub. et Kœnig verba nostra interpretantur ita: si summa nondum tendit neque explet marsupium, sed adhuc hians et laxum est os illius. Hoc eleganter translatum putant a vestibus, quæ, quo ditior aliquis esset et elegantior, eo laxiores fuerint et fusiores eoque magis rugatæ; (unde *effluit effuso cui toga laxa sinu* ap. Tibull. I, 6, 40.) at Britann. a sacco, qui, quum plenus non sit, rugam trahat. Vetus autem Schol. et plerique intpp. sensum verborum ita expediunt: *si hæc quoque summa rugas* in fronte tua contrahit, h. e. te tristem facit adeoque tibi displicet, non satis magna videtur. Illud arridere potest, quoniam tum v. 327. metaphora, a veste petita, continuatur, et sup. v. 138. de eadem re dicitur *pleno quum turget sacculus ore*. Hoc vero, quia subjungitur *extenditque labellum*, quo non minus ægritudo et mens parum contenta adumbratur; unde Farnab. non male exponit h. l. " si hæc quoque summa te cogit, quod Angli dicunt, *to bend the brow and hang the lip*." Britann. tamen hoc sumtum existimabat ab iis, qui tamquam famelici labra oris extendant ad cibum capiendum. Poeta etiam alia uti potuit metaphora. *tertia quadringenta*, tres census equestres, h. e. censum senatorium, quem Augustus ad duodecies sestertium auxit. v. Suet. Aug. 41. Dio LV. et Plut. vit. Anton.

327 seq. Si nondum satiavi cupiditatem tuam, h. e. si ea ne sic quidem satiatur, sed si pluribus inhias, plura concupiscis: nec Crœsi, nec regum Persarum, nec Narcissi opes *sufficient animo* tuo, h. e. avidam mentem tuam explebunt. Poeta toto h. l. cum indignatione loquitur. *Persarum* ac Parthorum reges et olim et tum temporis potentissimi erant iidemque ditissimi. — 330. Claudius Imp. libertorum præcipue suspexit Posiden, Felicem, Harpocram, Polybium, sed ante omnes *Narcissum*, ab epistolis, et Pallantem, a rationibus, quos, decreto quoque senatus, non præmiis modo ingentibus, sed et quæstoriis prætoriisque ornamentis ornari libenter passus est; tantum

præterea adquirere et rapere, (h. l. *indulsit*, permisit, *omnia* scelera cet.) ut, querente eo quondam de fisci exiguitate, non absurde sit dictum: *abundaturum, si a duobus libertis in consortium reciperetur.* Hæc sunt verba Suet. Claud. c. 28. quæ commentarii loco adscripsi. Νάρκισσος μέγιστον τῶν τότε ἀνθρώπων δυνηθείς· μυριάδας τε γὰρ πλείους μυρίων εἶχε, καὶ προσεῖχον αὐτῷ πόλεις καὶ βασιλεῖς cet. Dio Cass. LX. p. 688. C. *uxorem*, Messalinam, quæ propter adulterium et nuptias cum Silio aliaque flagitia, auctore potissimum Narcisso, occisa est, inscio et invito Claudio, qui veniam ei daturus erat, nisi libertus ille cædem festinasset. Conf. ad X, 342. Res nota ex Suet. Claud. 26. 29. 39. et inpr. Tac. Ann. XI, 12. 26—38.

IN

SATIRAM XV.

---

1. *Volusius Bithynicus*, e Bithynia oriundus, amicus Juvenalis, nobis ignotus. Alius *Volusius*, malus poeta, notus ex Catulli c. 36. ubi v. Dœring. Alii quoque memorantur Tac. Ann. XIII, 30. et XIV, 56. (ad quæ loca v. Lips.) III, 30. et XIII, 25. XIV, 46. Nostrum fuisse eum, ad quem Plut. libellum scripserit πρὸς Βιθυνικὸν περὶ φιλίας, (v. Suid.) suspicabatur C. Vales. — *Quis nescit, qualia demens Ægyptus portenta colat ;* minus acerbe Cicero Tusc. Qu. V, 27. *Ægyptiorum,* inquit, *morem quis ignorat ? quorum imbutæ mentes pravitatis erroribus quamvis carnificinam prius subierint, quam ibim aut aspidem aut felem aut canem aut crocodilum violent ; quorum etiam si imprudentes quidpiam fecerint, pœnam nullam recusent.* Eumdem Ægyptiorum morem cultumque animalium, anguillæ, bovis, suum, canis, felis, muris et ibis, asperioribus facetiis perstrinxere Antiphanes, Anaxandrides et Timocles, quorum versus nobis servavit Athenæus VII, 13. p. 300. (VII, 55. T. III. p. 94. 95. ed. Schweigh.) 2. *Portenta,* quæ *omnigenum Deum monstra* dixit Virg. Æn. VIII, 698. *portentificas animalium figuras* Lactant. de orig. erroris II, 14. *horrificos quos prodigialia cogunt Credere monstra Deos* Prudent. contra Symm. I. *Ægyptia illa, non numina, sed portenta* Minuc. Octav. p. 236. Conf. Lucian. de sacrific. c. 14. 15. ubi hæc portenta deorum ridet : ἢν δ' ἐς τὴν Αἴγυπτον ἔλθῃς, τότε δὴ τότε ὄψει πολλὰ τὰ σεμνὰ καὶ ὡς ἀληθῶς ἄξια τοῦ οὐρανοῦ· κριοπρόσωπον μὲν τὸν Δία, κυνοπρόσωπον δὲ τὸν βέλτιστον Ἑρμῆν, καὶ τὸν Πᾶνα ὅλον τράγον, καὶ ἴβιν τινὰ καὶ κροκόδειλον ἕτερον καὶ πίθηκον cet. Eadem

vero portenta etiam India coluit: neque *dementior* Ægypti, quam Græciæ et Romæ, religio fuit ob cultum animalium. [1] Ipsa quoque Roma Ægyptiorum sacra adscivit: quod notat Lucan. VIII, 832 seq. Quædam autem animalia ab omnibus colebantur Ægyptiis, e terrestribus bos, feles, canis; ex aquatilibus lepidotus, lutra, anguilla cet.; e volatilibus accipiter cet.: alia a quibusdam populis, ut ovis a Saitis et Thebanis, capra et hircus a Mendesiis, aquila a Thebanis, lupus a Lycopolitanis, hippopotamus a Papremitis cet. [2] Hæc religionis diversitas sæpe odium, rixas, cædes ac bella peperit; [3] quale fuit odium, idque vetus et immortale, ac bellum inter *Tentyritas* atque *Coptitas* ortum, quod inf. v. 33 seq. describitur. Simile bellum sua ætate exstitisse memorat Plut. de Is. et Osir. Opp. T. II. p. 380. Οἱ Ὀξυρυγχῖται καθ' ἡμᾶς, τῶν Κυνοπολιτῶν τὸν ὀξύρυγχον ἰχθὺν ἐσθιόντων, κύνας συλλαβόντες καὶ θύσαντες, ὡς ἱερεῖον κατέφαγον. ἐκ δὲ τούτου καταστάντες εἰς πόλεμον, ἀλλήλους διέθηκαν κακῶς, καὶ ὕστερον ὑπὸ Ῥωμαίων κολαζόμενοι διετέθησαν. Romanis quoque ipsis aliquando, simili de causa, adversus Ægyptios arma fuisse capienda, docet Ælianus hist. anim. XI, 26. Conf. Pierius hierogl. XXXI extr. Idem Plutarchus l. c. et Diodor. II, 4. tradunt, priscos reges, rebellante frequenter populo, Ægyptum divisisse in varias partes singulisque edixisse, quæ separatim colerent animalia, ut inter se dissidentes non in Principes conspirarent. *Crocodilos adorat*, quia et Ægyptum securum præstant ab Arabiæ Libyæque latronibus, qui metu horum animalium perterriti Nilum trajicere non conantur, et Menam regem ab impetu et furore canum defendisse dicuntur; quas rationes affert Diodor. II, 4. *Crocodilon adorat pars hæc* Ægypti, cet. Τοῖσι μὲν δὴ τῶν Αἰγυπτίων ἱροί εἰσι οἱ κροκόδειλοι, τοῖσι δ' οὔ, ἀλλ' ἄτε πολεμίους περιέπουσι. οἱ δὲ περί τε Θήβας (ut Ombitæ in nomo Thebano) καὶ τὴν Μοίριος λίμνην οἰκέοντες καὶ κάρτα ἥγηνται αὐτοὺς εἶναι ἱρούς· — οἱ δὲ περὶ Ἐλεφαντίνην πόλιν οἰκέοντες καὶ ἐσθίουσι αὐτούς, οὐκ ἡγεόμενοι ἱροὺς εἶναι, Herodot. II, 69. *Gens hominum est huic belluæ adversa in ipso Nilo Tentyritæ ab insula, in qua habitat, appellata. Mensura eorum parva,*

[1] De religione Ægyptiorum ejusque ritibus v. *Creuzer's* Symbolik T. I. p. 248—322. 357 seq. T. II. p. 145. 338. III. p. 77 seq. De cultu illo animalium ejusque causis v. Lucian. de astrolog. c. 5—7. Cic. N. D. I, 36. Diodor. II, 4. Strab. XVII. Herodot. II, 65—76. Jablonski Panth. Æg. IV, 4. T. II. p. 260 seq. et Proleg. p. 19—23. et 83—87. (ubi monet, animalia, tam viva quam inanimata, deorum tantum symbola fuisse) *Meiners* vermischte Schriften T. I. p. 204—224. ejusd. Grundriss der Gesch. aller Relig. p. 32 seq. ed. sec. Baumgärtners Gesch. der vier ältesten Gotth. des Orients p. XXIV seq. *Heeren's* Ideen über die Politik und den Handel der alten Völker T. II. P. I. p. 635 seq.

[2] v. Diodor., Strab. et Herodot. ll. ll.

[3] v. Dion Cass. XLII, 34. et Athanas. in libro contra gentes.

sed præsentia animi in hoc tantum usu (forte *tanto ausu*) *mira. Terribilis hæc contra fugientes bellua est, fugax contra insequentes: sed adversum ire soli hi audent. Quin etiam flumini innatant; dorsoque equitantium modo impositi, hiantibus resupino capite ad morsum, addita in os clava, dextra ac læva tenentes extrema ejus utrimque, ut frenis in terram agunt captivos: ac voce etiam sola territos, cogunt evomere recentia corpora ad sepulturam. Itaque uni ei insulæ crocodili non adnatant; olfactuque ejus generis hominum, ut Psyllorum serpentes, fugantur.* Ita Plin. VIII, 25. s. 38.[4] *Coptitæ* contra (v. Ælian. H. A. X, 24.) et *Ombitæ* (v. Ælian. X, 21.) et Arsinoitæ (v. Strab. XVII, p. 558.) aliique crocodilos religiosis colebant ritibus, et parentes non modo patienter ferebant, liberos suos ab illis raptos devorari, sed honori quoque id sibi ducebant superque ea re lætabantur.[5] Hinc bellum inter *Tentyritas* et *Coptitas* ortum videtur, quod describitur inf. v. 33 seq. Ab illis præterea accipitrem cultum, ab his vero in eorum odium crucifixum esse, tradit Ælianus. Ex his vero, quæ modo dixi, intelligitur, non opus esse crocodilorum cultum referre ad unam tantum eorum speciem, quæ parva ac terrestris sit, nec hominem lædat, quæque σοῦχος s. σοῦχις dicta et in antris puteisque, ut mansuescerent, a Diospolitis educata sit.[6] — *3. illa*, alia pars, adeoque non tota Ægyptus, quod alii memorant. *pavet*, religiose colit: nam religio sæpe dicitur *pavor, metus, timor, formido, horror*, δεισιδαιμονία, פחד, *Gottesfurcht* cet. quoniam ferarum gentium religio metu magis, quam amore divini numinis continetur. *Ibis* (Tantalus Linn.) avis ciconiæ fere similis et utilissima Ægyptiis, quia ranas, serpentes, bruchos, locustas aliaque insecta et amphibia innumera, quibus Ægyptus, post inundationem potissimum Nili, infestatur, devorat ac delet; unde h. l. *satura serpentibus* dicitur. *Ibes maximam vim serpentium conficiunt, quum sint aves excelsæ, cruribus rigidis, corneo proceroque rostro: avertunt pestem ab Ægypto, quum volucres angues ex vastitate Libyæ vento Africo invectas interficiunt atque consumunt; ex quo fit, ut illæ nec morsu vivæ noceant, nec odore mortuæ*, Cic. N. D. I, 36.[7] Ibes crocodilis etiam ini-

[4] Cf. ejusd. XXVIII, 3. s. 6. Steph. Byz. v. Τεντυρίς ibique intpp. Senec. Nat. Quæst. IV, 2. Ælian. H. A. X, 21. et 24. Strab. l. XVII.

[5] v. Ælian. ll. ll. et Maximi Tyrii Dissert. XXXIX. p. 456.

[6] de qua v. Strab. XVII. p. 558. Steph. Byzant. v. Διὸς πόλις, Spanhem. de usu et præst. num. Diss. III. p. 149. 150. ed. sec. Jablonski Panth. Æg. V, 2. T. III. p. 70. 71.

[7] Cf. Diodor. II, 4. Mela III, 8. Plin. X, 28. s. 40. Solin. c. 34. Herodot. II, 75. 76. Jablonski Panth. Æg. V, 5. T. III. pag. 161 seq. Blumenbach in Philosophical Transactions a. 1794. Larcher ad Herodot. T. II. p. 325—330. Böttigeri Sabina p. XVII. ed. pr.

micas esse et, si pennæ earum crocodilis admovcantur, hos protenus obtorpescere, tradit Ælian. de anim. X, 21. et 24. — 4. *Cercopithecus* simia caudata, (*meerkatze*) a *κέρκος*, *cauda*, et *πίθηκος*, *simia*, sic dicta, nigro capite et pilo asinino, (Plin. VIII, 21. s. 30.) quam vel Thebis, vel in aliis Ægypti oppidis cultam esse, non aliunde, quod sciam, constat. Juxta Nilum tamen scribit Solinus multos simios nasci, et cercopithecos adorari in Arabia ad Memnonium; Brit. [8]

5. Designantur Thebæ Ægyptiæ, ubi in templo Serapidis colossus fuit vel saxea *Memnonis effigies*, (e nigro marmore et forma hominis sedentis) quæ, solis orientis percussa radiis, sonum citharæ similem edidisse dicitur, et adhuc exstat. [9] Qui miraculum rei augent, sonum illum, quarto adhuc sæculo p. Ch. n. auditum, dicunt oriente sole lætum, occidente lugubrem fuisse, vel adeo vocem hominis, et quidem canentis vel clamantis vel querentis. *Memnon* autem Ægyptius solis orientis symbolum fuit, et nomen ejus corruptum traductumque ad res quoque Trojanas ingenio poetarum, qui eum Tithoni et Auroræ filium fecere. [10] *chordæ magicæ*, h. e. statua, quæ magica arte sonum vocalem, instar chordarum citharæ, edere credebatur. *Τὸ ἄγαλμα κάθηταί τε καὶ ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν ἀνίσχοντος ἡλίου βοᾷ, καὶ τὸν ἦχον μάλιστα εἰκάσει τις κιθάρας ἢ λύρας ῥαγείσης χορδῆς*, Pausan. I, 42. *Memnone dimidio*, h. e. in statua, quæ non integra est, sed dimidiata; (v. ad III, 219.) quod terræ motui tribuit Strabo l. c. sed Cambysi Pausan. l. l. et vetus Schol. cujus glossa est hæc: "Memnonis ex ære statua, citharam tenens, certis horis canebat. Hanc Cambyses rex jussit aperiri, existimans mechanicum aliquod esse, quod intra statuam lateret: nihilominus tamen aperta statua, quæ erat magice consecrata, horis statutis sonum reddidit. Ideo *dimidio* dixit, id est aperto et diviso." Schol. nondum editus, quem Douza ad Catull. laudavit:

[8] Grangæus *cercopithecum* putat h. l. cynocephalum dici, quod is ejusdem prope formæ ac figuræ sit idemque Ægyptiis sacerrimum animal, teste Jo. Pierio Hieroglyph. lib. VI.

[9] v. Philostr. in Heroic. c. 4. in Icon. I, 7. et in vita Apollon. VI, 3. et 4. Callistrat. Stat. I. p. 891. IX. p. 901. Tzetz. Chil. VI. hist. 64. Plin. XXXVI, 7. s. 11. Tac. Ann. II, 61. Luciani Toxaris c. 27. inpr. Strab. XVII. p. 818. al. 1170. 1171. Pausan. I, 42. Pocockii Description of the East T. I. p. 101. 102. tab. 26. 27. ejusd. Inscr. antt. c. 9. Jablonski de Memnone p. 58. et 83—117. et qui post illos verum fabulosæ narrationis sensum enucleare conati sunt, de Veltheim von der Memnons-säule, Dornedden in libro, cui titulus est: Phamenophis Gœtt. 1797. et Langlés in nova edit. Itiner. Nordeni: Voyage d' Egypte et de Nubie Paris. 1795. T. II. p. 159 seq. et Creuzer Symbolik T. I. p. 307. et T. IV. p. 429.

[10] v. Jablonski l. l. et Heyne Exc. XIX. et XXVI. ad Virg. Æn. I. et not. ad Apollod. III, 12, 4.

" Statua, inquit, Memnonis filii Auroræ ita arte quadam mechanica composita, ut humana voce Regem et Solem salutaret. Postea rex Cambyses volens hanc rem cognoscere, partem statuæ abscidit, et sic postea Solem tantum, non etiam Regem salutabat: unde *dimidio Memnone* dixit." — 6. *Thebe*, Θήβη, Διὸς πόλις, vulgo *Thebæ*, et quidem non Bœotiæ vel aliarum regionum urbs sic dicta, (v. ad XIII, 27.) sed antiquissima hujus nominis urbs Ægypti, unde h. l. *vetus*. Conf. Diodor. II, 1. Θῆβαι Αἰγύπτιαι ἑκατόμπυλοι Hom. Il. IX, 383. *portis centum*, h. e. multis, ut ἑκατόμπολις Κρήτη et al. Conf. Kœppen ad Hom. l. c. et Diodor. I, 45. qui tamen lib. II. c. 1. *portas centum* dixit quorumdam sententia totidem esse templorum januas. Alii tot aulas vel domos Principum innui existimant. v. Mela I, 9. *jacet obruta*, ruderibus s. ruinis; diruta a Cambyse. v. Plin. XXXVI, 9. s. 14, 2. Diodor. II, 1. (qui et regiam sedem inde Memphin tradit translatam esse) Bochart. Geogr. sacr. p. m. 314 seq. et de *veterum Thebarum magnis vestigiis* Tac. Ann. II, 60. Strab. XVII. p. 816. et Itineraria Pauli Lucæ, Pocockii, Savarii et inpr. Nordeni. (Drawings of ruins and statues at Thebes, Lond. 1741. 4to.)

7. *Illic cæruleos*, h. e. maris *pisces*. v. Excurs. ad h. l. *piscem fluminis*, Nili, v. c. τὸν λεπιδωτὸν, τὴν ἔγχελυν, τὸν ὀξύρυγχον, τὸν λάτον et al. v. Herodot. II, 72. Strab. XVII. p. 812. Jablonski Panth. Æg. T. II. p. 87. — 8. Notatur ridicula religio hominum, qui canes colant, comites Dianæ venatricis, non vero dominam eorum et venationis deam, Dianam. *Canis* in Ægypto animal sacrum, inpr. Cynopolitis, dedicatumque Anubidi cynocephalo. v. ad VI, 534. Κυνῶν πόλις Αἰγυπτία πόλις, ἐν ᾗ πόλει ὁ Ἄνουβις τιμᾶται, Steph. de urb. Lactantius de falsa sap. V, 20. tradit, canes in tanto apud Ægyptios honore fuisse, ut, si in domo aliqua canis moreretur, omnes in ea toto corpore raderentur, quod maximi fuerit luctus indicium. Verba *nemo Dianam veneratur* pathice magis et ironice, quam vere dicta putant, quod Ægyptii Bubastin coluerint, quæ Ἄρτεμις Græcorum seu Romanorum Diana fuerit. Ita certe Bubastin interpretantur Herodot. II, 156. aliique scriptores veteres, quos laudat Jablonski Panth. Æg. III, 3. T. II. p. 59 seq. Idem tamen vir doctus bene de h. l. ibid. p. 58. ita disputavit: " Potest hic esse verborum illorum sensus, oppida permulta colere *canem*, Anubim videlicet, in quibus tamen nullus Bubasti vel *Dianæ* cultus offerretur. Aut potuit poeta id intelligere de *Diana* Græcorum et Romanorum, montium nemorumque custode et venatorum præside, quam sane in *Bubasti* sua (symbolo novilunii) Ægyptii

non venerabantur. Forte etiam tempore illo, quo scribebat Juvenalis, sacra Bubastia, olim Ægyptiis sacrosancta summaque solennitate ac lætitia celebrata, a pristino splendore magnopere desciverant neglectaque jacebant. Neque etiam scriptor aliquis ætate illa junior nunc mihi succurrit, qui de sacris illius Deæ, ceu suo etiamnum ævo celebratis, loquatur. Non mediocriter suspicionem hanc auget Strabo XVII. p. 353. ubi loquens de urbe Bubasto solum ejus nomen commemorat, templi vero ibidem visendi sumtuosi et vere admirandi mentionem plane nullam injicit."

9. Non animalia tantum sacra erant Ægyptiis, sed arbores etiam et plantæ, *porrum*, *cæpa*, allium, lens, faba cet. Conf. Diodor. II, 4. Plin. XIX, 6. s. 32. (*Allium cæpasque inter Deos in jurejurando habet Ægyptus.*) ibique Hard. Neque tamen, quod poeta h. l. ridet, has plantas in deos retulisse divinumque iis cultum tribuisse videntur Ægyptii; quod nec Plinium l. l. sibi persuasisse crediderim, cujus verba etiam hoc sensu accipi possunt: Ægyptii non modo per deos jurant, sed per allium quoque et cæpas. Id forte eamdem ob causam fecerunt, ob quam Rhadamanthus jussisse dicitur, per anserem vel canem vel arietem, platanum aliave hujus generis jurare; ut scilicet nemo temere nomine divino ad res quascumque abuteretur.[11] Ægyptii plantas, supra memoratas, valetudini forte noxias esse putarunt, (conf. Diodor. l. c.) et sacras hinc fecerunt, ut nemo eas ederet; vel alias ob causas iis abstinuerunt. Cur nefas duxerint *cæpas* edere, docent Plut. de Is. et Osir. Opp. T. II. p. 353. E. F. (Οἱ δὲ ἱερεῖς ἀφοσιοῦνται καὶ δυσχεραίνουσι καὶ τὸ κρόμμυον παραφυλάττοντες, ὅτι τῆς σελήνης φθινούσης μόνον, εὐτροφεῖν τοῦτο καὶ τεθηλέναι πέφυκεν. ἔστι δὲ πρόσφορον οὔτε ἀγνεύουσιν οὔτε ἑορτάζουσι, τοῖς μὲν, ὅτι δίψῃν, τοῖς δὲ, ὅτι δακρύειν ποιεῖ τοὺς προσφερομένους.) et ex eo Gell. XX, 7. al. 8.

10. Salsa, sed injusta, opinor, irrisio ridiculæ superstitionis. *O sanctas*, religiosas, *gentes*, σαρκαστικῶς, ut *O sancta simplicitas!* 11. *Lanatis animalibus abstinet omnis mensa*, h. e. ovium esu abstinet omnis Ægyptus, et quidem, si Diodoro II, 4. fides habenda, quoniam bis edunt fetus et lac, caseum lanamque hominibus præbent, adeoque propter summam utilitatem: vel propter primum signum Zodiaci, ovis vel arietis, quem sol ingreditur, figura expressum; unde etiam Saitis ac Thebæis aries vel ovis sacra erat et in templo Jovis Thebæi

[11] v. Eustath. ad Homeri Odyss. υ, Æg. V, l. T. III, p. 8. 9. et Harduin. p. 1871. ed. Rom. Jablonski Panth. l. c.

s. Amun, tamquam viva Ammonis imago, nutriebatur; de quo v. Herodot. II, 42. Strab. XVII. p. 559. Lucian. de astrolog. c. 7. Jablonski Panth. Æg. I, 3. et II, 2. T. I. p. 74. 75. et 161—173. 12. Capra et potissimum caper s. hircus animal sacrum Ægyptiis, præcipue Mendesiis, quorum sanctissimus Deus fuit Mendes, symbolum vis sativæ ac genitivæ, quæ in natura inest, vel fecunditatis fertilitatisque, qua mundus noster conservatur; unde hircus, tamquam viva Mendetis imago, colebatur in magnifico templo, quod in honorem Mendetis exstructum erat in metropoli Mendesiorum Thmui, quæ etiam a numine tutelari Mendes dicebatur. Conf. Herodot. II, 46. (qui hircum quoque in Ægyptiorum lingua Μένδην appellari tradit) Suidas v. Μένδην, Bochart. Hieroz. P. I. lib. II. c. 43. et Jablonski Panth. Æg. II, 7. T. I. p. 272—289. Μενδήσιοι τὸν Πᾶνα τιμῶσι καὶ τὸν τράγον, Steph.

13. Nefas in Ægypto animalibus, sed fas *humanis carnibus vesci!* Hinc omnis et justa poetæ indignatio, quam per totam effudit satiram et quæ ad hanc scribendam eum impulit. Conf. Diodor. II, 4. qui tradit, fame olim Ægyptios premente, multos fuisse, qui humanam ederint carnem et ab animalibus sacris abstinuerint. Neque tamen omnes Ægyptii nefas duxerunt quibuscumque animalibus vesci, sed alia gens aliis iisque sacris et quæ vivæ Deorum imagines essent. Illa quoque dementia immanisque crudelitas, cujus insigne exemplum inf. v. 33 seq. commemoratur, non omnibus Ægyptiis exprobrari potest: et minus mira videri debet, quoniam ex religione profecta est. Ab hominibus enim, quorum mentes superstitione aut perversis de Diis rebusque divinis opinionibus imbutæ sint, inhumanitate ac sævitia omnem superari posse barbariam, historia medii, quod dicitur, et vel nostri ævi docet. Conf. Lessingii Nathan.

13—32. Quæ Ulysses *Alcinoo,* Phæacum regi, a quo exceptus erat hospitio, (Hom. Odyss. VI—XIII.) *super cœnam,* h. e. inter cœnam s. cœnandum, narravit de inhumanitate et ἀνθρωποφαγίᾳ *Cyclopum,* inpr. Polyphemi, et *Læstrygonum,* ferarum Siciliæ et Italiæ gentium, (Hom. Odyss. IX, 106—125. 180—542. et X, 80—132.) etsi fabulosa videbantur ipsis Phæacibus, tamen minus atrocia sunt, quam quæ his temporibus in Ægypto contigerunt quæque de Tentyræis referam. Ægyptii, sapientiæ fama olim clarissimi, barbaris comparantur populis: quæ tamen comparatio proprie non nisi ad Tentyræos et crudelitatem, ex religione natam, spectat. 13 seq. Conf. Lucian. ver. hist. I, 3. Ἀρχηγὸς δὲ αὐτοῖς (Ctesiæ et Iambulo, qui fabulose multa

narrarunt) καὶ διδάσκαλος τῆς τοιαύτης βωμολοχίας ὁ τοῦ Ὁμήρου Ὀδυσσεὺς, τοῖς περὶ τὸν Ἀλκίνοον διηγούμενος ἀνέμων τε δουλείαν καὶ μονοφθάλμους καὶ ὠμοφάγους καὶ ἀγρίους τινὰς ἀνθρώπους, ἔτι δὲ πολυκέφαλα ζῶα καὶ τὰς ὑπὸ φαρμάκων τῶν ἑταίρων μεταβολὰς, οἷα πολλὰ ἐκεῖνος πρὸς ἰδιώτας τοὺς Φαίακας ἐτερατεύσατο. *Attonito* novitate et miraculo rerum, quas Ulysses narrabat. *Tale facinus,* scil. ἀνθρωποφαγίαν Polyphemi et Antiphatis. 15. *bilem*, iram et indignationem. *quibusdam* convivis, Phæacibus discumbentibus. 16. *Aretalogus*, qui de virtute sua (ἀρετῇ) rebusque a se gestis multa prædicat, qualis fuit miles ille gloriosus Plauti.[12]

16—23. Verba cujusdam e Phæacibus accumbentibus, fabulosa hæc audientis; quod ex v. 24. intelligitur. Egregie autem augetur miraculum rei eo, quod vel rudi feroque populo Ulysses mendax videtur aretalogus; sed, quod facete poeta v. 24. 25. addit, iis tantum convivis Alcinoi, qui *nondum ebrii* erant. Ipsa quoque Phæacis hujus oratio festiva ac præclara. 17—22. Memorantur fabulosa, quæ Ulysses Alcinoo narravit de Charybdi, Læstrygonibus, Cyclopibus, Scylla, Symplegadibus, utribus Æoli et Circe. 17. *Charybdis* propr. vehementior fluxus undarum, quæ a septemtrione in Austrum, acrioribus potissimum ventis australibus, qui eas repellunt, ad scopulum, ex adverso Scyllæ positum, alliduntur.[13] *vera Charybdi,* non fabulosa, qualem adumbravit Ulysses ap. Hom. l. l. *abicit* ἀρχαϊκῶς et metri causa dictum pro *abjicit*, ut passim omnia ex *jacio* composita, *subicere, inicere, adicere, proicere, conicere, obicere,* unde *obices* et *subices*.[14] — 18. *Læstrygones,* ferus populus, cujus reges Lamus et Antiphates fuere ac prisca sedes Formiæ, opp. Latii in finibus Campaniæ, (hod. Mola, in Terra di Lavoro) prope Caietam (nunc Gæta) in intimo sinus Caietani s. Formiani recessu.[15] *Cyclopes* fera Siciliæ gens, quæ,

[12] Cf. Suet. Aug. c. 74. ubi Casaubonus *aretalogos* monet parasitos esse philosophos, qui de virtutibus disputare soliti sint apud mensas divitum: quos *circulatores* vocat Seneca Ep. 29. Sed v. Ernesti ad Suet. l. c. Turnebus Advers. X, 12. *Aretalogus*, inquit, non tam videtur a irtute (ἀρετῇ) dici, quam ab ἀρετὸς, i. e. gratus et placens, qui narrationes et fabellas acroamataque auribus auditorum grata loquitur: proinde et nugatores eo etiam nomine et garruli censentur, quum usu veniat persæpe, ut scurræ illi nugentur et garriant. Idem perperam putabat, *aretalogum* vocari Ulyssem ab *Arete*, uxore Alcinoi, cujus nominis priores syllabæ producuntur.

[13] Cf. Hom. Odyss. XII, 73 seq. 101 seq. 235 seq. Cluver. Sicil. ant. I, 5. Heyne ad Virg. Æn. III, 240 seq. et Herrmanni Mythol. T. I. p. 374.

[14] v. intpp. loci class. Gell. IV, 17. Spalding. ad Quintil. I, 4, 11. Brœkhus. et Heyne ad Tibull. I, 8, (9,) 54. Munker. ad Fulgent. II, 4. III, 6. Duker. ad Flor. I, 10, 5.

[15] v. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 67. Fazellus rer. Sicul. I, 2. Mitscherl. ad Horat. Od. III, 16, 34. 17, 1—9.

æque ac Læstrygones, carne humana vesci solebat.[16] Notissimus eorum Polyphemus, qui Ulyssis socios devorasse dicitur. Conf. ad IX, 64. 65. —19. *Scylla* rupes ad litus Italiæ, versus Scyllæum opp., cui humana forte olim forma fuit.[17] *Citius Scyllam crediderim* cet. v. ad X, 220. — 20. *Cyaneæ*, Κυάνεαι scil. πέτραι, petræ s. cautes, duæ insulæ vel potius cautes sub ingressum Ponti Euxini s. Bospori Thracii, a cæruleo vel maris colore sic appellatæ, (v. Schol. Apollon. ad lib. II, 318.) quæ olim non sine periculo transeuntium inter se *concurrisse* feruntur, (unde et Πλαγκταὶ, vagæ, errantes, Συμπληγάδες et Συνδρομάδες dictæ) sed Argonautis transgressis immobiles stetisse. (Apollon. II, 309 seq. 551—610.) Fabulosa narratio de concursu earum inde orta, quod tam parvo (XX stadiorum) discretæ erant intervallo, ut, potissimum iis, qui eminus eas conspicerent, concurrere quasi inter se aut collidi viderentur, (v. Strab. III. p. 149. et VII. p. 319.) vel ut ex adverso intrantibus geminæ cernerentur paulumque deflexa acie coeuntium speciem præberent; (ita Plin. IV, 13. s. 27.) vel denique, quod situs earum sub navigationis per Pontum Euxinum initia incertus habebatur, ita ut errare per mare crederentur. (Quæ est sententia Heynii ad Apollod. I, 9, 22.) Ita etiam Argonautarum navigatione immobiles aut stabiles factæ perhibentur propterea, quod illa verus earum situs veraque indoles innotuit, et transituris postea metus periculi ademtus est. " Hodie illas vulgus vocat *Pavonare*: Thevetus etiam testatur, eas Barbaris dici *Iarcazes*," Grang. Vetus Schol. (nam reliqui interpretes id tacitum relinquunt) quærit h. l. " numquid et ad hæc saxa Ulyxes accessit?" Sed conf. Hom. Odyss. XII, 55 seq. ubi Cyaneæ petræ s. Πλαγκταὶ non in Euxino, sed Siculo mari collocantur, et Ulysses Alcinoo narrat, Circen suasisse, ut non per Planctas, sed per Scyllam et Charybdim, ut viam minus periculosam iret. De verbis *concurrentia saxa Cyaneas* v. Var. Lect. 20. Ex Hom. Odyss. X, 1—75. nota est fabula de ventis, qui *utribus* inclusi ab Æolo dati sint Ulyssi navigaturo, et postquam hujus socii utres aperuerint, rati aliud intus latere, soluti atrocem moverint tempestatem: unde et poeta bene *tempestates* dixit pro ventis, earum causis. Conf. Heyne in Exc. I. ad Virg. Æn. I. — 21. 22. *Circe* famosa venefica, cujus sedes a poetis ex Æa, Colchorum urbe, translata

Heyne ad Tibull. IV, 1, 59. et inpr. Exc. I. ad Virg. Æn. VII.

[16] v. Plin. VII, 2. et Heyne ad Virg. Æn. I, 201. et III, 582 seq.

[17] Conf. Hom. Odyss. XII, 73—100. Cluveri Sicil. ant. I, 5. Heyne ad Virg. Æn. III, 420 seq. et Herrmanni Mythol. T. I. p. 373. 374.

est in Ææam ins. sive Circeios prom. Latii, ubi Ulyssem excepisse hospitio et *Elpenora cum* XXI aliis *remigibus* vel sociis ejus *tenui verbere* virgæ *percussos* (ῥάβδῳ πεπληγυῖα) mutasse in *porcos,* mox vero veneficiis pristinæ formæ restituisse dicitur: quo mytho voluptatum vis ad mores ferinos hominibus induendos et rationis ad eosdem exuendos declaratur. [18] *Elpenora* fuisse e sociis Ulyssis, in sues mutatis, non constat ex Homero, qui tamen alia de eo refert Odyss. κ, 552 seq. et λ, 51—80. Grangæus eum potius nominatum putabat, quam quemquam aliorum, quod ebrius obdormiverit in tecto ædium Circes et deinde lapsus per gradus interierit. *cum remigibus porcis,* h. e. qui in porcos mutati erant. 23. *Tam vacui capitis,* sine cerebro, (κενεγκρανιον vet. Schol.) h. e. tam bardum stupidumque, *populum Phœaca,* Phæacium, (v. ad XIV, 287.) *putavit* esse, ut talibus fabulis fidem haberet? *Phœacia* ins. Ionii maris prope Epirum, quæ etiam *Corcyra* vocatur et nunc *Corfu:* unde mox *Corcyræa urna.* (Cf. Plin. IV, 12. s. 19. ibique Hard.) *Phœaces* autem pro crudelibus et stultis etiam proverbii loco dicebantur; ut et pro iis, qui cutem curant luxuriæque diffluunt, v. c. Horat. Epist. I, 15, 24. Notus potissimum Alcinoi luxus: unde lepide mox apteque de ejus convivis v. 24. *Sic aliquis merito* dixit, qui *nondum ebrius* erat cet. et de *urna* temetum ducere. Conf. ad v. 16 seq. *Temetum,* vinum, quæ præcipua *temulentiæ* causa est. (Conf. Gell. X, 23. Plin. XIV, 3. et Festus.) *minimum temetum,* v. Var. Lect. *temetum duxerat,* hauserat vel biberat, ut *ducere pocula* ap. Horat. Od. I, 17, 22. (ubi v. intpp.) vel *Cadus erat vini: inde implevi hirneam: eam ego vini eduxi meri* ap. Plaut. Amphitr. I, 1, 273. 274. νέκταρ et μέθυ ἀπὸ et ἐκ κρητῆρος ἀφύσσειν καὶ ἐγχέειν δεπάεσσιν (*urnæ* h. l. de cujus voc. proprio significatu v. ad VI, 426.) ap. Hom. Il. I, 598. et Od. IX, 9. — 26. Ulysses solus sociis amissis naufragio evaserat, et postquam duas nataverat noctes ac dies, in litus Phæaciæ ejectus erat. v. Hom. Odyss. V, 365 seq. *Ithacus,* Ulysses. v. ad XIV, 287. *nullo sub teste,* sine teste; ut ap. Ovid. Met. XIII, 14. 15. *Sua narret Ulysses, Quæ sine teste gerit.* v. ad IV, 12. Quæ contra mox narrat poeta, non minus *quidem miranda* erant, *sed nuper gesta,* et totius *populi scelus;* unde veritas rei facile explorari ac cognosci poterat. *canebat* facete dictum videtur pro *narrabat,* ut fabulosæ designentur narrationes, quales solent esse poetarum, qui proprie *cancre* dicuntur.

[18] Conf. Hom. Odyss. κ, 135—468. et Herrmanni Mythol. T. I. p. 392 Heyne Exc. I. ad Virg. Æn. VII. seq.

27. En memorabilem temporis definitionem, quæ ad majorem quoque rei fidem faciendam valet. Sed pro dolor! neque lectio satis certa est, (v. Excurs. ad h. l.) neque constat, quis et quando *Junius* ille *consul* fuerit. Nonnulli perperam intelligunt ipsum Juvenalem nostrum; alii *App. Junium Sabinum*, qui cum Domitiano (cujus hic etiam satirice perpetuum consulatum silentio notari non abs re videbatur Pithœo) consul fuit a. U. DCCCXXXVI; Salmasius vero in Exerc. Plin. p. 447 seq. (v. sup. Vol. I. p. XLII. et LVI.) *Q. Junium Rusticum*, qui consul fuit cum Hadriano, anno imperii ejus tertio et U. C. DCCCLXXII. Hæc conjectura ceteris probabilior est, et tum hæc satira eodem anno scripta videri potest, quo decima tertia. v. ad XIII, 16. et vit. Juven. per annos digestam pr. Vetus Schol. " De se dicit Juvenalis, qui in Ægypto militem (*limitem* conj. Hennin. et *vitem*, insigne centurionis, Pith.) tenuit, et ea promittit se relaturum, quæ ipse vidit." 28. *Referam*, quæ *nuper gesta* sunt *super*, supra, ultra, ut ὑπὲρ, (v. Duker. et nos ad Liv. I, 2, 3. et XXXI, 47, 3.) *mœnia Copti calidæ*, (v. ad VI, 527.) intra fines Copti et Tentyrorum. Aptius etiam voc. *super* h. e. ultra, si poeta, qui *refert, quæ ipse notavit* et vidit, (v. 45.) Copti commoratus est, quum bellum hoc inter Coptitas et Tentyritas, incolas oppidorum finitimorum, (v. 33.) gereretur. *Coptus* (*Copti* v. 35.) commune Arabum Ægyptiorumque oppidum, a Diocletiano dirutum nec nisi XII mill. pass. remotum a Tentyris; emporium celeberrimum, quo merces Indicæ, Arabicæ et Æthiopicæ, Arabico sinu advectæ, deportabantur. Metropolis fuit Nomi Coptici, et mediterranea, non ad ipsum Nilum sita, sed ad canalem ex hoc fluvio ductum, in quo merces illæ, ab Arabico sinu vel Berenice camelis et via publica Coptum devectæ, navibus in Nilum et deinde Alexandriam deferebantur. v. Plin. V, 9. VI, 23. s. 26. et X, 33. s. 49. Strab. XVI. p. 781. al. 1128. et XVII. p. 815. al. 1170. Zonar. II. extr. Mémoires sur l'Egypte anc. et mod. par d'Anville p. 196. Abulfedæ Descript. Ægypti p. 16. et ad eum Michaelis not. 153—164. p. 73—78. ubi præter alia docet, vicum hodiernum *Koft* vel *Kift*, ad ipsam Nili ripam situm, non esse Coptum antiquam, sed vicum, quo pro portu usa sit Coptus, urbs mediterranea, et in quo nomen ejus hæserit. Ramusio putabat, Coptum hodie *Canam* dici s. *Chanam*. — 29 seq. *Nos* referemus *scelus*, non unius hominis, sed *vulgi*, totius populi, quale numquam auditum est nec a *Tragicis* poetis descriptum; *graviora cunctis cothurnis*, h. e. iis, quæ in tragœdiis solent tractari. v. ad VI, 506. — 30. *a Pyrrha*, inde a tempore Pyrrhæ, h. e. diluvii, quo

Deucalion et Pyrrha, uxor ejus, vixere, ut sup. I, 81 seq. *Ex quo Deucalion nimbis tollentibus æquor Navigio montem adscendit* cet. ubi v. not. *syrmata,* tragœdias; (ut ap. Martial. IV, 49, 8. et XII, 96, 4.) v. ad VIII, 229.

33 seq. Conf. ad v. 2. *Inter finitimos Coptos et Tentyra,* h. e. inter hæc finitima oppida eorumque incolas. 34. *Vulnus* animi, dolor vel indignatio et ira, Gr. ἕλκος. Conf. Var. Lect. — 35. *Coptos,* v. ad v. 28. Vera autem videtur hæc lectio esse, non *Ombos.* v. Var. Lect. *Tentyra* vel *Tentyris,*[19] hod. *Dendera,* urbs Thebaidos, in Africæ latere seu ad occidentalem Nili ripam sita et proxima Diospoli parvæ, (a qua versus austrum eam M. P. XXVII. abesse docet Antoninus) unde Τεντυρίτης νομὸς dictus: (Plin. V, 9.) ubi permulta adhuc reperiuntur rudera cum tot notis hieroglyphicis, ut vix per annum delineari possint.[20] *utrimque,* ab utraque parte, civitate. — 36 seq. v. sup. ad v. 2. — 38. *tempore festo alterius populi,* Tentyritarum; (ut v. 73. *pars altera*) ut alii putant, Coptitarum. Cf. ad v. 73 seq. *rapienda,* captanda, raptim et cupide amplectenda: nam *rapere* s. *corripere,* Gr. ἁρπάζειν, dicitur pro raptim sive facere sive capere, v. c. tempus, diem, pugnam, gressus, letum, viam, campum cet.[21] *occasio* odii expromendi atque ulciscendi, seu prohibendi, *ne* Coptitæ *lætum diem,* h. e. lætitiam festi diei, *sentirent* cet. quo invidia rei augetur. 40. *primoribus inimicorum,* Coptitarum; alii: Tentyritarum. 42. Ægyptii *cibos palam et extra sua tecta capiunt, obscœna intimis ædium reddunt,* Mela I, 9. — 43. *Toro,* lecto discubitorio, *pervigili,* in quo noctes quoque pervigilant, genio indulgentes. v. ad VIII, 158. *jacentem,* v. Var. Lect. — 44. Sacrorum festivitate et hilaritate convivii septem interdum dies noctesque continuæ extrahuntur. (Cf. Salmas. Exerc. Plin. p. 441.) *Horrida,* aspera et sæva, *sane* est *Ægyptus* tota, omnes Ægyptii; vel, ut alii putant, ea pars Ægypti, de qua h. l. agitur: (utraque ratio dura est et vid. Var. Lect.) *sed barbara turba,* gens, (Coptitæ) *luxuria non cedit famoso Canopo,* (v. ad I, 26.) adeoque luxu effeminata est et minus fortis, vel facile vincenda. *quantum ipse notavi, αὐτόπτης:* unde constat, poetam in Ægypto fuisse. Conf. ad Argum. hujus Sat.

[19] plur. num., τὰ Τέντυρα, h. l. et inf. v. 76. sed sing. in Notit. Imp. Rom., ap. Strab., Ptol. et al. *Tentyris* ap. Plin. V, 9. s. 11. ubi v. Hard.

[20] v. Bruce's Travels to discover the source of the Nile, Vol. I. cap. IV. p. 105 seq.

[21] v. ad Sil. I, 570. et Heins. ad Ovid. Epist. XIX, 74.

47 seq. Alia memoratur causa, cur Tentyritæ a Coptitis (alii: hi ab illis) facile potuerint vinci. Conf. Sen. Ep. 83. Ægyptios esse φιλοίνους καὶ φιλοπότας, notat Athen. I, 25. p. 34. (I, 61. et 62. T. I. p. 129. ed. Schweigh.) *madidis*, βεβρεγμένοις, ebriis. Sic *vino madere, madidum esse, dilui, irrigari, tingui, prolucre se*, βρέχεσθαι, τέγγεσθαι, et hinc *fluere mollitia* et *luxu, diffluere luxuria.* (v. ad Sil. XII, 18.) Iidem ebrii dicuntur *blæsi*, balbutientes, quorum lingua oberrat et vacillat, qui non perspicue, neque omnia, quædam vero iterum tertiumque dicunt.[22] 48 seq. *Inde*, ex una parte, scil. Tentyritarum (alii: Coptitarum), ebrietas et saltatio, at (v. 51.) *hinc*, ab altera parte, Coptitarum, *odium jejunum* erat, h. e. hominum jejunorum sobriorumque. Ab inimicis infesta sobrietas; Schol. Possis etiam verba *inde* et *hinc* ad unum idemque subjectum referre: *inde*, scil. ex ebrietate, saltatus cet., *hinc*, ex eadem *jejunum*, h. e. infirmum *odium* (viribus ebrietate fractis) proficiscebatur. Sed illa ratio præstat. 49. *tibicine*, tibiis canente, *nigro*, Mauro, Æthiope, adeoque forte rudi, quod tamen ebrii non curant; vel potius fusco Ægyptio, judice Grang. qui contulit Prop. IV, 8, 39. *Nilotes tibicen erat, crotalistria Philis*, et Petron. fragm. II, 1 seq. *Memphitides puellæ Sacris Deum paratæ: Tinctus colore noctis, Manu puer loquaci. qualiacumque*, cujuscumque generis. Etiam hoc ebriis convenit. Non designatur vilitas unguentorum, quæ in Ægypto pretiosissima erant.

51 seq. *Jurgia*, contentiones verborum, altercatio, *prima*, primum, *sonare incipiunt animis ardentibus* vino et ira; *hæc tuba*, incitamentum, *rixæ*, certaminis, instar tubæ, quæ signum dat et accendit ad pugnam. Conf. III, 288. et V, 26. *Jurgia* ad verba tantum spectant, *rixa* vero cum ad verba et objurgationes, tum ad facta et vim inferendam. Possis etiam *jurgia* referre ad leviorem dissensionem altercationemque, et *rixam* ad acriorem verborum contentionem et convicia, quibus ita irritati sint animi, ut *dein clamore pari concursum* et *manus* consertæ sint. Similis locus est Tac. Hist. I, 64. *Jurgia primum: mox rixa inter Batavos et legionarios, dum his aut illis studia militum aggregantur, prope in prœlium exarserc.* Conf. ibi Ernesti. 53. *vice teli*, loco armorum: ut ap. Ovid. Met. XII, 382. — 54. *Sævit manus nuda*, inermis, sine justis armis: unde *nuda prœlia* dixit Prop. IV, 1, 28. et *nudam pugnam* Stat. Theb. I, 413. quæ mox præclare et festive adumbratur.

[22] De quo temulentiæ effectu ejusque causis copiose disputat Arist. in Problemat.

54—74. Conf. Virg. Æn. VII, 505—527. *toto certamine*, in omni pugnantium turba. Conf. Var. Lect. — 57. *Dimidios vultus*, v. ad VIII, 4. *facies alias*, mutatas deformatasque vulneribus et cruore. *hiantia*, detecta, exstantia. 59. *Ludere*, ludicram, non seriam rem agere *se credunt*, nisi aliquis interimatur et conculcetur, ut in justa pugna fit. 61. 62. Faceta poetæ sententia et ironia salsa. *quo*, v. ad VIII, 9.

62 seq. Virg. Æn. I, 150. *Jamque faces et saxa volant; furor arma ministrat*, et VII, 507. *quod cuique repertum Rimanti, telum ira facit.* — 63. *inclinatis lacertis*, non, ut quidam volunt, demissis ad saxa tollenda, sed inclinatis brachiis et reductis in modum circuli ad vibrandum; Ach. Immo illa ratio huic præferenda. 64. *Tela*, arma, *seditioni domestica*, familiaria et consueta, vel propria, vel quæ in promtu sunt: nisi epitheton, si sensum spectes, ad *seditionem* referendum est et *seditioni* doctius dictum pro *seditionis*, vel ita legendum. *domestica* competentia furori: nam nulla sic sunt domestica rixantibus tela, ut saxa; vet. Schol. Ach. et alii legunt *seditione* et hoc dictum putant pro *in seditione*.

65 seq. Non tam grandia jaciunt saxa, qualia olim heroes misisse perhibentur. Obiter notat Virgilium cum Homero, quod præter decorum heroas lapidibus concertasse canant, et præter verisimilitudinem nimia hyperbola lasciviant in saxis, in heroibus ipsis et similibus; Hennin. Heroes Homerici sæpe (v. c. Il. IV, 517. V, 303 seq. VII, 264 seq. XI, 264 seq. XII, 445 seq. XIV, 409 seq.) saxa, eaque immania, jaciunt, quum alia deficiunt arma vel ad magna conamina non sufficiunt: quod ad ipsos quoque Deos transfertur Il. XXI, 403 seq. Id quidem nobis videtur parum decere bellatorem; sed quam maxime congruit moribus heroum hominumque, qui et rudes sunt et ira feroces: quod jam notavit Kœppen ad Hom. Il. V, 305. qui etiam in not. ad Il. I, 272. et in comment. de Homeri vita et carm. p. 165—173. docet, non plane vanam esse fidem illam et opinionem de vastis priscorum hominum corporibus viribusque, vitæ cultusque elegantia nondum debilitatis, qua excolatur quidem corpus, sed simul vires ejus imminuantur. Rex tamen ab Homero in majus et in miraculum extollitur: idque obiter significat poeta satiricus; etsi illud consentaneum est primario consilio, quod epici poetæ sequuntur, quodque ad animos rerum narratarum admiratione afficiendos spectat. [23]

[23] v. Heyne ad Virg. Æn. XII, 896 Dei XV, 9. Salmas. Exerc. Plin. p. 42. —902. Gell. III, 10. Augustin. de civit. 43. Lips. Physiol. Stoic. III, 5. Lucret.

hunc, talem, *lapidem, quales* (doctius quam *qualem*) sc. torsit *Turnus* in Æneam, (v. Virg. Æn. XII, 896 seq.) *Ajax* in Hectorem, (v. Hom. Il. VII, 268 seq.) et *Tydides*, Diomedes, in Æneam. (Hom. Il. V, 302 seq.) — 69. Conf. Hom. Il. I, 271. 272. V, 303. 304. XII, 447 seq. Virg. Æn. XII, 899. 900. et sup. ad VI, 9. Nota Ach. est: " Hæc de humani generis decrescentia non seriose a poeta dici crediderim, sed ironice potius: nam non erat is, qui Græcorum et priscorum commentis ac fabulis facile fidem adhiberet." — 70. *Hoc majores nostri questi sunt, hoc nos querimur, hoc posteri nostri querentur, eversos esse mores, regnare nequitiam, in deterius res humanas et in omne nefas labi,* Sen. de ben. I, 10. — 71. Facete poeta dicit, si quis Deorum homines, quos nostra ætas fert, adspiciat, eum *ridere,* quod tam pusilli, et *odisse* eos, quod tam mali sint.

72. Poeta retexit telam narrationis, inde a v. 65. abruptam. *Deverticulum,* digressio a re proposita ad aliam. v. Var. Lect. Apposite ac perspicue Liv. IX, 17. *ut ab rerum ordine declinarem varietatibusque distinguendo opere et legentibus velut deverticula amœna et requiem animo meo quœrerem.* *Fabula* est historia, narratio, sive ficta sit, sive vera. 73. *aucti* Tentyritæ; ex aliorum sententia Coptitæ. " Ex hoc versu et seqq. Coptitas provocatores, Tentyritas autem propugnatores fuisse, non male conjiciendum est, etsi Juven. taceat;" Ach. 74. *Sagittæ infestæ* non sunt inimicæ vel hostiles, sed in aliquem aut aliquid directæ et illatæ. (v. ad Liv. II, 19. et Burm. ad Virg. Æn. V, 582.) — 75. *Terga fugæ præstantibus,* dantibus, præbentibus, *omnibus* Coptitis *instant, qui Tentyra colunt,* incolunt, (Tentyritæ) *vicina umbrosæ palmæ,* h. e. palmis umbrosis sive palmetis, de quibus v. Jo. Bapt. Porta de re rustica p. 350. ut de palmis Ægyptiis Thebaicisque Galen. de alim. II, 26. et Plin. XIII, 4.

77 seq. Conf. ad v. 13. *quidam* Coptitarum. 78—83. En plura diræ inhumanitatis indicia, quæ animus legentis horret! 80. *Sufficeret,* cibi loco esse posset, vel, ut quisque acciperet aliquam mortui partem. 83. *Exspectare focos,* h. e. tempus, quod ad carnem in foco vel coquendam vel assandam requiritur.

84—87. Immanitatem Tentyritarum, crudam hominis carnem avide deglutientium, δεινῶς simul et facete adumbrat poeta, dicens, tam dirum esse scelus eorum, ut fas sit *gaudere* et *gratulari igni,* tamquam rei sacræ, quod eam non *violaverint* coctura carnis humanæ et sic sce-

II, 1149 seq. Wieland's pros. Schriften T. I. p. 77 seq. Riccii Diss. Homer. T. I. p. 185. Plin. VII, 16. ibique Harduin.

lus sceleri addiderint. Suspicari possis, eum respexisse ad veterum philosophorum poetarumque notiones cosmogonicas de æthere supremo vel igni æthereo, subtilissimo ac purissimo, per totam naturam, per cœlum et terram, per ætherem et sidera, per omnes res vivas ipsaque terræ viscera, fuso, *summam cœli partem* ac regionem mundi occupante, perpetuo fulgente totumque mundum regente, permeante, animante, vivificante, ex quo animæ etiam, tamquam particulæ decerptæ s. avulsæ (ἀποσπάσματα), emanare, et in quem post certum tempus refundi putabantur: quæ constans et communis fuit opinio antiquorum totius Orientis philosophorum, inpr. Ægyptiorum, (quorum *Phthas* fuit symbolum hujus ignis elementaris ac naturalis, ut Ἥφαιστος et *Vulcanus* apud Græcos et Romanos, quorum tamen theologia mythica deinde ab illo igne ad artificialem, qui metallis fundendis parandisque adhibetur, delapsa est, et hujus potius, quam illius rationem habuit) ac Græcorum, et quidem præcipue Orphicorum, Pythagoreorum, Stoicorum.[24] Sed de vulgari potius igni, non de æthereo illo, vel natura ætherea et ignea, quæ animæ mundi tribuebatur, cogitasse poetam, ex v. 85. intelligitur. *Violari* autem aut *pollui* dicebantur omnia ea, quæ vel in alienum nefariumque adhibebantur usum, vel a rebus hominibusque scelestis et aut physice aut moraliter impuris contingebantur, in primis res sacræ, (ignis vero Vestæ et Vulcano sacer erat) et *elementa*, aer, aqua et ignis, quibus res impuræ purgari lustrarique solebant et ex quibus omnia credebantur nata esse, unde etiam inter res sacras habebantur.[25] Huc spectat locus notiss. Cic. Rosc. Am. c. 26. de parricidis. Farnabius laudavit verba Persæ illius in epigr. Dioscorid. Anthol. lib. III. c. 13. μηδὲ μήνης Πῦρ ἐπ' ἐμοί. — 85. v. ad IV, 133. Verba autem h. l. languere videntur, vel intempestivum doctrinæ ostentandæ studium prodere. Sed poeta forte fabulam illam omnemque simul veterum doctrinam de morali rerumque sacrarum pollutione, de elementis, tamquam rebus sacris, e quibus omnia sint nata et quibus lustratio fiat, forsan et de igne æthereo, h. l. ridere voluit. Faceta certe sunt verba, *elemento gratulor*, (h. e. igni, quod non violatus sit) *et te*, Volusi, mecum *exsultare reor*: multo autem facetiora, si Volusius fuit philosophus vel imbutus certe opinionibus illis.

[24] Conf. Cic. Acad. Quæst. IV, 37. Plutarch. de placit. philos. I, 3. Diog. Laert. VIII, 26. Jablonski Panth. Æg. lib. I. c. 2. T. I. p. 44—52. Herrmanni Mythol. T. II. p. 5. 6. et 398 seq Heyne Exc. XIII. ad Virg. Æn. VI. [25] Cf. Heyne ad Virg. Æn. III, 234. VI, 740 seq. et VII, 114.

87—92. Quis talia fieri posse sibi persuadeat, nisi ex historia constaret, quoad progredi queat inhumanitas et furor mentis, cæco religionis ardore incensæ? *Sustinere* dicitur, qui potest aliquid ferre et deinde ab animo suo impetrare, (*sich überwinden, sich entschliessen*) hinc audere, vel valere. Conf. XIV, 127. Verbum aptissimum tali facinori, cujus perpetrandi consilium non nisi ab eo capi potest, qui omnem exuit humanitatem et promtæ est audaciæ ad omnia, quæ vel præter naturam sunt et fiunt. 89. *Nam* spectat ad *qui* v. 87. quod pro *quicumque* positum. 90. *Prima gula*, h. e. qui primus gustavit talem cibum devoravitque carnem humanam.

93 seq. Quanta sit immanitas Ægyptiorum, ostenditur nunc comparatione eorum cum Vasconibus vel Calaguritanis, v. 115—123. cum incolis Chersonesi Tauricæ, hospites Dianæ immolantibus, et v. 124—128. cum Cimbris aliisque feris populis. Conf. ad XIV, 265 seq. *Vascones* populus Hispaniæ Tarraconensis, ad Pyrenæi radices, in hodierna Catalonia et Navarræo regno: a quibus oriundi *Vascones*, qui partem Galliæ Aquitanicæ, ab ipsis *Gascogne* dictam, occuparunt. Illorum, non horum, urbs olim eximia fuit *Calaguris*,[26] ultra Iberum sita et in dextra ejus ripa, Quintiliani patria, (hod. *Calahorra* in Nova Castilia) qua diversa est ab oppidulo ejusdem nominis cis Iberum, quod nunc *Loarre* (in Valencia) dicitur. Illa Calaguris, de qua h. l. sermo est, (quod ex v. 108. intelligitur) *Nascica*, hæc *Fibularensis* cognominatur Plin. III, 3. et al. Conf. Cellar. Notit. orb. ant. T. I. p. 89 seq. Illius incolæ olim a Cn. Pompeio obsessi dira fame urgebantur et, ut fidem Sertorio datam præstarent, uxores liberosque suos comedisse traduntur. v. Valer. Max. VII, 6. ext. 2. et 3. qui eorum et simile Numantinorum facinus tamquam summum feritatis notat exemplum, in quo nulla sit necessitatis excusatio, quum sic vivere necesse non sit, quibus mori liceat. Neque illud probat Juvenalis v. 94—106. sed recte docet, necessitatem famemque Calaguritanis justiorem certe excusationem dare, quam solam feritatem et odium Tentyritis, et v. 106—112. sapientiam Stoicorum a gente tam barbara, quam antiqua, minus requiri posse, quam ab ea, quæ his temporibus vivat, quibus literæ Græcorum Romanorumque in omnes terras sparsæ sint. — *ut fama est*: cui poeta vix fidem habuisse videtur. *alimentis talibus*, carne humana. 94. *ani-*

[26] ita in numis et inscriptt., ut et Strab. III. p. 111. vocatur, non *Calagurris*, *Calagurus*, *Calagoria*, *Calagurria*, de quo v. Duker. ad Flor. III, 22, 9. et ad Liv. Epit. XCIII. ubi et cf. Drak.

mas, vitam, ut VI, 501. et IX, 122. *sed* cum vi repetitur. 95. *Fortunæ invidia* dicitur secundum priscorum hominum loquendi et cogitandi rationem, qua Fortuna Diique nimium felicibus hominum rebus invidere credebantur. *bellorum ultima*, extrema, summa pericula ac mala, ut *belli subita* vel *fortuita*, *extrema* et omnia fere adjectiva neutra, quæ a poetis pro substantivis ponuntur vel ita, ut sive hæc supplenda, sive illa his accommodanda sint. 97. *quod nunc agitur*, a me memoratur, de quo nunc loquor. 98. *cibi*, ἀνθρωποφαγίας Calaguritanorum. *gens*, Vascones s. Calaguritani. 98 seq. Similia traduntur de Saguntinis, Numantinis et aliis. Conf. Ovid. Met. VIII, 799 seq. Sil. II, 461—474. et Claud. b. Gildon. v. 21 seq. *quidquid cogebat* sc. edere. 100. *vacui ventris furor*, ut *improba ventris rabies* ap. Virg. Æn. II. 356. Conf. Athen. X. 1. (3.) p. 412. — 101. *maciem et tenues artus*, *ἰσχνιασμὸν τοῦ σώματος*, attenuationem corporis, alimentorum inopia contractam. (Conf. Spanh. ad Callim. H. in Cer. v. 94.) — 102. *Membra aliena*, h. e. aliorum hominum, ut *sua*, uxorum liberorumque, quin et sui ipsorum, ut ap. Ovid. Met. VIII, 877. *Ipse suos artus lacero divellere morsu Cœpit et infelix minuendo corpus alebat:* quo nihil dirius fingi potest. *parati esse*, edere, ad edenda. 104. Conf. Var. Lect. 105. 106. Non poterat gravius exprimi miseratio, qua digni videntur Calaguritani.

106—112. Nos quidem Romanos meliora docuit philosophia, inpr. Zenonis, h. e. Stoicorum, scil. *non omnia*, sed *quædam* tantum pro *vita* tuenda *facienda* esse, et quidem non nisi ea, quæ honesta essent, adeoque Calaguritanis moriendum potius fuisse, quam vitam ratione tam inhonesta et impia producendam. Hæc *Zenonis præcepta* etiam VIII, 83. 84. inculcantur et passim a Stoicis, v. c. a Sen. Ep. XVII. LXX. et LXXII. et a Plin. XXVIII, 1. s. 2. (*Vitam quidem non adeo expetendam censemus, ut quoquo modo trahenda sit. Quisquis es talis, æque moriere; etiam quum obscœnus vixeris aut nefandus. Quapropter hoc primum quisque in remediis animi sui habeat: Ex omnibus bonis, quæ homini tribuit natura, nullum melius esse tempestiva morte, idque in ea optimum, quod illam sibi quisque præstare possit.*) Conf. ad v. 93. et ad VIII, 83. *Zeno* Stoicæ sectæ auctor, qui, quod honestum esset, id summum et solum bonum esse dicebat; Schol. 108. *Sed Cantaber unde Stoicus* esse vel fieri poterat, h. e. unde Vascones et Calaguritani, gens barbara et rudis, Stoicæ philosophiæ præcepta discere poterant? *Cantaber* (poet. pro *Cantabri*) Hispaniæ septemtrionalis fera et bellicosissima gens, (in hodierna Biscaia) Vasconibus finitima, unde

pro his h. l. ponitur. 109. Q. Cæcilius *Metellus* Pius, Q. Metelli Numidici filius, qui contra Sertorium cum Cn. Pompeio bellum gesit, in quo Calaguris, Lauron, Pallantia aliaque Hispaniæ oppida obsessa sunt.[27] *antiqui*, qui *ætate antiqua*, veteri ævo vixit; non, quod vulgo putant, antiquo genere orti, vel post quem alii floruerunt Metelli, vel denique gravis ætate, (ut *antiquus Bates* ap. Virg. Æn. IX, 647.) ut poeta respexisse videri possit ad faceta Sertorii verba, in concione militum dicta: *Puerum hunc* (Pompeium) *ego quidem, nisi anus illa* (Metellus) *supervenisset, verberibus castigatum Romam misissem.* (v. Plut. in Sertor. Opp. T. I. p. 578. ed. Frft.)

110 seq. Nostris temporibus, quæ contra humanitatem peccantur, non amplius ignorantia vel feritate excusari possint: nam *totus* jam *orbis* terrarum (addere debuisset, quantum quidem nobis, Romanis, cognitus est) *habet Graias nostrasque*, Romanas, *Athenas*, h. e. literas. Literæ artesque liberales dicuntur *Athenæ*, ut schola, ubi docentur, *Athenæum*, quoniam in illa urbe potissimum floruere: unde Thucydidi ea dicitur παίδευσις τῆς Ἑλλάδος, Diodoro κοινὸν παιδευτήριον πάντων ἀνθρώπων et Ciceroni (pro Flacco c. 26.) *urbs, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, jura, leges ortæ atque in omnes terras distributæ putantur.* Simili autem orationis colore poeta III, 62. dixit: *Syrus in Tiberim defluxit Orontes.* 111. Eloquentia aliæque artes liberales ex Italia in Galliam et inde in Britanniam transierunt. De Britannis v. Tac. in vita Agricolæ, eorum præsidis c. 21. De *Gallia facunda* v. ad I, 44. et VII, 148. — 112. Facete hæc et ὑπερβολικῶς dicta. *Thule* extremi septemtrionis insula, veteribus ignota, quorum alii insulas Shetlandicas, Britanniæ a septemtrione objectas, alii Scandinaviæ penins. (Sueciam et Norvegiam), alii denique Islandiam intellexisse putantur.[28] *jam loquitur* et cogitat.

113. *populus ille*, Vascones, Calaguritani. *et tale quid*, tale facinus, *excusat Saguntus, par* Calaguritanis *virtute atque fide*, (Sertorio ipsisque ejus cineribus præstita, de quo v. ad v. 93.) *sed major clade:* nam Saguntus expugnata ab Hannibale et excisa, postquam incolæ ex desperatione in rabiem versi se conjecerant in rogum vel invicem

[27] Conf. Appian. b. Hisp. c. 101. et Civil. I, 97. 108—115. Flor. III, 22. Plut. in vit. Sertorii et Pompeii.

[28] Conf. Plin. Ep. IV, 16. Isidor. Etymol. XIV. Priscian. in Perieg. Dion. Voss. ad Virg. Ge. I, 30. Dietz. ad Mel. III, 6. p. 57. Schwedische Bibliothek P. I. § 12. p. 22 seq. Schlözer Allgem. Nord. Gesch. (s. Allgem. Welthist. T. XXXI.) p. 14—20. 62. 70. 160 seq. 201 seq. Dicuil de mensura orbis terræ ed. ab Athan. Walckenær Paris. 1807. p. 29. Voss Unters. über Gegenst. der alten Gesch. p. 122.

jugulaverant, (v. Sil. I, 296.—II, 695. Liv. XXI, 5—15. Polyb. III, 17.) Calaguritani autem obsidione liberati. (v. Liv. Epit. 93. et Appian. bell. civ. I, 112.) Vulgo exponunt: *par virtute atque fide* Sagunto, quæ tamen urbs *majore clade* fuit. — 115 seq. Calaguritanis et Saguntinis si non justam, certe aliquam excusationem et veniam dant obsidio, fames, *virtus et fides:* sed *quid excusat tale* facinus, vel Tentyritæ commiserunt? quid horum sceleri potest prætendi? an speciosum nomen religionis? Nam *sæpius olim Religio peperit scelerosa atque impia facta, Aulide quo pacto Triviai virginis aram Iphianassai turparunt sanguine fœde Ductores Danaum,* Lucret. I, 83 seq. Sed *Ægyptus sævior* est *Mœotide,* Mœotica, Taurica, *ara,* (v. ad XIV, 286.) h. e. Tentyritarum sævitia major, quam quæ in Chersoneso Taurica exercebatur: nam ibi *immolabantur tantum* homines Dianæ Scythicæ s. Tauricæ, non vero comedebantur. Hæc est sententia vss. 115—119. breviter expressa: quæ brevitas affectui convenit. — *Taurica* sc. terra s. Chersonesus (hod. *die Krim*) peninsula, quam formant et pæne circumfundunt Pontus Euxinus (*das schwarze Meer*) et *Mœotis* palus. (*das Asowsche Meer* vel *Mar delle Zabacche.*) " Juxta *Mœotim* paludem *Taurici* sunt, quorum rex Thoas advenas immolare consuerat, usque in adventum Orestis et Pyladis; quibus agnitis (et Thoante ab iis occiso) Iphigenia, quæ erat templi sacerdos, ablato inde Dianæ signo, aufugit, idque Ariciæ consecravit;" Schol. Fabula notissima. [29] *Taurica* sc. terra s. Chersonesus, ut ap. Plin. IV, 12. *Sacrum* Thoas rex Taurorum primus instituisse dicitur. —117. Iterum commenta poetarum, more Juvenalis, perstringuntur. *ut,* fac ut, si vel (quamvis) *credas digna fide, quæ carmina,* poetæ, *tradunt,* sc. de Thoante, Iphigenia, Oreste ac Pylade. [30] — 119. *hostia,* homo immolandus Dianæ, *nil timet gravius cultro,* timet tantum, ut Deæ mactetur, non, quod multo gravius est, ut ab hominibus sanguinariis devoretur.

119 seq. *Qui* s. *Quis modo,* nuper, *casus,* quæ calamitas et dira necessitas, *quæ tanta fames* et quæ *infesta arma,* hostiles copiæ, *vallo,*

[29] v. Strab. V. Herodot. IV, 103. Diodor. IV, 3. et 45. Pausan. III, 16. IX, 19. Intpp. Ovid. ex Ponto III, 2, 45—96. et Trist. IV, 4, 63—82. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 173. 174. Muncker. ad Antonin. Liber. fab. 27. et ad Hygin. f. 98. et 120. Heyne ad Virg. Æn. VII, 761 seq. in Exc. VIII.

[30] Vulgo ita interpretantur: Potes jam credere, illa a poetis decantata esse vera, quum multo immaniora in Ægypto fieri videamus. (Conf. VI, 643. 644.) Sed hæc sententia non in illis verbis inest, et v. 116—119. de sola ara Tauricæ s. Scythicæ Dianæ agitur.

circumvallatione, arcta obsidione, *impulerunt et coegerunt hos,* Tentyritas, *tam detestabile monstrum,* monstrosum scelus, (v. ad II, 122.) *audere?* Vascones dira necessitate ac fame ad inhumanitatem, *ἀνθρωποφαγίαν,* adacti sunt, non Tentyritæ. — 122. 123. Horum versuum sententia videtur esse hæc: Anne alio graviore scelere ita offendere possent Nilum, ut iratus *surgere,* intumescere et *siccam terram Memphitidem,* h. e. Ægyptiam, inundatione sua fecundare nollet et ita in *invidiam* odiumque veniret eorum, qui nullo suo merito hanc calamitatem paterentur? Ita conseq. positum pro anteced., *invidia* pro ira et calamitate illa. *Invidiam* enim *Diis facere* dicuntur, qui vel ipsi gravissimas calamitates immeriti patiuntur, vel sceleribus suis efficiunt, ut a Diis iratis illæ immittantur multis, etiam immeritis, qui sinistras inde de Diis opiniones concipiant eosque invidia prosequantur, quia illas immiserint sibi vel contingere passi sint.[31] Nilus autem ab Ægyptiis inter principes colebatur Deos, (v. Jablonski Panth. Æg. T. II. p. 140 seq. et 168 seq.) et quidquid fere mali hominibus contingit, ex communi antiquitatis opinione ab ira Deorum repetendum est.[32] *terra sicca,* h. e. si terra esset sicca, si siccitate laboraret. *Terra Memphitis,* ut v. 115. *Mœotis ara,* pro Memphitica, (v. ad XIV, 286.) h. e. Ægyptia; quoniam *Memphis* clarissima olim fuit urbs Ægypti et sedes regni, ad Delta et sinistram Nili ripam sita, cujus rudera etiam nunc e regione urbis Cairo reperiuntur. 123. Varias incrementi Nili causas tradunt Herodot. II, 17—25. et ad eum Wesse-

[31] v. Cuperi Obss. II, 4. et Burm. ad Quintil. Declam. VIII, 14. p. 180.

[32] Interpretes, quos consului, alio modo h. l. explicarunt; nonnulli sic: quo alio scelere ita offendere potuissent Nilum, ut ille *invideret* suas aquas tam impiis hominibus eorumque agros inundare nollet? alii ita: quo immaniore facinore possent Nilum ad terram inundandam irritare; ut poeta respexerit fabulam de Thasio, qui, quum Ægyptus per novem annos siccitate exaruisset, persuaserit Busiridi, immolato hospite venturos imbres, promissisque fidem ipse immolatus exhibuerit, de quo v. Hygin. fab. 56. et Ovid. A. A. I. 647 seq. unde perperam colligunt, Nilum vel numen hujus fluvii insigni scelere ita ad iram irritari potuisse, ut cresceret et superstagnaret: nam ejus inundatio exoptatissima est Ægyptiis, et irati Dii non bona, sed mala hominibus immittunt. Alii *invidiam Nilo facere* simpl. dictum putant pro, iram ei et indignationem movere. Nota Ach. est: "Quivis Deus populo iratus pestes, famem aliave mala in eum immittebat; tunc populus omnis ad eum placandum maxima sacrificia atque etiam humana parabat; et, quo major hostia erat, eo acrius, respectu tanti muneris, *invidia,* æmulatio, Deo crescere putabatur: nam beneficia non sine invidia quadam accipiuntur: inde, ad se beneficio liberandum, æmulatio invidiæ filia oritur in animo recipientis, cui nihil satis est, donec tale munus munere majore rependerit. Sic *invidiam facere Nilo* in sensu quidem abstrusiore idem ac cogere eum maximis hostiis et muneribus, ut cet., vel excitare ejus segnitiem, ut fere pariter Ovid A. A. I, 647 seq. Itaque sententia h. l. est: Si Nilus iratus Ægyptiis nollet *surgere* h. e. Ægyptum inundatione fecundare; numquid ad eum placandum possent aliquid crudelius facere, quam hominem immolare et ejus membris vesci?"

ling. p. 113. et 787—802. Athen. II, 88—90. ubi v. Schweigh. Diodor. I. p. 33 seq. al. 23 seq. Senec. Nat. Quæst. IV, 2. Ludolf. ad hist. Æth. p. 117 seq. Histoire d' Herodote traduite du Grec par Mr. Larcher T. I. p. 158—169. Jablonski Panth. Æg. T. II. p. 14 seq. et 163 seq.

124—128. Ægyptii, vel potius Tentyritæ inhumanitate superant barbaros populos. *Qua* scil. rabie sæviunt. De *Cimbris* v. ad VIII, 249 seq. *terribiles*, qui ingentem olim terrorem incusserunt Romanis. *Britones*, v. Var. Lect. 125. *Sauromatæ*, v. ad II, 1. *Agathyrsi*, Scythica gens in Sarmatia Europæa, Gelonis contermina, ambiens Mæotidis paludis flexum vel, ut alii dicunt, accolens Marisium fl., qui, si Herodoto fides habenda, in Danubium influit. Quod si verum est, sedes hujus populi in hodierna Transsilvania fuere.[33] *immanes*, feri, etsi molles fuere, ut omnes Thraces, teste Herodoto.

126 seq. Acerba irrisione et indignatione hæc dicta de Tentyritarum omniumque simul Ægyptiorum, qui Nilum accolunt, inpr. Alexandrinorum et Canopitarum, mollitie, quæ mirabilem facit illam feritatem et barbariem. 127. 128. Poeta non ea respexisse videtur, quæ Seneca Nat. Quæst. IV, 2., sed quæ Strabo XVII. p. 801. A. de mollitie Alexandrinorum, Canopum in Nilo navigantium, tradit: Ἀντὶ πάντων δ' ἐστὶν ὁ τῶν πανηγυριστῶν ὄχλος τῶν ἐκ τῆς Ἀλεξανδρείας κατιόντων τῇ διώρυγι. πᾶσα γὰρ ἡμέρα καὶ νὺξ πληθύει τῶν ἐν τοῖς πλοιαρίοις καταυλουμένων καὶ κατορχουμένων ἀναίδην μετὰ τῆς ἐσχάτης ἀκολασίας καὶ ἀνδρῶν καὶ γυναικῶν. Ibidem dicit tanta facilitate navigari, ut scaphis etiam utantur testaceis, quæ h. l. vocantur *fictiles phaseli* et *picta testa*. *Nam qua Pellæi gens fortunata Canopi Accolit effuso stagnantem flumine Nilum Et circum pictis vehitur sua rura faselis*, Virg. Ge. IV, 287 seq. qui locus haud dubie Juvenalis animo obversabatur, et ubi Heyne jam ex Diodor. I, 98. et Herodot. II, 96. 97. notavit, hoc proprium fuisse Ægyptiorum, ut certo navicularum genere, cui *Baris* nomen fuerit, cymbis papyraceis, per Nilum discurrerent.[34] Sed quomodo testaceæ vel *fictiles* scaphæ aquis sustinebantur? Ita quærebat Grangæus putabatque, satisfacturum nobis Senecam Nat. Quæst. III, 25. Nota Ach. est: " Minime physici est talis quæstio.

[33] Conf. Herodot. IV, 100. 102. 104. 125. Plin. IV, 12. s. 26. Mel. II, 1. Virg. Æn. IV, 146. ubi v. Heyne in not. et Exc. II.

[34] Conf. Plin. VI, 22. XIII, 11. Theophr. H. Plant. IV, 9. Plut. de Is. et Os. p. 358. Lucan. IV, 135. seq. et intpp. Vet. Test. ad Exod. II, 3. et Ies. XVIII, 2.

Omne vas concavum, quælibet sit ejus materia, omnis cymba aquas supernatat, dummodo sit illi pondus minus et superficies æqua aquæ columnæ ipsam sustinenti." Conf. Salmas. Exerc. Plin. p. 1116. *Fragiles phaseli* dicuntur Horat. Od. III, 2. 28. et Ovid. ex P. I, 10, 39. *Phaselus* s. *faselus* navicula longior et angustior, (*gondel*) sic dicta a forma leguminis, φασήλου, (quod est genus fabarum, *Türkische, grosse, sau-bohnen,* de quo v. intpp. Virg. Ge. I, 227.) et miræ velocitatis, quam potissimum debebat proræ, longe et oblique supra aquam porrectæ. v. Voss. ad Catull. IV, 1. *Remis incumbere,* ut al. *insurgere,* ἐμβαλεῖν κώπαισι Pind. Pyth. IV, 356. ἐπεξῴων· ἐλάτῃσι· Apollon. II, 663. Similiter *adsurgere in hastam, clipeum, ensem, ictum,* ἐξείδειν, ἐπεξείδειν τὸ ἔγχος. *testæ,* scaphæ testaceæ. *remis brevibus,* naviculæ aptis. 129. *pœnam sceleri,* quæ Tentyritarum sceleri debetur. 130. *in quorum mente pares sunt ira atque fames,* qui putant aut certe putare videntur, nihil differre, utrum quis sola ira et odio, an dira fame motus carne humana vescatur, quique hinc per iram eadem nefanda faciunt, quæ alii (Calaguritani et Saguntini) per famem, et quæ sola fames aliquantulum excusat.[35]

131—158. Aureæ sententiæ, sed declamatoria magis, quam satirica arte prolatæ. 131 seq. Sævitia illa Tentyritarum est præter naturam, quæ non ad crudelitatem formavit homines, sed *cor mollissimum* dedit et ad misericordiam propensum; quod vel eo *fatetur,* indicat, (ut X, 172.) quod non aliud animalium genus *lacrimas* fundere potest. *Natura hominem tantum nudum et in nuda humo natali die abjicit ad vagitus statim et ploratum, nullumque tot animalium aliud ad lacrimas, et has protinus vitæ principio: at hercules risus, præcox ille et celerrimus, ante quadragesimum diem nulli datur,* Plin. VII, 1. — 133. *optima* et propria *pars,* indoles et affectio, *nostri sensus,* animi vel mentis, est mollities et miseratio. — 135. *Squalorem* vel *sordes* tam *reorum,* quam supplicantium lugentiumque, ad miserationem movendam spectare, vel tironibus nota res est. *Squaloremque rei* et (v. ad IV, 63. in Var. Lect.) *pupillum ad jura,* jus, *vocantem circumscriptorem,* tutorem, qui pupillum bonis suis fraudavit. Conf. ad I, 46. 47. X, 222. et h. l. Var. Lect. —136. 137. Designantur fictus, pueritia et decora facies pupilli, quæ omnia ad miserationem augendam valent. *cujus* pupilli *capilli puellares,* longi et fluentes, quales esse solent puellis pue-

[35] Ita h. l. interpretari malim, quam cum Britannico *iram* referre ad impulsum iræ mentisque impetum, qui non in potestate nostra est, et *famem* ad deliberatam voluntatem cupiditatemque sævam, qua gravius peccatur.

risque delicatis, *ora manantia fletu,* lacrimis, *faciunt incerta,* h. e. incertum faciunt adspicienti, sitne puer an puella. Venustæ ideæ, eleganter, ut passim a poetis, expressæ.[36] — 138. 139. Henninius: " Vix est, inquit, ut Juvenalis hodiernis moribus persuadeat, fieri hunc *gemitum naturæ imperio,* quandoquidem sine ullo gemitu fere ea funera quotidie occurrant. Sed ne quis Juvenalem φιλοσοφώτατον ἀφιλοσοφίας arguat, notandum, Veteres statuisse, infantum animas semper flere ceu acerbo funere mersas, idque hausisse eos ex Platonicorum dogmatis ; quod docet Virg. Æn. VI, 426 seq. Sane hæc serio credentem Natura non reluctantem ducet conspecto infantis funere ad gemitus, tactum scil. commiseratione humanitatis nostræ et ætatulæ illius, quæ boni malique juxta gnara innocentes animulas æternum fleturas acerba morte exhalat." At illam fuisse antiquitatis opinionem, non persuasit mihi locus Virg. neque de infantibus tantum, sed virginibus quoque, immatura morte obeuntibus, h. l. sermo est. Naturæ autem vis infringitur corruptis sæculi moribus; et de miseratione idem fere valet, quod de pietate dixit Valer. Max. V, 4. ext. 5. 139. *quum terra clauditur,* conditur, *infans et,* etiam, *minor igne rogi,* junior, quam ut cremari fas sit. *Editis primores septimo mense gigni dentes, haud dubium est. — Hominem prius quam genito dente eremari, mos gentium non est,* Plin. VII, 16. s. 15. *Suggrundaria antiqui dicebant sepulcra infantium, qui necdum XL dies implessent, quia nec busta dici poterant ; quia ossa quæ comburerentur non erant : nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret. Unde Rutilius Geminus Astyanacte ait : Melius suggrundarium misero quæreres quam sepulcrum,* Fab. Planciad. Fulgent. in exposit. serm. ant.[37]

140. 141. Docte et exquisite homo pius, probus et innocens designatur : non alius enim erat *dignus face arcana,* h. e. dignus, qui initiaretur vel interesset mysteriis (v. ad II, 89.) sive sacris Cereris *arcanis,* mysticis, quæ effari nefas erat quæque secreto et noctu agebantur, (v. Spanh. ad Callim. H. in Cer. v. 7.) unde et *nocturnus* vocatur *Bacchus* Virg. Ge. IV, 521. et *nocturna Mænas* Sil. III, 395. ubi v. not. Hinc *qui Cereris saerum vulgarit arcanæ* docte pro scelestissimo

[36] v. Mitscherl. ad Horat. Od. II, 5, 23. 24. et Gierig ad Ovid. Met. VIII, 322. IX, 711. A quibusdam *cujus* ad *circumscriptorem* refertur. " *Puellares capilli,* tristitia et squalore longiores : quum enim rei tenemur, et capillos demittimus ; qui faciunt nos interdum vultum habere, tamquam puellæ ;" Schol.

[37] in Mythogr. Lat. T. II. p. 171. ed. Munckeri. Formam suggrundarii ex Jo. Bapt. Suarez Antiquit. Gadit. Hispanice scriptis IV, 4. depinxisse Casp. Bartholin. de puerp. vett. p. 167. notat Hennin.

quovis dicitur Horat. Od. III, 2, 26. ubi conf. Mitscherl. Quinto autem mysteriorum et quidem magnorum die, qui dicebatur ἡ τῶν λαμπάδων ἡμέρα, in memoriam Cereris, Proserpinam filiam accensis facibus quærentis, *faces* ardentes cum ante fores ponebantur, (v. Plut. Cic. T. I. p. 871.) tum a viris et feminis gestabantur; unde δαδοῦχοι et δαδουχεῖν τὰ μυστήρια.[38] Hi itaque δαδοῦχοι non amplius μύσται erant vel ad μυστήρια tantum μικρὰ admissi, sed jam ἔφοροι sive ἐπόπται, quibus *sacerdos Cereris* (ἱεροφάντης, ἱεροφύλαξ, ἱερονόμος, μυσταγωγὸς) μυστήρια μεγάλα et arcanas eorum cærimonias revelaverat, habita ante severa quæstione de vita potissimum pure et sancte acta.[39] Hinc intelligitur vis verborum, *qualem* initiandum *Cereris vult esse sacerdos.* Simili sensu castæ ac probæ mulieres dicuntur *Cereris vittas contingere dignæ* sup. VI, 50. ubi v. not. Ceterum δαδοῦχος etiam κατ' ἐξοχὴν vocabatur sacerdos quidam Cereris, adjutor ἱεροφάντου, et ἀγὼν λαμπαδοῦχος in aliis quoque sacris, v. c. in Ἡφαιστείοις, Παναθηναίοις et Προμηθείοις, instituebatur ab iis, qui accensis currebant facibus easque inextinctas ad metam ferre jubebantur. 142. *Quis bonus ulla mala* humana *credat sibi,* a se, *aliena* esse, non credat sibi accidere posse, quæ aliis contingere videt, vel credat, hæc aliorum mala ad se non pertinere, adeoque iis non afficiatur et doleat? *Iste versus* (Terentii Heautont. I, 1, 25.) *et in pectore, et in ore sit: Homo sum, humani nihil a me alienum puto,* Senec. Ep. 95. Eumdem versum laudavit Cic. Off. I, 9 .— 143. *A grege mutorum* animalium, quæ nec malis alienis dolent, nec bonis lætantur. *venerabile ingenium,* intelligentiam et rationem. 144. *divinorum,* rerum divinarum, *capaces,* intelligentes. *Deus homines humo excitatos celsos et erectos constituit, ut deorum cognitionem, cœlum intuentes, capere possent: sunt enim homines non ut incolæ atque habitatores, sed quasi spectatores superarum rerum atque cœlestium, quarum spectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet,* Cic. N. D. II, 56. — 145. *capiendis,* cognoscendis ac discendis. 146. *Sensum,* mentem s. animam ratione præditam, ex anima mundi, cujus natura ætherea et ignea, sedes autem præcipua in *cœlesti arce,* in cœlo et sideribus est, duximus. Conf. ad v. 84. 85. Cic. Tusc. Quæst. I, 27. Muncker. ad Fulgent. II, 9. Heyne ad Virg. Æn. VI, 730 seq. et in Exc. XIII. — 147. Conf. Ovid. Met. I. 84 seq. (ex

[38] Conf. Meurs. de Eleusin. c. 25. Casaub. ad Theophr. Char. c. 3. et Creuzer's Symbolik T. III. p. 475. T. IV. p. 520 seq. 563.

[39] Conf. Meurs. de Eleusiniis, et Potteri Archæol. Gr. lib. II. c. 20. Vol. I. p. 851. vers. Rambach.

quo loco verba etiam petita) Cic. N. D. II, 56. et Leg. I, 9. pr. Sallust. B. Cat. 1. ubi v. Corte, Herderi Ideen zur Philos. der Gesch. der Menschh. T. I. p. 219 seq. *Prona* animalia, ad terram incurvata.

148—158. Egregius locus, expressus forte e Cic. de Invent. I, 2. et Horat. A. P. 391—399. Eadem non rationi humanæ, sed culinariæ arti lepide tribuit coquus Athenionis ap. Athen. XIV, 23. *Anima*, Gr. ψυχή, est id, quo vivunt, sentiunt ac moventur et homines et cetera *animantia*, quæ inde nomen habent, vis vitalis, vegetabilis ac sensitiva, quæ plantis etiam et arboribus tribuitur: *animus*, νοῦς et φρήν, est mens, vel id, quod in nobis cogitat, intelligit ac vult, et quo sapimus. — 150 seq. *Mutuus affectus* benevolentiæ atque amoris et communis utilitas, sunt vincula societatis humanæ, quod præclare docet poeta. Conf. Sen. Ep. 95. et de Ira I, 5. — 151. Conf. Horat. Sat. I, 3, 105. et Cic. Tusc. Quæst. V, 2. s. 5. *Dispersos* per deserta et sylvas homines *trahere*, contrahere, congregare, *in populum*, civitatem. 152. Conf. VI, 2. 3. *proavis*, a majoribus. 153. *laribus*, ædibus. 155. *Ut collata*, mutua, *fiducia*, et spes auxilii etiam noctu *tutos* præstaret homines *vicino limine*, junctis ædibus et vicino opem ferente vicinis. 156. *nutantem*, labantem.

158—174. Magna orationis vi et verborum gravitate increpatur odium, quo se invicem prosequuntur homines. 158—164. Hæc si non prorsus, tamen maximam partem veritati consentanea sunt et h. l. aptissima. Feras non nisi in diversa genere sævire, contendunt etiam Horat. Epod. VII, 11. 12. Plin. VII, 1. Sen. Ep. 95. de clem. I, 26. et controv. 9. aliique. Sed v. Mitscherl. ad Hor. l. c. Harduin. ad Plin. l. l. Bernart. ad Stat. p. 37. Scalig. ad Varr. p. 118. et Exerc. 240. adv. Cardanum p. 737. Brod. Miscell. III, 28. — 160. *Cognatis maculis*, h. e. feræ, easdem maculas habenti, *parcit similis fera*, pardus pardo, lynx lynci, tigris tigridi.

165—171. Homines non modo se invicem occidunt ferro, sed etiam comedunt. *nefanda* epitheton rei et affectui aptissimum. 166—168. Primi fabri ex ferro instrumenta rustica parabant, non gladios. Conf. Plin. XXXIV, 14. Sen. de Ben. VII, 10. Tibull. I, 3. Virg. Ge. II, 538—540. 168. Conf. Var. Lect. 169. *populos*, Tentyritas.

171 seq. Similis color orationis II, 1 seq. et 153—158. Præclare autem anthropophagis opponitur *Pythagoras*, qui *cunctis animalibus*, h. e. eorum carne, et quibusdam quoque *leguminibus abstinebat*, (v. ad III, 229.) ac lepide simul hujus philosophi doctrina de μετεμψυ-

χώσει et, quem inde præcipiebat, victus irridetur, quam etiam perstrinxit Cic. de Div. II, 58. et asperioribus facetiis Lucianus in Dialogo, qui Ὄνειρος ἢ Ἀλεκτρυών inscribitur. 172. *hæc*, talia, *monstra*, monstrosa, portentosa scelera, (ut v. 121. ubi v. not.) qualia perpetrarunt Tentyritæ. 174. *Tamquam homine*, tamquam hominis, non animalium caro esset; vel tamquam animalia vix differrent ab hominibus, quia animæ illis essent, quæ in corpora eorum transmigrassent e corporibus humanis. Conf. XIV, 98. *ventri indulsit*, edere permisit, *non omne legumen*, sed quædam edere vetuit.

IN

SATIRAM XVI.

1. *Gallus,* amicus poetæ, forte idem, cujus passim mentionem facit Martialis. 1—3. Si felicibus auspiciis capessitur militia, præmia ejus tanta sunt, ut facile mihi cupiditatem militandi injicere possint, etsi pavidus sim tiro. [1] — 3. *Portam* signanter dici credebat Grangæus, quia castrorum aggerem subire capitale fuerit. 4. Schol. vetus ap. Barth. Advers. XIV, 16. "Per constellationem puncto felices infelices efficiuntur. Apparet, Juvenalem Stoicum esse." Britannicus monet, hæc dici ex disciplina Ægyptia, in qua plurimum Petosiris et Necepsus laboraverint. v. ad VI, 553 seq. et 581.

4—6. Facete dictum: Felix genesis ac fatum plus valet etiam in militia, quam favor *Martis,* præsidis bellorum, conciliatus nobis per literas precesque efficacissimas vel *Veneris,* amicæ ejus, vel Junonis, *genetricis,* matris ipsius. De amoribus *Martis* ac *Veneris* v. ad X, 313. 314. 6. *genitrix* Martis Juno, [2] *quæ delectatur Samia arena,* h. e. Samo, insula arenosa in mari Icario ad litus Ioniæ, quæ nunc

[1] Hæc felicitatis notio ingrata exprimitur tautologia; neque expeditior fit oratio vel nitor ei redditur, si cum Henninio *felicis* ad rationem retuleris, et *prospera* ad casum, ut sensus sit: Quamvis innumera sint *felicis* et cum ratione factæ expeditionis præmia; si tamen casus et vis major castra præstaret *prospera,* mallem fortunata temeritate eadem subire castra, quam in toga desidere. Ita certe v. 2. *sed* pro *nam* dicendum erat. —*felicis militiæ,* non calamitosæ, qualis est mea; Calder. qui putabat, poetam primum subobscure calamitatem suam designare, et tum laudare commoda militiæ: quam sententiam nobis non persuasit. Multo tamen minus lectoribus placebit explicatio Britannici, qui *felicem militiam* h. l. dici existimabat eam, quæ a bellis civilibus longe absit.

[2] v. Neapol. ad Ovid. Fast. V, 229. Gale ad Apollod. I, 3, 1. et ad Phurnut. N. D. c. 21.

Sussam Adassi vocatur. Ex antiqui sermonis genio Dii illas terras amare et incolere vel certe frequentare dicuntur, quæ iis sacræ sunt et ubi sacrificiis templisque coluntur. Celeberrimum autem *Junonis Samiæ* et templum et festum fuit.[3] *Arenam* h. l. dici putant pro insula arenosa et sterili, coll. verbis Apuleii: *Rutatio omnis est in sarculo et surculo, quorum proventu magis fructuosa est insula* (Samos) *quam frugifera.* Sed Samum frugiferam esse dicit Strabo: unde potius designari crediderim terram Sami argillaceam, unde conficiebantur celeberrima illa vasa fictilia et testæ, quæ durissimæ erant et ad secandum quoque adhibebantur. v. ad VI, 514.

7. *Commoda communia*, omnium militum. Malim tamen ea intelligere, quæ militibus communia sunt cum togatis. Huc poeta v. 8—34. refert, quod miles æque ac togatus proprios habet judices. Deinde v. 35—60. *commoda* memorantur, quæ solis militibus propria sunt, citus litium exitus, jus testandi vivo patre, honores et præmia. *Togatus* civis Romanus, quatenus opponitur armato vel militi, qui sago amictus est, non toga, quæ impedimento est in pugna. Eodem sensu inf. v. 33. *paganus* dicitur opponiturque *armato* aut militi, ut ap. Plin. Ep. VII, 25. X, 18. Veget. II, 23. extr. et alios, inpr. JCtos, qui inde testamentum peculiumque vel *paganum* esse dicunt, vel *castrense: pagani* enim proprie vocabantur rustici, quibus vel Numa vel Servius Tullius (v. Dionys. Hal. I. p. 35. II. p. 135. IV. p. 220. ed. Sylb.) in locis montanis ipsaque natura munitis prima fecit perfugia, quæ Græce *pagos* appellavit; hi vero, Imperatorum certe temporibus, a militia videntur immunes fuisse, ne agri essent inculti. Conf. Ernesti clav. Cic.

8—34. Injuria, etiam gravissima, a milite impune inferri potest cuivis, et ab his patienter ferenda est, quoniam judex militis non Prætor, sed centurio est, ejusque accusatione nihil proficitur, sed nova potius injuria excitatur, a commilitonibus metuenda, qui partes rei per fas ac nefas tuentur. De his militum commodis ad judicia spectantibus v. tit. ff. de re milit. et Salmas. Obss. ad Jus Att. c. 21. p. 420. Festive autem ea h. l. adumbrantur, et salse perstringitur licentia petulantiaque militum, qua civibus Rom. insultabant Imperatorum temporibus. 9 seq. Conf. III, 288—301. *Prætori*, judici. 11. *Offa*, tumor carnis s. vibex; proprie massa carnis aliarumve re-

[3] Conf. Virg. Æn. I, 15. 16. Herodot. III, 60. Lactant. Inst. div. I, 17. Pausan. VII, 4. Athen. XIV, 20. XV, 4. Spanhem. ad Callim. H. in Dian. v. 228. Maffei gem. ant. P. II. p. 125.

rum rotunda et in tumorem crescens vel in unum convoluta, inpr. globus farinæ conspersæ, μάζα, ὄμπη, Æol. ὄππη, unde Lat. *offa*. v. Salmas. ad Solin. p. 90. 537. Casaub. ad Pers. V, 5. et sup. ad II, 33. *Livor* macula percussione vel contusione ac pressione contracta. 12. Hæc verba ita intelligo: *oculum* unum plane excussum, alterumque *relictum* quidem ac superstitem, sed in tali conditione, ut *nil* opis salutisque promittat medicus. Plurimi legunt *oculos relictos*, eosque putant dici vel deperditos, vel excussos.

13. Togato s. pagano, *hæc punire* ope judicis, h. e. puniri *volenti*, (v. ad III, 116. et VI, 481.) *datur judex*, non urbanus s. Prætor, sed militaris, *centurio*, quique non ingenio judicioque, sed e calceis, habitu, et *grandi* statura crassisque suris æstimandus est. Hinc *judex* ipse facete dicitur *bardaicus calceus* et *grandes suræ*, h. e. cujus grandes suræ tectæ sunt bardaica caliga s. ocrea: nisi malis verba *Bardaicus judex* jungere et post *volenti* distinguere, ut *calceus* scil. militaris simpl. pro caliga vel phæcasio, (v. ad III, 218. in Var. Lect.) et deinde pro caligato dictus sit. Simili fere sensu sup. VII, 116. *bubulcus judex* dicitur. [4] — 14. *Subsellia* in judiciis non sunt tribunalia,

[4] *Bardaicum* sive *Bardiacum* (v. Var. Lect.) quidam dici putant servilis infimæque conditionis hominem (a *Bardæis* s. *Bardiæis*, satellitibus Marii aut populo Illyrico); alii bardum s. stupidum, rerum ignarum; alii Gallum s. barbarum; alii vero bardocucullum, (v. ad VI, 118. et VIII, 145.) h. e. bardocucullo sive bardaico cucullo (ut ap. Capitol. in Pertin. c. 8.) vestitum judicem. Qui bardocucullus etiam simplic. *Bardaicus* aut *bardiacus* dicitur Martial. IV, 4, 5. (ubi v. intpp.) unde h. l. ita exponere possis: *judex datur*, et quidem *bardaicus* scil. cucullus, *calceus* et *grandes suræ*, h. e. cui bardocucullus est et calceus s. caligæ et grandes suræ, vel cui caput cucullo et grandes suræ caligis tectæ sunt. Ferrarius de re vest. VI, 21. "*Bardaicus judex*, inquit, bardocuculio vestitus, sive ille ex crassiore lana, sive ex caprarum pilis et cilicio confectus: qualem propterea Centurionem *hirsutam capellam* V, 155. appellat audacter; non tam quod capillis et barba promissa, sed quod sago hirsuto atque villoso indueretur. Gemina Claudiani sententia in Rufin. II, 85. *Mœrent captivæ pellito judice leges.*" Grangæus: "*Bardaicus judex* apposite dixit, quomodo et postea *calceus judex*, et *grandes suræ* judices. *Bardaicus judex* idem est, ac si diceret *bardocucullo indutus*, quo vestis genere hiberno tempore ut plurimum utebantur milites, potissimum Galli: nec interest, *bardaicus* an *bardiacus* legas. Est vero nil aliud quam *bardocucullus*; sive a *Bardis* deducas, qui sunt cantores apud Gallos, sive a *Bardea* vel *Bardala*, quæ *alauda* est, unde *alaudarum* legionarii, sive a *Bardæis* Illyrici populis, (qui *Vardæi* dicuntur Plin. III, 22. s. 26. et Cic. ad Div. V, 9. Οὐάρδιοι Ptol. Ἀρδιαῖοι Strab. VII, 5. p. 315. Polyb. II, 11. 12. et Appian. b. Ill. 3. 10. conf. Schweigh. ad hh. ll. Gron. et nos ad Liv. XXVII, 30. extr.) sive ab illis populis Hispaniæ, qui solebant, ut nunc Germani, principibus apparere et excubias facere, quos Plut. in Mario vocat βαρδίους, (Μάριος κατῆρε δορυφόρους ἔχων λογάδας ἐκ τῶν προσπεφοιτηκότων δούλων, οὓς Βαρδιαίους προσηγόρευεν, Opp. T. I. p. 431. A.) ut notavit Alciatus Parerg. Jur. V, 16." Calderinus: "*Bardiacus* est sagulum militare ex pilis caprorum, sed h. l. epitheton calcei, ut ex habitu designet centurionem, qui et calceis ciliceis utatur, et grandioribus tibialibus quales calcei *udones* apud Martial. XIV, 140. inscribuntur." Casaubonus ad Capitol. in Pertin. c. 8. "Meliores libri Martial. IV, 4, 5. *Bardiacus*, et fortasse hic quoque *cuculli*

sed sedes tam judicum, quam patronorum, quæ tam *magnæ* erant, ut etiam alii honestiores homines in iis locum haberent. v. Ernesti clav. Cic. Tribunal erat Imperatoris prope prætorium, subsellia Centurionum et Tribunorum militum ad *signa*, quæ in principiis locata; Grang. *grandes suræ*, ut *planta magna* III, 247. — 15. M. Furius *Camillus* in obsidione Veiorum edixit, ne miles in jus vocaretur extra castra, ut scil. præsto esset semper ad nutum ducis et quoties confligendum esset cum hoste. [5]

17—19. Hæc poeta sibi, vel Gallus poetæ et quidem lepide objicere censendus est: *Centuriones igitur*, quod ex his modo dictis patet, non minus ac Prætores vel urbani judices secundum fas et æquitatem jus dicent. *Centuriones* autem de levibus cognoscebant causis, et primi pili etiam imperatori in consilio aderant cum Tribunis. — 20 seq. Verba vel militum ad læsum et litigantem ejusque patronum ac testes, vel potius poetæ, illam objectionem diluentis; at *tota cohors*, quin et legio obstrepet in judicio, ne damnetur commilito, et, si forte damnatus fuerit, ultrix aderit, et *consensu magno efficient*, *ut vindicta*, ultio, quam parabunt et ex te petent propter accusationem commili-

Bardiaci scribendum; quos e Gallis Santonibus et Lingonibus Romam mitti solitos, ex eodem poeta (v. ad VIII, 145.) constat." Salmasius ibid. "*Bardaicus* a *Bardæus*, ut *Archaicus* ab *ἀρχαῖος*. Bardæi populi sunt Illyrici, a quibus isti *bardaici cuculli*, militare gestamen, quos *Liburnicos* appellat Martialis XIV, 139." Vetus Schol. "*Bardaicus judex* Centurio, qui quasi inter illos milites militavit habentibus stationem apud *Bardos*. est autem gens Galliæ: vel qualis fuit *Bardas*." Alius Schol. ap. Barth. Advers. XIV, 16. "Datur tibi poscenti mulctam barbarus centurio, qui pro milite respondebit. *Bardaicus* similis Batavorum, (unde eum legisse *Battavicus*, vel in eo legendum *Bardæorum* conj. Hennin.) iste acerrime judicabat de civibus, dicens: capitale est crimen, si togatus militem pulsaret." Henninius: "Vulgo non perspiciunt hujus loci argutiam et acrimoniam. Militarem licentiam et petulantiam, qua insultabatur Romanis civibus imperatoriis seculis, traducit: hinc excandescit, *togatos*, notanter ita loquitur, *a milite pulsatos*, *excussos dentes*, *faciem lividam*, *extusum oculum*, *non audere Prætori deferre*, *sed dissimulare* hanc contumeliam; aut si omnino hanc *puniri velint*, quid tum? adeundi sunt *Centuriones*, *quorum de milite est cognitio: ex instituto enim Camilli non licebat militi extra vallum litigare.* Quid ulterius? *dabitur tibi togato*, civi Romano, libero, *Bardaicus judex*, i. e. centurio miles ex servili illa traduce, qui a suis dominis fugitivi Cinnanæ Marianæque sævitiæ quondam satellites fuerant, ut ex Plut. Mario constat. At quinam hi *Bardæi* vel *Bardiæi* Marii? Glossæ Latino-Græcæ: *Bardei*, Ἰλλύριοι δοῦλοι, οἱ καὶ ἀγωνισάμενοι ὑπὲρ τῆς Ἰταλίας, κατὰ Κίννου καὶ Μαρίου στρατευσάμενοι· καὶ ἐκ τούτου τυραννῆσαι κατὰ τῶν δεσποτῶν. Consentire hisce Glossis videtur Plin. III, 22. Hinc apparet, subtilissima indignatione eaque acerrima *Bardaicum judicem* introduci, qui de causa inter togatum et militem cognoscat, eumque judicem non ab ingenio aut judicio censendum, quam potius *calceis* et *grandibus* crassisque *suris*, quibus ad iniquum *tribunal* servilis propago de homine libero judicatura accedat. Latet et aculeus in recessu, quo pungit inertiam suorum civium, qui a peregrinis e sterquilinio effossis patiebantur sibi militares dignitates præcipi. Qui aliter explicant, nugantur." Henninio adstipulatur Ach.

[5] de quo militum privilegio v. l. XII. C. de re milit. l. finali C. de Offic. milit. jud.

tonis, *sit curabilis*, curanda, h. e. metuenda, *et gravior, quam injuria*, a milite tibi olim illata. Annotatio Hein. est: " Equidem accipio *curabilis* significatione activa, quam adjectiva in *bilis* sæpissime habent: *efficiunt, ut vindicta sit curabilis*, te curet, i. e. faciat, ne in posterum audeas milites accusare, te doceas omneș injurias militum patienter ferre." Ergo Lat. *curare* est German. *curiren!* Cf. Var. Lect. In legione propr. X sunt cohortes et XXX *manipuli*. Præclare autem h. l. notatur ferocia militum, illis potissimum temporibus omnia per vim agentium licentiamque immoderatam usurpantium.

22 seq. Hæc facete dicta. *Vagellius*, Mutinensis, (v. Var. Lect.) *declamator;* cui *mulinum cor* tribuitur vel ob soliditatem, (unde et stultus homo *mulus* dicitur Catull. LXXXIII, 3. et idem forte *Vagellius* eamdem ob causam memoratur sup. XIII, 119.) vel ob audaciam temeritatemque, qua quaslibet causas, malas etiam ac periculosas, suscipiebat, vel denique ob pertinaciam, qua in unumquemque invehebatur, sine respectu personarum, qualem mulorum naturam esse monet Grang. 24. *Quum duo crura habeas*, quæ clavis undique pungi possint. *offendere tot caligas, tot millia clavorum*, facete pro tot milites, quorum caligæ clavis suffixæ sunt; de quo v. ad III, 248.

25. *Quis tam procul absit ab urbe*, tam alienus sit ab urbanitate, tam inurbanus, rudis et rusticus; vel tam ignarus rerum urbanarum et licentiæ militum. (v. ad XIII, 111.) Hoc sensu, quotquot vidi, interpretes verba illa ceperunt, præeunte vet. Schol. ap. Barth. Adv. XIV, 16. qui præter alia hæc adnotavit: " *Procul ab urbe* dicuntur esse fatui, quia, qui in urbibus sunt, solent esse prudentiores paganis: contra autem villani, qui ab urbe remoti sunt, stulti vocantur." Sed aptior, opinor, simpliciorque ratio est hæc: *Quis tam procul ab Urbe absit*, abesse sustineat, ut militis accusandi causa ad castra et exercitum, longe Roma remotum, proficiscatur? Ita et melius cohærent sequentia v. 25. *Præterea quis tam Pylades*, h. e. tam amicus alicui omniumque ejus periculorum comes ac particeps, (qualis Pylades fuit Oresti) *ut ultra molem aggeris*, ultra vallum, in castra *veniat* cum illo, causæ ejus apud Centurionem agendæ, vel testimonii contra militem reum dicendi, vel miserationis judicum veste mutata, qui amicorum mos est, movendæ causa? 27. *Lacrumæ siccentur protenus*, lacrimas confestim, post acceptam a milite injuriam, comprimamus, tamquam vanas et inutiles, et dissimulemus vel patienter feramus hunc injuriam, *neque sollicitemus amicos*, ut nos, militem delaturos,

comitentur ad castra nobisque in judicio adsint, *se excusaturos* et detrectaturos officium tam periculosum. 29. *Judex,* centurio, *quum dixerit* togato, militis nomen deferenti, *da testem :* nemo facile erit, qui, si vel *pugnos,* ictus pugnorum, quos accepisti, *vidit, audeat dicere, Vidi,* se vidisse. (Cf. VII, 13. 14.) Si ausus hoc fuerit *nescio quis,* (utpote qui haud facile invenietur) tum *credam* eum *dignum* esse *barba et capillis majorum,* h. e. qui in majores nostros referatur iisque æquetur, viris summæ fidei et constantiæ, quibus mos erat *barbam et capillos* alere ac promittere ; de quo v. ad IV, 103. et VI, 105.

32 seq. Facilius reperietur, qui falsum testimonium dicat *contra paganum* s. togatum, (v. ad v. 8.) quam qui verum contra militem dicere audeat. *Citius falsum producere testem possis* cet. v. ad X, 220. — 34. *fortunam,* bona et libertatem s. licentiam, *armato* h. e. militi concessam. *pudorem,* bonam famam et honorem : nam *contra pudorem* alicujus *loquitur,* qui ei exprobrat, quæ ipsi sint dedecori ac rubori, vel quorum eum pudeat necesse sit.

35. Privilegia *alia,* solis militibus propria. Conf. ad v. 7. *Sacramentum* propr. jusjurandum militare, h. l. pro ipsis militibus ponitur.

35—50. In judiciis urbanis lente omnia procedunt : at lites militum sine mora dirimuntur. 36—41. Recensentur exempla causarum, quæ in foro aguntur. *Convallem,* planitiem, undique collibus septam. *ruris aviti,* a majoribus mihi jure hereditario s. testamento relicti. 38. *Terminus,* stipes vel *saxum,* lapis terminalis, *in medio limite,* inter duos agros et in eorum confinio, positus, qui tam *sacer* erat, ut Dei loco *coleretur,* utque eum violare aut fraude mala loco movere s. proferre (pro quo docte h. l. dicitur *effodere,* ut al. *revellere, convellere* et *evertere,* antec. pro conseq. posito) summum esset nefas, jam inde a Numæ temporibus, a quo lex lata : *qui terminum exarasit, ipsus et boveis sacrei sunto.* [6] — 39. Quem agrum diu possedi. Termino quotannis primum sacrificabantur *puls* et *liba,* (v. ad III, 187. et XIV, 171.) vel primitiæ frugum, tura, favi cet., postea vero agni etiam et sues. [7] De *vetulo libo* v. Var. Lect. 40. *numos sumtos,* vel fenore, vel mutuo. 41. Vid. ad XIII, 137. ubi idem legitur versus. 42. 43. *Exspectandus erit annus,* (annuum vel longinquum tempus,

[6] Cf. Festus v. *Terminus,* Dionys. Halic. II, 7. Sicul. Flacc. de Term., Liv. I, 55. Lactant. Inst. I, 20. Ovid. Fast. II, 640—684. (ubi v. Heins. et Burm.) L. I. ff. de term. moto, (ubi v. Gothofr.) Cujac. Obss. II, 5. Ouzel. ad Minuc. p. 15 seq. Heyne ad Tibull. I, 1, 11. 12. (18) et intpp. Deuteron. XIX.

[7] Cf. Dionys. l. l. et Heins. ad Ovid. Fast. II, 644. 651. et 655.

ut ap. Terent. Heautont. II, 2, 11. *dum comuntur, dum ornantur, annus est*) *qui inchoet*, nedum finiat, *lites totius populi*, adeoque et meam. Tanta est multitudo litium totius populi, ut spes meæ litis inchoandæ diu differenda sit. Conf. Suet. Vesp. c. 10. et de centumviralibus judiciis ac causis, quarum exempla v. 36 seq. memorantur, Ernesti clav. Cic., Turneb. Advers. IV, 3. et intpp. Plin. Ep. I, 18. VI, 33. [8] — 43. *tunc quoque*, lite jam inchoata. *mille moræ*, ut in nostris quoque judiciis. 44. *Subsellia sternuntur*, apponuntur et parantur, *tantum*, non etiam justus judicum numerus in iis sedet; sed quia major eorum pars abest, judicium differtur in aliud tempus.

45 seq. *Cædicius* et *Fuscus* nomina non judicum, opinor, sed patronorum causarum: unde et *facundus* ille dicitur. Alius, ni fallor, *Cædicius* memoratur XIII, 197. (et lectio etiam h. l. dubia est. v. Var. Lect.) alius quoque *Fuscus* IV, 112. sed idem forte XII, 45. Plin. Ep. VII, 9. et Aurelius Fuscus, patronus insignis hujus temporis, Martial. VII, 27. Verba autem obscura h. l. vulgo exponunt ita: *Cædicio jam ponente*, deponente, *lacernas*, ut vel agat causam, si patronus est, vel, si judex, eam audiat, aut deponente ob æstum, dum exspectat judices et frigus captat vestium onere gravatus, *et Fusco* judice *jam micturiente* tum ob longam sedendi et exspectandi moram, tum ob largam meri potionem; quales judices notat Titius ap. Macrob. Sat. III, 16. *describens homines prodigos in forum ad judicandum ebrios commeantes: veniunt in comitium tristes; jubent dicere, quorum negotium est, narrant: judex testes poscit, ipsus it mictum: ubi redit, ait se audivisse omnia, tabulas poscit, literas inspicit, vix præ vino sustinet palpebras.* Judices sedent otiosi, donec tædio moræ affecti lacernas deponunt; Calder. Sed vera est, opinor, Hein. interpretatio: " Juvenalis aperte dicit: Sæpius si jam in eo est, ut nostræ lites dijudicentur, si oratores se jam ad dicendum parent, aliquid fit, quo judicium differtur. Hoc ita expressit: Si *facundus Cædicius jam ponit lacernas*, ut in toga orationem suam habeat, (lacernæ enim togis superinduebantur et toga induti esse debebant dicturi, conf. Mart.

[8] Servius ad Virg. Æn. II, 102. " In ordine, inquit, dicebantur causæ, propter multitudinem vel tumultum festinantium, quum erat annus litium." Hujus Servii, non aliorum, auctoritate freti contendunt interpretes, morem fuisse, ut per sortem ordinarentur causæ et in ordinem vel ordine (Gall. *au tour de rôle*) agerentur. Nonnulli ita h. l. interpretantur: diutissime mihi exspectandum erit, antequam inchoentur *lites totius populi*, h. e. conveniant ad judicandum Centumviri, judices electi ex tribubus et *toto populo*, apud quos litigandum est. Sed hæc ratio durissima. Pithœus Subseciv. II, 20. *annum* accipit de certo anni tempore, quo convenerint judices et causæ totius populi agi cœperint.

VIII, 28. et Plin. ep. II, 3. et IV, 2.) et *Fuscus jam micturit,* quia mox dicturus est, et igitur aliquamdiu hoc facere non potest; si hæc omnia fiunt et parati sumus ad hæc audienda et nos defendendos, tamen sæpius infecta re digredi coacti sumus." Ferrarius de re vest. IV, 25. " Non ita, inquit, compertum mihi est, cur *Cædicius posuerit lacernas:* non quod defatigatus esset exspectando, non enim mora æstum affert; neque dicendo delassatus, nondum enim causa cœpta erat: fortasse quia dicturi *lacernas deponebant,* in quo tamen hæsito, quum auctor Dial. de orator. c. 39. etiam *pœnulas* in agendo adhibitas dicat." Hæc vero non justa hæsitandi ratio est. *Pœnulis* tum utebantur Romani etiam in Urbe frigoris et pluviæ causa, (v. ad V, 79.) *togis* in publicum prodituri, (unde et togæ mentio fit in vestitu cultuque oratoris ap. Quintil. XI, 3.) et *lacernas* togis injiciebant. v. ad IX, 28. 29. *lacernam* legendum esse h. l. suspicari possis. Sed sæpe plur. ponitur pro sing. Verba autem *Fuscus jam micturit* plus in recessu habere videntur, quam fronte promittunt, et poeta satiricus, ni fallor, non modo patronum causæ mox dicturum designare voluit, sed etiam vel loquacem pluresque clepsydras poscentem, vel potatorem, qui, ut judex ille ap. Macrob. l. l., sæpius it mictum. Idem forsan Fuscus ut vinosus notatur a Mart. VII, 27. et ejus quoque conjux ut ebriosa sup. XII, 45. — 46. *parati* ad dicendum causamque agendam, *digredimur* infecta re, frustrati exspectatione judicum. 47. In foro, ubi litigamus, lente procedit lis nostra. Metaphora petita ab arena amphitheatri et gladiatoribus, qui in ea pugnant.

48—50. Militibus contra quovis die, et quando vel quoties iis libet, tempus causæ agendæ conceditur, neque *res,* causa s. actio, *longo sufflamine,* longa mora, (v. ad VIII, 148.) *atteritur,* deterior vel mala fit, quum bona esset, et perditur. *Atterere* vel *terere,* ut Gr. τρίβειν et ἐπιτρίβειν, comminuere, imminuere, infirmare, perdere. *Sufflamine atterere* etiam simpl. pro morari s. differre dici potest, vel *res* de re familiari accipi, ne synonymæ voces *res* et *lis* jungantur. Sed illa ratio præstiterit.

51—54. Militibus etiam (primum a Jul. Cæsare, deinde ab Augusto, Tito, Domitiano ac potissimum Nerva et Trajano) id privilegii concessum, ut quæ a se *parta* essent *labore militiæ,* h. e. stipendium, præmia, præda aliaque in militia s. bello acquisita, (quod vulgo *peculium castrense* dicitur) *non essent in corpore,* summa, *census,* bonorum filii, quorum *omne regimen,* dominium, *tenent pater,* h. e. non patriæ potestati obnoxia essent, utque adeo *militibus vivo* etiam *patre jus esset*

testandi de hoc peculio castrensi. (Cf. Digest. l. 29. t. 1. l. 1. de testam. mil. Ulpian. 23. § 10.) His aliisque Imperatorum institutis imminuta est patria potestas, cui olim omne filii peculium una cum corpore ac vita subjectum erat.

54—56. Quæ quum ita sint, *pater, quamvis jam tremulus* capite, h. e. senio confectus, *captat Coranum* filium, *signorum comitem*, in bellum proficiscentem et *castrorum æra*, stipendium, *merentem*, h. e. militem, ut heres ab eo scribatur bonorum militia partorum vel olim pariendorum. Poeta jam XII, 93 seq. captatorum artes perstrinxerat, et nunc docet, ipsos quoque patres fuisse captatores filiorum et quidem *jam tremulos*, quo rei indignitas augetur. Historiam autem temporis sui haud dubie respexit; et *Coranus* videtur alius esse, quam qui memoratur Horat. Sat. II, 5, 57. — 56. *Hunc* Coranum s. militem *labor æquus provehit:* æquum enim est, paria labori præmia reddi; *æquus* autem appellatur *labor*, quia æquum est unicuique, pro patria laborare; Brit. Sed v. Var. Lect. 57. *pulcro labori* militiæ, quia saluti patriæ impenditur. *dona*, honores et præmia, qualia mox v. 60. memorantur, *dona sua*, propria ac justa.

58 seq. Ipsius ducis refert, milites honoribus ac præmiis affici, quoniam sic non tam virtus eorum excitatur aliique alliciuntur ad militandum, quam tum ipsius ducis justitia probatur, tum amor ac gloria militaris augetur. 60. Hæc et alia virtutis militaris præmia memorantur Gell. II, 11. et Sil. XV, 254 seq. De *phaleris* v. ad XI, 103. et de *torquibus* Lips. Mil. Rom. V, 17. ubi etiam discrimen horum ornamentorum exquiritur.

A. PERSII FLACCI

SATIRÆ VI.

AD

OPTIMORUM EXEMPLARIUM FIDEM RECENSITÆ,

COMMENTARIO PERPETUO,

PROŒMIO, ET INDICE RERUM,

INSTRUCTÆ

A

G. L. KŒNIG.

GLASGUÆ:
EXCUDEBANT ANDREAS ET JOANNES M. DUNCAN,
ACADEMIÆ TYPOGRAPHI;
IMPENSIS RICARDI PRIESTLEY, LONDINI.

1825.

PROŒMIUM

DE

PERSII VITA,

MORIBUS ET SCRIBENDI GENERE.

Debellatis tot tantisque nationibus a Romanis omnique ratione expilatis, ingentes divitiæ, quæque ex his nasci solent, avaritia, luxuria omniaque vitiorum genera, Romam confluxerant, quibus tandem corrupti victores et enervati omnem honestatis et libertatis sensum adeo amiserunt, ut gravissimum servitutis jugum, a turpissimis interdum hominibus sibi inpositum, æquo animo paterentur. Prisca illa animi magnitudo et gravitas, qua Romani veteres reliquas nationes præstiterant, vili cessit adulationi puerilique levitati. Etenim ipsa frugalitas, mater pæne omnium virtutum, quibus nomen Romanum vel hostes infestissimos in sui admirationem rapuerat, opibus orbis terrarum in urbem congestis expulsa adeo evanuit, ut in paucis admodum generosioris indolis, qui a communi vitiorum contagio intactum servaverant animum, vestigia ejus remanerent. Umbra libertatis, quam Augustus civibus, magis ut sui ipsius saluti, quam ut eorum commodis consuleret, reliquerat, a Tiberio funditus sublata,[1] Romani, cura rerum publicarum omissa, convertebant animos ad res privatas, atque amor patriæ studiumque rerum communium sensim sensimque exstirpabatur. Quum jam ab unius benevolentia aut invidia omnia vel exspectanda vel timenda essent, id omnes agebant, ut, quibuscumque rebus possent, gratiam ejus aucuparentur, neque quidquam commit-

[1] Tacit. Annal. I. 15; Dio Cass. LVIII, 20. ibi v. Reimar. Sueton. Tib. 57; Pompon. II, § 9. D. de or. Jur.

terent, quod minus illi placeret. Delatorum porro greges, per Italiam omnesque provincias sparsi, non facta solum et dicta, sed ex iis etiam intima animi sensa rimabantur et vel domesticorum fidem infestam reddebant. Quam ob rem nemo liberam vocem emittere audebat; vel taciti Imperatorum insaniam resque imperii ruentes adspiciebant, vel obculte et ambigue loquebantur, sortemque suam domi delitescentes lugebant. Inde quoque sermonis indoles et natura colorem traxit; quæ, quum antea simplex esset et aperta, quandoquidem nemini fraudi erat, ea proloqui, quæ cogitasset, nunc obscuritate quadam obvoluta erat et tecta, atque a naturali simplicitate in dies magis magisque deflexit.[2] Ipsa eloquentia foro relicto vel in scholarum umbraculis abscondita situ conrumpebatur, vel in senatu peregrino fuco oblita in laudandis Imperatoribus sententiisque illorum abjecte comprobandis erat occupata; quumque rerum argumentorumque magnitudo deficeret, inani verborum pompæ sententiarumque tumori studebat.[3] Sensu sublimitatis veræ, decoris et ingenuitatis obtuso, studium conlocabatur in rebus minutis, et novitatis cupidine et acuminis jejuni scriptores obscuri et inepti fiebant. Mutata rei publicæ forma moribusque pristinis exutis, sermo quidem novis subinde dicendi rationibus et verbis passim auctus est, præcipue a peregrinis, qui undique ex provinciis Romam confluxerant, at multa contraxit, quæ antiquam puritatem ejus candoremque contaminarent. Multa plebeia ei admista sunt, multa adulandi studium invexit; major tamen conruptelæ pars grammaticorum et rhetorum scholis debetur, communique fere furori, quo ad versus conscribendos vulgo compellebantur,[4] omnisque elo-

[2] Huc quoque imago pertinet, quam Tacitus (Hist. I, 2.) temporum, quæ Neronis mortem insecuta sunt, adumbravit.

[3] Senec. Controv. præf. ad l. I. Quintil. Inst. IX, 3. Auctor de corrupt. eloq. c. 24, 28, 32.

[4] Carmina scribendi studium sub Augusto potissimum apud Romanos ita increbuit, ut ad elegantiam pertineret, versus scribere et recitare. Horat. Epist. II, 1. 108 seqq. et 2. 90 seqq. Illud studium, in quod tunc animi vel sponte inclinabant, ab Augusto ipso promotum est cum honoribus, quos poetis concessit, tum bibliothecarum publicarum institutione. Hic morbus communis non inminutus sed potius auctus est sub sequentibus Imperatoribus, quum unusquisque, nisi animi causa aut otii fallendi scriberet, facilius et commodius poetices studio nomen se inventurum esse arbitraretur, quam alia quacumque re graviori. Petron. 118. Etiam Tiberius, crudelissimus turpissimusque Princeps, Græca et Latina poemata fecit, Euphorionem, Rhianum et Parthenium (de quibus v. Suidam et Voss. de hist. Græc.) in Græcis, in Latinis Messalam Corvinum imitatus. Sueton. in Tib. 70. cf. Tacit. Ann. I, 11; XIII, 3. Caligula quidem, qui cædibus, rapinis et stupris omnia miscuit, Virgilii et Livii scripta abolere tentavit, (Sueton. Calig. 34.) ingenio illorum scriptorum et gloria offensus, verum illis favisse videtur, qui vel ipsius laudes canerent, vel libidini excitandæ versibus suis inservirent. Ne Claudius quidem a Musis erat aversus. Sueton. Claud. 3. 28. 40. Plin. Epist. I, 13; Tacit. Annal. XIII, 3. Nero omnes

quentia et poesis, quam non in naturæ et ingenii dotibus, sed in observandis artium præceptis positam existimabant, in pueriles declamationes abiit et in frigidum troporum et figurarum adhibendarum artificium. Judicio veri et pulcri semel conrupto, placendi quoque studium scriptores in fraudem inlexit, ut non optima quæque sequerentur, exemplaque veterum scriptorum imitanda sibi proponerent, verum ut ea chartis inlinerent, quæ multitudini probarentur, quæque in magna frequentia auditorum recitata maximas exclamationes plaususque excitarent. Neque vero ii, in quibus altior spiritus inerat, inmunes erant omnino ab illis vitiis, quæ hujus ætatis essent; plerique vigore et vi destituti aliorum vestigiis inhæserunt, et in sententiarum vario ornatu occupati inventionis et compositionis laudem neglexerunt.

Erant sane illa tempora nulli poeseos generi magis quam satirico adcommodata; nam morum conruptela, luxuriæ et profusionis insania vitiorumque omnis generis inmanitas tanta erat, ut contemplanti hæc difficile esset, satiram non scribere. Atque his temporibus vivebat *Aulus Persius Flaccus*[5], natus *Volaterris*, vetusto Hetruriæ oppido, sub Tiberio, a. U. c. 787. prid. non. Decbr. Fabio Persico, Lucio Vitellio Coss.[6], equestri genere, sanguine et adfinitate primi ordinis viris conjunctus. Flaccum patrem amisit annos fere sex natus. Usque ad duodecimum ætatis annum Volaterris mansit. Tum Romam delatus ad *Rhemnium Palæmonem* grammaticum[7] et *Virginium Flaccum* rhetorem[8]. Annos sexdecim natus in disciplinam venit *Annæi Cornuti*,

liberales disciplinas puer adtigit, poesinque exercuit. Suet. Ner. 10, 52; Martial. IX, 27. Tres ejus versus non ultimæ notæ profert Schol. ad Lucan. III, 261. Verum cf. Tacit. Ann. XIV, 16. Satiram quoque aut carmen scripsit, quo Clodium Pollionem, et alterum, quo Afranium Quinctianum, mollitia corporis infamem, perstrinxit. Suet. Domit. 1. Tacit. Ann. XV, 49. Quamobrem Neronem ab Juvenali IV, 106. tactum putant interpretes.

[5] Persii gentis raro in Romanorum monimentis mentio fit. Tempore belli Punici secundi circa 544 florebat C. Persius militari laude conspicuus. Annis post hunc paullo minus centum alter C. Persius urbanitate et doctrina insignis. Cic. de Orat. II, 6. Verum dubitari potest, an illi ad nostri Persii genus pertinuerint. Mentio quoque fit Persii poetæ Phocæensis apud Polluc. in onom. IX, 6.

[6] Cassiodorus natum eum dicit anno sequenti, quod ab Eusebio forsan mutuatus est, quem vide in Chron. ad ann. 2050.

[7] Rhemnius Fannus Palæmon erat nobilis grammaticus tempore Claudii. Verna natus literas didicit quum pædagogus esset, deinde manumissus Romæ docuit. Erat *omnibus vitiis infamis, palamque et Tiberio et mox Claudio prædicantibus, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam. Capiebat homines cum memoria rerum, tum facilitate orationis; nec non etiam poemata faciebat ex tempore.* Sueton. de clar. gramm. 23. Quadragena annua ex schola cepit, nec paullo minus ex re familiari, cujus erat diligentissimus. Ibid.

[8] *Virginius Flaccus* rhetor sub Trajano mortuus est. Scripsit de arte dicendi. Quint. Inst. III, 1; Tacit. Ann. XV, 71.

philosophi stoici [9], eoque patre magis et amico, quam magistro usus est. Amicos habuit a prima adolescentia *Cæsium Bassum* [10] et *Annæum Lucanum*, quem per Cornutum cognoverat, poetas, quorum ille lyricum, hic epicum poeseos genus secutus est. Erat Persius, ut auctoris ejus vitæ verbis utar, *morum lenissimorum, virginalis fere verecundiæ, formæ pulcræ, summæque pietatis in matrem, sororem et amitam*. Adcuratiorem naturæ ejus atque indolis imaginem in scriptis, quæ reliquit, expressam videmus, vividissimis quasi coloribus depictam, cujus pulcritudine adcensi vel inviti cogimur in judicio de satiris ejus ferendo id potius spectare, quod perficere potuisset, si vel æquiori Musis tempore vixisset, vel longior ætas ei subpetivisset ad ea polienda, quæ satis pulcre inchoaverat, quam juveniles illos conatus ad severas critices regulas exigere. Est sane quod miremur, tantam gravitatem et constantiam in juvene præsertim locuplete fuisse, ut omnes voluptates, quibus, ex illius ætatis opinione, vel honeste frui potuisset, respuerit, tantum virtutis et honestatis ardorem, quo eum quavis pagina abreptum videmus, tantam severitatem in omni mollitie castiganda moribusque effeminatis acerbe notandis, ut barbatum aliquem ex priscis Romanis existimes audire. Quod autem maxime nos ei conciliat, est pietas sensus, quem erga Cornutum præceptorem declarat, tam candidus et vehemens, ut quisque animadvertat, in rei magnitudine verbis adsequenda eum magnopere elaborasse, nec tamen sibi satis fecisse. Quibus virtutibus instructus dignissimus sane fuit amicitia et consuetudine *Pæti Thraseæ* [11], summi et clarissimi viri, quocum etiam adfinitate erat conjunctus. Decessit Persius vel

[9] *Annæus Cornutus Afer*, stoicæ sectæ æmulus, magnam humanitatis disciplinarum gloriam nactus est. Philosophiam Romæ professus juventuti ad sapientiam erudiendæ omne tempus impendebat. Quum Neronem, insignem eruditionem adfectantem, libere dicto obfendisset, in exsilium est ejectus. Dio Cass. LXII, 29. conf. quæ ibi in notis laudantur. Suidas in Κορνοῦτος Cornutum historicum, Livii æqualem, cum hoc philosopho confudit. adde not. ad Pers. Sat. V, 16.

[10] De hoc vide quæ notata sunt ad Sat. VI.

[11] *Thraseas Pætus* Patavinus. Tacit. Ann. XVI, 21. Gener *Cæcinæ Pæti* et *Arriæ*, de quibus v. Martial. I, 14; Plin. Epist. III, 16; Dio Cass. LX, 16. Erat stoicus et admirator Catonis Uticensis, cujus vitam scripserat, atque vir antiquæ plane virtutis et inter tot abjectissimos Neronis adulatores solus erectus et constans, intrepidus et gravis, notaque humanitate et clementia. Plin. Epist. VIII, 22. 3. Is Neroni invisus ob multas res, præcipue ob sententiam de Antistio. Tacit. l. c. XIV, 48. Tamen virtutem Thraseæ vel invitus adnovit. Plut. reipubl. ger. præc. c. 14. T. XII. ed. Hutt. Adcusatus deinde, Tacit. l. c. XVI, 21; mortis arbitrium adcepit, venisque sectis obcubuit. Tacit. l. c. 31; Sueton. Ner. 37; Schol. ad Juvenal. V, 36; Dio Cass. LXII, 26. Laudavit eum postea *Aurulenus Rusticus*, quod ipsi sub Domitiano capitale fuit, liberque exustus est. Tacit. vit. Agric. 2 et 45; Sueton. Domit. 10.

septimo vel octavo anno imperii Neronis a. U. c. 815. Auctor vitæ ejus memoriæ proditum reliquit, eum in pueritia *Prætextam* et *Odoiporicon* librum unum et paucos versus in socrum Thraseæ Arriam matrem, quæ se ante virum occiderat, scripsisse, quæ omnia Cornuto auctore a matre Persii abolita sint. Porro, raro Persium et tarde scripsisse, librumque, quem nunc etiam habemus, ultimam manum ejus non esse expertum. In hujus ultima parte versus aliquot esse demptos, ut finitus videretur, Cornutumque ipsum nonnulla conrexisse, Cæsioque petenti, ut ederetur liber, edendum tradidisse. Continet hic liber, a Quintiliano et Martiale laudatus [12], præter prologum sex satiras, non pari omnes dignitate, quarum prima ex duarum laciniis composita videtur, etiam ex quarta non pauca intercidisse probabile est. Ut adcuratius de illis satiris judicare possimus, age videamus paucis, quid et qualis sit satira aut satiricum genus, quod a Romanis inventum, excultum et perfectum est.

Carminis genus, quod satiræ nomine insignitum est, hoc habet propositum, ut mores emendet, eoque a libello seu carmine famoso differt, quo id agitur, ut aliquis indigno more infamia adspergatur. Verum ratio, qua satiricus utitur, non in eo posita est, ut præcepta tradantur virtutis, mores candidi laudentur, vitæque honestas commendetur, verum diversam viam ingreditur, ridet stultitiam, carpit inprobos mores, scelera flagellat, atque, ut breviter dicam, τὸ ἐλεγκτικὸν satirico propositum est. Ad hanc rem non argumenta adhibet, ut morum præceptor in scholis, aut turpitudinem vitiorum communi ratione describit, sed omnes artes adsumit, quibus poeta uti possit et debeat, omnia loca et regiones quasi ridiculi, invidiæ et indignationis perscrutatur, eaque inde depromit, quibus lectoris animum, quocumque velit, flectat, simulque teneat atque delectet. Neque vero de universo vitiorum genere agit poeta, sed ut cum personis juncta esse soleant, loco quoque et tempore definito. Personæ possunt esse vel fictæ, ad vivum tamen expressæ, vel veræ, turpitudine notæ atque insignes. Quo id adsequitur poeta, ut paucis tantum lineis ductis vividissima vitiorum imago eorumque turpitudo et deformitas ante oculos obversetur, quum hominis, cui ea insunt, sentiendi, cogitandi et agendi rationem velut oculis contemplari videamur. Omnes imagines et similitudines, quibus utitur, e vita communi petitæ, aptæ

[12] Quintil. X, 1. *Multum et veræ gloriæ, quamvis uno libro, Persius meruit.* *Sæpius in libro memoratur Persius uno, Quam levis in tota Marsus Amazonide.* Martial. IV, 29. 7 seq.

atque insignes debent esse, omniaque, quæ proferuntur, ita temperanda sunt, ut agi videantur non narrari. Ratio, qua res tractari possint, multiplex est, partimque a poetæ indole et natura, partim ab argumenti ratione pendet. Semper autem impetu aliquo ductus satiricus videri debet vel ridendi vel carpendi, occasionemque oblatam adripuisse non quæsivisse; optimum igitur dicendi genus, quod adhibere possit, hoc est, quod sponte et e re natum, non diu quæsitum videtur. In quo etiam nec acerbitas nocet nec acrimonia, si res ita postulat, dummodo salibus et urbanitate quadam temperata sit, ne in mera convicia res abeat. Si vero studium adparet, omnis satiræ vis quodammodo debilitatur et frangitur, præsertim id genus, quod risu et facetiis hominum stultitiam exagitat. Est quidam rerum ordo, qui primo adspectu solutus esse videtur ac liber, qualis esse solet, quum ipsi quieti imaginandi facultati permittimus in latissimum rerum campum, quacumque lubet, exspatiari, quo tunc in animo res rebus, imagines imaginibus subcedere soleant, prout vel simul junctæ fuerint, vel similitudine aliqua copulatæ sint. Hunc ordinem imitabitur satirarum scriptor, summamque artem in omni artis suspicione amovenda declarabit.

His lineis de universo genere satirico ductis ad nostrum Persium redeamus, paulloque adcuratius de eo genere disseramus, quod ille secutus est. Videamus igitur primum de argumentis, quæ tractanda sibi proposuit, in quorum delectu magna cautio habenda est poetæ. Debent enim esse ejusmodi, ut per se jam lectorem quodammodo adliciant, nota quidem atque insignia, ita tamen animo comprehensa, ut novitatis quoque gratiam habeant, quamquam vel negligentius circumspicienti ubique obvia videantur. In prima satira egit Noster de inportuna scribendi et recitandi cupidine ac de pravo et conrupto venustatis et pulcritudinis judicio. In secunda de precibus inprobis et ineptis. Tertia desidiosam et mollem Romanam juventutem perstringit; quarta regnandi cupiditatem rerumque publicarum curam, eorum omnium ignaram, quibus niti debeat. In quinta de vera libertate agitur; in sexta de legitimo divitiarum aut rei familiaris usu. In prima, tertia, quarta et sexta non tam in delectu rerum peccasse Persium dixerim, quam in tractatione, tamen in tertia et sexta meo quidem sensu felicius versatus est. Secundæ satiræ argumentum minus aptum videtur satirico poetæ, ei præsertim, qui pietatis sensu tam vehementer inbutus est, quam Persius, quamquam Juvenalis et hoc satis commode tractavit, verum declamatoria ratione magis quam

satirica. Luciano risori melius res processit. Sed in quintæ satiræ argumento deligendo, non e vita communi, verum e stoicæ disciplinæ penetralibus deprompto, cujus sacris ne ipse quidem satis initiatus fuisse videtur, maxime forsan peccavit. Disputatio enim, quæ subtili rerum a communi usu remotarum finitione nititur, in qua animus vel maxime ab oculorum et aurium consuetudine avocandus est, per se jam omnem poeticam tractationem respuit, quique eam nihilominus tamen tentaverit, is neque apud disciplinæ rudes neque apud philosophos gratiam inibit. Ejusmodi enim quæstiones verbis scholæ omissis, ut poetæ par est, commode tractari vix possunt, nec quivis lector subtilis orationis sensum capere valet, nisi stoicam rationem quasi in numerato habeat. Videmus quidem Persium operam dare, ut scholasticis compedibus liber ita loquatur, ut rem vel rudibus aperiat, verum ipsa ejus contentio, quum felici subcessu destituatur, ingrata est lectori, obficitque interdum voluptati, quam ex quibusdam locis satis feliciter tractatis alioquin capere potuisset. Atque tota hæc res, quum per se difficillima sit, si cuiquam umquam, ei tantum prospere cedere potest, qui id, quod tractare vult, penitius ipse inspexerit, ut ea seponat, quæ omnino vulgarem rationem non capiant, reliqua ad captum multitudinis adcommodet, magisque sensibus lectorum quam intellectui consulat.

Secundæ, quintæ et sextæ satiræ epistolarum forma induta est; sunt tamen proprie disputatiunculæ poeticæ, ad Macrinum, Cornutum et Bassum missæ, ex cogitatione aliqua graviori, fortuito quasi scribenti oborta, quam statim adreptam longius prosequeretur, natæ. Iniquum videtur statuere, Persium in his Horatianam epistolam imitari voluisse, verum, quod sibi proposuerit, non fuisse adsecutum. Horatianas satiras ab epistolis ejus et rebus, quæ utroque genere continentur, et expositionis ratione diversas esse, jam viderunt veteres,[13] nuperque *Morgenstern* doctam disputationem de discrimine earum instituit.[14]

[13] Statius Silv. I, 3. 103 seq.

[14] De satiræ atque epistolæ Horatianæ discrimine. Lips. 1801. In hac disputatione (pag. 52. in notis) reprehendit Casaubonum, qui illas tres satiras epistolas vocaverit: *nam tres Persii satiræ*, inquit, *sunt illæ quidem quibusdam inscriptæ, sed nonnisi dedicationis causa, quæ tractandi modum nihil adficiat. Quosdam quidem versus secundæ et sextæ satiræ præmisit, in illa quatuor, in hac sex, quibus Plotium Macrinum et Cæsium Bassum amicos adloqueretur. Sed versus isti aut nihil faciunt aut parum ad argumenti tractationem, quo in altera superstitiosos, in altera sordide viventes locis communibus castigat. At in quintæ maxima parte Cornuti præceptoris encomium pius discipulus prosequitur. Quod qui adfirmat Casaubonus, eum cave ne audias. Nam illa satira tribus et triginta versibus* (21—51, 62—64.) *habet Cornuti laudes. Cetera, quæ*

Non exigenda hæc Persii ratio est ad eam formam, quam lectis Horatii aut Juvenalis epistolis forsan animus complexus sit, quum rationes et viæ, quibus poetæ res tractandas efferre possint, innumerabiles sint, nec ad certum numerum natura adstrictæ, præceptaque et regulæ hujus vel illius formæ aut imitatoribus aut lectoribus tantum scribantur, ut habeant, quod sequantur, aut ad quod in legendo adtendant, non poetis, qui libero cursu, quo impetus et Musæ ducant, sequuntur. Illæ satiræ aut epistolæ ad amicos missæ eo consilio scriptæ sunt, ut ipsi quasi inscriptionis honore amicique pietate gauderent, lectores vero, quorum ratio præcipue habita est, lectionis fructum conligerent.

Neque eorum opinio mihi probatur, qui perhibent, Persium eum rerum ordinem in satiris servare, quem dialectices regulæ præscribant. Videtur potius in hac re philosophus non satis adcuratus et subtilis, simulque poeta non satis solutus ac liber. Unusquisque statim, quacumque satira perlecta, animadverterit necesse est, Persium non uno tenore argumentum detexuisse, sed in singulis partibus elaborasse, prout quæque illi in mentem venerit, easque curiose interdum et diligenter ita expolivisse, ut ubique ornatum poetæ vel in singulis verbis adnoscas, deinde eas, neglecta arte, quæ in commissura celanda cernitur, composuisse, ut primo adspectu totius operis partes adpareant. Qua ex re conligas, inventionis ubertate rerumque copia magis illum destitutum fuisse, quam rerum singularum tractandi arte, qua probe instructus grammaticorum et rhetorum scholas reliquisse videtur. Poetices porro ratio postulat, ut res, quas mente tantum et ratione videmus, ita tractentur et exponantur, ut omnia videantur in ea esse mutata, quæ sensibus percipi possint. In quo genere Persius ab Horatio longe a tergo relinquitur: ad quos enim scopulos ille temere naufragium sæpe fecit, eos prudenti consilio hic semper evitavit. Oblitus est Persius, eas philosophiæ partes, quæ in rebus contemplandis positæ sunt, eaque principia recondita, quibus morum disciplina nititur, non esse res vulgi, ineptumque esse, multitudinem harum rerum judicem constituere, coram quo philosophi causam suam agant. Etenim in hujusmodi judicio facilius esse, illas res in risum et jocum vertere, quam gravi disputatione causam obtinere, Horatius non uno in loco comprobavit,

desunt ad ducentorum versuum summam conficiendam, ad alios quosvis, quam ad Cornutum, pertinerent, nisi forte diccre velis, puerum dictata magistri reddere.

neque quemquam fugit, quantos plausus scurræ passim et sannliones tulerint nostra memoria in philosophia critica deridenda, dum defensores ejus doctissimi atque acutissimi non intellecti illi quidem causa cecidisse videantur. Innumerabiles præterea sunt rationes, quibus Horatius usus est, ad rem aliquam haud raro vulgarem novitate aliqua et venustate commendandam, quæ ingeniosissimum, versatissimum rationisque humanæ peritissimum indicant, politissimorumque hominum commercio et consuetudine usum, quarum pauca tantum vestigia in Persio deprehenduntur. Neque sane est, quod miremur, ita se rem habere. Etenim satiricus in hominum frequentia debet versari, ut eorum ingenia, mores, vitæ consuetudinem cognoscat, non in umbra et solitudine, in qua majorem vitæ partem Persius exegisse videtur. Qui quidem in hominum moribus et vitiis describendis summa utitur diligentia coloribusque exquisitissimis: sed in lineamentis, quæ ducta sunt, non levem et quasi fugacem artificis manum, sed timentem et in minutis adcuratam adnoscis, ut statim adpareat, naturam sibi ipsam eum non proposuisse, sed regulas secutum esse et præcepta, eaque imitando expressisse, quæ jam ab aliis expressa viderit. Quæ causa quoque est, ut loca quædam non polita solum diligenter, sed cultu operoso undique conlecto pæne rigida videantur, quædam oratorio fuco adeo obducta, ut, quæ subsint, nemo perspicere possit. Porro res, exempla, similitudines, quæ proponuntur, non domi nata aut sponte oborta, sed schola videntur adlata, ideoque sæpe non movent animum lectoris, nec inopinato feriunt, sed frigidum relinquunt adhibitæ artis admiratorem. Quæ vitia omnia, a quibus ne optimi quidem Romanorum poetæ omnino liberi sunt, ex præpostera rhetorum disciplina, quæ tum maxime vigere cœpit, repeti possunt, qua prius discerent juvenes, quemadmodum inventa essent tractanda, quam ipsi rerum cognitione satis instructi, quæ cuique argumento forent adcommodata, invenire et excogitare valerent: fierique omnino necesse fuit, ut, dum memoriæ infinita illa præcepta inculcarentur, ipsique in legendis poetis et oratoribus ad ea semper animum adtenderent, seque in illis adhibendis exercerent, ingenium neglectum exaresceret, omnisque generosior et altior spiritus aut exstingueretur, aut saltem quasi compedibus vinciretur, quæ omnem liberum cursum retardarent et impedirent.

Dramatica ratio, qua sæpe felicissime Horatius utitur, quæque prudenter adhibita in satiris non ultima laus est, in Persio, qui eam quoque tentavit, multas creat difficultates. Etenim modo adversa-

rium loquentem inducit, eoque dimisso statim alius in scenam prodit, non ille prior; nisi mavis statuere, parum cogitasse Persium, quas partes tuendas semel ei, quocum sibi rem esse finxerit, tribuerit, et inde modo hoc, modo illud defendentem induxisse. Sæpe etiam imitatur tantum Noster aliorum sermonem, dictionemque naturæ illorum et indoli adcommodat. Difficultas autem inde sæpe oboritur, quod in ipsis dialogis non adcurate satis et ipsius et adversarii partes discretæ sunt, ut statim cum ex iis, quæ dicuntur, tum ex ratione dicendi ipsa intelligas, uter sit, qui loquatur, quum repente orationem excipiens ea dicere pergat, quæ adversarius exorsus fuerat, tamquam ejus vices sibi essent tutandæ. Pertinet quidem hæc ratio ad ironiam, sed magnam habet cautionem, ne perspicuitati obficiatur, cui a poetis etiam consulendum est, quæque ab iis tantum negligi solet, qui ingenio destituti aliorum inventis utuntur, novitatemque in ornatu solum quærunt.

Verum in ironia adhibenda Persius sæpe nequidquam laboravit. Non videtur enim illa elocutionis figura ardentis esse ingenii, nec ab eo facile posse tractari, cujus animus graviori aliqua commotionis genere conturbatur; est potius ludentis aut risui stultitiam salibus et facetiis propinantis. Quo etiam fit, ut Persius ab ironia, qua uti cœperit, statim deflectat, atque ad pristinam gravitatem et acrimoniam revertatur. Omnino quidem id vitio non verterim, si quis ironiam per totum opus non tueatur, quod ut fiat, a quibusdam pulcritudinis et venustatis doctrinæ magistris velut lege sancitum videmus; neque ad Socratem confugio, ut illius exemplo hoc defendam, qui sæpe serio dicta ironiæ inmiscuerit: sed in ipsa ironiæ natura situm hoc esse existimo, ut ejus vis tum præcipua sit, quum quasi ambigi possit, utrum serio dictum sit, nec ne, id quod tum maxime adcidat necesse est, quum iis, quæ ficta mente dicta sint, serio dictis distincta videamus. Verum hac exquisitiori ironiæ genere numquam utitur Noster, semperque fere rem vel adeo deprimit vel exaggerat, ut vel stupidissimus mentem veram possit divinare. Raro igitur in hoc genere pungit, aut aculeum alte in animum demittit, sed id tantum efficit, ut res studio deformata et distorta risum moveat.

Jam de dicendi genere, quo Persius usus est, pauca dicamus. Non est illud hilarum, jocosum, facetum et urbanitate salibusque temperatum, quo Horatius lectores tantopere detinet ac delectat, sed triste plerumque, severum, mordax, acerbitate et acrimonia plenum. Non ridet stultitiam, sed flagello increpat vitia et turpitudinem. Ingenium

nactus forsan natura tristius, modestiusque a parentibus in solitudine pæne educatus, Romam quidem sed ad grammaticos et rhetores delatus est, deinde in disciplinam Cornuti venit. Hic generosus ille animus juvenili ardore stoicorum præcepta adripiens e præceptoris sermonibus res humanas, non ut sint, sed ut esse debeant, cognovit, atque, ut solent, qui erectioris et ardentioris ingenii sunt, formam et imaginem illarum mente concepit, ad quam deinde omnia, quæ audisset vidissetve, exigebat. Quæ quum animadvertisset ab illa norma longius aberrare, eaque sæpe derideri, quæ sibi extra omnem dubitationis aleam posita esse viderentur, gravi indignatione adcensus est. Hæc deinde quum premenda esset, vixque tuto inter familiarissimos posset effundi, non solum vehementer aucta est, verum etiam in acerbitatem et acrimoniam abiit. Quæ acerbitas præcipue se exseruit in sententiarum conformationibus, in tropis figurisque deligendis, in quibus extrema semper, quæ sermonis ratio subpeditet, sequitur, nec semel vel omnem usum et consuetudinem, ut nobis quidem videtur, migrat, ut ea, quæ proponat, indignationis vehementiæ respondeant.

Hinc magna ex parte aliud vitium ortum est, quo Persii scribendi genus laborat, ambiguitas et obscuritas, quæ etiam aucta est brevitatis studio, cui ex stoica forsan disciplina nimium adsuevit, et sententiarum argutiis, quibus tunc homines delectabantur. Verum, ne gravius æquo de Persio conqueramur, hoc utique tenendum est, obscura nos dicere, quæ a nobis non perspiciantur, justoque breviora, quæ rem, nunc quidem ignotam, significent tantum, non exprimant, nostram rerum cognitionem, nostrum sermonis Latini usum respicientes. Quis autem non intelligit, quæ nunc obscura vocamus, perspicua æqualibus esse potuisse, quæ nunc dura videntur, ex parte tunc usu fuisse mollita; etiam brevitatis studium, quod nimium esse judicamus, aut nullum aut modicum iis videri potuit, quibus res ipsæ tam notæ essent, ut uno verbo abunde ad intellectum indicarentur. Quod si enim tam obscurus æqualibus visus fuisset, quam quibusdam ex recentioribus, qui potuisset censuram Quintiliani effugere, qui perspicuitatem non solum in oratore, verum etiam in poeta requirit? Atque, si volumus verum fateri, loca æque obscura in quibusvis auctoribus deprehenduntur, difficilioraque passim ænigmata nobis solvenda fuissent, nisi ea veterum grammaticorum diligentia occupasset, atque explicata nobis tradidisset. Verum enim vero prope dixerim, ridiculos eos esse, qui Persium obscuritati studuisse perhibeant, ut delatorum periculum effugeret, aut Neronis iram evitaret. Quasi

istis temporibus vel levissima suspicio non vim ipsius delicti habuerit, aut Persius arbitratus sit, Neronem id non esse intellecturum, quod ab omnibus reliquis intelligi optaret. Mihi quidem verisimile videtur, Persium de edendis satiris tum, quum eas scriberet, ne cogitasse quidem, verum in animo habuisse, æquiora tempora exspectare, ut Juvenalis, ut ipse Tacitus fecit, sed morte ejus præmatura illud opus imperfectum in amicorum manus venisse, ut ipse vitæ auctor, quisquis ille tandem sit, testatur. Quid hi resecuerint vel inmutaverint vel castigaverint, aut quando satiras illas vulgaverint, ipsi vitæ auctori ignotum fuisse videtur. Quod enim dicit, Cornutum unum versum in prima satira mutasse, ne eum ad se traheret Nero,[15] tam absurdum est, ut mirer fuisse, qui hujusmodi quid serio repeterent, nec intelligerent, ex varia codicum lectione grammaticum nescio quem illud somniasse.[16]

In morum turpitudine carpenda dum versatur Persius, res adeo ei indigna atque intoleranda videtur, ut, judicio ex nostro sensu lato, verbis et dictionibus utatur obscœnis, et in tropis figurisque deligendis omnem modum ita excedat, ut interdum, quid sibi velit, plane nesciamus. Atque, si rem adcuratius consideramus, adparet, eum non illa abominanda adtigisse, quibus homines tunc passim erant contaminati, sed leviora tantum, et jam dudum, præsertim a delicatulis, more recepta, ad inmodicum corporis cultum effeminatamque mollitiem magis, quam ad morum infamiam voluptatumque turpitudinem spectantia. Quid? si ea castigasset, quæ Juvenalis quibusdam locis exagitat, quibus tandem verbis eum usurum fuisse existimemus? Verum illæ dictiones, quas adhibuit, rebus, quæ notantur, adcommodatæ sunt, nec dici potest, eum indignatione abreptum virgineum illum pudorem, quem vulgo illi tribuerunt, exuisse, quum illa verba tunc vel a viris honestis usurparentur, nec Cicero erubue-

[15] Verba, quæ leguntur Sat. I, v. 121: *Auriculas asini Mida rex habet*, narrat vitæ auctor Cornutum ita satis absurde mutasse: *Auriculas asini quis non habet.*

[16] Vitæ auctor præterea hæc habet: *Hunc ipsum librum imperfectum reliquit. Versus aliqui dempti sunt ultimo libri, ut quasi finitus esset. Leviter retractavit Cornutus* cet. Sic hæc Reizius exhibuit, quæ aliter apud alios, semper tamen ita leguntur, ut nullus sensus idoneus inde elici possit. Ceterum hoc ita non esse adcipiendum, quasi nunc satira sexta manca sit, quæ procul dubio integra est, jam Casaubonus monuit; idemque existimat, versus illos deletos ad novam satiram pertinuisse inchoatam tanti . nec dum finitam. Addit præterea: *Etsi vero certum est, recte Persii librum hodie in sex satiras distingui; in antiquissimis tamen membranis aliam distinctionem invenimus: in multis enim codicibus quinque solum satiræ numerantur, quarta ad tertiam adjuncta: in quibusdam continuus est unus liber, nulla satirarum facta distinctione. Sane Priscianus, atque alii grammatici antiqui, quoties Persium laudant, librum nominant, non satiras numerant.*

rit in Philippicis suis de rebus fœdioribus verbis etiam obscœnioribus uti.

Ut ubique artem redolet Noster, sic etiam in versuum concinnitate numerorumque gravitate et canore. Qui versus, ab Horatiana levitate et negligentia longissime remoti, non tam ob id præstantiores existimandi sunt, quam colori, quem Persius satiris suis induxit, aptiores. Non vacat varias doctorum virorum super hanc rem opiniones conligere, quæ passim longius, quam a doctrina et elegantia illorum exspectari potuisset, a vero aberrasse videntur. Hoc mihi quidem certissimum videtur esse, virtutes hexametri ab Horatio melius et adcuratius esse perspectas, quam nunc ab acutissimis criticis possint intelligi, eumdemque non tam inexercitatum in iis condendis fuisse, quam nunc ex negligentia, quæ tamen procul dubio quæsita est, conligere se posse quidam opinantur. [17]

Qui Græcis literis inbutus monimenta Romanorum poetarum perlustravit, eum non fugit, præstantissimam ingenii partem, quæ cernitur in inveniendo, omnibus pæne, ex parte saltem, defuisse, eosque non tam inventores rerum esse vocandos, quam imitatores Græcorum et ab eorum exemplis pendentes. Est enim in populorum ætatibus et singularis hominis vita et institutione quædam similitudo. Omnium mentis facultatum memoria et imaginandi vis prima se exserit, perfectionemque aliquam adtingit et maturitatem cum in pueris seu adolescentibus, tum in populis rudibus nondumque excultis. In hac ætate, multis simul aliis rebus in hoc conspirantibus, poetæ solent nasci a natura sola docti atque instituti. In qua ætate quum populus Romanus esset, ingenium minus ei defuisse dici potest, quam otium rerumque ad vitam sustinendam adfluentia quædam et certus animorum sermonisque cultus. Præterlabso illo tempore non Musarum sedes ipsi frequentasse, sed commercia cum illis per Græcos quasi internuncios celebrasse existimandi sunt. Inde factum est, ut omnes Romani poetæ a Græcis pendeant, a quibus omnia fere jam occupata invenerant, magisque semper imitationi, quam inventioni studuerint, ita ut recentiores antiquiorum vestigiis insistere soleant. Ut Horatius Lucilium, qui tamen novi generis carminum auctor est habendus, si formam spectes, non materiam, liberiori tamen incessu secutus est,

[17] Recte Morgenstern l. c. pag. 30 seqq. hac de re judicat, at paullo severius pag. 47. in notis addit: Persio quidem in tristi illo supercilio, in singulari illa orationis obscuritate maxime opus erat concinnis versibus et canoris, *ne omni dote*, quæ præter sanctum pectus poetæ posset lectorem tenere, carerent poemata austera.

ita Persius ex Venusino fonte hortulos suos rigavit. In explorando autem, quantum Noster Horatio debeat, Casaubonus curiosius, pæne dicam, iniquius, quam par est, versatur, quum non solum dictiones sed singula pæne verba rimetur, quæ utrique communia fuerint, et in quæ uterque sponte incidere potuerit. Verum Persii imitatio Horatiana non solum in dictionibus et verbis, sed etiam in sententiis, quas suo more tractavit, cernitur, ad quod imitationis genus Casaubonum minus adtendisse jure mireris. Non dixerim tamen eum omnia satirarum argumenta ex Horatio sumsisse, multoque minus loca in illius satiris et epistolis definiverim, quibus lectis Persio in mentem venerit, hoc vel illud argumentum detexere. [18] Hæc sane lubrica est judicandi ratio, ex qua etiam ea cuique scriptori subtrahere liceat, quæ tamen propria ejus sint, neminique antiquiori debeantur. Isto modo quis prohibeat, quominus dicamus, et Juvenalem Persio multa sublegisse: nam is quoque eodem dicendi genere passim utitur, quo Persius usus est, et eadem argumenta tractat, quæ ab illo tractata sunt. In rebus hujusmodi dijudicandis semper ante oculos habere debemus, fieri potuisse, ut scriptores eodem sermone usi et neque temporum neque locorum ratione a se longe diversi in eadem sæpe inciderint, parique modo iisdem rebus adfecti easdem imagines, dictiones et verba adhibuerint, præsertim si ea ejusmodi sint, ut non recens cusa sed consuetudine sermonis jam recepta et in medio posita fuisse videantur.

Verum, inquis, iste poeta tam longe ab eo, quem secutus fuerat, relictus, in quo tot tantaque desiderantur, num dignus est, qui legatur? Utique dignus est, et voluptatem ejus lectio suppeditabit et utilitatem. Sunt enim loca quædam in illis satiris satis bene tractata; incidet lector in imagines et similitudines novas et non ineptas; deprehendet mores et ingenia hominum adcurate delineata; movebunt ejus animum sententiæ inlustres et graves; ostenduntur hic et illic ingenii igniculi, qui desiderium adolescentis præmatura morte erepti excitabunt. Ipseque virtutis amor pietatisque sensus, qui ubique ostenditur, efficiet, ut auctor nobis probetur, etiamsi facultate poetica minus fuerit instructus. Ac quum Virgilio lecto nec Lucanum nec

[18] Auctor disputationis Germanicæ de A. Persio (in Charactere der vornehmsten Dichter aller Nationen. Sechsten Bandes erstes Stück. pag. 87.) existimat, ad primam satiram scribendam Persium adductum esse per Horat. Epist. I, 19; II, 91 seqq.; ad secundam per Epist. I, 17. 57. et Satir. II, 3. 281—295; ad quartam saltem ex parte per Epist. I, 16; ad quintam per Sat. II, 7. Plura etiam ex sexta satira ad Epist. I, 2. 145—198. formata esse putat.

Silium nec Statium fastidiamus, cur Persium negligamus Venusina Musa delectati, qui, meo quidem sensu, lectorem ab Horatii lectione recentem magis delectabit, quam Statius placere possit, quum Virgilio deposito statim ad eum adcesseris. Ceterum antiquitatis studiosis Persii lectionem fructuosam esse, equidem vix monendum esse existimo.

Magno plausu etiam satiras editas confestim exceptas esse, memoriæ prodidit vitæ Persii auctor,[19] idemque Martialis testatur et Quintilianus, patribusque ecclesiæ probatum illum fuisse indicant loca, quæ passim ex Persio protulerunt.[20] Etenim vel ea ipsa, quæ nunc scriptoribus vitio vertere jure solemus, multis tum quodammodo probata erant, sententiarum argutiæ, dicendi genus concisum, translationes audaces et obscuritas quædam orationi inducta.[21] Verum fieri non potuit, quin, quum et res, quarum mentio fit in satiris, cœpissent ex parte ignorari, et dicendi genus a vulgari ratione in dies magis magisque discrepare, inter obscuros scriptores Persius referretur, grammaticique ad eum explicandum se adcingerent. Fuerunt, qui putarent, Persii satiras a Cornuto scholiis instructas in lucem prodiisse, atque ex iis scholiis decerpta quædam fragmenta iis adhuc inesse scholiis, quæ nunc circumferuntur. A quorum opinione equidem tam longe absum, ut putem, Persium antiquitus nullis scholiis fuisse instructum, quum iis nihil opus esset æqualibus ejus, quibus et cognitæ res et sermonis ratio notior erat. Quin probabile est, ne Hieronymum quidem codicem manu exaratum Persii scholiis ditatum aut ante oculos habuisse aut cognovisse, alioquin tam acerbum de obscuritate illius judicium non tulisset. Neque in scholiis, ut nunc sunt, ullum antiquitatis vestigium adparet; pleraque sunt ejusmodi, ut unusquisque non plane ineptus, lecto aliquo loco, eadem adlinere posset, quia nihil iis inest, quod non ipsis auctoris verbis contineatur; pauca tantum ex aliquo grammatico non nimis vetusto temere decerpta videri possunt. Sed nescio quo fato id adcidisse dicam, ut nullus locus difficultate aliqua insignis aliquid lucis nactus sit ex illis

[19] *Editum librum continuo mirari homines et diripere cœperunt.* Et paullo supra: *Sed Lucanus adeo mirabatur scripta Flacci, ut vix retineret se, illo recitante, a clamore.*

[20] E. g. Lactant. III, 16. 15; VI, 2. 11. Augustin. de Civ. D. II, 7.

[21] Quintil. instit. VIII, 2. *At pervasit quidem jam multos ista persuasio, ut id jam demum elcganter atque exquisite dictum putent, quod interpretandum sit.* Et IX, 3. *Verborum figuræ et mutatæ sunt semper, et utcumque voluit consuetudo mutantur. Itaque si antiquum sermonem nostro comparemus, pæne jam, quidquid loquimur, figura est.*

scholiis, nam vel omnino silent, vel ea explicant, in quibus nemo hæreat. Nihilominus tamen ea scholia *utilissima* in Persium passim etiam a doctissimis viris vocantur. Verum quum in antiquioribus editionibus scholia proferantur pleniora, quam ea, quæ Casaubonus editioni suæ adjecit, nonnullaque a viris doctis inedita laudentur et in bibliothecis adhuc latentia, tota ista de scholiis disputatio ei, qui melioribus præsidiis instructus est, relinquenda mihi videtur.

A. PERSII FLACCI

S A T I R Æ.

PROLOGUS.

ARGUMENTUM.

Forsan jam Persii ætate more erat receptum, peculiari aliquo carmine reliquis carminibus præludere, illudque diverso metri genere enuntiare. A poetis Persio recentioribus hæc ratio magis etiam frequentata esse videtur; in primis eam adhibuit Claudianus. Fuerunt, qui statuerent, hunc prologum ad primam satiram pertinere, in quo quid secuti sint, equidem videre non possum. Ceterum sententiam prologi ratione vulgari expressam hanc esse existimo: Quamquam talia de me prædicare non possum, qualia nostri poetæ de se prædicant, neque ullo Musarum commercio usus sum, quo illi usos se esse gloriantur, quos nostra ætas tantopere amplexatur et in pretio habet: tamen carmen meum illorum sacris (divinis illis carminibus) addere audeo. Potest enim fieri, quemadmodum usus docet, ut aliquis carmina scribat, longe alia re, quam a Musis instinctus; nam fames, ut hoc utar, quæ aves ipsas humanam vocem imitari docet, mirus est artifex, et auri spes non dici potest quam præclaros versus interdum extorqueat.

Nec fonte labra prolui caballino,

COMMENTARIUS IN PROLOGUM.

Vers. 1—3. Equidem carminum faciendorum facultatem solenni illo more nactus sum, quo nactos se esse eam reliqui poetæ gloriantur, neque bibi ex Hippocrene, neque somniavi in Parnaso.

1. *Nec labra prolui.* *Proluere* pro madefacere, rigare sæpe ponitur; *prolucre se vino*, aut *prolui vino* pro: potare vinum, vinum largius haurire. Virgil. Æn. I, 738; Cop. 29; Horat. Sat. I, 5. 16. Quæ vis huic quidem loco per se bene conveniret. Nam ut poetæ antiqui, qui quidem modestiores essent, se bibisse tantum ex Musarum fontibus dixerunt, eorum imitatores non poterant esse modico

Neque in bicipiti somniasse Parnaso
Memini, ut repente sic poeta prodirem.

illo haustu contenti, ipsique aqua illa, Apollinis et Musarum numine et vi quasi medicata, probe repleti esse videri voluerunt. Martial. VIII, 70. 3. Stat. Silv. II, 7, 12. Et Sidonius Apollin. IX, 285. Musas vocat *madidas potata ab Hippocrene*. Illud igitur ipsum potuit Persius ridere, quum illa dictione uteretur. Verum dixit: *Nec labra prolui*, h. e. ne primoribus quidem labris sacros illos fontes adtigi. Hom. Il. χ, 495. χείλεα μέν τ' ἐδίην', ὑπερώην δ' οὐκ ἐδίηνε. Qui existimant, largiorem haustum his verbis indicari, a pecudibus hoc ductum putant, quæ vehementer sitientes non labra solum, sed totam proboscidem aquis inmergunt. Verum hoc alienum videtur. Ceterum cf. Propert. III, 2. 52. Stat. Silv. V, 3. 122. *fonte caballino*, i. e. Hippocrene, quem fontem Pegasus, ut aiunt, ungulæ ictu protulit. Arati phæn. 205 seqq. Ovid. Fast. III, 450 seqq. Sidon. Apoll. VIII, 9 seqq. Barth. ad Stat. Theb. VI, 338. Inde Propertius (III, 2. 2.) ejus aquam vocat: *humorem Bellerophontei equi*. In adjecto *caballino* non est argutandum, ut existimes, Persium minus honestiori vocabulo usum esse, ut fontis religionem rideret, quia *caballus* equum sæpius minus generosum significet. Hoc enim non semper ita se habet; cf. Juvenal. X, 6. Auson. Epist. IV, 8. Forsan retinuit hoc vocabulum ab iis poetis usurpatum, quorum stultam adrogantiam perstringere instituit. Non solum ex hoc Persii loco, verum etiam ex multis aliis poetarum, in primis recentiorum, adparet, et illi fonti et aliis quibusdam singularem vim fuisse tributam, ut aquæ illorum haustæ facultatem poeticam inspirarent. Homeri et Hesiodi ætate hæc opinio nondum erat nata. Neque apud tragicos et Pindarum tale quidquam legimus, quamquam fontium Apollini sacrorum mentio ibi fit. Primum hujus rei vestigium occurrere videtur apud Moschum Idyll. III, 77 seqq. Ἀμφότεροι (Homerus et Bion) παγαῖς πιφιλαμένοι, ὃς μὲν ἔπινε Παγάσιδος κράνας, ὁ δ' ἔχεν πόμα τᾶς Ἀρεθούσας. Cujus loci sensus mihi videtur: Uterque erat poeta insignis, alter epicus, alter bucolicus. Verum, an ex illis verbis conligi possit, Homerum ex Hippocrene epici carminis, Bionem ex Arethusa pastoritii facultatem hausisse, dubitari saltem potest, nec hujus loci et temporis esse puto, ulterius hac de re quærere. Mirum sane videri potest, quod Pausanias IX, 28 seq., ubi de Helicone ejusque fontibus loquitur, hujus rei mentionem nullam facit. Etiam Plinius major cum Strabone, quorum uterque loca illa et fontes recenset, neglexisse saltem illud videtur. Solus fere Solinus c. 9. hanc rem verbo tantum adtigit. Videtur itaque hoc recentiorum poetarum commentum esse inde forsan natum, quod fontium et aquarum haustu celebrium commoratio in aliquo loco et sedes exprimeretur, simulque quod enthusiasmus, furor ille Bacchicus, quo sæpe poetæ abreptos se finxerunt, a bibendo plerumque repeteretur. Fortasse etiam hæc opinio, Castaliam bibentibus vaticinandi facultatem impertire, antiquior fuit, (Lucian. Jov. Tragœd. T. II. p. 675. ed. Reiz.) illiusque commenti ansam præbuit, quod, quum de uno fonte aliquis poeta insiguis finxisset, ab ejus imitatoribus ad omnes fontes facile transferri potuit, qui Apollini et Musis sacri essent, mirumque in modum variari atque exornari. Jam apud Propertium (II, 8. 19 seq. ubi v. Passerat. Brouckh. et Burm.) rem adeo excultam deprehendimus, ut, discrimine fontium facto, ex Hippocrene et Aganippe majores, ex Permesso minores poetæ biberent. Sic quoque fons, unde hauserit poeta, pro carminis genere ponitur, quo usus est. Horat. Epist. I, 3. 10. Ex hac re fontes illi varia epitheta nacti sunt; Stat. Silv. I, 2. 6. *vocalis unda e Pieriis fontibus*; cf. II, 7. 12. et V, 5. 2. *docti amnes*; I, 4. 25. *enthea Pimplea, conscia Pirene*; Analect. Brunk. T. II. p. 344. ἀοιδοτόκοι πηγαί; T. I. p. 218. κράνας Ἑλικωνίδος ἔνθεον ὕδωρ.

2. 3. *Nec in bicipiti Parnaso* (cf. Ovid. Met. I, 316 seq. Lucan. V, 71 seq. Senec. Œdip. 227.) *somniasse Memini*. Hoc quoque ad ridiculas poetarum prædicationes spectat, inde forsan natum, quod opinabantur, quibus in locis vel Deo vel Deæ consecratis somnum caperent, ab horum numine sibi aliquam facultatem inpertiri. v. Heyn. ad Virg. Æn. VII, 86 seq. Ovid. Heroid. XV, 157 seq. Aristoph. Plut. 411. et 679 seq. Ad ridiculum augendum dixit: *nec somniasse memini* pro: nec somniavi; potuisset scilicet fieri, ut illius rei tam memorabilis oblitus sit. *repente*, temporis momento. *sic*, ut eram ante somnium, sine ulla meditatione

Heliconidasque pallidamque Pirenen
Illis remitto, quorum imagines lambunt
Hederæ sequaces: ipse semipaganus

et studiis ad rem poeticam pertinentibus. *prodirem* sc. somno in Parnaso capto plane mutatus ab illo, qualis ante somnum fueram. *Prodire* est Græcum ἐκανιέχεσθαι. Epict. 22. ὅτι ἄφνω φιλόσοφος ἡμῖν ἐκανιελήλυθε. Ad poetarum sacra rite colenda non solum requiritur ingenium, verum etiam studium acerrimum multusque usus, quæ res poetis, quos respexit Noster, quique hujusmodi aliquid de se prædicabant, maxime deesse solebat. Quapropter ii, quum gloriarentur, se vel bibendo ex Hippocrene vel somniando in Parnaso repente poetas factos esse, eo ipso ridendos se præbebant.

4. *Heliconidas*, Musas, a monte Helicone, ubi maxime colebantur, sic dictas. v. Hesiod. Gen. Deor. princ. Pari ratione vocabantur *Olympiades, Parnasides*; sic a fontibus *Castalides, Pimpleades. Pirene* fons erat in Acrocorintho. Diodor. IV, 74; Pausan. Corinth. II, 3. Strab. p. 582. *Pirene* vel Acheloi vel Œbali filia vi lacrumarum, quas ob mortem Cenchriæ filii ab Artemide interfecti profuderat, in fontem mutata esse dicitur. Fons ille erat inlustris. Pind. Olymp. XIII, 84 seqq. ibi Schol. Ovid. ex Ponto I, 3. 75. Juxta fontem erat Apollinis simulacrum. Inde et huic fonti vis aliqua tributa est carminum facultatem bibentibus inpertiendi. Stat. Silv. I, 4. 15. Religio hujus fontis satis antiqua videtur esse, legimus enim in Euripid. Med. 69. σέμνον ὕδωρ Πειρήνης. Ibi Schol. narrat, Æsopum Oceani filium hunc fontem in gratiam Sisyphi invenisse. cf. Troad. 207. Huc pertinet Honesti epigr. 4. Analect. Brunk. T. II. p. 289. Pegasum e Pirene bibentem captum esse a Bellerophonte tradidit Schol. Pind. ad l. supra l.: eam ob rem Pegasus vocatur Πειρηνεῖος πῶλος Eurip. Electr. 475. et Statius (Thebaid. IV, 60 seq.) disertis verbis et hunc fontem pulsu ungulæ Pegasi ortum esse dicit, in quo sane non errasse, ut quidam volunt, sed antiquam narrationem secutus esse videtur, quam et Euripides l. c. fortasse respexit, quæ ad nos perlata non est. cf. quæ de Pegasi mytho docte disputavit Lenzius in N. T. Mercur. 1796. T. II. p. 263 seqq. Verum cur hujus fontis potissimum mentionem facit Noster? Ratio in promptu est, quia poetæ hujus ætatis, quos vellicat Persius, ex hoc fonte minus vulgari se hibisse frequentius similabant. Difficiliorem explicatum habet epitheton *pallida*. Alii ad luctum *Pirenes*, matris Cenchriæ, alii ad studium seu pallorem poetarum labore contractum id trahunt. Utraque ratio dura esse videtur, posterior tamen priori probabilior. Sed cogitandum est, in hoc laborasse poetas, ut multa scriberent: nam illud studium, quo adsidue carmina poliuntur et perficiuntur Noster intelligere non potuit.

5, 6. *illis remitto*, sensus: Omnibus de Musarum commercio et potatione aquarum Musis sacrarum prædicationibus ego non utar, easque, quamquam in medio positas, illis proprias cedo. Hanc vim illud *remitto* h. l. mihi habere videtur. *quorum imagines lambunt Hederæ sequaces.* Sub Imperatoribus literarum studium vel colentibus vel similantibus poetarum celebrium *imagines* (*Busten*) vel hedera vel lauro coronatæ in bibliothecis cum publicis tum privatis exponi ornatus causa solebant. Horat. Sat. I, 4. 21 seq. Sen. de Tranq. an. 9. Plin. XXXV, sect. 2. Sueton. Tib. 70. Juvenal. VII, 29. Plin. Epist. IV, 18. X, 25. *Hederæ* proprie Baccho sacræ; quoniam autem in ejus comitatu Musæ ideoque poetæ inveniuntur, hi quoque hedera cincti repræsentantur. Aristoph. Nub. 603. ibi Schol. et Ran. 1242. Horat. Od. I, 1. 29. Propert. IV, 7. 75 seq. Orpheus Arg. 7 seq. ait se Bacchi et Apollinis κίντρῳ ἐλαυνόμενον. A Dioscor. in Anal. Brunk. T. I. p. 499. ep. 25. Ἑλικὼν vocatur εὔκισσος. *sequaces* naturam hederæ exprimit. conf. Plin. Pan. 45. Valer. Flac. I, 124. *lambunt*, ut Virgil. Æn. II, 684. A lingua hoc ad flammas et h. l. ad folia translatum, quæ flammarum figuram referunt. Consulto magnifica ratione dicendi Noster utitur, suberbiæ et fastui illorum poetarum adcommodata. Illa remitto, dicere vult, poetis præstantissimis vel illorum ipsorum vel stolido vulgi judicio. Petron. 83. *Poeta sum et, ut spero, non humillimi spiritus, si modo coronis aliquid credendum est, quæ etiam ad imperitos deferre gratia solet.*

Ipse semipaganus. Quanta magnificentia verborum de illis poetis locutus est, tanta modestia per ironiam de se loquitur,

Ad sacra vatum carmen adfero nostrum.
Quis expedivit psittaco suum χαῖρε,
Picasque docuit verba nostra conari?
Magister artis ingenîque largitor
Venter, negatas artifex sequi voces.
Quod si dolosi spes refulserit nummi,

et illorum doctissimorum et Musarum commercio honoratorum virorum amplitudini quasi adsurgens *semipaganum* se vocat. *Paganus* est rusticus, et obponitur militi. Juvenal. XVI, 33. Plin. Epist. X, 18. Veget. II, 23. H. l. *semipaganus* is est, qui non proprie inter poetas est referendus, quum bibendo ex Hippocrene somniandove in Parnaso non sit initiatus.

7. *Ad sacra vatum carmen adfero nostrum.* *Sacra* obponuntur vulgaribus; sunt igitur ea, quæ ad omnium intelligentiam non veniunt, ideoque arcana cujuscumque artis et disciplinæ non nisi artem colentibus nota. Possunt itaque sacra vocari præcepta artis poeticæ et carmina ipsa. Broukh. ad Propert. III, 1. 1. Ovid. ex Ponto II, 10. 17 seq. III, 4. 65 seq. IV, 8. 81 seq. Bene Noster ironiam tuetur, et vocat carmina istorum poetarum *sacra vatum*, quasi familiariori Musarum commercio earumque adflatui proprio debeantur, suum contra opus simpliciter *carmen*. Hoc *carmen* adferre se *semipaganum*, ait, *ad sacra vatum*, i. e. addere *sacris vatum*, carminibus illis ab Apolline et Musis dictatis. Sic egregie *semipaganus vatibus*, *carmen sacris* obponitur. Sensus hac ratione simplicissimus oritur: Carmen hoc meum edo et, qua par est, modestia præstantissimis poetarum operibus jam evulgatis adjungo. Alii, inter quos Lambinus, sub *sacris* illa carmina poetarum intelligunt, quæ adservabantur in bibliotheca Apollinis Palatini, quo auctores scripta sua deferre et recitare solebant. Sueton. Aug. 29. Dio LIII. princ. Ovid. Trist. III, 1. 59 seqq. vet. Schol. Cruq. ad Horat. Sat. I, 10. 38. Bentlei. ad Horat. Epist. II, 2. 92. Calpurn. Sic. 157 seqq. cf. Wernsdorf. ad Aram Pythiam in poet. Lat. min. T. II. p. 381. Hoc non displicet, verum cave existimes, Persium de delatione carminis sui in illud templum et de recitatione cogitasse.

8—14. Subjicit Persius rationem, quid sit, quod, quum non sit poeta initiatus, carmina scribere nihilominus audeat. Sunt aliæ res, inquit, præter memoratas, quæ ingenium hominibus largiri soleant, fames et auri spes. Hæc ita extulit, ut eæ causæ, quas exempli tantum gratia protulisse videri vult, ad illos poetas transferri posse videantur, tecteque innuatur, quid proprie intelligendum sit, quum illi gloriantur, se somniasse in Parnaso aut bibisse ex Hippocrene.

8, 9. Vel natura infantes fame eloquentes redduntur. Hoc expressit similitudine a psittaco et pica sumpta, quas vulgo ad imitandas voces humanas condocefaciunt, per interrogationem. *Quis expedivit psittaco* i. e. quis fecit, ut psittacus facile eloqueretur. *χαῖρε*, humanitatis verbum, quo psittacus intrantes salutabat. *verba nostra*, voces humanas. *conari*, cum delectu; *conamur* enim ea, in quibus periculum faciamus, et quorum perficiendorum facultas adhuc nobis deest. Quintil. Inst. I, 1. *Has primum audiet puer, harum verba effingere imitando conabitur.* Bene itaque hoc de ave dicitur, quam homines condocefaciebant voces coram recitando, quas imitaretur. Ceterum ad luxum pertinebat, psittacos alere et picas, ut intrantes domum salutarent. Ovid. Amor. II, 6. 37 seqq. Martial. XIV, 73 et 76. Petron. 28. Stat. Silv. II, 4. 16 seqq. Plin. H. N. X, 42 seqq.

10. *Magister artis.* Fames nempe omnes ad omnia dociles reddit. Juvenal. III, 78. *ingenii* h. l. facultatis poeticæ. Ovid. A. A. III, 57.

11. *artifex sequi*, Græca constr. et duriuscule pro: artifex in condocefaciendo, ut *sequantur*, adsequantur, exprimant. Per gradus Noster bene adsurgit ad vim famis exprimendam; ea non solum rudes instituere (*magister artis*) verum etiam plane ineptos aptos reddere potest (*ingenii largitor*), quin, quod natura omnino alicui negavit, ei largiri. *negatas* sc. a natura.

12. *refulserit* pro: ostentata sit, vel a stella salutari, quæ nautis subito in tempestate adparet (Horat. Od. I, 12. 27 seq.), vel ab auri et argenti fulgore (Vir-

Corvos poetas et poetrias picas
Cantare credas Pegaseium nectar.

SATIRA I.

ARGUMENTUM.

Ambitiosam nobilium in carminibus condendis vanitatem, qua omnia ad ostentationem, neglecto veri, honesti et simplicitatis studio, comparentur, severe reprehensurum poetam amicus quidam superveniens a proposito dimovere conatur, et sermone super hanc rem instituto initium hujus satiræ continetur. Ordo sententiarum hic est: Operam ludis scribendo, scripta enim tua nemo leget. — Quid hoc ad me? quasi vero curem pravum meorum civium judicium, quorum mores omnino gravem censuram merentur. — Sed heus, quis te censorem creavit? — Gravitati et severitati ætatis meæ munus hoc convenit. — Non mandabitur tibi, inquam. — Nihilominus tamen vel invitis omnibus, natura vel invitum inpellente, scribendum mihi est. v. 12. Jam ipsius argumenti tractatio incipit, quæ est ex dramatico genere. Inducitur enim aliquis, qui præposteram et inportunam illius ætatis scribendi pruriginem defendat. — Scribimus sublimia. — Scilicet, interpellat eum Noster, ut habeas, quod recites coram hominibus judicii corruptissimi, quibus probari vehementer cupis. v. 23. — Quid alioquin juvat summo cum labore aliquid didicisse? v. 26. — Quasi vero scientiæ fructus pendeat omnis ab hominum existimatione, nihilque in se pretii habeat. v. 27. — Ain' tu? parvi pendis in ore hominum esse, in scholis tractari, inter pocula frequentari ac laudari, beatus post mortem eo futurus? Quid rides? an erit, qui inmortalitati inservire recuset? v. 43. — Sentio equidem, quid sit merito laudari; verum adclamationes istas: *Euge!* et *Belle!* quum futilissimorum et vilissimorum scriptorum, ut nunc est, præmia sint, nullus curo. v. 53. Quid, quod auditores quoque, variis artibus conrupti, velificantur quidem recitantium auribus, a tergo autem rident. v. 62. Age jam, videamus, quale sit populi judicium! molles et infractos requirit versus, rerumque tumorem. v. 68. Cujus rei,

gil. Æn. VI, 204.) sumptum. cf. Vellei. Paterc. II, 103. *nummi dolosi;* qui homines quasi circumvenire et ad ea perducere solet, ad quæ apti non sunt.

13. *Corvos poetas et poetrias picas,* mares ineptos ad poesin et feminas garrulitate tantum insignes.

14. *Pegaseium nectar.* *Nectar* h. l. legendum esse jam Barthius monuit ad Calpurn. Sic. Eclog. IV, 151. *Nectar* vocat carmina sua Pindarus Olymp. VII, 12 seq. et Theocrit. Idyll. VII, 82. cantum. Cantus enim et oratio sæpe cum flumine dulci, quod e canentis ore fluit, comparatur, Homer. Il. α, 249. ut cum imbre, Nestor. Larand. Ep. I. Anal. Brunk. T. II. p. 344. ἡδὺς ὄμβρος Ἑλικωνίδος ἀοιδῆς, et cum dulci potu Ovid. ex Ponto III, 4. 55. Martian. Capella lib. IX. *Post hos honoratior fontigenarum virginum chorus Pegaseæ vocis nectare diffluebat.* Quo loco Martianum respexisse Persii versum existimat Vossius in Instit. Orator. IV, 12. 1. cf. Antipatr. Sidon. in Analect. Brunk. T. II. p. 26. Epigr. 75. ubi Brunk. Persii verba: *Pegaseium nectar,* laudat. H. l. *nectar Pegaseium* est tam dulce carmen, quam Hippocrenes latices ipsi esse finguntur, qui ab Honesto in Analect. Brunk. T. II. p. 289. Epigr. 3. νεκτάρεαι λιβάδες Πηγάσιδος κρήνης vocantur.

si verum volumus fateri, insana ista puerorum in scholis institutione, stultaque antiquitatis verecundia auctores ipsi sumus. v. 78. Hinc sermonis conruptela repetenda est, quæ adeo in deliciis habetur, ut vel capite fortunisque omnibus rei neglectis populi plausum patroni inde mereri studeant. v. 91. — At soni tamen et concinnitatis ratio habenda est, quam priores poetæ neglexerunt. v. 92. — Hoc adlatis exemplis ridetur v. 106. Quo facto judicium suum de toto illo genere Noster brevi subjungit. Tandem adversarius, quum nihil præterea, quo causam suam sustentet, habeat; cur tibi ipse, inquit, nimio veri studio noces? — Quantum ad me, respondet Noster similanter, omnia hæc præclara sint, equidem ulcera hæc non tangam. Enimvero, quod aliis concessum fuerat, cur non idem mihi concedatur? — Non fiet. v. 119. — Quid, si animi sensa literis tantum mandem? Et hæ literæ, quas nemo fortasse leget, majori mihi in pretio erunt, quam reliqui omnes, qui mea ætate prodeunt, ingenii fetus. Vos, qui animum habetis inbutum antiqua Græcorum comœdia, adeste recitaturo; vos vero, philosophiæ et bonarum artium inrisores, superbi et dissoluti, procul esse jubeo.

" O curas hominum! O quantum est in rebus inane!
Quis leget hæc?" Min' tu istud ais? " Nemo hercule." Nemo?
" Vel duo, vel nemo. turpe et miserabile." Quare?
Ne mihi Pulydamas et Troïades Labeonem
Prætulerint? nugæ. non, si quid turbida Roma 5

In Sat. I.

V. 1. Poeta fingit se a quodam interpellatum, dum in satiris scribendis occupatus est. *Curæ* h. l. pro rebus omnibus, quæ curas injiciunt, animumque occupant. *quantum est in rebus inane*, i. e. quam inanes sunt plerumque res, quarum causa homines tantopere se torqueant? Græce: ὅσον τὸ κενόν. Omnes fere interpretes hæc verba Persii esse, satiram his incipientis, disputant. Casaubonus quidem in eo nescio quid artificii poetici quærit, quo totum satiricæ poeseos argumentum exhaustum sit. Meo quidem sensu hæc verba melius homini, Persium satiras meditantem interpellanti, tribuuntur.

2. *Min' tu istud ais?* dialogi naturæ aptum; sic quoque Nostrates: *meinst du mich?* Talibus quæstiunculis, sæpe supervacaneis, etiam Latini in quotidiano sermone utuntur. *Nemo hercule*, verba interpellantis, sibique ipsi, quum in respondendo dubitare Persius videatur, respondentis. *Nemo?* Quasi miratur Persius pro certo adfirmantem: nullos omnino lectores satiras esse inventuras. Hoc sentit alter, statimque subjicit quasi ad molliendum omen.

3. *Vel duo vel nemo.* i. e. paucissimi. *turpe et miserabile.* Hæc quoque verba monitoris, hoc labore Persium nullam gratiam capturum, reputantis. *Turpe* dixit, quia obficit certe existimationi scriptoris negligi ab omnibus; *miserabile* spectat ad conditionem auctoris eo modo neglecti. Verum hoc *turpe* et *miserabile* ei tantum videri potest, qui multitudinis plausus captat, non item Persio; proinde interrogat, quasi rationem, cur id turpe et miserabile sit, ignorans: *Quare?*

4. 5. Verear scilicet, ne iniqui judices inique de meis scriptis judicent? Hoc *verear* intelligendum est. *Pulydamas* sapientissimus quondam inter Trojanos et fortissimus, cujus censuram Hector verebatur. Hom. Il. χ, 100 seqq. Res in proverbium abiisse videtur, (Cic. ad Att. VII, 1.) quo bene Noster h. l. utitur, quandoquidem sub *Pulydama* per ironiam censor iniquus quicumque, sive Neronem intelligas sive alium, intelligitur, cujus

Elevet, adcedas, examenve inprobum in illa
Castiges trutina: nec te quæsiveris extra.
Nam Romæ quis non? ah, si fas dicere! sed fas
Tunc, quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste
Adspexi, et nucibus facimus quæcumque relictis,
Quum sapimus patruos: tunc, tunc, ignoscite. "Nolo."
Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.

judicium multitudo temere sequatur, et *Troïades* præclare Romani inbelles dicuntur, Trojanorum origine tantopere superbientes. Juvenal. I, 100. *Accius Labeo* secundum Schol. inepta Iliadis et Odysseæ versione famosus, (cf. infra v. 50.) in pretio tamen ab æqualibus ejusdem farinæ habitus. *Nugæ:* ut Nostrates in simili re dicunt: *possen!* Pro nugis habeo judicium, quod de me ferant Romani. *turbida Roma* pro Romanis variis studiis in diversa tractis, variis adfectibus turbatis, ut verum sentire non possint. Virgil. Æn. IX, 57. Lucian. in Nigrino.

6. 7. *Elevet*, parvi pendat. *Examen* est lingula trutinæ. Similitudinem, qua Noster h. l. usus est, pauci ex interpretibus intellexisse videntur. *Examen inprobum* est lingula non ad perpendiculum erecta, quæ igitur perperam indicat duorum ponderum æqualitatem, ergo injusta, et hoc loco valet pro judicio injusto. *trutina*, foramen, intra quod vergit lingula, pro ipsa bilance. Juvenal. VI, 436. Antholog. Lat. T. II. lib. V. Epigr. 141. Sublata similitudine sensus erit: ne corrigas *(castiges)* judicium inprobum eorum hominum, quibus recte judicandi facultas omnino deest.

8—12. Locus difficilis est, et, ut equidem puto, minime sanus. *Nam Romæ quis non?* sc. perverse judicat, in primis de hujusmodi scriptis, *ob hanc rem*, ut ait Horat. Sat. I, 4. 23 seq. *Quod sunt, quos genus hoc minime juvat, utpote plures Culpari dignos.* Hanc causam quidem odii aut perversi de satiris judicii non addidit Noster, verum ex sequentibus ea potest haud difficulter divinari. Illius morum turpitudinis cogitatio poetam repentino quasi ictu ferit, adeo ut exclamatione nondum plene enunciata, alteram inchoet: *Ah, si fas dicere!* si mihi liceret de istis, qui iniquam censuram agunt, libere dicere. Hæc dicit poeta quasi adhuc incertus, quid faciat; deinde animo confirmato pergit: *Sed fas*, sed permissum mihi esse, aut permittendum, existimo *tunc, quum ad canitiem*, ad senectutem meam, *et nostrum istud vivere triste*, ad nostram vitam seu vitæ genus triste ac tetricum, propensum ad alios reprehendendos, *adspeximus* (per enall. temp. pro præsenti) *et nucibus facimus quæcumque relictis*, ad ea adspeximus, quæ facimus nugis relictis, quibus pueri delectantur, ideoque, ætate puerili exacta. Catull. XIV, 183 seq. Phædr. III, 14. Martial. V, 86. 1. Petron. 81. " *Quum sapimus patruos*, quum sapientiam, prudentiam patruorum nobis sumimus ad aliorum mores objurgandos, (e comœdia forte, ubi patruorum partes in objurgandis nepotibus versabantur, aut e vita communi petita hæc dictio. Horat. Od. III, 12. 3. Sat. II, 3. 88.) *tunc tunc* sc. fas est, aut fas esse existimo. Iteratum *tunc* non solum adseverandi vim habet, sed etiam impetum exprimit, quo ad satiras scribendas Noster abripitur. *Ignoscite*, i. e. veniam igitur date scribendi. *Nolo.* Recusat monitor, quasi de sententia multitudinis, dare veniam. Videtur itaque poeta senis personam induisse, cui censoris munus conveniat, et a moribus et consuetudine senum, eorumque vitæ genere tristi ac moroso pravos civium mores notandi castigandique licentiam sibi sumere. Quam quum vidisset ne sic quidem sibi esse concessam, pergit: *Quid faciam? Sed sum petulanti splene cachinno.* Tamquam imperioso illo: *Nolo* motus, incertus adhuc interrogat: *Quid faciam?* deinde naturam suam respiciens consilio subinde confirmato: *sed*, inquit, scribendum mihi est, nam *sum petulanti splene cachinno.* Cuicumque adfectui veteres quasi sedem posuerunt; lætitiæ sedem in splene, (Aristoph. Thesmoph. 3. ibi Schl.) iracundiæ in felle, (Juvenal. V, 159.) etiam in corde, (Virgil. Æn. VI, 407.) amoris in hepate, (Theocrit. XI, 6. XIII, 71. Claudian. VIII, 241 seq.) non tamen semper sibi constant. Sensus h. l. est: natura sum cachinno petulans, deri-

Scribimus inclusi, numeros ille, hic pede liber,
Grande aliquid, quod pulmo animæ prælargus anhelet.
Scilicet hæc populo, pexusque togaque recenti,
Et natalitia tandem cum sardonyche, albus

sor; quod nomen tamen Persius injuria sibi vindicare videtur. Casaubonus locum hunc a v. 8 — 12. sic intelligit: Æquum est satiras scribere, quum intuemur senes nostros, vitam tetricam et austeram similantes a pueritia ad ultimam usque vitæ metam, qui nihilominus tamen censores agere volunt. Si hi versus Juvenalis essent, viro doctissimo adcederem: verum rationem satiras scribendi non poterat Noster repetere ab eo, quod nusquam argumentum satiræ alicujus fecit. Ceterum levi literarum mutatione interpretatio loci fit facilior: *Nam Romæ quis non? — at qui fas dicere? — Qui fas? Tunc? quum ad canitiem et nostrum istud vivere triste Adspexi, et nucibus facimus quæcumque relictis? Quum sapimus patruos? — Et tunc ignoscere nolo. — Quid faciam? sed sum petulanti splene cachinno.*

13 seqq. Intendit flagellum satiricum Noster in scribendi pruriginem, quam primæ satiræ argumentum fecit, eamque quasi ex improviso invadit. cf. not. ad v. 107. *inclusi*, a turba remoti, in cubiculi recessu. Poetæ et oratores in lectulo sedentes solebant meditari. Ovid. Trist. I, 1. 41. Cic. de Orat. III, 5. Plin. Epist. V, 5. 5. *numeros*, versus. *pede liber*, rhythmi legibus solutus. Sensus est: scribimus et pedestri et ligato sermone. Prima persona pluralis, qua Noster utitur, inridendi vim habet. Emendatio Gronovii (Diatrib. c. XXIV.) concinnitatis laude commendatur: *Scribimus, inclusus numeris ille, hic pede liber. — Grande aliquid.* Quid illud sit, ex sequentibus adparet; idem nempe, quod Petron. cap. 1. *rerum tumorem et sententiarum vanissimum strepitum* adpellat. v. ibi interpp. et Aristoph. Ran. 860 seqq. Eodem sensu Horat. in arte 457 habet *sublimes versus*. De illo sublimi genere, quod epicorum et lyricorum proprium est, in quo sententiæ rerum magnitudini, et verba rursus sententiarum gravitati ac dignitati adcommodata sunt, ut apud Prop. II, 8. 10 seqq. Ovid. A. A. I, 206 seqq. sermo esse non potest. *quod pulmo animæ prælargus anhelet* simpliciter pro: ad recitandum, sed cum delectu expressum, et apte ad eam vim, quæ τῷ *grande* h. l. subjecta est. *Pulmo prælargus animæ*, pro: pulmones capacissimi. Aristoph. Ran. 851 seqq. ῥήματα δαιμόνιη sc. γλώσσα καταλειπτολογήσει πλευμόνων πόλυν πόνον. Contra hoc vitium in recitando monet Quintil. Instit. XI, 3. *Sunt qui crebro anhelitu et introrsum etiam clare sonante imitentur jumenta onere et jugo laborantia. Quod adfectant quoque, tamquam inventionis copia urgeantur, majorque vis eloquentiæ ingruat, quam quæ faucibus emitti possit.*

15. Sensus: ut ea scilicet coram populo recites. Hoc ita expressum est, ut recitantis pariter atque auditorum vitia acriter perstringantur, illius cultus mollis et effeminatus, vox fracta, oculi libidinosi; horum incontinentia in studio suo profitendo et levitas. Mos ille scripta sua amicis doctis recitandi multum valuit sane ad Latinæ linguæ, quam adtigit, perfectionem, ideoque a sapientissimis Romanorum quibusque commendatus est. Ovid. Trist. III, 14. 39. ex Pont. I, 5. 57. IV, 2. 33. Plin. Epist. VII, 17. Quo tamen insaniæ processerit, leges apud Juvenal. I. princ., et III, 10. Martial. III, 44. Ædes sæpe magna pecunia a recitante conducebantur. Horat. Sat. I, 3. 88 seqq. et 4. 74 seqq. Juvenal. VII, 38 seqq. *pexusque togaque recenti.* Non tam cultu corporis præcipue se commendaturus, quam ingenii sui triumphum externo corporis habitu quasi celebraturus.

16. *sardonyche.* Plin. H. N. XXXVII, 23. Hæc gemma sculpta sola fere ceram non auferebat, ideoque in signaculis primum locum obtinebat. Juvenal. XIII, 138 seqq. Ceterum gemma pro annulo posita est. *natalitia*, vel qua natali die solum utebatur, vel quam natali die dono adceperat. Juvenal. IX, 50. Plaut. Curcul. V, 2. 56. In gemmis pretiosissimis parandis, quum primis temporibus rei publicæ vitio daretur, plures annulos quam unum digito gestare, (Isidor. XIX, 32.) nec finem nec modum Persii ætate noverunt. Juvenal. I, 27 seqq. VI, 379 seqq. Petron. 55. Martial. V, 11. 1. Quintil. Inst. XI, 3. de cultu oratoris: *Manus non inpleatur annulis, præcipue medios articulos non transeuntibus.* cf. Martial. II, 29; V, 9. *albus.* Ad pallorem reci-

Sede leges celsa, liquido quum plasmate guttur
Mobile conlueris, patranti fractus ocello.
Heic neque more probo videas neque voce serena
Ingentes trepidare Titos, quum carmina lumbum
Intrant, et tremulo scalpuntur ubi intima versu.

tantis de eventu recitationis anxii, ut Casaubonus vult, hoc non retulerim, nam in hujusmodi homuncione, tantopere sibi placente, plausumque auditorum cogitatione jam audiente, oculis gaudio et lascivia natantibus eos adspiciente, timor vix locum habere potest; rectius ad splendorem totius ornatus externi trahas. Martial. I, 56. 14. X, 62. 6. Huc pertinet imago, quam Lucianus (Rhet. præc. T. III. p. 11. ed. Reiz.) de rhetore ad auditorum plausum se comparante adumbravit: πάνσοφόν τινα, καὶ πάγκαλον ἄνδρα sc. εὑρήσεις, διασισαλευμένον τὸ βάδισμα, ἐπικεκλασμένον τὸν αὐχένα, γυναικεῖον τὸ βλέμμα, μελιχρὸν τὸ φώνημα, μύρων ἀποπνέοντα cet.

17. *Sede celsa* i. e. ex cathedra; indicat ostentationem recitantis. Plin. Epist. VIII, 21. 2. Juvenal. VII, 45. *plasmate. Plasma* hoc saltem loco medicamentum videtur fuisse ad guttur molliendum, vocemque suaviorem reddendam. Salmasius ad Solin. p. 85. disputat, *liquido plasmate guttur conluere* idem esse, quod sequens v. 35: *eliquare et tenero palato verba subplantare;* μετὰ πλάσματος αὐλεῖν esse πολυκάμπτως αὐλεῖν et πολυτρόπως. . Nititur quoque Quintil. Inst. I, 8. Ceterum aliter locum legit, post *ocello* delet (.) et ponit (,), ac pro : *leges*, habet: *legens*. Verum illa interpretatio dura est, vimque verbis inlatam sapere videtur.

18. *Mobile*, quod efficitur mobile gargarizando. *patranti fractus ocello*, i. e. oculis fractis, in libidinem præ gaudio resolutis, quales solent esse patrantium, rem veneream exercentium. Juvenal. VII, 241. habet: *oculos in fine trementes;* Apulei. in Luc. *oculos udos ac tremulos, ac prona libidine marcidos, jamjamque semiadopertulos;* Horat. Od. I, 36. 17. *putres*. Ceterum hoc sensu τὸ *patrare* alias vix obcurrit: apud Catull. XXIX, 17. est *expatrare* pro: scortorum commercio absumere. Sensus: multa oris et vocis suavitate magnaque gestus lascivia et venerea oculorum motatione versus pronuncias; ipso molliori obtutu auditores ad libidinem quodammodo excitas.

19. *Heic*, illo loco, ubi recitatur. *neque more probo*, inhonesto et lascivo gestu motos se profitentur. Senec. Epist. 52. Hoc fiebat tum quoque in judiciis. Plin. Epist. II, 14. 12. *neque voce serena*, tremulis gannitibus. v. Auson. infra laudandum.

20. *Ingentes Titos*. Quantam vim hæc adpellatio, qua Romani alias tantopere delectabantur, h. l. habeat, quisque, vel omni interprete silente, sentiet. *ingentes*. Non satis erat Nostro *magnos* dixisse, vocat eos *ingentes*, quibus quum tam puerilis morum levitas tribuatur, efficitur admirabilis dissimilium conjunctio. Non a vero videtur abhorrere Heinsii opinio, *Titos* a Nostro positos esse pro *Titiensibus;* sic Horat. in arte 342. habet *Rhamnes*. v. Heins. ad Ovid. Fast. III, 131. *trepidare*, gestire, subsilire lætitia, gravitatis ac constantiæ adeo inmemores, ut morum corruptelam in quocumque corporis gestu declarent. *quum carmina lumbum intrant*, excitant auditores, ut lumbis crissent. De hoc v. Burm. in Anthol. Lat. T. II. p. 495. Lucian. T. II. Asin. aur. 6. ed. Reiz. de pruritu venereo: ἡ δὲ ὀσφὺς ἡμῖν ὑγρῶς ἐπικινεῖται. Auson. Epigr. CVIII, 4 seqq. *Principio tremulis gannitibus aera pulsat, verbaque lascivos meretricum imitantia cœtus Vibrat, et obscœnæ numeros pruriginis implet.* De effectu modorum lascivorum v. Juvenal. VI, 195 seq. XI, 162 seq. Plutarch. Symp. XI, 15. poesin cum saltatione comparans de vi carminum recitatorum in auditores ita loquitur: μόνον οὐ λέληθε τὴν ἐν ὀρχήσει διάθεσιν τὰ ποιήματα παρακαλεῖν καὶ τῶ χεῖρε καὶ τὼ πόδε, μᾶλλον δὲ ὅλον, ὥσπερ τισὶ μηδύνθοις, ἑλκεῖν τὸ σῶμα τοῖς μέλεσι καὶ ἐντείνειν, τούτων δὲ λεγομένων καὶ ᾀδομένων, ἡσυχίαν ἄγειν μὴ δυναμένοις. Ceterum illa loquendi ratio, qua Noster usus est, nata quoque videri potest ab effectu tibiæ. Juvenal. VI, 311 seqq.

21. *intima*, eas corporis partes intelligo, in quas sensus lascivi, inpudica voce et gestu excitati, agunt. *scalpuntur*, titillantur. Senec. Epist. 75: *Quid aures meas scalpis, quid oblectas? — tremulo versu* spectat ad rhythmum carminis effeminatum et ad vocem, qua illud recitabatur,

Tun' vetule auriculis alienis conligis escas?
Auriculis, quibus et dicas cute perditus, ohe?
"Quo didicisse, nisi hoc fermentum et quæ semel intus
Innata est, rupto jecore exierit caprificus?"
En pallor seniumque! O mores! usque adeone
Scire tuum nihil est, nisi te scire hoc sciat alter?
"At pulchrum est digito monstrari, et dicier, hic est!
Ten' cirratorum centum dictata fuisse

libidine et lascivia trementem. Horat. Od. IV, 13. 5. cf. Petron. 70. Qualia carmina tunc deberent esse, docet Martial. I, 36.

22. *Tun' vetule.* Recitator cogitandus ætate jam provectiore, eoque magis vituperandus. *Vetule.* Hoc verbum convicium fere semper involvit. Plaut. Epidic. II, 2. 4. Aristoph. Nub. 789. *auriculis alienis conligere escas* facete dictum pro: alienis auribus scribendo recitandoque inservire. Ælian. V. H. III, 1. καὶ ἰστιῶσιν ἓν μάλα τὰς ἀκοάς.

23. *Auriculis:* iteratum hoc auget rei indignitatem. *quibus dicas: ohe,* i. e. auriculis eorum hominum, qui in laudando te omnem verecundiam et pudorem adeo tollunt, ut tandem ipse eorum plausus fastidias et fastidium tuum declares exclamando: *ohe! — et cute perditus,* etiamsi naturæ aliquo vitio erubescere non possis; hoc enim significare videtur *cute perditus,* sive illud de aqua intercute laborante sive de scabioso accipias. Ceterum cf. Horat. Sat. II, 5. 96. Juvenal. VI, 62.

24—26. Quid juvat autem, objicit alter, tantum studii et laboris in literis posuisse, nisi, quid profeceris, etiam aliis innotescat, ut laudem et gloriam, studiorum et vigiliarum fructum, tibi conligas.

24. 25. Doctrinam illam, quæ aliis se jactare gestit, expressit per *fermentum,* quod massam, cui admixtum est, inflat tumidamque reddit, et per *caprificum,* quæ, quum muris innascitur, illorum compagines solet laxare. Juvenal. X, 144 seq. Martial. X, 2. 9. Ceterum *quo* est h. l. cui bono, quem in finem. Heins. ad Ovid. Heroid. II, 53. *rupto jecore,* tamquam muri compagibus illa caprifico ruptis. *Jecur,* ut sanguinis officina, sedes omnium adfectuum, præcipue libidinis, quæ hujusmodi carmina, de quibus h. l. sermo est, dictat. Theocrit. XIII, 71. Horat. Od. I, 25. 13. Propterea ea, quæ studiis suis sibi paravit, quasi jecore concepta et innata, ut caprificus muris, finguntur, quæ, dum cupiunt evulgari, rumpunt jecur, ut caprificus muros. De industria Noster adversarium ista similitudine utentem inducit, ut et genus studii et pruritus vehementiam, qua ad scribendum et recitandum compellatur, ipse suis ipsius verbis declaret. Observandum præterea est, adversarium ab alia similitudine, a *fermento* desumpta, ordiri, quam statim, ut sensui suo minus respondentem, inperfectam relinquit et ad aliam transit. Sed et illi *fermento* sua vis est, vanitatemque illius studii indicat, qua is, cui illud inest, inflatus redditur et tumidus.

26. Ut inpensius etiam recitandi studium excuset, addit: *En pallor seniumque.* Hæc verba vulgo, vel a Reizio, Persio tribuuntur, at haud scio an melius ejus adversario, recitandi causam agenti, adsignentur, quasi dicat: vide, quantum studii et sudoris (id enim per *pallorem* et *senium* intelligitur. Horat. Epist. I, 18. 47. II, 2. 82 seq.) in ea re consumptum sit, quam male conlocatum id foret, nisi laudes civium, quasi fructus inpensæ, inde conligantur. Misericordia saltem Persium conrumpere studet, quem ratione movere desperat. *O mores!* exclamatione solemni utitur Persius, perversam cogitandi rationem h. l. spectante.

27. Sensus: adeone laus sola finis est studiorum; adeone tota scientia ad ostentationem comparata est. Notum est Græcum proverbium: οὐδὲν γὰρ ὄφελος ἀπορρήτου φασὶ καὶ ἀφανοῦς τῆς μουσικῆς Lucian. Harmon. T. I. p. 852. ed. Reiz.

28. At notum esse in vulgus, objicit adversarius, delectat. Pro: notum esse, posuit: *digito monstrari;* natum hoc ex eo, quod de Demosthene fama ferebat. Plin. Epist. IX, 23. οὗτος ἐκεῖνος Lucian. Somn. Tom. I. Cap. II. ed. Reiz. cf. Ovid. Am. III, 1. 17 seqq.

29. 30. Tune in scholis legi, memoriæque a discipulis mandari nihili putes? Omnem institutionem et eruditionem in

Pro nihilo pendas?" Ecce inter pocula quærunt
Romulidæ saturi, quid dia poemata narrent.
Heic aliquis, cui circum humeros hyacinthina læna est,
Rancidulum quiddam balba de nare locutus,
Phyllidas, Hypsipylas, vatum et plorabile si quid,

scholis a poetarum lectione auspicabantur cum Græci tum Romani. Notum hoc est ex Quintiliano. Præcipue Homero, poetarum principi, hic honos habitus est, sequenti tempore etiam Horatio et Virgilio. Juvenal. VII, 226. Quod quum nonnisi optimis poetis contingeret, erit, *in scholis legi*, idem, quod in optimorum censum venire; illamque laudem omnes poetæ ambibant. Martial. I, 35. *cirratorum* puerorum capillis calamistro inustis, ergo comptorum, divitum, nobilium. Martial. IX, 30. 7. *cirrata caterva magistri.* — *dictata fuisse* i. e. lectionibus dictandis et recitandis inservisse.

30—40. Persii hæc verba esse cum ex iis, quæ proferuntur, rationeque, qua enunciantur, tum ex v. 40. dubium esse nequit. Quæri autem potest, quo nexu cum antecedentibus cohæreant. Equidem sic existimo. Adversarius inceperat communem poetarum causam agere, scribendique studium tueri ac defendere, quod gloria inde pararetur non contemnenda, quæ maxima fieret scriptoris, si, quæ elaborasset, in scholis discipulis proponerentur atque explicarentur. Hujus vices repente occupans eique quasi adstipulans, alia ejusdem generis Persius subgerit, eorumque mentionem facit, quæ ut specie honorifica scriptorum vanitatem movere et adlicere possint; verum id facit ratione consilio suo adcommodata. Sic enim ea effert, talemque verborum delectum habet, ut adpareat, quam futilia ea sint, quæ tamquam præclara scribendi incitamenta proferre videtur. Ironia, qua hoc loco utitur Noster, vim etiam augere videtur, quod ea, quæ fieri tantum poterant, eamque ob rem conditionatim erant exprimenda, ita narrat, tamquam re vera et ante oculos gerantur. Quin inter pocula, Persius addit, poetæ mentionem faciunt, commendant ejus carmina, recitant, laudant. En beatissimam ejus conditionem!

31. *Romulidæ* eamdem vim habet, quam supra v. 20. *ingentes Titos. saturi* indicat mensas remotas, quibus remotis vino et variis sermonibus veteres indulgebant. cf. Wolf ad Plat. symp. IV, 1. Solebant etiam inter epulas poetarum carmina recitare, deque eorum vitiis et virtutibus, ut fit ab hominibus cibo et vino probe oneratis, insulse et inepte plerumque disserere. Petron. 55 et 59; Juvenal. VI, 435 seqq. XI, 177 seqq. Plin. Epist. I, 15, 2; IX, 36. 4. *dia* ad carminum præstantiam spectat. Sulpic. Sat. 48. *narrent.* parum adcurate illud quidem, sed secutus est Noster et in hoc et in aliis nonnullis sermonis quotidiani consuetudinem. Plaut. Pers. IV, 3. 29.

32. *Heic*, inter pocula. *hyacinthina læna*, a colore, qui erat purpureus aut violaceus. Ceterum non satis constat, qualis fuerit ille flos hyacinthus. v. Voss. ad Virgil. Georg. IV, 137. Salmas. ad Solin. p. 860 sqq. Hic cultus nobilem aliquem indicat. Juvenal, III, 283. Molle vestimenti genus est intelligendum et adcubitorium. Petron. 30. ibique Interpp. In vestitu molli Romani tunc temporis cum spadonibus et mulieribus certabant. Juvenal. II, 65 seqq. Senec. Epist. 90.

33. *Rancidulum* a vitiato et conrupto cibo sumptum. De commendatione putida forsan adcipiendum, quam carminum lectioni ille præmittit. *balba de nare*, per nares vocem balbam emittens. Horat. Sat. II, 3. 274. Omnia hæc ad effeminatam hujus sæculi mollitiem referri debent.

34. *Phyllidas*, *Hypsipylas* i. e. carmina tragici argumenti. *Phyllis* Sithonis filia Thracumque regina a Demophoonte, (Serv. ad Virgil. Eclog. V, 10. Ovid. Heroid. II.) Hypsipyle Thoantis, Lemni regis, filia a Jasone deserta erat; hujus historiam argonauticorum scriptores exornarunt. Apollon. Rhod. I, 609 seqq. Valer. Flacc. II, 101 seqq. cf. Ovid. Heroid. VI. Hinc intelligendum est illud *plorabile*. Persius dicere vult: et si quid aliud, præter illa priora, vates (per ironiam) habent ad teneros et molles adfectus et dolores movendos apta. *plorabile* est h. l. nostrum: *etwas empfindsames*. Claud. XVIII, 261. de Eutropio spadone: *verbis sonat plorabile quiddam ultra nequitiam fractis.*

Eliquat et tenero subplantat verba palato.
Adsensere viri. nunc non cinis ille poetæ
Felix? non levior cippus nunc inprimit ossa?
Laudant convivæ. nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violæ? Rides, ait, et nimis uncis

35. *Eliquat*, voce mollii et effeminata pronunciat; translatum a metallis corporibusque duris, quæ igne liquantur et molliuntur. *subplantat*, translatio nota, spectat ad vocem fractam ac balbutientem. *tenero palato*, ut tenelli aut feminæ. Hæc mala omnia a temporum conruptela ad exquisitam elegantiam jam Ovidii ætate referebantur. v. A. A. II, 283 seqq. III, 293 seqq. cf. Martial. X, 65. 10 seq.

36—40. Reliqui in poetæ laudem consentiunt, nunc procul dubio beatissimus est. Hæc ita per hyperbol. enunciata sunt, ut ironiam vel stupidissimus adnoscat.

36. *Adsensere viri.* Magno hoc cum delectu. Primum enim hi *viri* vocantur, qui, quum idem sentiant, quod ille mollis, effeminatis moribus se produnt; deinde illud *adsensere*, grave aliquid sonans et in gravibus rebus plerumque adhibitum, (Ovid. Metam. IX, 259. XIV, 592. Virgil. Æn. II, 130.) h. l. in re futili usurpatum ironiæ vim vehementer mihi augere videtur. *nunc non cinis ille poetæ felix?* i. e. nonne poeta nunc post mortem beatus, nonne inmortalitas ei parta est?

37. *non levior cippus nunc inprimit ossa?* Hoc a formula bene precandi mortuis sumptum est: *Molliter ossa cubent.* Ovid. Trist. III, 3. 76. Amor. III, 9. 67. A. A. III, 470. Propert. I, 17. 24. Juvenal. VII, 207. Hinc illæ in sepulchris literæ S. T. T. L. hoc est: *Sit tibi terra levis.* Exsecratio contra erat: *Sit tibi terra gravis; urgeat ossa lapis.* Senec. Hippol. 1280.

39. *Laudant convivæ.* Hoc quoque egregie. *Laudant* plus est, quam illud superius *adsensere.* Sed laudant *convivæ*, ad cœnam vocati ab illo nobili recitante, cujus judicium de pulchro et venusto convivæ sequuntur. Martial. VI, 48. Inmittur igitur laus non vera et solida, sed falsa et fucata, *nunc non e manibus illis. Manes* pro cinere et deinde pro tumulo ipso ponuntur. Plin. Epist. VII, 27. 11. Nam opinio erat veterum vulgaris, *manes* simul cum cinere quiescere, ac sepulchro inhabitare. Propert. II, 10. 31; IV, 5. 3. Sic quoque *cineres* pro manibus. Virgil. Æn. II, 587. conf. Æn. III, 39 seqq. Eurip. Hecub. 31 seqq.

39. Hic versus procul dubio ex interpretamento τοῦ *manibus* prioris versus concinnatus et intrusus est.

40. *Nascentur violæ?* Hoc inde videtur natum esse, quod veteres tumulos mortuorum sparsis floribus et corollis solebant ornare. Sueton. August. 18. Athenæus XV. p. 679; pertinebat hoc ad religionem manium, qui, ut putabatur, libationibus annuis, coronis, floribus cet. delectabantur. Anthol. Lat. Burm. T. II. lib. IV. epigr. 247. Beatissima mortui conditio, cui vel natura ipsa inferias agat, floribus in tumulo sponte nascentibus, videtur indicari. Antipat. Sidon. epigr. in Anacreont. in Analect. Brunck. T. II. 25. Θάλλοι τετρακόρυμβος, Ἀνάκρειον, ἀμφί σε κισσὸς, Ἁβρά τε λειμώνων ποφυρέων πίτυλα· Πηγαὶ δ' ἀργινόεντος ἀνα-ϑλίβοιντο γάλακτος, Εὐῶδες δ' ἀπὸ γῆς ἡδὺ χέοιτο μέϑυ, Ὄφρα κέ τοι σποδιή τε καὶ ὀστέα τέρψιν ἄρηται, Εἰ δή τις φθιμένοις χρίμπτεται εὐφροσύνα, Ὦ τὸ φίλον στείχας, φίλε, βάρβιτον, ᾧ σὺν ἀοιδᾷ Πάντα διαπλώσας καὶ σὺν ἔρωτι βίον. conf. Anthol. Lat. l. c. Epigr. 99. et Analect. Brunck. Tom. III. p. 303. Ἄνθεα πολλὰ γένοιτο νεοδμήτῳ ἐπὶ τύμβῳ Μὴ βάτος αὐχμηρὴ, μὴ κακὸν αἰγίπυρον, Ἀλλ' ἴα, καὶ σάμψυχα, καὶ ὑδατίνη νάρκισσος, Οὐίβιε, καὶ περί σου πάντα γένοιτο ῥόδα. Videtur quoque privata nonnullorum opinio fuisse, cinerem in flores mutari, idque contingere non nisi probis ac pulchris, (Anthol. Lat. l. c. Epigr. 186.) ex fabulis heroum in flores post mortem mutatorum fortasse nata.

40—43. *Rides, ait* cet. Ironiam sensit quidem adversarius, sed intelligere se non posse profitetur, quomodo quis laudem, famam nominisque inmortalitatem scriptis suis quæsitam negligere queat. Non enim animadvertit, Persium non laudem omnino, sed falsam illam et inanem, non scripta omnino, sed ea tantum

Naribus indulges. an erit, qui velle recuset
Os populi meruisse? et cedro digna locutus,
Linquere nec scombros metuentia carmina nec thus?
Quisquis es, O modo quem ex adverso dicere feci,
Non ego, quum scribo, si forte quid aptius exit,
Quando hæc rara avis est, si quid tamen aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est:
Sed recti finemque extremumque esse recuso
EUGE tuum et BELLE. nam BELLE hoc excute totum:
Quid non intus habet? non hic est Ilias Acci
Ebria veratro? non si qua elegidia crudi
Dictarunt proceres? non quidquid denique lectis
Scribitur in citreis? Calidum scis ponere sumen:

vituperare, quæ conrupto multitudinis judicio adcommodate concinnata sint.

41. *uncis Naribus* pro: risui, subsannationi; quia risu in rugas contrahitur nasus. Nasus in rugas contractus indicat quoque contemptum. Martial. I, 4. 5 seq. Sidon. Apoll. IX, 341 seqq. *velle recuset* fortius quam: nolit.

42. *Os populi*, laudem et famam, πᾶσι διὰ στόματος εἶναι. *cedro digna.* Cedro pro oleo cedrino positum, et *cedro digna* sunt digna, quæ serventur, digna inmortalitate. Vitruv. II, 9. *Ex cedro oleum, quod cedrenum dicitur, nascitur, quo reliquæ res quum sunt unctæ, ut etiam libri, a tineis et a carie non læduntur.* Horat. in arte 331 seq. *speramus carmina fingi Posse linenda cedro et levi servanda cupresso?*

43. *Scomber* piscis marinus. Plin. H. N. XXXI. s. 43. Sensus: carmina relinquere, de quibus non est, quod metuas, ne ad salsamentarios et thurarios deferantur, Catull. XCV, 8. Martial. III, 2. 3 seqq. IV, 87. 8.

44—57. Jam remota ironia Noster mentem suam adversario exponit: se laudis quidem studium non omnino improbare, sed negare, carmina ad aures sæculi conruptas esse exigenda, adprobationemque hominum, quæ epulis aliisque munusculis empta sit, vanam esse. Bene Seneca Epist. 102. observavit, nihil æque eloquentiam et omne aliud studium, auribus deditum, vitiasse, quam popularem adsensionem.

44. *ex adverso dicere feci*, i. e. adversarium mihi constitui.

45. *exit*, perficitur, e re figlina. Horat. in arte 21 seq.

46. *rara avis*, phœnix, pro eo, quod raro contigit videre. Juvenal. VI, 164. Dœring. in Eclog. vet. poet. ad Lucan. VI, 680.

47. *metuam* fortius quam: recusem. *cornea fibra*, i. e. sensus obtusus, stupidus, qui nulla nec jucunditate nec asperitate movetur.

48. 49. Sensus: nego, ut philosophi omnes actiones ad summum bonum obtinendum dirigendas esse contendunt, ita carmina ad exclamationes auditorum *Euge! Belle!* audiendas esse condenda. Horat. in arte 426 seqq. conf. Petron. 40. ibi Interpp. *nam* BELLE *hoc excute totum. Excute* fortius quam: explora. *Belle hoc totum* pro: vim et naturam τοῦ *Belle*, ex mente nempe eorum, qui illud adhibent.

50. *Quid non intus habet?* apte ad illud prius *excute* expressum, pro: ad quæ scripta, quum recitantur, illam exclamationem auditores non adhibent? nonne ad insulsissima et ineptissima quæque? Hoc posterius in sequentibus per species expressum.

50—53. *non hic* pro: non in illo *Belle*, et hoc pro: nonne exclamant *Belle!* quum recitatur cet. *Ilias Acci.* De *Accio* supra v. 4. *ebria veratro.* Casaubonus hoc ita explicat: ad quam Iliadem scribendam Accio multa potione hellebori opus fuit. Sed aliam rationem inire pos-

Scis comitem horridulum trita donare lacerna:
Et, Verum, inquis, amo: verum mihi dicite de me. 55
Quì pote? vis dicam? nugaris, quum tibi, calve,
Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstet.

sis, ingenio Persii, ni fallor, adcommodatiorem. Quum dicit Noster, carmen helleboro ebrium esse, hoc dicere vult, poetam, quum scriberet carmen, helleboro ebrium fuisse; sic est apud Senec. Epist. 19. *sermo ebrius*. Ex Plin. H. N. XXV, 21. scimus, nigrum helleborum, candido vehementius, optime in Helicone monte provenisse. Noster igitur furorem Acci poeticum non ex Hippocrene, quem fontem non adtigerit, sed ab helleboro, quod in Helicone biberit, repetere videtur. *elegidia*. per contemptum sic vocantur carmina lasciva, mollia, obscœna, deliciæ hujus ætatis. *proceres*, nobiles et principes Romanorum. *crudi*. Inepta ergo elegidia, qualia a crudis proceribus, quorum gula sæpe notatur, poterant proficisci. *dictarunt* sc. amanuensi servo; sic solebant multi Romanorum, literas exarandi molestiam subterfugientes. *quidquid denique lectis scribitur in citreis*. *Citreis* i. e. e ligno citri arboris in Africa nascentis odorato et pretiosissimo. conf. Joann. Bodæum a Stapel ad Theophr. H. Pl. V, 5. Martial. X, 80. 2. Plin. H. N. XIII, 15. De illis lectulis, in primis lucubratoriis, egit Casaub. ad Sueton. August. 78. et Burmann. ad Propert. III, 4. 14. Designantur itaque h. l. carmina divitum.

53. *Calidum scis ponere sumen*. Vulgari ratione sic procedendum fuisset: Etiam ad illa, quæ forsan minus placeant, exclamant auditores *Eugc! Belle!* Non tibi mirum videri debet, scriptor inepte, si ita fit, *calidum* enim *scis* cet. i. e. tu auditores ad plaudendum cœna et muneribus conducis. Recitaturi auditores epulis opiparis sæpe excipiebant. Horat. Epist. I, 19. 37 seqq. in arte 422 seqq. Martial. II, 27. III, 50. VI, 48. Petron. 10 et 137. Lucian. in Mercede cond. T. I. p. 694. edit. Reiz. Huc pertinet lepidum epigramma in Analect. Brunck. Tom. II. p. 331. Ποιητὴς πανάριστος ἀληθῶς ἔστιν ἐκεῖνος, Ὅστις διατνίζει τοὺς ἀκροασαμένους. Ἢν δ' ἀναγινώσκῃ, καὶ νήστεις; οἴκαδε πέμπῃ. Εἰς αὐτὸν τρεπέτω τὴν ἰδίην μανίην. Sic quoque tunc a causas agentibus auditores et laudatores mercede comparabantur. Juvenal. XIII, 31 seqq. Plin. Epist. II, 14. 4 seq. *Sumen* caput olim cœnæ (Petron. 36.) pro epulis splendidis.

54. *comitem horridulum*, unum e comitibus minus bene vestitum, ideoque frigoris injurias ægre ferentem. Horat. Epist. I, 19. 37 seq. *Lacerna* vestimentum genus proprie militare, quod ad arcendum frigus etiam togæ injiciebatur. Octav. Ferrar. de re vest. P. II. lib. I. c. 4. Burmann. ad Propert. IV, 3. 18. Epitheton *tritæ* ad muneris vilitatem spectat. Inter munera, quæ locupletiores tenuioribus interdum mittere solebant, etiam vestimenta fuisse, scimus ex Martial. X, 14. 6. Ceterum laudatio ab homine tenui vili munusculo empta ipsa vilissima est.

55. *Et, Verum, inquis, amo*. cf. Martial. VIII, 76. *de me*, de carmine recitato.

56. *Quì pote?* i. e. Qui fieri potest, ut ab istiusmodi hominibus verum audias? *vis dicam?* sc. ego tibi verum. *Nugaris, quum tibi* cet. Hoc omnes, quos equidem inspicere potui, ita interpretati sunt: insulsa scribis carmina, quum non possit fieri, ut ab homine tam obeso limatum aliquod carmen prodeat, secundum illud, quod Græci dicunt: γαστὴρ παχεῖα μὴ τέκει λεπτὴν φρένα. Sed hac ratione τὸ *nugaris* pro Persio nimis clementer dictum est, et qua ratione, si quis carmina male scribat, possis eam a corporis pinguedine ducere? interdum quidem fieri potest, sed non ubique et semper; Horatius quidem hoc omen deprecatus fuisset. *Nugaris* h. l. esse videtur: non serio loqueris. *quum tibi* cet. i. e. quum corporis tui habitus jam indicet, aures ad laudem captandam adrectas esse. *calve*, obprobrium homini, luxuria perdito, aptum.

57. *Pinguis aqualiculus*. *Aqualiculus* proprie sordium receptaculum; usurpatur etiam de ventriculo hominis. Senec. Epist. 90. *pinguis* et quæ præterea de aqualiculo prædicantur, indicare quidem videntur helluonem obeso corpore, sed possunt etiam simul eum corporis habitum declarare, in quem se vanissimus quisque componit, qui cupit laudari vehementerque

O Jane, a tergo quem nulla ciconia pinsit,
Nec manus auriculas imitata est mobilis altas,
Nec linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantum!
Vos O patricius sanguis, quos vivere fas est
Occipiti cæco, posticæ obcurrite sannæ.
Quis populi sermo est? quis enim? nisi carmina molli
Nunc demum numero fluere, ut per leve severos
Effundat junctura ungues. scit tendere versum

sibi placet. Hac re etiam ridiculus corporis probe saginati habitus augetur.

58—62. Noster pergit: Quid? quod laudantes quidem auditores coram videtis, sed, aversis vobis, laudatio in sannam abit. Hoc ita expressum est: O Jane, te felicem prædico, non est enim, quod sannam a tergo timeas; at vobis, patricii, timendum est, ne in faciem laudati a tergo derideamini.

58. *Jane*. *Janus* ex historica persona mythica factus est, estque prudentia in personam mutata, ut Prometheus apud Græcos, perpetuumque fere epitheton ejus *biceps*, *bifrons*, profectum ex antiqua sermonis indole, notum est. Ovid. Fast. I, 65 seq. *nulla ciconia*, nulla manus, secundum Schol. ciconiæ rostrum imitans. Hoc fusius inlustrat I. Fr. Gronovius in epistola ad N. Heinsium. v. Syllogen epistol. a viris ill. scr. cur. Burmann. T. III. p. 52. *pinsit* respicit illius sannæ naturam, quam ignoramus.

59. *mobilis* spectat ad motum manus, aurium asininarum mobilitatem significantis.

60. *Nec linguæ tantum* pro: Nec lingua tam longe se exserit, *quantum* i. e. quam longe exserere eam solet, quum *sitiat canis Appula*. *Canis Appula*, species pro genere. Apulia calidissima Italiæ regio, canesque propter calorem in primis sitientes linguam exserunt.

61. *patricius sanguis*, patricii, proceres. *quos vivere fas est occipiti cæco*, i. e. qui a natura in occipitio nullis oculis estis præditi; et hoc pro: qui prudentia, quæ in Jano est, non utimini; nam *vivere occipiti cæco* positum est pro: habere occiput cœcum, et *fas est* sæpe pro: naturæ lege constitutum est.

62. *posticæ obcurrite sannæ*, i. e. respiciatis, ne a tergo derideamini. Vetus scholiast. animadvertit: *sannam* dici os distortum cum vultu, quod faciamus, quum alias derideamus; inde *sanniones* dictos esse, qui non rectum vultum habeant.

63—68. Jam adulationis et judicii vulgaris exemplum proponit.

63. *Quis populi sermo est?* sc. de carmine recitato. *Quis enim?* subjicit, τίς γαρ. Nostrates; *was könnten sie anders sagen?*

64. *Nunc demum*, i. e. in his tandem carminibus, quum ante nemo tam mollem versuum concinnitatem adsecutus sit. *molli numero* i. e. versibus, in quibus molli junctura effectum est, ut nulla usquam asperitas aures tenellas obfendat. Huic rei aptum est *fluere*. Ordo verborum sequentium: *ut junctura effundat ungues severos per leve*. Explicatio hæc est prioris, et translatum hoc a marmoribus tam apte commissis, ut ne unguis quidem ejus, qui opus diligentissime explorat, in junctura seu commissura aliqua hæreat, cf. Horat. Sat. II, 7, 87. in arte 293 seqq. Sidon. Apoll. IX, 7. *Tota* (oratio) *denique liquida prorsus et ductilis, veluti quum crystallinas crustas aut onychintinas non inpacto digitus ungue perlabitur; quippe se nihil eum rimosis obicibus exceptum tenax fractura remoretur*. Unde *homo ad unguem factus* pro polito. Horat. Sat. I, 5, 32.

65. *Effundat* cum delectu, pro: sine ulla obfensione transmittat. *severos ungues*. *severus* proprie de judicibus, et h. l. bene ad *ungues* translatum, quorum judicium est de asperitate alicujus rei. *Scit tendere versum* cet. A constructione obliqua transit subito ad rectam, ut ipsa populi verba sine ulla mutatione adferat. Sumpta hæc est dictio a fabris lignariis, qui lignum ad regulam explorant, ut ab omnibus partibus æquale efficiant. Hom. Odyss. ε. 245. ξέσσε δ' ἐπισταμένως καὶ ἐπὶ στάθμην ἴθυνε.

Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.
Sive opus in mores, in luxum, in prandia regum
Dicere, res grandes nostro dat Musa poetæ.
Ecce modo heroas sensus adferre videmus
Nugari solitos Græce, nec ponere lucum
Artifices, nec rus saturum laudare, ubi corbes,
Et focus, et porci, et fumosa Palilia fœno:

66. *Non secus, ac si oculo rubricam dirigat uno.* *Rubrica* est h. l. linea (funiculus) rubrica oblita, qua fabri lignarii et lapidarii utebantur, apud Græcos σπάρτη. Hesych. in h. v. Salmas. ad Solin. p. 187. Est itaque *rubricam dirigere*, hunc funiculum seu lineam extendere, ut lignum seu lapis ad eam exigatur. *oculo uno*, altero clauso explorabant, num ipsa linea rite directa esset lignumque seu lapis cum illa congrueret. Lucian. Icaromenipp. T. II. p. 769. ed. Reiz. ἐπεὶ καὶ τοὺς τέκτονας πολλάκις ἐωρακέναι μοι δοκῶ θατέρῳ τῶν ὀφθαλμῶν ἄμεινον πρὸς τοὺς κανόνας ἀπευθύνοντας τὰ ξύλα. Sensus: Ita scit tendere, ἰθύνειν, ex omni parte æqualem facere, perpolire versum, ut faber lignarius aut lapidarius ad lineam lignum aut lapidem exigit; et hoc simpliciter pro: versus ejus sunt politissimi et ad regulas exactissimi.

67. 68. *opus* sc. habet, *dicere* pro: dicendum ei est, scribendum est. *in mores, in luxum, in prandia regum.* Argumenta satiræ non indicantur, ut Casaubonus vult. *In* interdum ad laudem spectare, docent Manut. et Græv. ad Cicer. de Offic. I, 9. Sensus: quascumque res carmine celebret. Versabantur ineptissimorum poetarum carmina plerumque in omnibus luxuriæ instrumentis, vitæ elegantiis, epulisque lautissimis procerum describendis, hæque *res grandes*, ut putabant illi quidem, sententiarum tumore et verbis sonantibus distinguebantur. *dat Musa poetæ*, a Musa instinctus poeta canit.

69 seq. Ineptum hoc populi judicium poetam nostrum ad ipsa carminum vitia ducit, quæ pro virtutibus amplexabantur tunc temporis scriptores, ad inanes tumores v. 69—75. ad ineptum verborum antiquorum aucupium v. 76—84. ad frigidum studium in figuris doctis ubique adhibendis v. 85—91. ad versuum effeminatam mollitiem v. 92—106. Tumoris vitium institutioni et disciplinæ scholarum Noster inputat. Quum, ut supra ad v. 29. monuimus, studiorum et literarum initium a Græcis literis, in primis ab Homeri lectione caperetur, (Petron. 5.) linguam Græcam plerumque Romani prius, quam vernaculam addiscebant, quod Quintilianus ipse probat. Inde illud: *nugari solitos Græce*, intelligas. Isti porro tenera adhuc ætate et rerum prudentia non satis instructi ad poetices et eloquentiæ studium a præceptoribus, ne ipsis quidem intelligentibus, veræque et genuinæ eloquentiæ ignaris, perversa ratione adducebantur. Rationem instituendi pueros discimus ex Juvenal. VII, 150 seq. unde liquere videtur, magistros declamationes dictitasse, quas illi, memoriæ traditas, ad facultatem de quacumque re verba faciendi sibi parandam, coram ipsis memoriter recitarent. Ceterum causæ in scholis propositæ et fictæ erant et remotæ a communi vitæ usu. v. Interpp. ad Petron. I. Hoc loco institutio apud grammaticos est intelligenda. Quintil. II, 1.

69—72. Ad transitum molliorem faciendum cogitatione subple: Illam argumentorum vanitatem, ineptos tumores ac *rerum grandium* studium prope ab omnibus adamari, ne mireris; *ecce modo* cet. *heroas sensus.* Argumenta in scholis proposita versabantur plerumque in vitis, moribus ac factis heroum, et in quæstionibus, quæ ad vitam parum utilitatis habebant. Quintil. III 8. Juvenal. l. c. *heroas sensus* (pro: heroicos sensus) itaque interpretor: heroum orationes, quas habuisse fingebantur, res gestas et fata eorum. *adferre* scribere. *Artifices ponere*, Græcism. *artifices* pro: idonei. *ponere* h. l. pro: argumentum aliquod tractare. Horat. in arte 34. Juvenal. I, 155. etiam de pictoribus dicitur, Ovid. A. A. III, 401. *rus saturum*, i. e. rus bonis refertissimum. *corbes* ad instrumenta rustica pertinet. 72. *fumosa Palilia fœno. Palilia* erat festum in honorem Palis, vel Dei vel Deæ pecorum et pastorum, quod celebra-

Unde Remus, sulcoque terens dentalia Quinti,
Quum trepida ante boves dictatorem induit uxor,
Et tua aratra domum lictor tulit. euge pocta.
Est nunc, Briseïs quem venosus liber Acci,
Sunt, quos Pacuviusque et verrucosa moretur
Antiopa, *ærumnis cor luctificabile fulta.*
Hos pueris monitus patres infundere lippos

batur XI. cal. Mai., quo die Romam conditam esse tradunt. In hoc festo per acervos stipularum adcensos transsiliendo se lustrabant ruricolæ. Varro de L. L. V, 3. Ovid. Fast. IV, 629 seq. Plutarch. in Romul. 12. ed. Hutt. Propert. IV, 1. 19.

73. *Unde Remus* sc. oriundus est. *Remi* frequens est mentio apud poetas (Juvenal. X, 73. ubi cf. loca a Ruperti laudata) famam aut narrationem fortasse secutos, quæ ad nos perlata non est. cf. Propert. II, 1. 23. IV, 1. 9. ibi Vulp. *sulcoque terens dentalia*, ornate pro: arans. Virgil. Georg. I, 46. *Quinti* sc. et tu, Romam arcessitus es ad dictatoris munus obeundum; res nota ex Liv. III, 26.

74. *trepida* aptum epith. conjugi sedulæ, marito in induenda toga, quam domo adportari jusserat, festinanter operam navanti.

75. *euge poeta.* Plaudit per ironiam poetæ ista ratione instituto. Opinio enim erat vulgo recepta, si omissis omnibus argumentis, quæ in communi consuetudine versarentur, omnibusque rebus, ut putabant, humilibus e schola eliminatis, gravioribus subinde rebus et arduis manum admovissent pueri, eos poetas et oratores magnos esse evasuros. *Lucum* itaque, *rus saturum* cet. posuisse videtur noster pro unoquoque argumento simplici et vulgari, cujus dignitatem tamen v. 73 seq. ostendit.

76—84. Ex pluribus auctorum, qui circa aut non longe post Persii tempora vixerant, locis abunde constat, oratores et poetas obsoleta ex vetustis poetarum carminibus verba, dictiones et translationes, cum novitatis studio, tum ad doctrinæ ostentationem, captasse. Quintil. I, 6. Martial. X, 21. XI, 91. Gell. I, 10. Quam rem, ratione quidem et modo circumscriptam, non inprobavit Horatius Epist. II, 2. 116 seqq. Eodem vitio tunc laborabant Græci. Lucian in rhet. præc. T. III. p. 18. ed. Reiz. cf. Plin. Epist. I, 6. Hoc nimium antiquitatis studium et inanem in captandis verbis priscis et dictionibus obsoletis adfectationem carpit Noster ita, ut ex patrum stolidorum persona, filios suos monentium, pergat.

76. *Est nunc* cet. i. e. multi Acci et Pacuvii (antiquorum poetarum) studio delectantur et tenentur, quibus si probari vultis, istos veteres imitemini necesse est. *Briseïs* Hippodamia ab Agamemnone Achilli erepta. Hom. Il. α, 189 seqq. h. l. fabula Acci intelligitur illo nomine inscripta. *venosus* deformis, asper. Auctor de causs. conrupt. eloq. 21. *Oratio autem sicut corpus hominis ea demum pulchra est, in qua non eminent venæ, nec ossa numerantur, sed temperatus et bonus sanguis inplet membra et exsurgit toris, ipsos quoque nervos rubor tegit et decor commendat.*

77. 78. *Pacuvius et verrucosa Antiopa* pro: verrucosa Antiopa Pacuvii; *verrucosa* pro: tuberosa, horrida, eadem ratione positum, qua supra *venosa*. De *Antiopa* v. Apollod. III, 5. 5. et ibi Heyn. in notis. *moretur* detineat, delectet. Horat. Epist. I, 13. 17. *ærumnis cor luctificabile fulta. fulta* ad Antiopam translatum proprie ad cor pertinet. Tot ærumnæ cor cingebant Antiopæ, ut illis ipsis ærumnis et miseriis cor fultum, nixum et incumbens habere videretur. Sic interpretatus est locum Turneb. XXVIII, 26. Equidem, quo melius locum expediam, non habeo. Utrum hæc verba ex ipsa *Antiopa* sint, an Noster Pacuvii rationem loquendi, ut dictionis duritiem hujus poetæ ostendat, imitetur, non facile quisquam expediet. Ceterum illos duumviros a Persio non omnino inprobari, sed puerulos carpi in vitiis illorum, quæ non proprie scriptorum, sed ætatis fuere, imitandis et sectandis occupatos, probabile est ex Quintil. X, 1. Vellei. Paterc. II, 9. 3. et ex ipsis illorum tragicorum reliquiis. cf. e. g. Cic. ad Herenn. II, 23. de Fin. I, 2. Gell. I, 24.

79. *Hos pueris monitus*, ut argumenta tragica sibi proponant, et antiquas dic-

Quum videas, quærisne, unde hæc sartago loquendi
Venerit in linguas? unde istud dedecus, in quo
Trossulus exsultat tibi per subsellia levis?
Nilne pudet, capiti non posse pericula cano
Pellere, quin tepidum hoc optes audire, DECENTER?
Fur es, ait Pedio. Pedius quid? crimina rasis
Librat in antithetis. doctas posuisse figuras
Laudatur. bellum hoc. hoc bellum? an Romule ceves?
Men' moveat? quippe et, cantet si naufragus, assem

tiones sectentur. *infundere* cum delectu pro: dare. *lippos.* Lippitudo vulgare erat vitium Romæ habitantium, h. l. eos simul indicat, qui verum videre nequeunt.

80. *Sartago* proprie vas aliquod, in quo varia frigebantur, translatum ad verborum et obsoletorum et novorum conluviem, significatque dictiones duras, insolentes, verborum ludibria, aliaque veram eloquentiam conrumpentia.

81. *in linguas,* i. e. in loquendi morem et consuetudinem. *dedecus* id est, quod supra *sartago.*

82. *Trossulus* olim honoris nomen et equitibus inditum (Plin. H. N. XXXIII. sect. 9.) sequenti tempore homines belli, φιλόκαλοι, κομψοὶ *Trossuli* vocabantur. Senec. Epist. 76. *Idem faciam, quod Trossuli et juvenes?* et Epist. 87. *O quam cuperem illi (Catoni) nunc obcurrere aliquem ex his trossulis in via divitibus, cursores et Numidas et multum ante se pulveris agentem. in quo Trossulus exultat* duplici ratione potest explicari, vel in quo sc. dedecore, Trossulus, orator seu causarum patronus, se jactat vehementer sibi placens; vel in quo, i. e. quum audit hoc, Trossulus, unus e corona vel judex ipse, gaudio gestit parumque verecunde plaudit. Prius præferendum videtur ob sequentia. *tibi* ex vulgaris orationis consuetudine h. l. abundat. *per subsellia,* in judicio. *levis* ad habitum Trossuli spectat, qui rasus erat et vulsus.

83. *Nilne pudet* cet. Patronos tangit Noster, qui non id agebant, ut reum a criminis suspicione liberarent, sed ut judicum et coronæ, ad cujus gustum orationes suas adcommodaverant, exclamationes captarent. Hoc inprobat Quintil. VII, 3. *cano* auget πάθος.

84. *Pellere capite* pro: depellere a capite. *tepidum* de eo dicitur, cujus ardoris vis jam consenuit, ergo languidum, jejunum, significat, naturamque τοῦ *decenter* spectat ex mente Persii. Equidem malim *trepidum* legere, ita ut *trepidum decenter* significet adclamationes hominum trepidantium, patronique orationem, ad suas aures compositam, parum continenter cum lætitiæ significatione excipientium.

85—91. Venit jam ad nimium figurarum usum, qui artem redolet, cujus artis suspicio vel maxime oratoribus fugienda est. Vel reus jam, inquit, ad crimen in judicio turpi a se removendum non argumentis utitur, sed puerilibus eloquentiæ artibus aures judicum demulcens absolvitur.

85. *Fur es, ait Pedio. Pedium* causæ patronum, qui clientis causam ut suam soleat tueri, cum Casaubono non intelligo, sed reum eum esse puto. *Pedius quid?* sc. dicit contra, qua ratione se defendit?

86. *librat,* i. e. ponderis quid habeant criminationes *(crimina)* exquirit, æstimat *in antithetis rasis,* figuris orationis, quibus contraria contrariis obponuntur. Cic. Orat. 49. Quintil. IX, 3. Voss. orat. instit. V, 12. *rasis,* expolitis. cf. Juvenal. VI, 448 seq. Pertinet quidem hæc figura ad ornatum et cultum orationis, nimis autem frequenter usurpata, ut omnes hujusmodi deliciæ, nauseam movet, et puerile ingenium auctoris indicat. De Rhetorica fucata lepidum legitur phantasma apud Lucian. in Bis adcusato T. II. cap. 31. ed. Reiz.

87. *bellum hoc,* vox admirantis plebeculæ. *hoc bellum?* cum indignatione Persius interrogat eadem verba repetens. *an Romule ceves?* Summa cum acrimonia hoc. Tu a Romulo oriunde, qui eo nomine tantopere gloriaris, ad hanc indignitatem delaberis, ut ea probes, quæ cinædo tantum possint placere? *cevere* enim est cinædum agere. Juvenal. II, 21. cf. Catull. XXIX, 5 seq.

88—91. Sensus, qui his versibus continetur, hic est: Dolor verus me movet,

Protulerim? cantas, quum fracta te in trabe pictum
Ex humero portes. verum, nec nocte paratum
Plorabit, qui me volet incurvasse querela.
Sed numeris decor est et junctura addita crudis.

non fictus. Dolor verus omnem ornatum orationis, omnem verborum pompam, omnia, quæ artem redolent, respuit, et defensio alicujus rei, non firmis argumentis sed rhetoricis ineptiis confisa, tantum abest, ut misericordiam meam excitet, ut sensum potius ejus contra omnem turpitudinem obduratum prodat. Illius oratio ambitiosa non magis me commovebit, quam naufragus me adducet, ut eo ipso, quod cantat, assem ipsi porrigam.

88. *Men' moveat?* scil. naufragus. *quippe* per ironiam.

89. *cantas, quum* cet. Vulgari oratione sic essent efferenda: Erras mi homo, non proferam assem; nam, quod cantas, signum est, te *pictum* (in hoc verbo emphasis latet) tantum in fracta nave esse, i. e. calamitatem tuam esse similatam. Notum est, naufragos pictam in tabella tempestatem cum nave fracta circumferre solitos esse, eaque re obvios ad stipem sibi erogandam inpellere. Juvenal. XIV, 300 seqq. Qua consuetudine etiam multos, qui numquam naufragium fecissent, ad misericordiam hominum commovendam, abusos fuisse, probabile est.

90. 91. *verum, nec nocte paratum Plorabit. nocte paratum* est lucubrationibus, itaque operose meditatum, quod veri doloris sensus rejicit. Juvenal. VI, 271 seqq. Sensus: verum dolorem ex calamitate aliqua captum debebit significare, ita dolorem exprimere, ut ipsa doloris natura postulat. *qui me volet incurvasse*, conseq. pro anteced., qui me volet eodem doloris sensu, quo tenetur ipse, adficere. Translatum hoc ab onere humeris sublato, cujus pondus portantem incurvat. Senec. consol. ad Polyb. *Intelliges non magis tibi incurvari licere, quam illi si quis modus est, cujus humeris mundus innititur.* Epist. 71. *Quid est in tormentis, quid est in aliis, quæ adversa adpellamus, mali? hoc, ut opinor, subcidere mentem et incurvari et subcumbere.* Hoc verbum amplius inlustratur a Ciceron. Tuscul. Q. II, 25. cf. Horat. in arte 110.

92—106. Locum, qui sequitur, non ob unam causam difficillimum esse puto. Primum enim judicium fertur de prava versuum mollitie per juncturam præsertim effeminatam quæsita. Qua in re etiamsi aures habere aliquis glorietur quam maxime teretes et adsidua optimorum veterum poetarum lectione eruditissimas, tamen vix tam acute in hoc genere sentiet, nec tam subtiliter judicabit, quam olim inter Græcos et Romanos forsan de plebe aliquis, vel oratorem audiens vel recitantem poetam. In lingua enim, ut vocant, emortua, cujus pronunciationis rationem saltem non adcurate tenemus, quæ aspera quæve levia vocamus, ad nostram pronunciandi rationem et ad aurium judicium, inde factum, referre nobis proclive est, quod itaque non minus vagum et inconstans animadvertimus, quam illam rationem, qua niti soleat. Deinde, quod negligere solent interdum interpretes, Persius est, qui judicium suum proponat, idemque stoicus, cui de morum disciplina disputanti forsan major fides habenda sit, quam de versuum venustate et elegantia disserenti, fierique omnino potest, ut illa versuum mollities, quam tetricus ille et morosus censor effeminatam putat et cinædis dignam, non tam vehementer vituperanda, suoque loco adhibita vel inter virtutes numeranda sit. Porro ex carminibus, ne titulo et inscriptione quidem nobis notis, singuli versus testimonii loco in partes vocantur, quorum sensum vix divinare, nedum adcurate intelligere possumus, ad quem tamen judicium nostrum, ex parte quidem vel hoc loco, referatur necesse est, nisi velimus testa et luto corvos sectari. Postremo quasi cumulus difficultatis adcedit etiam Persii dicendi genus breve et concisum, troporum interdum duriorum amans, quod per se jam, quum vel de rebus tritis loquitur et vulgaribus, negotium interpreti satis facessit. Nuper de hoc loco disputavit *Meisterus* professor in Acad. Viadro-Trajectina, cujus rationem in Comment. Societ. philolog. Lipsiensis T. I. P. II. p. 103 seqq. expositam cognovi, ad quam lectores quoque amandare necesse habeo, quum ab instituto et consilio meo alienum sit, omnium, quæ ille vir doctissimus et copiose et multo cum acumine protulit, rationem habere. Ceterum cogitandus est Persius vel ipse sibi objicere, vel ad-

Claudere sic versum didicit, *Berecynthius Attin.*
Et, *qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.*
Sic, *costam longo subduximus Apennino.* 95
Arma virum, nonne hoc spumosum et cortice pingui?

versarium objicientem inducere: Illa, quæ disputata sunt de tumore nostrorum poetarum, de antiquorum verborum studio, de artis ostentatione in adhibendis figuris in medio jam relinquamus; sed hoc saltem negari non potest, junctura molli adhibita versus fieri venustiores et elegantiores, atque in hoc superiores poetas ab iis, quos nostra ætas produxit, facile superari.

92. Equidem sic verba jungenda puto: *sed junctura addita decor est et numeris crudis. Junctura* optima et suavi verborum connexione et copulatione continetur: (Quintil. X, 4.) neque a poetis utique est negligenda. Horat. in arte 47 seqq. Verum gravioribus neglectis illius nimis curiosa et putida observatione summam poeseos contineri arbitrabantur scriptores; nam ex argumenti dignitate, ubertate inventionis, ex partium conlocatione diligenti et apta, ex sententiarum gravitate et pondere, ex verborum proprietate carminibus suis laudem quærere non erat poetarum, qui a Nostro reprehenduntur. *numeris* versibus. *crudis* a cibis incoctis et inmaturis frugibus sumptum. *crudos numeros* eos intelligo, qui non satis expoliti sunt, in quibus omnino inest aliquid, quod obfendat. Vel hujusmodi versibus, inquit adversarius, decorem conciliari posse junctura.

93. *Claudere sic versum didicit* sc. noster poeta, qui vulgo probatur. *didicit* pro: solet. Meisterus sic interpungit: *sed numeris decor est; et junctura, addita crudis, Claudere sic versum didicit.* Ait enim, si absolute legatur *didicit*, duram esse ellipsin. Verum hoc, sed obcurrit non minus dura v. 85. et *crudis* illa ratione absolute positum pro: versibus non satis levibus et molliter desinentibus, æque durum existimo.

93—95. *Berecynthius Attin* cet. Hæc verba, ut duo sequentes versus, exceptis *Et* et *Sic* in principiis, ex carmine cujusdam poetæ desumpta sunt. *Attin* pastor Phrygius a Cybele amatus, cujus fabula obscura est et magna narrationis varietatis implicita. Nomen ipsum varie scriptura exhibetur. Hemsterh. ad Lucian. T. I. p. 235. ed. Reiz. Plura de illo habet Dœring. ad Catull. LXIII. cf. Macrob. Sat. I, 21. *Berecynthius*, a Berecyntho Phrygiæ monte. v. 94. *Nerea* pro: mare. Valer. Flacc. I, 450. *Delphin.* Quo adludatur, non facile dixeris: alii putant ad notam Arionis fabulam Ovid. Fast. II, 79 seqq. (cf. Brouckh. ad Propert. II, 20. 17.) Meisterus ad delphinum, quem Attin, Phrygius Bacchus, ut putat, produxit, laudatque Ovid. Met. XIII, 597. (sic forsan operarum vitio locus designatur). Versum 95 plane non intelligo. Meisterus existimat, *Et* et *Sic* ad versus laudatos a Persio pertinere, itaque locum distinguit: *Berecynthius Attin Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin: Sic costam longo subduximus Apennino.* Agi putat de itinere maritimo quorumdam ex ordine sacerdotum Cybeles seu Gallorum, atque hoc comparari cum itinere Attis. Sensum, ait, esse: Mare secuimus, ut Attin patronus noster, ut delphin, quem Sabazius noster produxit, atque ita longo Apennini dorso costam (partem) eripuimus. Etiamsi rationem doctissimi viri minus probes, ingenio tamen ejus et acumini meritam laudem non negabis. Verum hoc cuiquam vix persuadebit, *costam* vulgo de quocumque rerum latere dici; Persius quidem (Sat. VI, 31.) cum delectu hoc verbo usus est, audacius paullo Virgilius (Æn. VIII, 463.) *costas aeni* posuit: at *costam subducere Apennini* pro: partem Apennini præternavigare, adeo durum mihi videtur et insolens, ut quemquam umquam hanc dictionem usurpasse vix crediderim. Ceterum animadvertendum est, Nostrum in his versibus aut versuum fragmentis exemplum dare voluisse clausularum mollium. Quintil. instit. IX, 4. *Est in eo quoque nonnihil, quod hic* (in exemplis ab eo adlatis) *singulis verbis bini pedes continentur, quod etiam in carminibus permolle: nec solum ubi quinæ syllabæ nectuntur, ut in his, Fortissima Tyndaridarum: sed etiam ubi quaternæ, quum versus cluditur Apennino, et Armamentis, et Oriona.*

96. 97. Nunc demum, ait, carmina molli numero fluere, (cf. supra v. 63 seq.) veteresque poetas in junctura adhi-

Ut ramale vetus prægrandi subere coctum.
Quidnam igitur tenerum, et laxa cervice legendum?
Torva Mimalloneis inplerunt cornua bombis:
Et raptum vitulo caput ablatura superbo
Bassaris, et lyncem Mænas flexura corymbis
Euion ingeminat: reparabilis adsonat Echo.

benda negligentiores fuisse. Ad rem supra omnem modum augendam pro veteribus poetis ponit Virgilium, artificem in versuum structura summum, cui tamen censuræ livor non pepercit. Ovid. Rem. A. 367 seq. Virgilium ipsum expressit per ea verba, quibus Æneadem ille auspicatus est. Hac ratione Virgilius designatur a pluribus. Ovid. Trist. II, 533 seq. Martial. VIII, 56. 19. Auson. Epigr. CXXXVII. Sidon. Apollin. carm. II, 4; eadem Homerus Analect. Brunck. T. II. p. 194. — *spumosum*. De sublimitate hic agi non potest, quamquam Virgilius ea laude inclaruit, (Juvenal. XI, 178 seq.), neque de tumore, quem illud verbum indicare videtur, sed de scabritie, ad quam exprimendam *spumosum* plane ineptum videtur. Si conjecturæ locus concederetur, sic legerem: *Arma virumque hoc non rugosum et cortice pingui? — Ut ramale vetus de grandi subere coctum*. Obcurrit *cortex rugosus* apud Ovid. Heroid. V, 28. Priori versu comparat ille ineptus suæ ætatis versus cum Virgilianis, quæritque, annon Virgilii versus horridiores sint et asperiores. Scabritiem, quam illis tribuit, similitudine exprimit ab arbore desumpta, cujus cortex rugosus est et pinguis i. e. crassus. Sequenti versu Noster isti inepto quasi adcinit eadem similitudine utens et ad augendam ironiæ vim singula exaggerans. Pro simplici *cortice rugoso et pingui* adsumit *ramale vetus de grandi subere*. Suber, φελλὸς, *korkbaum*, *pantoffelbaum*, describitur a Plin. XVI. sect. 13. et a Theophr. H. Pl. III, 16. ubi v. notas J. Budæi a Stapel. Illa arbor habet præter interiorem et tenuiorem etiam exteriorem et crassiorem corticem, qui exterior certis temporibus detrahendus est. Quod ni fit, sponte dehiscit exterior cortex jam per se scabra rimosaque superficie, et in fragmenta se separat, unde superficies arboris horridior etiam et rugosior fiat necesse est. Posuit igitur Noster ramum vetustum grandis suberis, cortice statis temporibus demendo non culti, sed vetustate jam emortui, solisque ardoribus siccati, hoc enim *coctum* significat, (cf. Virgil. Æn. XI, 554.) atque hac similitudine illam ridet, qua ineptus iste Aristarchus usus erat, simulque totum ejus de versibus Virgilianis judicium. Meisterus l. c. varios interpretum super h. l. conatus conlegit, in ordinem digessit, singulos examinavit et rejecit. Ipse aliam interpretandi viam ingressus est, quam multo acumine doctrinæque elegantia sibi muniverat. Argumentis omnibus, quibus ille doctissimus sententiam suam confirmare studuit, omissis, sensum tantum, quem arbitratur his duobus versibus contineri, adferam: Persius priori versu quærit: nonne tales versiculi v. 93. 94. 95. leviter, spumæ et corticis instar, fluunt? ut id magis lepidum reddatur, jurat per Virgilii carmen. Sequenti versu ipse sibi respondet: recte, leves sunt versus, *ut ramale vetus* cet.

98. Jam postulat Noster, ut risum effusiorem lectoribus moveat, exemplum istiusmodi versuum, qui inepto adversario probentur. *Quidnam igitur tenerum* respicit hoc juncturam eaque omnia, quibus versus teneri et molles redduntur. *laxa cervice*. Hoc intelligo de recitante, qui capitis nutatione et motu conciunnitatem et numerum versuum prosequitur, id quod inprobat Cicero in Orat. 18. et Senec. Epist. 114.

99—102. *inplerunt*. Nominativus omissus est. *Mimalloneis bombis*. μιμάλλονες, βάκχαι, βομβεύμοι. Hesych. Schol. Lycophr. 1236. et 1464. Stat. Thebaid. IV, 659 seqq. ubi v. Barth. De istis mulieribus, Bacchi currum præcedentibus, parum notum est. *Bombus* proprie sonus, quem apes edere dicuntur examen novum emissuræ; deinde sonus cornuum. Catull. LXIII, 264. *inplere cornua bombis* pro: inflare cornua. v. 101. *Bassaris* i. q. baccha a *Bassareus* cognom. Bacchi. *Mænas*, a μαίνεσθαι *lyncem*, curru Bacchi junctum. *corymbis*, hederæ racemulis fructu croceo seu baccis ornatis, habenarum loco. v. 102. *Euion*, εὐιον,

Hæc fierent, si testiculi vena ulla paterni
Viveret in nobis? summa delumbe saliva
Hoc natat in labris, et in udo est *Mænas* et *Attin*.
Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues.

cogn. Bacchi. Euripid. Bacch. 141. ibi Intpp. *reparabilis* h. l. active, pro: sonos iterans. cf. Intpp. Calpurn. ecl. V, 20. Non quærendum solum, quid in his versibus omnino reprehendendum sit, sed quid Persius reprehensione dignum censuerit. Quidam existimant, versus molles factos esse in primis eo, quod primus et tertius, secundus et quartus versus in syllabas ejusdem soni desinant, et quod in primo, secundo et tertio versu eo loco, ubi cum verbo etiam pes terminatur, syllaba inveniatur ejusdem sonus cum postrema versus syllaba. Verum in hoc umquam mollitiem aut elegantiam posuisse veteres, aliunde non constat, potestque fieri, ut id, quod semper vitiosum habitum est, casu aliquo in illos versus inrepserit, ut in optimis et Græcorum et Romanorum carminibus haud raro deprehendimus, atque longe aliud sit, propter quod Noster illos versus excitaverit. Fusius de structura horum versuum egit Jacobus Bononiensis Thesaur. critic. T. I. p. 667. ed. Grut. Ceterum plura debent esse in his versibus, sive Neronis sint, ut vetus interpres vult, cujus auctoritas tamen nullo modo ex Dion. Cass. p. 999. ed. Reim. confirmari potest, sive alius, quisquis ille fuerit, quæ Persio censuram mereri visa sunt. Certe tumorem unusquisque in illis adnoscet.

103. *Hæc fierent* i. e. hujusmodi versus scriberentur. Verba Persii cum gravitate tandem poetarum vanitatem reprehendentis. *testiculi paterni*, pro: *sanguinis paterni*. Sensus: si adhuc ulla in re, in sentiendo et agendo, patrum mores exprimere vellemus. *viveret* exquisite pro: ita nobis inesset, ut ad sensus nostros et actiones pertineret.

104. 105. *summa delumbe* cet. Quæ sequuntur Casaubonus ita interpretatus est: *Delumbe hoc*, i. e. delicatuli hujus (Neronis) poesis; *natat summa saliva in labris*, i. e. nullum habet solidæ eruditionis fundamentum, sed in extremis labris, ex superficiaria doctrina quadam nascitur temere et sine arte. Laudat tum Quintil. X, 3. ubi ex verbis: *verba in labris nascentia* interpretandi rationem sumsisse videtur. Porro, *in udo est*, Casaubonus explicat: languida et mollia sunt carmina, ut coria et multa alia aquæ inmersa et madefacta, robur suum et τόνον priorem amittunt. Quæ interpretatio, nisi auctoritate doctissimi illius viri sustentaretur, nemini, ut arbitror, satis facere potuisset. Jam meam qualemcumque opinionem proponam. *delumbe* est enervatum, cui mascula vis deest, molle, insipidum, et quidem *summa saliva*, quod auget vim *insipidi*: nam quum aliquid gustu explorare volumus, saliva super linguam multa sponte conligitur, qua dissolvitur id, quod, quomodo sapiat, scire volumus. V, 105. videtur ex interpretamento τοῦ *summa saliva* natus esse. Hoc forsan, nescio quis, explicare voluit per: *natat in labris*, idque porro per: *jejunum est*, unde, *in udo est*, postea ortum, quibus postremo ab alio quodam ad versum explendum satis inscite *Mænas et Attin* additum est. Olim levi mutatione locum sic legi: *Summa delumbe saliva Hoc natat in labris jejuno; et Mænas et Attin Nec pluteum cædit, nec demorsos sapit ungues;* hoc sensu: hoc adeo insipidum est et nauseam movet, ut vel esurienti intra labra hæreat, atque in saliva, quam nausea multam conligere solet, quasi natare videatur.

106. *Nec pluteum cædit*, cf. Horat. Sat. II, 3. 7 seq. Habuere antiqui ad parietes et grabbatorum pluteos, ceratas tabulas, in quas continuo, atque animo subjicerentur, repentinas referrent commentationes, ne e memoria elaberentur. *Pluteus* erat tabula erecta ad unum latus lecti cubicularis, nam ad alterum sponda nuda erat. Gonsal. comm. ad Petron. 115. Martial. III, 91. *Cædere* proprie dici potest de poetis, quorum meditatio parum procedit, et qui eam ob causam omnem suam indignationem in pluteum effundunt; h. l. translatum ad poema, in quo elaborando parum sudatum est. *demorsos ungues*. Unguium conrosio solliciti animi et quem sui ipsius pœnitet, signum est. Horat. Epod. V, 47 seq. cf. infra Sat. V, 162 seq. Sensus: nec sapit multum laborem et studium. Quintil. X, 3. Nostrum laudat. cf. Horat.

" Sed quid opus teneras mordaci radere vero
Auriculas? vide sis, ne majorum tibi forte
Limina frigescant: sonat hic de nare canina
Litera." Per me equidem sint omnia protinus alba,
Nil moror. euge, omnes, omnes bene miræ eritis res.

Sat. I, 10, 70 seq. quem locum Noster imitatus est.

107—134. Equidem semper statui atque etiam nunc me in eadem opinione esse confiteor, primam hanc Persii satiram ex duabus diversi argumenti satiris casu quodam esse conflatam, in quarum una necessitatem satiras scribendi exposuerit, in altera scribendi et recitandi libidinem pravumque hominum de carminum virtutibus judicium acriter perstrinxerit, neque pauca ex utraque intercidisse. Ad priorem mihi pertinuisse videntur v. 1—12, et 107. usque ad finem, ad posteriorem reliqui. Atque in iis versibus, quos ad alteram satiram pertinuisse diximus, non uno in loco videmus transitus adeo duros et abruptos, rerumque expositionem adeo mancam ac debilem, ut Persii manibus injuriam facere pæne videamur, si illa sic, ut nunc circumferuntur, ab eo profecta esse arbitramur, præsertim quum ex secunda, quinta et sexta satira perspicuum sit, eum non solere singula tam leviter adtingere, eaque tantum rerum lineamenta ducere, ex quibus, quales sint, nemini innotescere possit, sed potius iis interdum justo diutius inhærere, nec minutissimas quidem partes negligere, ut omnes facere solent, qui ubertate ingenii destituuntur. Hæc sane sunt, quæ suspicionem hiatuum præbeant necesse est, qui hiatus postea, interdum non satis feliciter, consuti rugas passim et plicas reliquerunt, quibus nunc quidem obfendimur. Ceterum nexus eorum, quæ nunc sequuntur, cum anteced. tolerabili ratione sic potest cogitari: Adversarius quum videat, disputando nihil profici, periculi mentionem facit, quod Persio inmineat, nisi satiras scribendi consilium deponat. Pergit itaque: sint ista vel maxime, ut tu dicis, tamen solus contra ibis, et mordacitate tua nobilium turbam iuritabis?

107. *radere*, pro: obfendere. Quintil. Instit. III, 1. *quorum* (sc. quæ discenda sunt) *ne jejuna atque arida traditio averteret animos, et aures præsertim tam delicatas raderet, verebamur. Mordax* de eo dicitur, quod animum vehementer pungit; *verum mordax* est molestum, injucundum. Indoles et natura satiræ Persianæ hoc potest indicari.

108. *Auriculas teneras*. Diminutivi usus h. l. valde adcommodatus est; sic etiam Horat. Sat. II, 5, 32. *teneras* i. e. velificationibus adsuetas, nudique veri inpatientes. *majorum*, procerum, principum.

109. *Limina frigescant*. Horat. Sat. II, 1. 60 seqq. *Liminibus* apud poetas epitheta tribuuntur ab hominibus plerumque ducta, qui domum inhabitant. Ovid. Met. XIV, 703 seq. Amor. I, 6, 67 seq. Propert. I, 16. 17; II, 16. 23. Sed h. l. *frigescant* proprie ad limen spectat. Frigere enim dicuntur res, quæ non tractantur, ut de *studiis* notum est. Limina igitur, quæ adire prohibemur, *frigere nobis* dici possunt. De clientibus aut hominibus omnino, quos fortuna non admodum in deliciis habet, hic locus intelligendus est, qui diluculo jam ad patronos salutandos, ut sportulam adcipiant, aut ad cœnam invitentur, properant, in quorum numero Persii et Juvenalis tempore vel tribuni et prætores erant. Juvenal. I, 101; V, 77 seq. Quis poterat ibi ferre veri amantem et propterea odiosum et molestum? Atque hoc quoque satiricæ rationi adcommodatum est, quod rei per se levissimæ periculo Persium territare studet adversarius, quæ res tamen maxima vulgo habebatur. *sonat hic de nare canina*, pro: naris canina ibi exprimit.

110. *Litera*, videlicet R, quam literam canis hirriens exprimit. Sensus: hic, in liminibus jacet canis hirriens, qui te a foribus divitum, quando eos salutatum is, abiget, invisum propter satiras. Canes catenarii in vestibulo ædium alebantur, ut latratu fures aut indicarent aut abigerent. Ut autem, si quis introiret, illum caveret, parieti inscriptum aut insculptum erat: *Cave canem*. Ovid. Trist. II, 459 seq. Petron. 27. et 77. *Per me equidem* cet. Similat Noster inridens, se ejus, quocum res sibi esse fingit, monitu a scribenda satira esse deterritum. *protinus* non h. l. statim, sed nostrum: *fortan, für die zukunft*. *alba*, præclara. v. Ruperti ad Sil. Ital. XV, 53.

111. *Nil moror* sc. ea omnia esse *al-*

Hoc juvat? Heic, inquis, veto quisquam faxit oletum.
Pinge duos angues: pueri, sacer est locus: extra
Meiite. discedo. Secuit Lucilius Urbem,
Te Lupe, te Muci, et genuinum fregit in illis.
Omne vafer vitium ridenti Flaccus amico
Tangit, et admissus circum præcordia ludit,
Callidus excusso populum suspendere naso.
Men' mutire nefas, nec clam, nec cum scrobe? "Nusquam."

ba; itaque h. l. pro: non repugno. *bene miræ*, per ironiam.

112. *Hoc juvat?* Horat. Sat. I, 1. 78. Ceterum *juvat* pro: delectat. Sensus: jamne tibi placeo? Haud scio an melius sit signum interrogandi delere. *oletum*, locus, ubi alvus exoneratur.

113. *Pinge duos angues*, ad indicandum scilicet, locum sacrum esse, ne quis eum vel mingendo vel alvum exonerando profanet. Ceterum cur *duos angues?* De hoc signo nihil mihi aliunde innotuit, alienumque videtur, quod Casaubonus ex Aristoph. Pluto 733. in partes vocat. Aptiora forsan sunt, quæ Heynius notavit ad Virgil. Æn. V, 84. Servius ad hunc locum: *Nullus enim sine genio locus est, qui per anguem plerumque ostenditur.* Sed idem Servius Persium, quem excitat, solum ante oculos habuisse videtur. *sacer est locus.* cf. Calpurn. Sicul. eclog. II, 55.

114. *Meiite. Meiere* extremum sæpe contumeliæ signum, qua locus aliquis adfici poterat. Juvenal. I, 131. Hoc ne quis faceret in tumulis, cippi titulus deprecabatur, adjecta sæpe inprecatione mala. Anthol. Lat. Burm. T. II. p. 145. Animadvertendum sane est, quam acerrimo sale et summa acrimonia simplex sensus: a censura morum pravorum, ut a re sacra, abstinebo, expressus sit. *discedo.* Quasi similat se abire. *Secuit* cet. Statim revertens, consilio quasi mutato, Noster rursus incipit: Sed si idem aliis licuerit, cur mihi minus liceat? *Secare* a flagellis hoc ad satiram Lucilii translatum est propter vim et vehementiam, quæ in ea regnat. Cf. Horat. Epod. V, 4. 11. Sat. I, 10. 14 seq. Juvenal. I, 165 seq.

115. *Te Lupe, te Muti. Lupus* et *Mutius* propter vitæ turpitudinem infames Romanorum proceres, in quos flagello Lucilius sæpe insonuit. *genuinum fregit*, fortius quam *dentem inlidere*, quod habet Horat. Sat. II, 1. 77; firmissimum dentem fregit, i. e. omni mordacitate et acerbitate in istos usus est.

116. *vafer*, callidus, sollers; artem Horatii id designat, qua jocando et quasi non data opera in satiris suis pungit. *ridenti amico.* Particip. pro subst. positum; adject. pro subst. habet Virgil. Georg. III, 124. *ridenti amico* pro: risu venusto, jucundo. Hominum stultitiam risui exponit Horatius cum urbanitate semper jocando; hoc bene Persius expressit per: *ridenti amico tangit vitium.*

117. Illud *tangit* quoque cum delectu, levissimamque rationem exprimit, qua vitia carpi possunt. *admissus*, tamquam ἀοιδὸς, qui coram canat; simpliciter pro: lectus. Casaubonus jungit: *admissus circum præcordia*, secundum Græcam dicendi rationem ἐ, φρεσὶ καταίθεσθαι. Minus bene, ut puto. *Circum præcordia ludere*, idem est, quod risum movere, quo diaphragma præcipue concutitur, jucundo carminum genere.

118. *Callidus excusso populum suspendere naso. Callidus suspendere* Græce. *Suspendere aliquem* nonnumquam est, confundere aliquem, facere, ut aliquis nesciat, quid faciat, quidve dicat. Hoc maxime fieri solet, quum aliquis facete dicto ab altero pungitur, aliisque risum præbet, aut quum fastidiose ab aliquo excipitur, seseque contemptum et despectum sentit. Illud hic locum habet, quum adjiciatur *excusso naso* i. e. risu, quo nasus excutitur; hoc apud Horat. Sat. I, 6. 5. quum additum sit *adunco naso*, quod sannam designat et contemptum. Quintil. Instit. XI, 3. *Naribus labrisque non ferc quidquam decenter ostendimus, tamctsi derisus, contemptus, fastidium significari solet.* Tolerabilior saltem est hæc explicatio, quam quæ in lexicis vulgaribus exhibetur, etiamsi viris doctis forsan non sit satis factura.

119. *Men' mutire nefas? Mutire* cum delectu, ita loqui, ut nemo possit intelli-

Heic tamen infodiam. vidi, vidi ipse, libelle,
Auriculas asini Mida rex habet. hoc ego opertum,
Hoc ridere meum, tam nil, nulla tibi vendo
Iliade. Audaci quicumque adflate Cratino,
Iratum Eupolidem prægrandi cum sene palles,
Adspice et hæc, si forte aliquid decoctius audis.
Inde vaporata lector mihi ferveat aure:

gere, quum id aperte facere prohibearis. *cum scrobe* pertinet ad fabulam de Midæ tonsore, (Ovid. Met. XI, 90 seqq.) ut sequens

120. *Heic tamen infodiam* i. e. literis tamen mandabo, quod aperte dicere mihi non licet. *vidi, vidi.* geminatio verbi pertinet ad cupiditatem rei evulgandæ, quam ægre animo contineas.

121. *Auriculas asini Mida rex habet.* Male hoc ad Neronem trahitur. Manet Persius in similitudine, qua remota dicere voluit: omnia ea quæ aperte dicere mihi non licet; pro hoc id posuit, quod Midæ tonsor dicere prohibitus fuerat. Si fabula vera est, quam auctor vitæ Persii narrat, potuit omnino Cornutus hunc versum mutare (satis inepte ita: *Auriculas asini quis non habet*), non quia hoc versu Nero tangeretur, sed quia in se dictum hunc versum Nero suspicari potuisset. Verum hæc mera grammaticorum commenta esse arbitror. *hoc ego opertum* i. e. meum libellum, in quo illa descripsi.

122. *Hoc ridere meum.* Designatur per hoc natura et indoles libelli, pro: in quo stultorum mores risi. Non satis adcurate de genere satiræ, quo usus est. *tam nil,* vel ex vulgi opinione, (cf. v. 2.) vel nemini nocens risus, quem animi causa exercui nulla lædendi cupiditate.

123. *Iliade* sc. Acci aut alius cujusquam inepti poetæ, quæ in pretio habebatur. Sensus: Meas nugas pluris existimo, quam insulsa opera poetarum nostræ ætatis.

123—134. Jam, quos lectores sibi optet, indicat. Omnes veri amantes ad lectionem invitat, omnes contra, quibus bonæ artes contemptui sunt, omnes procaces et superbos remotos esse vult.

123. *Audaci quicumque adflate Cratino.* Tu quisquis sis, qui *adflatus* es, i. e. in quem ingenium Cratini quasi transiit, ut mores pravos hominumque stultitiam carpendi studio ducaris, quod in vetere Græcorum comœdia præcipue regnabat. *audaci.* audax enim erat in castigandis hominibus.

124. *Iratum Eupolidem.* Epitheton *iratus* non videtur pertinere ad indolem Eupolidis, neque ad scribendi genus, quo usus est; etenim remissius Cratino et Aristophane fuisse dicitur. Verum hæc non sunt ad vivum resecanda, præsertim quum sint, qui de Eupolide aliter statuant. *prægrandi cum sene.* Omnes interpretes Aristophanem intelligunt, et sane etiam ab Horatio (Sat. I, 4. princ.) et a Quintiliano (X, 1.) cum illis duumviris copulatur. Sed cur Persius eum *prægrandem senem* vocat? Hoc neque ad tempus, quo vixit Aristophanes, potest pertinere, (adjungitur enim vetustioribus ipso scriptoribus) neque ad ætatem ejus; etenim ætate minorem eum, quam Cratinum, obiisse probabile est, quia a Luciano (Macrob. T. III, p. 227. ed. Reiz.) in longævis non recensetur, qui Cratini mentionem facit. Neque ea ratio, quam Casaubonus proponit, locum potest habere; dicit eum ob monendi et increpandi partes hoc nomen obtinuisse; quum lepidum, ingeniosum, dicacem eum potius dixeris, quam, quod senectutis proprium est, morosum et severum in dicendo. Forsan *prægrandis* dignitatem spectat Aristophanis, et *senex* vocatur propter tempus, quo vixit, remotum a Persii ætate. *palles,* studiose legis. Juvenal. VII, 97. Sæpe *pallor* pro studio acri ponitur.

125. *hæc* sc. quæ ego scripsi. *Decoquere* est minuere, detrahere, inde limare, castigare. *decoctius* igitur pro: diligentius elaboratum.

126. *Inde.* Casaubonus explicat: ex eorum numero, qui aures purgatas habent veteris Græcorum comœdiæ lectione. Melius, ut mihi quidem videtur, *inde* cum *vaporata aure* conjunxeris. Lector mihi *ferveat* i. e. vel frequens mihi contingat, vel adsidue et studiose me legat (prius magis placet) *aure inde vaporata* i. e. aure adcensa vel adcensus veteris comœdiæ

Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit
Sordidus, et lusco qui poscit dicere, lusce,
Sese aliquem credens, Italo quod honore supinus
Fregerit heminas Areti ædilis iniquas :
Nec qui abaco numeros et secto in pulvere metas
Scit risisse vafer, multum gaudere paratus,
Si Cynico barbam petulans nonaria vellat.
His mane edictum, post prandia Callirhoen do.

scriptoribus eorumque carpendi vitia studio.

127. *Non hic, qui in crepidas Graiorum ludere gestit.* Eos lectores nolo, qui nomine Romano superbientes omne Græcorum nomen, eorum cultum, elegantiam artesque contemnunt petulanterque se gerunt. *Crepidæ* soleæ crassiores, quibus Græci pedum plantas muniebant. Suet. Tib. 13. Balduin. de calc. 14. Erant Romæ, qui luxu omnis generis diffluerent adeo, ut, priscis moribus in cultu ac victu plane desertis, externos induerent; erant contra, qui priscam gravitatem et severitatem in externo corporis cultu præ se ferrent, omniaque, quæ a peregrinis Romam advecta erant, contemnerent. Illi Græcos doctores, quibus disciplinam et institutionem liberorum committerent, domi habebant, magnique faciebant, his omnes Græci adeo ludibrio et contemptui erant, ut ubique illis inluderent. cf. Lucian. de mercede conduct. T. I. ed. Reiz.

128. *Sordidus* ad nimiam cultus negligentiam spectat. *et lusco qui possit dicere, lusce.* Hoc exemplo expressit Noster petulantiam et superbiam istorum hominum ; ut

129. fastum et adrogantiam inanem. *Sese aliquem credens.* In *aliquem* latet emphasis. Quantivis pretii virum se existimans. *Italo honore.* Universa Italia jus civitatis quidem diu desideratum armisque petitum sensim paullatimque obtinuerat, verum municipiorum et coloniarum differentia, jus porro Latii atque Italicum remansit. Posuit Noster quemdam non jure Quiritium, sed Italico, magistratu non Romæ gesto, sed *Areti* Hetruriæ oppido, inflatum ; stultitia enim, quæ cum omni fastu conjuncta est, rei, qua quis superbit, inanitate et exiguitate augetur. *supinus ὑψαύχην*, animi vitium corporis habitu declarat.

130. *Hemina* est dimidia pars sextarii. *iniquas*, justo minores. Juvenal. X, 99 seq. *Ædilibus* etiam in municipiis cura urbis erat mandata, ideoque et rerum venalium.

131. *Abacus* erat tabella, pulvere seu arena sparsa, in qua radio numeri scribebantur. Per *numeros* in *abaco* arithmetica, et per *metas in pulvere secto* geometria intelligitur : nam figuras mathematicas in pulvere tunc depingi radio solere notum est. Inde vocat Cicero (Tusc. Qu. V, 23.) Archimedem : *homunculum a pulvere et radio.* Duæ autem hæ disciplinæ pro omnibus artibus liberalibus positæ sunt.

132. *Scit risisse,* pro : solet seu potest ridere. *vafer* i. e. facetum et lepidum se putans. *multum gaudere paratus* pro : nulla uberiori voluptate adfici, nullo jucundiore spectaculo frui potest, quam quum videt cet.

133. *petulans nonaria,* prostibulum, a hora nona, qua patebat aditus ad lupanaria. *barbam vellat,* spectat ad horum philosophorum *ἀπάθειαν*, qua omnes contumelias et injurias sibi inlatas æquo animo perferebant. Horat. Sat. I, 3, 133 seqq. Senec. de ira III, 38.

134. *edictum* i. e. fori negotia. *Callirhoen* nomen scorti pro : scorto quocumque. Sensus : hi mane fori negotia curent, post prandium cum scortis rem habeant. Ceterum quomodo Romani tunc temporis diem consumerent, disces ex Juvenal. I, 127 seqq. Martial. IV, 8.

SATIRA II.

AD PLOTIUM MACRINUM
DE BONA MENTE.

ARGUMENTUM.

Hæc satira est epistola gratulatoria ad Macrinum die ejus natali missa, in cujus principio amicum suum nil nisi recta a Diis petere dicit, ideoque ei magno sacrificiorum adparatu non opus esse. 4. Hinc occasionem petit ad reliquorum hominum stultitiam severe notandam, quorum vota plerumque ejusmodi sint, ut clara voce ea nuncupare erubescant. 16. Operæ pretium esse scire, quid tandem de Jove sentiant. Etenim si in Jovis locum nequissimum quemque mortalium substituissent, eique vota sua commisissent, non posse fieri, quin is plenus indignationis Jovem ipse inclamaret. 25. Verum Deos propterea ab hominibus contemni, quod vindictam illorum non continuo experirentur, sacrificiisque propitios reddi posse, existimari. 30. Jam quasdam species hujus stultitiæ profert, inepta vota aviæ aut materteræ. 40. Ostendit deinde, ea sæpe Deos rogari, quæ, quo minus consequi possint homines, eos ipsos in culpa esse. 44. Hoc inlustratur exemplo ejus, qui multarum pecudum sacrificiis, Mercurio oblatis, greges suos augere velit, eoque ipso autem eos minuat. 51. Pergit porro: ex suis ipsorum ingeniis homines Deos metiri, pretiosasque res, quoniam sibi gratæ et adceptæ sint, etiam Diis placere, arbitrari. 68. Homines quidem in parandis sibi divitiis peccare, tamen utilitatem quamdam ex suo errore capere; aurum vero in templis ne minimum quidem usum habere. 70. Conligit tandem, gratissimum munus, quod Diis obferre possimus, animum esse ad omnem virtutem probitatemque compositum, quo Superis oblato faustissima quævis ab illis nos esse inpetraturos.

Hunc, Macrine, diem numera meliore lapillo,
Qui tibi labentes adponit candidus annos.

In Sat. II.

1. *Macrine.* Quis fuerit *Macrinus*, ignoramus; scholiastes *Plotium Macrinum* vocat, eruditum hominem et paterno adfectu Persium diligentem. *Hunc diem numera meliore lapillo.* Sensus: dies natalis tibi sit faustus. Hoc expressit ea ratione, qua dies faustus quisque et ater apud quosdam barbaros notabatur, conjectis nimirum in arcam lapillis et candidis et nigris. Plin. Epist. VI, 11. Plin. H. N. VII, Cap. 40. Catull. LXVIII, 148. Martial. IX, 53. 4 seq. Felices dies etiam creta apud Romanos signabantur. Horat. Od. I, 36. 10. *meliore*, albo.

2. Nihil amplius est, quam diei natalis descriptio, *candidus* pertinet ad diei felicitatem. Ovid. Trist. V, 5. 13 seq. *tibi*, pro: vitæ tuæ parti, quam vixisti. Quoque enim die natali annorum nostræ ætatis numerus unitate augetur. *labentes* epithet. orn. de tempore fugiente, fugam con-

Funde merum Genio. non tu prece poscis emaci,
Quæ nisi seductis nequeas committere divis.
At bona pars procerum tacita libavit acerra.
Haud cuivis promptum est, murmurque humilesque susurros
Tollere de templis, et aperto vivere voto.
Mens bona, fama, fides, hæc clare, et ut audiat hospes:
Illa sibi introrsum et sub lingua inmurmurat: O si

tinuam declarans ac celerem, ut aqua in rivo leniter fluente. Horat. Od. II, 14. 2. Ovid. Met. XV, 174 seqq.

3. *Funde merum genio.* Genii religio in celebranda die natali præcipua erat. Tibull. I, 7. 49 seqq. ibique not. et obss. Heynii, et Jani ad Horat. Od. III, 17. 14 seq. Eadem die vota nuncupabantur pro incolumitate et felicitate reliquæ vitæ. Prop. III, 8. 12. *non tu prece poscis emaci.* Hoc loco occasionem adripit, de votorum inprobitate et sacrificiorum superstitione suæ ætatis conquerendi. *poscis* i. e. ita petis, quasi tibi pro meritis aliquid jure debeatur. *prece emaci* i. e. prece, cui sacrificia sumptuosa adjuncta sunt, quibus Deorum benevolentiam et liberalitatem quasi *emere* studebant, eosque obligatione obstringere, ut se omnis generis felicitate adficerent. cf. infra v. 30.

4. *Quæ nisi seductis nequeas committere divis.* Homines, quando cum iis aliquid communicare volumus, quod palam fieri nolumus, *seducimus*, seu ducimus in locum secretum, a turba remotum. v. Heyn. ad Tibull. II, 1. 84. Hoc bene translatum est ad Deos, quibus vota secreta fiunt, cumque delectu positum est *committere*. De precibus præclare Juvenal. X, 346 seqq. et Senec. Epist. 10. ex Athenodoro: *Tunc scito, te esse omnibus cupiditatibus solutum, quum eo perveneris, ut nihil Deum roges, nisi quod rogare possis palam. Nunc enim quanta dementia est hominum? turpissima vota Diis insusurrant; si quis admoverit aurem, conticescent, et quod scire hominem nolunt, Deo narrant.*

5—7. Non quilibet justa et pia Deos rogat, non quilibet id potest facere.

5. *bona*, ut nostrates pro: magna. Horat. Sat. I, 1. 61. *tacita libavit acerra. libavit*, ἀορίστως, pro: sumit thus ex *acerra*, arcula thuraria quadrata, ac de ære plerumque eleganter facta, unde thus promebatur, et in ignem injiciebatur, itaque pro: sacrificat, precatur. De *acerra* v. Jani ad Horat. Od. III, 8. 2 seq. Ovid. ex Ponto VI, 8. 39 seq. *Nec quæ de parva Dis pauper libat acerra, Thura minus, grandi quam data lance, valent. tacita* pro: tacite, votis submissa voce nuncupatis, ne iniquitas eorum et fœditas aliis hominibus innotescat.

6. *promptum*, expeditum, facile. *humilesque susurros* i. e. pressos susurros. *Humilis vox* eadem ratione sed sensu contrario dici potest, qua *alta vox* dicitur.

7. *Tollere de templis* i. e. non adhibere amplius in templis vota facientes. Juvenal. VI, 538. *et aperto vivere voto* pro: vota aperta facere, aut potius, ita vivere, tam pura mente esse, ut non sit, quod timeat, ne alii vota sua audiant. Senec. Epist. 43. *Rem dicam, ex qua mores æstimes nostros, vix quemquam invenies, qui possit aperto ostio vivere. Janitores conscientia nostra, non superbia obposuit.* Nam non cujusvis est, ita Deos precari, ut ab omnibus, qui circumstent, audiatur, quia nihil in votis insit, cujus eum pudere oporteat, sed boni tantum hominis est et honesti. Martial. I, 40. 5 seq. Exemplum tacitarum precum exstat in Sophocl. Electr. 638 seqq.

8. *Mens bona* i. q. mens sana. Juvenal. X, 356 seq. Petron. 3. *fama.* i. e. ut homines bene de ipso existiment. *fides*, ut fidem ipsi habeant. Erat sane tunc temporis, cur *fides* a Diis peteretur. v. Juvenal. III, 143 seq. *hospes*, quicumque sacrificanti seu precanti adest.

9. *Illa sibi introrsum inmurmurat.* De toto h. l. cf. Juvenal. X, 23 seqq. *sibi* respicit prius: *ut audiat hospes*, eique contrarium est. Dicere vult Noster: hæc ita murmurat, ut ipse solus intelligat, illa ita exclamat, ut omnes audiant. *introrsum*, nam *sibi* id facit. In vulgari sermone etiam nostrates dicunt: *in sich hinein.* Hoc *introrsum* videtur explicari per illud, quod sequitur: *et sub lingua*, i. e. ita, ut illud murmur sub lingua maneat, nec foras exeat aliisque prodatur. cf.

Ebullit patruus, præclarum funus! et, O si
Sub rastro crepet argenti mihi seria, dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus heres
Inpello, expungam! namque est scabiosus, et acri
Bile tumet. Nerio jam tertia ducitur uxor!
Hæc sancte ut poscas, Tiberino in gurgite mergis

Virg. Æn. X, 464 seq. Eadem ratione videtur Noster *inmurmurat* pro: murmurat, posuisse.

10. *Ebullit.* Antique *ebullim* pro: ebullierim, *ebullit* pro: ebullierit. *Ebullierit* sc. animam. *Ebullire animum* seu *spiritum* frequenter usurpatur pro: mori, (v. interpp. ad Petron. 42.) et tractum forsan a spuma, quæ animadvertitur in labris morientium, sed absolute, ut h. l. positum, me legere non memini. Mortem patrui exoptat, vel quod ea tutore moroso ac difficili liberetur, dissolutiusque luxuriæ indulgere possit, vel quod res familiaris a patruo relicta ad se venire debeat. Utrumque potest locum habere. Adjecto: *præclarum funus!* quasi bonum aliquod adprecantis animum similat. O si patruus moriatur, ut in pompa funebri magnificentissima meam erga illum pietatem declarare possim! Sciendum enim est, quo amplior esset res relicta, eo speciosiorem pompam funebrem ab herede duci solere; et hoc erat, quod stolidi senes omnibus votis cuperent, et in quo exspectando avaritiæ et sordium infamiam, dum viverent, facile sustinerent. Hoc respiciens iste nebulo illo adjecto bene precantis speciem mentitur.

11. *Sub rastro crepat argenti mihi seria.* i. e. in agro colendo occupatus, ipse tenuis et pauper, thesauro invento ditescam. Juvenal. l. c. *dextro Hercule.* Torrentius ad Horat. Sat. II, 6. 12 seq. ait, Herculem thesaurorum abditorum præsidem esse. Aliunde hæc res nota non est.

12. 13. 14. *pupillumve utinam — expungam. Expungere* proprie de iis dici, qui literas in tabulis ceratis delent, disputat Havercamp. ad Tertullian. apologet. 2. Scholiastes dicit, tractum hoc esse a militibus, qui expuncti dicerentur, quando missionem adcepissent. cf. Plaut. Curcul. IV, 4. 24. h. l. est pro: delere, e medio tollere. Votum hoc est tutoris legitimi, qui pupilli erat proximus agnatus, ad quem itaque, pupillo mortuo, hereditas pervenire debebat; hoc indicant verba: *quem proximus heres inpello.* In XII tabulis nempe legitur: *si pater familias intestato moritur, cui inpubes suus heres escit, agnatus proximus tutelam nancitor.* Hujus tutelæ ratio continebatur in spe subcessionis, ut, qui commodum haberet subcessionis, idem onus tutelæ susciperet. Major itaque fit voti inpietas, quum sit in pupillum conceptum, qui illius inpurissimi fidei et tutelæ erat commissus. Ad quod tamen votum faciendum tutor facile cupiditate et avaritia poterat perduci, præsertim quum nemo facilius, quam ipse, hujus voti posset compos fieri, modo ita id ficret, ut leges et judicia caverentur. Hanc igitur expungendi seu tollendi pupilli opportunitatem a Diis tutor iste precari videtur. Adcommodate h. l. *inpello* pro: sequor; studium enim simul submovendi antecedentem involvit. . *Namque est scabiosus.* Adjecta causa, tamquam ab animo benevolo votum hoc proficiscatur, corpore enim morbido utitur et vitam vivit insuavem, qua libenter ipse mortem commutabit. Omnem rem conruptam Juvenalis quoque *scabiosam* vocat. *Acri bile tumet,* δριμεῖαν χολὴν ἔνδον ἔχει. De omni morbo hoc est intelligendum, qui nimia bilis abundantia solet excitari. Plato in Timæo T. IX, p. 420. ed. Bipont. *tumet* abundantiam bilis ipsam indicat. Horat. Od. I, 13. 4 seq.

14. *Nerio jam tertia ducitur uxor.* Avarus iste non aperte vota sua exprimit, alterum beatum prædicaudo, qui tertiam jam uxorem efferendam curat, quartam igitur cum dote exspectare possit. Ceterum avaritiæ votum, per invidentiæ significationem expressum, utrumque vitium, ut solet esse, conjunctum egregie declarat. cf. Martial. X, 43.

15. 16. *Hæc* sc. tam nefanda, *sancte ut poscas,* ut vota sceleratissima Diis probentur tamquam pura mente facta; (quis non adnoscit gravitatem et vim, qua hæc enunciata sunt!) *Tiberino in gurgite* cet. cærimonias et ritus religiosissime observas. Reprehendit nimirum Noster eos, qui castimoniam, qua deberent ad Deos ad-

Mane caput bis terque, et noctem flumine purgas.
Heus age, responde: (minimum est, quod scire laboro:)
De Jove quid sentis? estne ut præponere cures
Hunc — "cuinam?" cuinam? vis Staio? an scilicet hæres,
Quis potior judex, puerisve quis aptior orbis?
Hoc igitur, quo tu Jovis aurem inpellere tentas,
Dic agedum Staio: proh Jupiter! O bone, clamet,

cedere, in corpore tantum sitam esse putarent, pietatem vero et integritatem mentis, ut votorum ipsorum natura satis abunde indicaret, turpiter negligerent. Cic. de legg. II, 10. Quomodo preces et vota hominum a Jove exaudiantur, lepide commentus est Lucianus Icaromenipp. T. II, p. 781 seq. ed. Reiz. ubi multa quoque vota inpie et stulte facta proferuntur. *Tiberino in gurgite mergis Mane caput bis terque. Gurgite* pro: flumine. cf. Juvenal. VI, 523. Priusquam ad Deos adcederent, aut sacra Diis facerent, corpus, aut manus tantum, vel aqua marina vel fluviali abluere mos erat ab ultima jam antiquitate, ut ex Homero constat, observatus; quo admonerentur homines, ut corpus omni squalore, sic etiam animum a vitiorum contagio purum esse debere. Ovid. Fast. IV, 313 seqq. Virgil. Æn. II, 819. *terque.* Numerus ternus in his rebus usitatissimus. Tibull. I, 11. 34. Virgil. Æn. VI, 229. Petron. 131.

16. *et noctem flumine purgas. Noctem* posuit pro iis omnibus, quæ noctu adcidere hominemque commaculare posse credebantur. Aristoph. Ran. 1376 seq. Plut. 656 seq. Cic. pro Cœlio 14. Ovid. Amor. III, 7. 43 seq. Virgil. Æn. VIII, 69 seq. Tibull. II, 1. 9 seqq. Petron. 104.

17—23. His, quæ sequuntur, poeta docet, inpia hominum vota Diis adeo ingrata esse debere, ut iis auditis Jupiter, vel inpurissimo quoque mortalium judice, indignationem vehementissimam non sit cohibiturus. 17. *Heus.* Apostrophe est ad illum, quem paullo ante inpura et sordida vota Diis facientem Noster induxerat.

18. *estne* sc. Jupiter tibi tanti, ut meliorem eum existimes cet. hoc enim significant illa: *ut præponere cures.* Huc spectat superius: *minimum est, quod scire laboro* seu vehementer cupio, quia cuivis promptum erit respondere, Jovem omnibus mortalibus esse longe potiorem.

19. *Hunc*, Jovem. Adpellatus ille, ignarus, quo Persius tendat, scire cupit, quid sibi velit hæc interrogatio; continuo interpellat Persium ex eo quærens: *cuinam?* sc. proponam Jovem; et Noster, quasi circumspiciens et cogitabundus, quemnam dicat, repetit illud: *cuinam?* sed statim, tamquam nolit amplius hæsitando adversarium morari, aliquem veluti de turba temere nominans, quærit: *vis Staio?* et quum paullulum ille admirans Persium in istum incidisse, in respondendo hæsit et urget illum Persius quærendo: *an scilicet hæres* sc. in judicando, pro: an adhuc incertus es?

20. *Quis potior judex, puerisque quis aptior orbis* sc. sit, utrum Jupiter an *Staius.* Acerrimum flagelli satirici ictum in *Staium* quendam intendit, homuncionem nobis ignotum, conruptelæ autem et inprobitatis infamia tunc forsan nobilissimum. Ex historia famosissima judicii Juniani (Cic. Cluent. 24. Brut. 68. Verr. II, 32.) mutuatum esse Persium *Staii* nomen indicare videtur scholiastes, cujus verba h. l. conrupta et mutilata sunt, et Casaubonus eum secutus est. Verum ille judex apud Ciceronem est C. *Stalenus*, aut *Staienus*, ut alii legunt, neque Persius solet longinqua petere et ea negligere, quæ ante pedes sunt. Ceterum ridet Noster hac interrogatione dubitationem adversarii, quum *Staius* omnium judicum conruptissimus et puerorum orborum pestis esset, ejusque infamia, quum ipse Jovi componatur, fit illustrior.

21. *quo tu Jovis aurem inpellere tentas* i. e. vota, quæ Jovi facere audes. *Inpellere* enim de ventis dicitur, deinde de sono, qui aures quasi ferit. Virgil. Æn. XII, 618 seq.

22. *proh Jupiter*, conf. Horat. Sat. I, 2. 17 seq. exclamatio a sensu indignationis acerrimo orta.

Jupiter! at sese non clamet Jupiter ipse?
Ignovisse putas, quia, quum tonat, ocius ilex
Sulfure discutitur sacro, quam tuque domusque? 25
An quia non fibris ovium Ergennaque jubente
Triste jaces lucis evitandumque bidental,
Idcirco stolidam præbet tibi vellere barbam
Jupiter? aut quidnam est, qua tu mercede deorum
Emeris auriculas? pulmone et lactibus unctis? 30

23. *at sese non clamet* cet. Nonne Jupiter ipse quoque indignatione commotus exclamabit, se ipse adpellans, quum alium adpellare nequeat, quumque, vel te judice, Staio sit potior?

24—29. Tune putas, Jovem tibi ignoscere, quum non statim ab eo puniaris? Hanc sententiam alii aliter extulerunt. Virgil. Æn. IV, 208 seq. Claudian. Epist. ad Hadrian, 38 seq. Senec. Hippol. 1128 seq. Juvenal. XIII, 100 seq. Lucan. III, 448 seq.

24. *ocius* h. l. pro: prius, sæpius.

25. *sulfure sacro* i. e. fulmine, metaphora ex observatione nata videtur. Senec. Quæst. nat. II, 53. *Quocunque decidit fulmen, ibi odorem sulfuris esse certum est.* Plin. H. N. XXXV, 15. Virgil. Æn. II, 698. Epitheton *sacrum* et fulmini et sulfuri aptum est; fulmen enim est telum Jovis proprium, et sulfuris frequens usus erat in expiationibus et lustrationibus cum apud Græcos tum apud Romanos.

26. 27. Verba sic ordina: *an quia non jaces* (in) *lucis triste et evitandum bidental fibris ovium et Ergenna jubente.* An quia non jaces percussus Jovis fulmine. Hoc expressit ex ritu antiquo, quo fulguriti, vel loca fulmine tacta, ex Hetruscorum more et instituto procurabantur. *Jaces* traxit Casaubonus ad Numæ legem, qua fulmine ictum in genua tolli vetabatur, v. Festum in voce *Occisum*. Nimis argute, ut opinor; omnino potest intelligi et dici de occiso. Virgil. Æn. I, 99. ibi v. Heyn. *bidental* locus proprie fulmine tactus, cæsisque bidentibus expiatus; h. l. ad ipsum hominem translatum. Salmas. ad Solin. p. 799 seq. *evitandum* pedibus enim calcare hujusmodi locum nefas habebatur, idcirco sepiebatur et claudebatur. Horat. in arte 471. *triste* vel ab omine, vel ab effectu; tristes enim facit viatores talis casus memoria et monimentum. *lucis.* fiunt nempe vota in templis, quæ plerumque inumbrabat lucus, in quo arbores, quia non cædebantur, erant altissimæ, ideoque fulminibus magis expositæ, inde lucorum fulmine tactorum frequens mentio apud veteres. Hoc periculosum quoque fuit in lucis versantibus et templa adeuntibus, tempestate subito oborta. *quia non jaces* (in) *lucis* significat ergo: quia non continuo votis factis, in ipso loco sacro, a Jove fulmine tangeris. *fibris ovium Ergennaque jubente.* Hujus rei procuratio non nisi certis ritibus et haruspiciis fieri poterat, adhibebaturque ad eam rem sacerdos fulgurum conditor, cui nomen erat Hetruscum *Ergenna;* qui inspectis ovium intestinis (*fibris*), quid factu opus esset, ostendebat. Huc referas *jubente.* cf. Juvenal. VI, 586 seq. et ibi Ruperti. Intpp. Lucan. I, 606 seqq. Kirchmann. de re fun. Rom. II, 3. Lucian. Jupit. confut. T. II. p. 638. edit. Reiz. *τὶ δήποτε τοὺς ἱεροσύλους καὶ ληστὰς ἀφέντες, καὶ τοσούτους ὑβριστὰς καὶ βιαίους, καὶ ἐπιόρκους δεῦν τινα πολλάκις κεραυνοῦτε, ἢ λίθον, ἢ νεὼς ἱστὸν, οὐδὲν ἀδικούσης; ἐνίοτε δὲ χρηστόν τινα καὶ ὅσιον ὁδοιπόρον; τὶ σιωπᾷς, ὦ Ζεῦ, ἢ οὐδὲ τοῦτό με δίμις εἰδέναι;* nec habet Jupiter, quod respondeat.

28. Idcirco putas, Jovem se tibi ludibrio præbere? *barbam vellere* pro: quocumque contumeliæ et vexationis genere. conf. Sat. I, 133. *stolidam*, hoc ad eum proprie pertinet, qui volens barbam vellendam præbet, aut cuicumque contumeliæ, *ἀσπάθισιαν* illam similans, sponte se obfert, neque eam propulsat. Horat. Sat. I, 3. 133.

29. 30. *aut quidnam est, qua tu mercede deorum Emeris auriculas. quidnam est, qua mercede* pro: quidnam est, quo tamquam mercede. *emeris auriculas deorum.* Facete; scilicet ut exaudiant preces tuas sacrificiis tamquam mercede conducti. *pulmone et lactibus unctis?* pro

Ecce avia, aut metuens divum matertera, cunis
Exemit puerum, frontemque atque uda labella
Infami digito et lustralibus ante salivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.
Tunc manibus quatit, et spem macram supplice voto
Nunc Licini in campos, nunc Crassi mittit in ædes.
Hunc optent generum rex et regina! puellæ

sacrificiis quibuscumque. *lactibus unctis*, pinguibus intestinis. Nonius in *Lac: Lactes dicuntur intestina.*

31—38. Aliud votorum genus Noster tangit, quæ superstitiosa anus pro infante puero die ejus lustrico suscipit. Omnia ita exponit, tamquam ante oculos gerantur.

31. *metuens divum*, superstitiosa.

32. *uda* epitheton aptum infantium labris.

33. *infami digito*, i. e. medio, cujus objectu veteres hominem infamem solebant notare. Petron. 131. Antbolog. Lat. Burm. T. II. p. 528. Juvenal. X, 52. ibi Ruperti. Spectat id, quod anus facit, ad incantationem, qua a morbis, quos veneficæ possent inmittere, puerum vindicare studet. Petron. l. c. *Salivam lustralem*, qua incantationes et fascina prohiberi credebantur, fronti et labellis inlinit, idque facit *infami digito*, quod rem ridiculam reddit. Forsan hoc a curatione oculorum ferventium profectum est, ad quos sanandos saliva mulieris jejunæ adprime, ut veteribus erat persuasum, utilis habebatur. Plin. H. N. XXVIII, sect. 22. Ceterum die lustrico, qui puellarum octavus, puerorum nonus erat, recens nati lustrabantur, votaque pro eorum salute nuncupabantur. Præcipua hujus superstitionis pars pertinebat ad vetulas cognatas, quæ natorum cunis exemptorum frontes et labella sputo pulvere misto signabant ad incantationes prohibendas. Quibus peractis ad vota ipsa pro puero suscipienda se convertebant.

34. *urentes oculos inhibere perita. Inhibere* h. l. est prohibere, facere ut non noceant. *urentes oculi* sunt oculi nocentes veneficarum. Virg. Georg. II, 196. Infantes non solum sed et pecudes fascinari posse oculis alicujus mulierculæ credebant veteres; Plinius quidem (H. N. VII, sect. 2.) narrat, Cicerone auctore omnes feminas oculis nocere, quæ duplices pupillas habeant. cf. Virgil. Eclog. III, 103. Ad fascinum ab infantibus prohibendum colebant quoque Deam *Cuninam* Lactant. I, 20. 36.

35. *Tunc manibus quatit*, i. e. sublimem adtollit manibus, eumque quasi Diis ostendit præsentibus, eorumque tutelæ commendat. Casaubonus laudat Homer. Il. ζ. (474 seqq.) *spem macram* i. e. puerum infantem, de quo nihil certi adhuc sperari possit.

36. *Nunc Licini in campos.* Casaubonus intelligit Licinium Stolonem, ut tunc res erant, locupletissimum (Liv. VII, 16; Gell. VII, 3.) qui sua ipsius lege, quam contra patriciorum opes pertulerat, ne quis plus quam quingenta jugera possideret, M. Popillio Lænate prætore damnatus est. Liv. VII, 16; Valer. Max. VIII, 6. 3. *Crassi in ædes.* Crassum illum a Parthis cum exercitu occisum ædium amplitudine et magnificentia mire fuisse delectatum ex Plutarcho notum. Sed exempla hæc fortasse antiquiora sunt, quam ut Noster ea respicere potuerit. Malim igitur eos sequi, qui, vetere interprete monente, Licinium Augusti libertum intelligunt, de quo Juvenal. I, 109. XIV, 306. Ejusdem farinæ mihi Crassus videtur esse. *mittit in campos* pro: precatur, ut possideat olim hæc aut hujusmodi latifundia; sic quoque adcipio Virg. Æn. XI, 47. *Mittit* non positum esse pro: defert, ut Füllebornius ex Sueton. Calig. 25. et Joseph. Antiq. XIX, 1. conligere voluit, satis indicat adjectum: *supplici voto*, et more receptum fuisse, ut recens nati in ædes amplissimas et spectatissimas ominis causa deferrentur, neque aliunde, neque ex locis in partes vocatis conligi potest.

37. *Hunc optent generum rex et regina. Rex et regina* pro nobilissimis et beatissimis positi sunt. *optent* scil. propter venustatem, pulchritudinem et dignitatem corporis. Similis color orationis est apud Catull. LXII, 42; Virg. Æn. XI, 582 seq. Georg. I, 51.

Hunc rapiant! quidquid calcaverit hic, rosa fiat!
Ast ego nutrici non mando vota: negato
Jupiter hæc illi, quamvis te albata rogarit.
Poscis opem nervis corpusque fidele senectæ.
Esto, age: sed grandes patinæ tucetaque crassa
Adnuere his Superos vetuere, Jovemque morantur.
Rem struere exoptas cæso bove, Mercuriumque
Arcessis fibra: Da fortunare penates!

38. *puellæ Hunc rapiant*, fortius quam: ametur a puellis. *quidquid calcaverit hic, rosa fiat.* (Contrarium est apud Petron. 44. *Is quacumque ibat, terram adurebat.*) Secundum Casaubonum votum hoc est pro absoluta omnibus numeris felicitate. Mihi hæc quoque ad vota pro pulchritudine et venustate pueri spectare videntur, cujus curam Horæ ac Gratiæ sustineant, quibus comitatus, quocumque se convertat, omnia efflorescere sub vestigiis suis videat. Aut his verbis is describitur, cujus omnes Dii præcipuam curam agunt, seque ei semper adesse, quocumque se contulerit, signis manifestis ostendunt. Claudian. XXIX, 86 seqq. Calpurn. ecl. IV, 107. Ceterum venustam corporis speciem non semper et ubique optabilem esse, egregie docet Juvenal. X, 289 seq.

39. *Ast ego nutrici non mando vota.* conf. Horat. Epist. I, 4. 6 seqq. In prioribus, v. 31, de avia et matertera sermo est, nutricis autem nulla mentio. Hic versus itaque cum præced. sic jungi potest: Matertera et avia vota quidem suscipiunt pro puero inepta et sæpe noxia (Juvenal. X, 104 seq. et 290 seq.) at nutricum vota longe ineptissima solent esse, huic ego numquam permitto, ut vota pro puero faciat. Sed potest quoque *nutrix* sensu latiore sumptum esse, ut eas omnes significet, quæ pueri curam agere soleant, ideoque *aviam* quoque et *materteram*. Hoc rectius puto, nexusque sententiarum inde fit simplicior. Avia aut matertera illa quidem puero precatur, sed male sedula id facit injussu meo, quippe qui non ignorem, eam, quæ vera bona sint, nescire.

40. *negato Jupiter hæc illi*, subficiat proinde, Jupiter, semel te rogasse, ut ejus votorum numquam rationem habeas, *quamvis te albata rogarit*, quamvis religiosissime, ritibus diligenter observatis, rogarit. *albata* enim ad cultum spectat vota facientium aut sacrificantium. Horat. Sat. II, 2. 61. Ovid. Trist. II, 653 seqq. Tibull. II, 1. 15 seq.

41—51. Pergit inanitatem perstringere eorum votorum, quæ quominus rata esse possint, illi ipsi, qui ea suscipiunt, impedimenta esse solent.

41. *opem nervis*, i. e. roborationem nervorum debilitatorum, vel simpl. corporis languidi et infirmi. *fidele senectæ* i. e. quod senectutem non deserat, quod integrum in senectute maneat, nec eadem ratione hebescat, qua annorum numerus augetur.

42. *Esto, age:* pro: age, per Deos licet, ut voti compos sis. *grandes patinæ* pro iis rebus positæ sunt, quæ in illis patinis adponebantur, quibus quoque amplitudo patinarum adcommodabatur. Juvenal. IV, 131 seqq. Horat. Sat. II, 2. 95. *tucetaque crassa* opiparum erat ferculum sed nobis ignotum.

43. *his*, votis tuis. *morantur*, impediunt, quominus tibi facilis esse possit, etiamsi velit. Sensus totius loci est: Gula tua facit, quominus voti damneris. conf. Horat. Sat. II, 3. 288 seqq.

44—51. Sequitur aliud exemplum ab iis petitum, qui amplissimis sacrificiis greges suos volunt augere, quum tamen non possit fieri, quin ipsa frequenti mactatione minuantur. *cæso bove*, æque ac versu seq. *fibris* pro sacrificiis omnino. Ratio, cur Mercurii, h. l. mentio facta sit, peti potest ex Homero Il. ξ, 489 seqq. cf. Horat. Sat. II, 6. 4 seq. Ovid. Fast. V, 689 seq.

45. *Arcessis* i. e. vocas in auxilium; sacrificiis hoc efficere optas, ut Mercurius præsens te exaudiat. *Da fortunare penates*, Græca dicendi ratio solemnis. Callim. Hym. in Dian. 6. Ovid. Met. I, 486. Trist. I, 1. 54; sensus: permitte, ut penates facultates meas prosperent.

Da pecus, et gregibus fetum ! quo, pessime, pacto,
Tot tibi quum in flammis junicum omenta liquescant ?
Et tamen hic extis et opimo vincere ferto
Intendit: jam crescit ager, jam crescit ovile,
Jam dabitur, jam jam: donec deceptus et exspes
Nequidquam fundo suspirat numus in imo.
Si tibi crateras argenti incusaque pingui
Auro dona feram, sudes, et pectore lævo
Excutiat guttas lætari prætrepidum cor.
Hinc illud subiit, auro sacras quod ovato

46. *quo, pessime, pacto,* sc. dari id a Mercurio potest. Illo *pessime* stultitiam magis quam malitiam Noster videtur notare.

47. *junicum omenta.* In sacrificiis nempe optimas et pinguissimas hostiæ et victimæ partes omento involutas comburi esse solitas ex Homero satis notum est. Il. α, 460; 9, 240. conf. Catull. XC, 6. *liquescant,* adposite ad omenta, quæ adipe constant, pro: crementur.

48. *Exta* (cor, pulmo, lien, jecur cet.) Diis in sacrificiis præcipue reddebantur. Virg. Ge. II, 194. Æn. XII, 215 seq. *ferto. Fertum* libi genus, cujus in sacrificiis frequens usus. *vincere* perficere id, quod optat. *hic.* sc. stultus.

49. *jam crescit ager* cet. Ad naturam hominis cupidi adcommodate hoc, qui, quod cupit, esse quoque existimat. *crescit ager,* hoc esse potest, vel insolita fecunditate sata in agro efflorescunt, vel ipse ager fit major adjuncta alia parte, quæ, data aliqua opportunitate, parata est: hoc spectat *da fortunare penates. crescit ovile.* i. e. numerus ovium jam frequenti fetu augetur; hoc respicit *da pecus, da gregibus fetum.*

50. 51. *Jam dabitur* sc. quod adsiduis sacrificiis a Diis peto. *jam, jam,* fiduciam exprimit stultissimam. *donec deceptus et exspes Nequidquam* cet. Quæ ad illum stultum proprie pertinent, translata sunt ad numum in imo arcæ fundo. Is quasi contubernales suos alium post alium viderat depromi, sacrificiisque inpendi, semperque speraverat fore, ut arca novis advenis, Diis tandem exoratis, compleretur, atque ut ipse inmotus in sua sede maneret. Sed tandem *deceptum* se sentit et jam *exspes suspirat,* quum ad postremum ipse depromatur. Vulgaris ratio foret: tandem ille stultus deceptum et spe destitutum se intelligit et nihil se egisse facultatibus sacrificiorum amplitudine et copia profusis, quum suspirans in imo arcæ fundo numum unicum adhuc restantem animadvertit.

52—58. Tu homo ineptissime, Deos ex tuo ingenio metiris, existimasque, eos eadem ratione auro et argento delectari, ut tu tuique similes. Ex hoc nimirum fonte profluxit insana ista ratio, qua divitiæ ex vitæ usu ablatæ in templis congerantur, ubi ne minimum quidem usum habent. *crateras argenti incusaque pingui Auro dona,* crateras argenteas auro cælatas, Senec. Epist. 5. *Non habemus argentum, in quod solidi auri cælatura* descendit. cf. Virg. Georg. II, 192. Æn. V, 534. Hujusmodi crateris descriptio est apud Stat. Theb. VI, 531 seqq. *pingui,* λιπαρῷ, splendido. Verba, quæ sequuntur, sic ordino sensumque eorum ita constituo: *Cor prætrepidum lætari,* i. e. properans (cf. Dœring ad Catull. XLVI, 7.) lætari, in lætitiam pronum; (in) *pectore lævo,* in sinistra pectoris parte (cf. Juvenal. VII, 159 seq.) *excutiat guttas,* lacrumas tibi excutiat ipso gaudio. Sensus igitur est omni ornatu detracto: præ gaudio æstues et lacrymeris. Aliter ab aliis hic locus exponitur. Casaubonus legit *excutias* et *lætari* sumit pro infinit. hist. Bentleius ad Horat. Od. II, 19. 5. cujus auctoritatem in textu h. l. constituendo Reizius secutus esse videtur, ordinem verborum et sensum sic constituit: *Sudes, et cor prætrepidum sive properans lætari, excutiat guttas sudoris pectore lævo, sive sinistra parte corporis, ubi cor salit, et sudor erumpere solet.* In quo me offendit, quod *excutiat guttas* de sudore intelligitur, quum jam præcesserit *sudes,* et quod in sinistra potissimum parte pectoris sudor erumpat, quod in re et natura positum esse non existimo.

55. *Hinc,* quia tibi aurum vehementer

Perducis facies. nam fratres inter aenos,
Somnia pituita qui purgatissima mittunt,
Præcipui sunto, sitque illis aurea barba.
†Aurum vasa Numæ Saturniaque inpulit æra,
Vestalesque urnas et Tuscum fictile mutat.
O curvæ in terras animæ, et cœlestium inanes!
Quid juvat hoc, templis nostros inmittere mores,

placet, tuque Deos ex ingenio tuo metiris. *illud subiit*, illud profectum est. *ovato*, hostibus erepto.

56. *Perducis facies sacras*, simulacra Deorum obducis. Virgil. Georg. IV, 416. *nam fratres inter aenos Somnia* cet. Exempli causa Noster aliquem inducit loquentem, qui vel somniis monitum se esse putat, vel oracula per somnum adhuc exspectat, eamque ob rem iis Diis, quos misisse aut missuros esse vera somnia existimat, aliquid, quod ipsis cordi fore arbitratur, vovet. *fratres aenos.* Scholiastes ex Acrone profert, in porticu Apollinis Palatini fuisse Danaidum effigies, et contra eas sub divo totidem equestres filiorum Ægypti. Quasdam ex illis statuis oracula postulantibus per somnum dedisse. Apud Propert. II, 23. 1 seqq. et Ovid. Trist. III, 1. 59 seqq. de porticu illa et de statuis Danaidum inter columnas sermo quidem est, verum filiorum Ægypti nulla mentio. Sed veterum testimoniis destituti sequamur Acronis auctoritatem.

57. *Somnia pituita purgatissima*, i. e. somnia vera. Somnia, quæ proficiscebantur a corporis aliqua conditione, ut veteres opinabantur, falsa erant et inania. Macrob. somn. Scip. 3. Per somnia futura posse provideri veteribus fuisse persuasum, quum naturam somniorum non satis cognitam perspectamque haberent, nobis mirum esse nequit. Proinde etiam de somniis veris et falsis multa apud veteres legimus, quæ sibi invicem repugnant. Hoc loco intelliguntur somnia, quorum probabilis ratio a conditione corporis nulla reddi poterat, numinis igitur alicujus vi et efficaciæ adscribenda. Cic. de Div. I, 43. Suet. Vesp. 7.

58. *Præcipui sunto* i. e. præcipue a me colantur. *Sitque illis aurea barba.* Et ex stoicorum et ex nostro sensu votum sane ridiculum, non sic ex vulgari opinione. Signis vel ex ebore vel marmore vel ære factis aureos capillos barbamque auream sæpe adpositam fuisse constat. Cic. de Nat. D. III, 34; Æl. V. H. I, 20; Valer. Max. I, 1. 2. Lucian. in Tim. T. I. p. 107. ed. Reiz. An Schefferus autem inde verba Petronii Cap. 58. *licet barbam auream habeas*, recte interpretetur per: licet Deus sis, videant eruditi.

59. 60. Idem error, pergit Noster, mutat vetustissima vasa aenea et fictilia, a majoribus ad res sacras faciendas adhibita, in aurea. *inpulit.* Inpellere dicitur de eo, qui aliquem de statu aut dejicit, aut labantem facit; verbum e re gymnastica translatum h. l. pro: e templis removit. Adjecta verba *Numæ* et *Saturnia* pertinent ad vetustatem exprimendam. *Vestalesque urnas*, urnis, quibus utebantur Vestales ad aquam hauriendam in sacrificiis Vestæ adsidue celebrandis. Ovid. Fast. III, 11 seq. *Tuscum fictile.* Ab Hetruscis, qui in plastica et figlina præ ceteris excellebant, omnes fere ritus religiosos cum instrumentis ad Deorum cultum pertinentibus Romani adceperunt. De artis plasticæ incrementis et ortu v. Plin. H. N. XXXV. sect. 43 seq.; idem narrat sect. 46, sua adhuc ætate in sacris fictilibus prolibari simpuviis. *mutat* pro: usum eorum tollit. Cum his fictilibus instrumentis religionem etiam et pietatem sublatam esse e templis veteres memoriæ prodiderunt. Juvenal. VI, 342 seqq.

61. *O curvæ in terras animæ. curvæ in terras* i. e. quæ terram solam spectant, quæ ad rectam de Diis notionem se erigere nequeunt, humanæque naturæ inbecillitates ad eos quoque transferunt. conf. Lactant. Instit. II, 2. 13. *curvæ* pro: pronæ. Et tamen jussit natura homines *erectos ad sidera tollere vultus.* Ovid. Metam. I, 84 seq. Silius Ital. XV, 84 seqq. *cœlestium* (rerum) *inanes* pro: naturæ Deorum ignaræ.

62. *Quid juvat hoc, inmittere* pro: in quam utilitatem inmittitis; et *inmittere templis nostros mores* pro: mores nostros

Et bona Dis ex hac scelerata ducere pulpa? †
Hæc sibi conrupto casiam dissolvit olivo:
Et Calabrum coxit vitiato murice vellus.
Hæc baccam conchæ rasisse, et stringere venas
Ferventis massae crudo de pulvere jussit.
Peccat et hæc, peccat: vitio tamen utitur. at vos

ad Deos transferre. Plato in Euthyphr. T. I. p. 33. ed. Bipont. *φράσον δή μοι, τίς ἡ ὠφέλεια τοῖς θεοῖς οὖσα ἀπὸ τῶν δώρων ὧν παρ' ἡμῶν λαμβάνουσιν. ἃ μὲν γὰρ διδόασι, παντὶ δῆλον. οὐδὲν γάρ ἐστιν ἡμῖν ἀγαθὸν ὅ, τι ἂν μὴ ἐκεῖνοι δῶσιν· ἃ δὲ παρ' ἡμῶν λαμβάνουσι, τί ὠφελοῦνται*;

63. *Et bona Dis ducere*, i. e. ducere seu existimare grata et adcepta Diis, *ex hac scelerata pulpa*, i. e. ex nostro sensu conrupto et depravato, ita ut sensus nostri quasi norma sint, ad quam ea, quæ Diis probentur, exploremus. Etenim *pulpa* est proprie caro sine ossibus, deinde crassa illa et mollis, quæ solet esse in corpore bene curato, tandem pro moribus et cogitandi ratione illorum ponitur, quorum quasi summum bonum est in corpore bene curando aut in voluptatibus situm.

64—69. Sequitur hæc sententia: Peccant quidem homines in parandis rebus iis, quæ apud ipsos in pretio sunt; verum enim vero utilitatem aliquam inde quodammodo percipiunt. 64. *Hæc* sc. pulpa, i. e. homines luxuriosi s. luxuriæ inservientes; *dissolvit sibi casiam oleo* pro: coquit sibi fucum seu unguentum ex casia. Unguenta enim secundum Plin. H. N. XIII. sect. 1. constabant ex odoribus tritis oleo admisto et resina aut gummi, ut diutius bene olerent; coloris gratia interdum cinnabaris addebatur aut anchusa. De *casia* v. infra ad Sat. VI, 36. *olivo* pro: oleo. *conrupto* i. e. ipsa casia temperato, nativa enim ejus indoles odoribus quasi conrumpitur. Plut. Sympos. Quæst. V. T. XI. ed. Hutt. *διὸ* (quia omnis mistura citius conrumpitur) *τύς τε μίξεις τῶν χρωμάτων οἱ ζωγράφοι φθορὰς ὀνομάζουσι, καὶ τὸ βάψαι μιῆναι κέκληκεν ὁ ποιητὴς* (Homer. Il. δ, 141.) cf. Gatack. ad Marc. Antonin. de rebus suis VI. §. 30. Heynium et Voss. ad Virg. Georg. II, 466.

65. *Calabrum vellus*, lanam Tarentinam, quæ optima habebatur. Plin. H. N. VIII, 48; IX, 61 seqq. interpp. ad Calpur. Eclog. II, 69. *murice*, purpura. Virg. Æn. IV, 262. *vitiato* ad vellus proprie pertinet, et eadem ratione positum est, qua supra *conrupto*.

66. *baccam conchæ* pro: unionem e concha. Plin. H. N. IX, 35. de unionibus: *Crassescunt etiam in senecta, conchisque adhærescunt, nec his avelli queunt nisi lima.* Inde explicari potest *rasisse*. Obruebantur etiam conchæ in vasis fictilibus sale, quo carne omni erosa uniones decidebant, hoc testatur Ælian. de nat. anim. XV, 8. Quantopere in usu essent uniones apud Romanos licet videre ex exemplis, quæ Plinius l. c. profert. *venas*, i. e. metalla. Juvenal. IX, 31. h. l. de auro et argento sermonem esse nemo non videt. De auro, quod puteorum scrobibus effoditur, legitur apud Plin. H. N. XXXIII, 21. *Vagantur hi venarum canales per latera puteorum et huc illuc, inde nomine invento; tellus ligneis columnis suspenditur. Quod effossum est tunditur, lavatur, uritur, molitur in farinam.*

67. *Massa* est omnis materia, quæ coquitur in fornace. v. infra V, 10. Sed quæritur, quid sit *stringere venas ferventis massæ crudo de pulvere? Stringere* Casaubonus interpretatur: in massam conflare, Nostrumque ait hoc verbo abuti, cum alias de ferro solum adhibeatur. Nititur ille vir doctissimus Plin. H. N. XXXIV. sect. 41. ubi Plinius dicit, ferri massas *stricturas* dici, vocabulo a stringenda acie inposito, in aliis metallis *stricturæ* nomen non adhiberi. Verum *stringere* sæpe obcurrit pro: destringere, decerpere; non video itaque, cur non eodem sensu h. l. adhiberi potuerit, quo nostrum in coquendis metallis vulgare verbum: *scheiden. Stringere venas ferventis massæ crudo de pulvere* ego interpretor: aurum et argentum a scoriis (*crudo de pulvere*) ignis ope separare, purgare.

68. *Peccat et hæc* sc. pulpa. Etiam homines peccant, eaque committunt, dum illa faciunt, quæ censuram a sapientibus

Dicite, pontifices, in sacro quid facit aurum?
Nempe hoc quod Veneri donatæ a virgine puppæ.
Quin damus id Superis, de magna quod dare lance
Non possit magni Messalæ lippa propago,
Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.
Hæc ccdo ut admoveam templis, et farre litabo.

merentur; *vitio tamen utitur*, tamen utilitatem aliquam inde assequuntur homines. Similis orationis color est apud Juvenal. I, 49.

69. Cf. Juvenal. XI, 111 seqq. Lucian. Contempl. T. I. p. 505. ed. Reiz. Senec. Epist. 31. *et te quoque dignum finge Deo. Finges autem non auro non argento, non potest ex hac materia imago Dei exprimi similis. Cogita illos, quum propitii essent, fictiles fuisse. in sacro* i. e. in templis.

70. Scholiastes: *Solebant virgines, antequam nuberent, quædam virginitatis suæ dona Veneri consecrare.* Nititur ille Varronis testimonio. cf. Alex. ab Alex. V, 18; Lactant. Instit. II, 4. 13. vet. Schol. Cruq. ad Horat. Serm. I, 5. 66.

71. Nihil sane potuit felicius satiram finire, quam gravissima illa sententia, animisque lectorum hæsura, quæ nunc sequitur. *damus* verbum solenne in sacrificiis. Brisson. de Form. I, 25. *de magna lance. Lancium* usus in sacris satis notus, iis exta reddebantur. *magna de lance dare* h. l. est sacrificia amplissima facere. De lancium mira magnitudine et pondere v. Plin. N. XXXIII. sect. 52.

72. *magni Messalæ lippa propago.* Intelligenda est proles degenerata M. Valerii Corvini Messalæ, de quo Liv. VII, 26 seq. *lippa* v. supra ad I, 75. Sensus: damus id superis, quod divites dare non possint, dum sacrificia amplissima faciant.

73. *Compositum jus fasque animo* pro: animum ad leges divinas humanasque compositum. *sanctosque recessus mentis* i. e. intimas cogitationes mentis puras. Theocrit. XXVIII, 3.

74. *incoctum generoso pectus honesto; δικαιοσύνῃ βεβαμμένον εἰς βάθος.* Marc. Anton. de rebus suis III. sect. 4. Lactantius Instit. VII, 21. 6. Nostrum ante oculos habuit. Senec. Epist. 95. *Primus est Deorum cultus, Deos credere; deinde reddere illis majestatem suam, reddere bonitatem, sine qua nulla majestas est. Scire illos esse, qui præsident mundo, qui universa vi sua temperant, qui humani generis tutelam gerunt interdum curiosi singulorum. — Vis Deos propitiare? bonus esto. Satis illos coluit, quisquis imitatus est.*

75. Quasi e sacerdotis persona Deos sacrificiis sibi propitios reddere cupienti salubre consilium ingerentis. *farre* pro quocunque sacrificio vilissimo, *litabo.* Ita sacrificabo, ut Diis gratum et adceptum meum qualecumque sacrificium sit. Virg. Æn. V, 745. Sacrificiorum magnitudinem et magnificentiam parum aut nihil referre ad Deos propitios reddendos, sed casti animi et ab omni labe puri Deos in omnibus sacrificiis votorumque nuncupationibus solum rationem habere, ut sapientissimi veterum subinde monuerunt, ita elegantissime sæpe expresserunt. Plat. in Alcib. II. T. V. p. 99. ed. Bip. Horat. Od. III, 23. 17 seq. Virg. Æn. VIII, 102. Prop. III, 3. 17. Ovid. Trist. I, 2. 75. ex Ponto IV, 8. 29. Valer. Max. II, 5. 5.

SATIRA III.

ARGUMENTUM.

Mollem ac desidiosam juventutem Romanam, opibus et nobilitate fretam, acriter Persius sub persona philosophi stoici perstringit. Sententiarum ordo hic est. Dormiunt juvenes delicatuli in multam diem 4; excitati somno morosi surgunt, adcingunt se labori, desidiæque crimen vanis excusationibus effugere tentant. 14. Hanc rationem puerilem magna cum indignatione exprobrat magister adultis, monstratque, eos sibimetipsis verba dare non magistro, sibique nocere summa mollitie depravatos. 22. Formandi fingendique ad virtutis præcepta animi nunc maxime tempus instare. 24; divitias ac nobilitatem ad bene beateque vivendum minime sufficere. 29. Quarum rerum externarum splendorem oculos quidem posse perstringere inperitorum, sapientis non item. 30. Miserrimam esse conditionem eorum, qui relicta virtute scirent, quid perdidissent. 34. Id quod magis inlustratur brevi digressione in virtutis præstantiam et conscientiæ stimulos, quibus illius desertores ceu furiarum tædis exagitantur. 43. Communem quidem puerorum morem, quam aversi a rectis studiis esse soleant, quibusque rebus ludicris maxime teneantur, exemplo ex sua ipsius pueritia ducto demonstrat. 51. Sed illos, quum jam ex ephebis excesserint, atque id ætatis sint, ut rectum a pravo dignoscere queant, nihilominus tamen mira quadam negligentia in deligendo sibi certo aliquo vitæ genere esse, ideoque sine omni futuri cura. 62. In tempore si adhibeatur medicina, magnum ejus usum esse; perditis autem semel moribus sapientiæ præcepta raro mederi. 76. Doctrinarum quidem magistri a stupidis derideri, tetricamque ipsorum ac morosam philosophiam, ut vulgo perhibeant, non curari 87; exemplo tamen ab ægroto sumpto demonstrat, quam periculosum sit, medici consilia neglexisse, sæpissimeque mortem hujus neglectus pœnam esse. 106. Ut corporis morbi nonnumquam lateant, eoque vehementius vim suam subito exserere soleant: sic etiam animi commotiones, occasione oblata, solere se ostendere. 111. Magnam igitur curam nobis adhibendam esse, ut, etiamsi vim alicujus morbi non sentiamus, omnem tamen diligentiam in nobismetipsis tutandis futurisque morbis cum corporis tum animi obcurrendo ponamus.

Nempe hoc adsidue? jam clarum mane fenestras
Intrat, et angustas extendit lumine rimas.

In Sat. III.

1—9. Cogitemus mollem juvenem somno altissimo in lecto obpressum ad meridiem pæne usque stertentem, coramque porro philosophum stoicum, cujus personam Persius induit, istam socordiam ægre ferentem, tandemque indignationem suam in hæc verba effundentem: *Nempe hoc* cet. Optimam enim cujusque diei partem somno auferri ægre fert magister, suæque fidei et disciplinæ commissum excitat increpans. Ovid. Am. I, 13. 17 seq.

1. *Nempe.* indignantis est. *hoc adsidue* sc. fit. Cum gestu hoc ad stertentem. *clarum mane.* i. e. solis jam alti splendor. *fenestras.* Aperturæ intelligendæ sunt, valvis, ut ex sequentibus adparet, obclusæ. Erant hæ valvæ ligneæ vel solidæ vel reticulatæ. conf. Jani ad Horat. Od. I, 25. 1. Nostrum imitatus est Auson. Ephem. I. 1 seqq.

2. *angustas extendit lumine rimas.* Fallaciam opticam Noster sequitur vel

Stertimus, indomitum quod despumare Falernum
Subficiat, quinta dum linea tangitur umbra.
En quid agis? siccas insana canicula messes
Jam dudum coquit, et patula pecus omne sub ulmo est:
Unus ait comitum. "Verumne? itane? ocius adsit
Huc aliquis! nemon'?" Turgescit vitrea bilis,

pueris notam. conf. Prop. I, 3. 31 seq. Virg. Æn. III, 152 seq.

3. 4. *Stertimus, indomitum — subficiat.* Hoc videtur duplicem sensum admittere, ut vel tantum in diem somnum producat ille mollis, quantum ii soleant, qui vino hesterno die acerrime se ingurgitarint; vel ut tam altus et in diem productus somnus eum amplectatur, quam qui subficiat ad edormiendam hesternæ commissationis crapulam. In illa ratione comparatione utitur Noster ad somni longitudinem describendam; in hac tangit quoque dissolutorum juvenum mores; id quod, meo quidem sensu, castigatoris partibus, quas sustinet Persius, magis convenire videtur. *despumare* est proprie spumam effervescentis liquoris de superficie tollere, h. l. pro: vim exhaurire. *indomitum Falernum*, ut apud Lucan. X, 163. vinum generosissimum Campaniæ et nobilissimum, austerum (Catull. XXV, 2.) et vehemens (Horat. Od. II, 11. 19.), unde h. l. *indomitum* dicitur. Quod tempori tribuitur, somno proprie aut sudori tribuendum fuisset. Vinum enim largius haustum cerebrum occupare et sanguinis meatum concitatiorem facere solet, ejusque vis per sudorem, qui somno adjuvatur, evaporat. *quinta dum linea tangitur umbra.* i. e. dum quinta linea in solario umbra gnomonis tangitur, pro: usque ad horam diei quintam. Lucian. Lexiph. T. II. p. 326. ed. Reiz. *καὶ γὰρ ὁ γνώμων σκιάζει μέσην τὴν πόλιν.* De horologio solari, quo primo Romani usi sunt, v. Plin. H. N. II. c. 76. et VII. c. 60. Augustus multa solaria eaque absolutiora per Vitruvium describenda curavit.

5. *En quid agis?* Convertit se monitor ad ipsum stertentem, eumque concutiens hæc loqui videtur. *insana canicula.* Non solum media diei pars, verum etiam æstas indicatur, qua horarum spatia aliquanto longiora erant apud Romanos. Plus itaque temporis somno erat absumptum, quam absumsisset ille desidiosus hieme circa eamdem horam expergefactus. Ceterum poetas ab ortu et occasu siderum tempora designare neminem fugit. *insana;* propter æstum et ardorem.

6. *coquit*, ad maturitatem perducit. *et patula pecus omne sub ulmo est.* Mediam diei partem hoc designat. cf. Virgil. Ecl. II, 7. Nemesian. Ecl. IV, 39 seqq. Calpur. Ecl. V, 56 seqq.

7. *Unus ait comitum.* Unus ex illis intelligendus est, qui puero vel adolescentulo comites a patre erant adjuncti. Moris enim erat, plures philosophos domi alere cum ad liberorum institutionem, tum ad literarum studium ostentandum. Tanta enim philosophiæ doctorum frequentia erat, ut vulgo usurparetur: *θᾶττον ἄν τις ἐν πλοίῳ πεσὼν διαμάρτοι ξύλου, ἢ ἔνθα ἂν ἀπίδῃ ὁ ὀφθαλμὸς ἀπορήσει φιλοσόφου* Lucian. Bis Accus. T. II. p. 798. ed. Reiz. cf. Græv. ad Cic. pro Milone c. 10. Quin etiam ex iis servis, qui pueris comites dabantur, nonnemo poterat esse, qui supra servilem conditionem saperet, philosophia omnibusque artibus liberalibus instructus, cujus personam induisse Noster quoque potest existimari. Hic igitur, quisquis ille sit, cui Noster suas partes tradidisse videtur, in primis quatuor versibus secum loquens, in illis duobus, qui sequuntur, juvenem ipsum increpans inducitur. *Verumne? itane?* Verba expergefacti et tamdiu dormisse moleste se ferre similantis. *ocius adsit* cet. Divitis et nobilis mores exprimuntur, cujus nutum plures servi exspectant. Horat. Serm. II, 7. 34 seq. Simul videtur temporis matutini jacturam, quam fecit, celeritate in negotiis adhibenda, velle emendare.

8. *Turgescit vitrea bilis.* Præclare! Nam e somno in medium diem protracto est expergefactus, eoque proclivior debet esse ad iram. *vitrea*, propter splendorem. Apud Horat. (Sat. II, 3. 141.) est *splendida.* et sic apud eundem (Sat. II, 3. 222.) *vitrea fama* pro: splendida, non,

Finditur: Arcadiæ pecuaria rudere credas.
Jam liber et bicolor positis membrana capillis,
Inque manus chartæ nodosaque venit arundo.
Tunc queritur, crassus calamo quod pendeat humor;
Nigra quod infusa vanescat sepia lympha;
Dilutas queritur geminet quod fistula guttas.
O miser inque dies ultra miser! huccine rerum
Venimus? at cur non potius, teneroque palumbo
Et similis regum pueris, pappare minutum
Poscis, et iratus mammæ lallare recusas?

fragili. Ceterum verba hæc non monitoris sunt, sed poetæ.

9. *Finditur.* Iratus, quod servuli non statim adcurrunt, simulque somnolentus aperto rictu et oscitat et clamat. *Arcadiæ pecuaria rudere credas. Arcadiæ pecuaria* pro: asinorum greges. Auson. Epigr. LXXVI. Apta similitudine sonus ille, quem iratus et somnolentus edere solet, expressus est.

10—14. Tandem aliquando studiis se adcingit, animumque suum ab iis aversum vanis excusationibus cupit dissimilare.

10. *bicolor membrana.* Erat nempe membrana ab altera parte alba, ab altera, in qua pili (pro quibus *capillos* abusive scripsit Noster, cujus καταχρήσεως multa exempla protulit Drak. ad Liv. T. IV. pag. 597.) fuerant, crocea. Juvenal. VII, 23 seq. Ibi de *membrana* Ruperti copiosius disseruit.

11. *chartæ*, ut in iis scilicet magistri dictata exciperet, quæ deinde in membrana majori cura describeret. Forsan omnino tantum scribendi instrumenta indicantur. Cera et stylo fortasse non utitur ille delicatulus, ne infirmam oculorum aciem lædat. Quintil. X, 3. Martial. XIV, 5. *nodosaque arundo*, calamus scriptorius multis geniculis distinctus. Calami Ægyptii maxime probabantur. Plin. H. N. XVI. Sect. 65. Martial. XIV, 38.

12. *Tunc queritur* cet. En delicatulorum mores adcommodate descriptos. Nolunt propter ignaviam literis operam dare, cujus autem ignaviæ quum ipsos pudeat, culpam, quam ipsi sustinent, in alia omnia transferunt. Modo atramentum nimis crassum, modo nimis dilutum est, modo calamus ipse excusationis ansam præbet. *calamo pendeat* i. e. calamo ita adhæreat, ut ductus calami in charta non adpareant.

13. *sepia* pro: atramentum, quod ex sepiæ succo parabatur. De sepiis agit Aristotel. de anim. IV, 2; de atramento, quo usi sunt veteres ad pingendum scribendumve Plinius H. N. XXXV. sect. 25. *lympha* pro aqua.

14. *fistula.* Supra erat *arundo.*

15—18. Jam Persius e monitoris persona pergit: Nempe eo ventum est, ut tibi ipse non constes. Vis juvenis esse et haberi, ita tamen te geris, ut pueri tenelli solent. Cur tandem illorum turbam fastidis, in qua morum similitudo locum tibi adsignat? 15. *inque dies ultra* sc. futurus. *huccine rerum* pro: eo, in eam conditionem.

16. *teneroque palumbo.* Nomen hoc amoris et blanditiæ divitum puerulis plerumque inponebatur. Catull. XXIX, 9. Sic ab adulatore liberi νεόττια adpellabantur. Theophrast. Charact. περὶ κολακ.

17. *regum.* *Reges* blande et adsentatorie vocabantur Romanorum principes a clientibus et peregrinis. *Reges* quoque Horatius et Juvenalis vocant divites ad fastum et luxum eorum notandum. Horat. Od. I, 4. 21. Juvenal. VIII, 160 seqq. *pappare*, cibum designat tenellis a nutricibus manducatum. *Pappare* proprie est cibum poscere vel edere. Plaut. Epidic. V, 2. 62.

18. *lallare.* Est h. l. nænia nutricis seu matris (mammæ) qua morosi infantes mulcentur. v. Ovid. Fast. II, 599 seq. ibique interpp. Scholiastes hæc habet: *Nutrices infantibus, ut dormiant, solent dicere sæpe: Lalla, lalla, lalla, aut dormi aut lacte.* Bene usus est his verbis Nos-

" An tali studeam calamo?" Cui verba? quid istas
Succinis ambages? tibi luditur: effluis amens.
Contemnere, sonat vitium percussa, maligne
Respondet viridi non cocta fidelia limo.
Udum et molle lutum es, nunc nunc properandus, et acri
Fingendus sine fine rota. + Sed rure paterno

ter, quæ non solum indignationem poetæ indicant, verum etiam ad ætatem tenellorum, quibus absurdus iste juvenis tam similis est, designandam aptissima sunt.

19—24. Pigritiæ et desidiæ suæ culpam ad alias res transferre pergenti ait monitor: nunc maxime tempus esse minime prætermittendum, quo animus adhuc tener emendari et ad virtutem formari possit.

19. *An tali studeam calamo?* Verba juvenis. *studeam* pro: scribam. *Cui verba?* supple: das.

20. *Subcinis.* *Subcinere* h. l. est ad vocem monentis eadem sæpius repetere. *Ambages* vocat Noster prætextus vanos, quibus ad se purgandum utitur ineptus juvenis, quandoquidem hujusmodi nihil opus fuisset ad laborem, quem suscipere unusquisque bonarum artium studiosus debet, subterfugiendum. Debuisset aperte, ut res erat dicere, se nolle sapientem fieri, se nolle animum ad philosophiæ præcepta componere, ingenioque liberali institutione exculto ostendere, se puerilem ætatem jam exuisse. *tibi luditur.* Cave putes, te monitori tuo, cujus res minime agitur, fucum facere, sed tua res cum maxime agitur; tu te ipse dissimilatione ista perdes. *effluis amens.* An in his verbis comparatio juvenis cum vase fictili, ut Casaub. existimat, locum possit habere, vehementer dubito; saltem in seqq. v. 21. 22. *percussa* frigeret; quid enim percussu opus est in vase explorando, quod humores infusos transmittat? Durum quoque vocarem, *effluere*, quod de eo, quod in vase est, recte adhibetur, ad vas ipsum transferre, nisi hæc fere duriora usus mollivisset. Forsan *effluere* a vestitu laxo sumptum, (Tibull. I, 6, 40. Claudian. in IV. cons. Honor. 206. Sic *soluti ac fluentes* pro: dissoluti. Quintil. I, 2.) et *effluis* pro: mollitie et luxuria conruptus es, positum est.

21. *Contemnere.* Horat. Serm. II, 3. 14. *sonat vitium percussa*, intellige, *fidelia. sonat vitium* pro: sono indicat vitium. Sensus: Contemneris ab omnibus; dissimilando enim numquam efficies, quo minus hominibus innotescat, quam nullius pretii sis; tui mores ipsi te prodent, ut vas, minus bene coctum, quando percutitur, sono vitium indicat. Hanc similitudinem Græci quoque usurparunt. ἀλλὰ μὴ καθάπερ αἱ πονηραὶ χύτραι διακρουόμεναι, μὴ σαθρὸν ἀποφθέγγηται. Lucian. De Paras. T. II. p. 841. ed. Reiz. *maligne*, non clarum sonum edit.

22. *viridi*, crudo, non probe cocto. Tautologia quodammodo tollitur, si cum Casaubono legis *respondens* pro *respondet*, verum ipso *maligne respondens* frigus aliquod inducitur loco, qui forsan sanus non est, cujus tamen medicina non absque codd. MSS. tentanda videtur.

23. *Udum et molle lutum es.* *lutum* h. l. argilla. Hæc similitudo, per se quidem satis apta, non bene præcedenti quadrat, ubi juvenis cum fidelia jam cocta comparatur. Institutionem puerilem plures jam cum arte figlina comparaverunt. Horat. d. Art. 164. Noster quoque V, 40. *Properari* de iis rebus dici, quæ celeriter fiant, perficiantur, notum est. Virg. Georg. I, 260. Ovid. Met. V, 396. XV, 748. cf. Juvenal. IV, 134. *Properandus* igitur pro: sine mora, celeriter instituendus.

24. *sine fine.* quandoquidem in fingendis ad sapientiam moribus, in voluntate emendanda, in ingenio excolendo numquam perfectionem adtingimus, idcoque labor iste numquam est remittendus, alioquin verendum est, ne ad ingenium redeamus et veterem vitæ consuetudinem. Plin. Epist. VII, 9. 11. *fingendus rota acri*, manet in similitudine semel sumpta; sensus est: institutio tua propere instituenda et perficienda est. Nonnulli *acri* de stoica philosophia intelligunt, quæ *acer*, severa est in virtutis disciplina; sed nihil aliud quam cursum rotæ concitatum indicat; sic *acri* pro *celeri* apud Virg. Georg. III, 141. obcurrit.

24—30. Sed quæras, pergit monitor:

Est tibi far modicum, purum et sine labe salinum,
(Quid metuas?) cultrixque foci secura patella.
Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis?
Censoremne tuum vel quod trabeate salutas?
Ad populum phaleras. ego te intus et in cute novi.
Non pudet ad morem discincti vivere Nattæ?

quid opus sit in addiscendis literis et artibus tantum laboris sumere, quum habeas, unde vivas Deosque sacrificando places; quid opus sit ingenio inclarescere, quum majorum tuorum splendor te satis a plebe distinguat. Nobilitas autem plebem tantum decipit, nec veram dignitatem homini conciliat.

25. *far modicum* h. l. opes haud contemnendæ. *sine labe* de opibus vulgo interpretantur nullis malis artibus quæsitis. Sæpe id *sine labe* vocatur, quod nullis actionibus malis et turpibus pollutum et contaminatum est: (Ovid. Epist. XVII, 14 et 69; Trist. IV, 8. 35. Juvenal. XIV, 68 seq.); verum h. l. simpl. mihi positum videtur pro integro, et ad modicarum divitiarum munditiæque picturam pertinere. cf. Horat. Od. II, 16, 13 seq. Serm. I, 3, 13.

26. *secura patella* eo pertinet, quo superiora, et intelligitur vas quo Diis libatur. Tibull. I, 10, 48. *cultrix foci*, quo laribus et penatibus libatur. *secura*, non quia res tenues a furtis et insidiis hominum et ab invidia tutæ sunt, ut Lucanus (V, 527 seq.) prædicat, sed quia nihil est, quod a Diis iratis, quos quotidie libationibus places, timeas. Omnino mihi videtur Noster in modicis opibus describendis non tam ad vitæ necessitates inde sustentandas respexisse, quam ad Deorum inde placandorum facultatem, ejusque rei gratia et *farris* et *salini* mentionem fecisse. Stat. Silv. I, 4. 130 seq. *Quid metuas* sc. quum habeas unde vivas Deosque propitios reddas.

27. *Hoc satis?* Nihil amplius requiritur ad bene beateque vivendum quam opes habere et ad vitam degendam et ad Deos placandos? *pulmonem rumpere ventis* pro: inflatum esse, ultra modum superbire.

28. *Stemmate quod Tusco ramum millesime ducis?* (*millesime* pro: millesimus. Valer. Flacc. I, 392 seq.) i. e. quod ducis millesimum ramum, millesimam subcessionis lineam; quod millesimus es ab gentis tuæ auctore. *stemmate Tusco.* Summa nobilitas eo indicatur. Sensus: quod ab antiquis Hetruscis genus ducis, et potes avorum et proavorum serie tempora ante Romulum urbemque conditam attingere. Ceterum omnia in majus de industria elata sunt.

29. *Censoremne tuum vel quod trabeate salutas,* spectat ad equitum transvectionem coram censore cum insignibus hujus ordinis annulo, trabea, equo, phaleris. cf. Liv. IX, 46. Dion. Halic. IV, 2. Valer. M. II, 2. 9. Hunc morem diu intermissum restituit Augustus. Sueton. Aug. 38. Sensus: quod ordine equestri gaudes. De fastus genere, quod majorum virtute et claritate nititur, præclare Seneca Epist. 44. loquitur: *Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus. Nemo in nostram gloriam vixit, nec, quod ante nos fuit, nostrum est. Animus facit nobilem, cui ex quacumque conditione supra fortunam licet surgere.* cf. Prop. IV, 11, 11. Juvenal. VIII, 130 seqq. Senec. Herc. fur. 338. Ælian. V. H. XIV, 36.

30. *Ad populum phaleras* sc. refer, seu pertinere putato. *phaleræ* proprie equorum ornamenta (Juvenal. XI, 103.) deinde pro quocumque ornamenti genere ponuntur, ut apud Petron. 55. ibi lege interpp. Intelligenda autem per *phaleras* omnia corporis bona, quatenus fortunæ dona non virtutis præmia sunt. Quæ quidem oculos perstringunt imperitæ plebis, sapientem vero non possunt commovere adeo, ut in vero pretio domini statuendo fallatur. *intus et in cute* pleonasmus. Sensus: intimi animi tui recessus mihi patent; ingenium tuum bene novi. Senec. Epist. 56. *aut fortasse voluit hoc ipsum nobis ostendere* (*Claranus*) *posse ingenium fortissimum ac beatissimum sub qualibet cute latere.*

31—34. Nonne te pudet vivere ut abjectissimus et perditissimus quisque, qui

Sed stupet hic vitio, et fibris increvit opimum
Pingue: caret culpa: nescit, quid perdat: et alto
Demersus, summa non rursus bullit in unda.
Magne pater divum, sævos punire tyrannos
Haud alia ratione velis, quum dira libido
Moverit ingenium, ferventi tincta veneno,
Virtutem videant, intabescantque relicta.
Anne magis Siculi gemuerunt æra juvenci,

ad omnem virtutis et honestatis sensum obduruit.

31. *discincti Nattæ*. *Natta* cognomen erat Pinariorum Tacit. Ann. IV, 24. Fortasse servis publicis iis, quibus sacra, quæ Pinariis sub Evandro curanda erant, postea ab illis demandata sunt, hoc cognomen hæsit. Potest autem nomen esse hominis ex infima plebis fæce, vitæ sordibus et morum turpitudine infamis. *discincti*, dissoluti.

32. *stupet hic vitio*. sensum vitiorum habet nullum. Ovid. Heroid. VIII, 111. *et fibris increvit opimum pingue*. Dicimus de homine stupido: ejus animo callum esse obductum, a similitudine satis nota; pro *callo* hic est *opimum pingue* pro: pinguedine, quæ sensum adimit. *fibris*, fibrarum nervinarum ramulis seu papillis per omnes corporis partes propagatis, quarum ope sentimus. Transferendum id h. l. est ad animum stupidum, qui neque vitiorum fœditate movetur, neque adlicitur pulchritudine virtutis, qui naturam boni et mali plane ignorat; proinde poterat de isto dici

33. *Caret culpa* (Juvenal. II, 15 seqq.) i. e. inputari ei nihil potest. *nescit, quid perdat*, simpl. pro: miseram suam conditionem ignorat.

34. *alto Demersus*. Iste homo perditus suæque conditionis miseræ ignarus comparatur cum eo, qui aqua demersus omnem plane sensum amisit. *bullit*, bullas facit jactando pedes et manus, ut in aquæ superficie se sustineat. Remota imagine sensus hic est: totus vitiis deditus seu vitiorum mancipium sine omni cura et sensu libertatis, qua numquam usus est. Is nempe, qui omnino nescit, quid intersit inter vitia et honestatem, non curat quoque ex misera sua conditione emergere.

35—43. Ratio, qua Noster sequentia expressit, facit, ut pæne nescias, quemadmodum hæc cum superioribus cohæreant. Verum si ea, quæ prolata sunt a poeta, pedestri oratione extuleris, omnia plana erunt. Ordo nempe sententiarum hic est: *Natta* iste natura stupidus omni sensu pæne destitutus est; verum tu, si divinam virtutis pulchritudinem, teque ipsum vitiis inquinatum adspiceres, quantis angoribus cruciarere, quantopere acerbissimi conscientiæ stimuli te exagitarent. Hæc universe enunciata sunt per apostrophen ad Jovem, eoque ipso doloris et cruciatus magnitudo et acerbitas exprimitur, quod nihil se habere gravius Noster profiteatur, quod crudelissimis tyraunis, monstris humani generis, possit adprecari, quam illa conscientiæ supplicia.

36. *dira libido*, quodcumque consilium crudele et libidinosum. cf. Claudian. XV, 165 seqq.

37. *moverit ingenium*, ipsos tyrannos instigaverit ad insigne flagitium. *ferventi tincta veneno* simpl. pro: venenata; hoc adjecto libidinis vis aucta est. Sumptum hoc a telis venenatis vulnera letifera semper infligentibus. Apte sane ad crudelia tyrannorum consilia, quorum furori inmanissimo quodcumque lubuerit, incredibili hominum stupore, in ipsos nimis sæpe licuit.

38. *virtutem videant*, supple: quam ut. Inprobissimus quisque et perditissimus non potest non virtutem, quam in aliis videat, suspicere, quam si cum sua fœditate comparaverit, se sui ipsius pœniteat et summo animi dolore adficiatur necesse est. *intabescantque*, tabe consumantur, angoribus et tormentis conscientiæ exedantur. *relicta* sc. *virtute*, quum se ipsi longe a virtutis dignitate et præstantia remoti in cœno et fœditate vitiorum abjectos conspexerint.

39. Pergit in describendis conscientiæ stimulis, quos dicit acriores dolores excitare, quam Phalaridis, Agrigentini tyran-

Aut magis auratis pendens laquearibus ensis
Purpureas subter cervices terruit, *imus*
Imus præcipites, quam si sibi dicat, et intus
Palleat infelix, quod proxima nesciat uxor?
Sæpe oculos, memini, tangebam parvus olivo,
Grandia si nollem morituri verba Catonis

ni, taurum æneum; magis angere, quam Dionysii Syracusarum regis ensem supra cervicem Damoclis seta equina suspensum. cf. Juvenal. XIII, 192 seqq. *æra Siculi juvenci.* metonym. pro hominibus in isto tauro inclusis. Phalaridis crudelitas adeo nota est et decantata apud veteres, ut semper ejus mentio fiat, ubi de tyrannis aut de tyrannide sermo est. v. loca laudata a Manutio ad Cic. Offic. II, 7.

40. De Dionysio Syracusanorum tyranno et Damocle ejus adsentatore narrat Cicero Tuscul. V, 9. 20. 21. *auratis laquearibus, lacunar* seu *laquear* erat tectum triclinii tignis transversis in quadratas depressiones (*lacus* vel *lacunas*) divisum, auro, coloribus et picturis inlustratas. Jani ad Horat. Od. II, 16. 11.

41. *Purpureas subter cervices*, proprie: supra Damoclis, purpura regia induti, cervicem.

42. *imus Imus præcipites, quam si sibi dicat.* Sensus: Quam quum videt, se a vitiis præcipitem duci, neque iis resisti posse amplius cognoscit; hanc miserrimam conditionem, in qua versatur, quum studeat dissimulare, pejorem eo ipso facit.

43. *intus Palleat. pallere* de eo dicitur, qui curis et angoribus conficitur. *intus palleat.* i. e. internis doloribus conscientiæ exagitetur, dum miseram ejus conditionem alii ignorant. *quod proxima nesciat uxor.* illud *quod* intelligi potest ita, ut sit pro: *ob id palleat, quod* cet. Angoribus maceratur, quos ne cum familiarissimis quidem suis, ne cum uxore quidem communicare ausus est. Et sic quoque subjunctivus, quo usus est Noster, quodammodo potest defendi, etiamsi huic rationi adcommodatius esset, si legeremus: *quod uxor proxima nescit.* Potest quoque *quod* sumi pro *quamvis*, (Burmann. ad Propert. III, 1. 49.) ut sensus sit: internis crucietur doloribus, quamvis ne uxor quidem, prope cubans, id sentiat. Bene expressit conscientiæ tormenta Cic. pro Sext. Rosc. Amerino 24. et in oratione in Pison. 20.

44—51. Jam Noster sic pergit: Pueris quidem literarum fastidium ignoscendum est; habet enim quæque ætas sua studia, puerosque puerilia tractare meo ipsius exemplo doctus scio. 44. *tangebam olivo.* Ad quæ Schol. *merito mihi lippitudinem arcessebam.* cf. Burm. ad Ovid. A. A. I, 662. Sensus: oleo tangebam oculos, ut viderer oculis laborare, meique parentes me a studiis, a quibus tunc aversabar, retinerent.

45. *Grandia si nollem morituri verba Catonis Dicere.* Erat exercitationis genus apud grammaticos, ut discipulos juberent eam rationem, quam magnus aliquis vir, virtute et meritis conspicuus, quum in eo esset, ut civitatis tempestatibus aut alia quadam calamitate obrueretur, habuisset, meditatione et stylo persequi. Quæ quidem exercitatio multum valere debebat cum ad judicium acuendum, quandoquidem semper dispiciendum erat, quæ personis, tempori et loco convenirent, tum ad orationem ipsam locupletandam, certamque aliquam dignitatem gravitatemque ei conciliandam, quum virorum, dignitate et gravitate excellentium, verba, quæ facere saltem potuissent, imitatione essent exprimenda. Quo nomine etiam res vehementer probatur Quintiliano. (III, 8. et aliis locis.) Adcessit etiam, ut in sentiendi et cogitandi consuetudinem horum præstantissimorum virorum juvenes adducerentur. Quæ quidem res per se omni laude digna, quum ingenia matura et aliquo jam literarum usu subacta requireret, præpostere in pueris pæne infantibus adhibita, plus ad conrumpendam veræ eloquentiæ naturam, quam ad eam amplificandam et perficiendam adtulit. Sensuum enim et sententiarum, quam nondum capit illa ætas, sublimitate et gravitate neglecta, in verbis grande aliquid sonantibus eligendis, in junctura eorum molli et comprehensionibus perplexis et artificiosis, pueriliter desudabant. Qua

Dicere, non sano multum laudanda magistro,
Quæ pater adductis sudans audiret amicis.
Jure: etenim id summum, quid dexter senio ferret,
Scire erat in voto: damnosa canicula quantum
Raderet: angustæ collo non fallier orcæ:
Neu quis callidior buxum torquere flagello.
+Haud tibi inexpertum curvos deprendere mores,

ex re, tamquam ex fonte, magnam Latinæ linguæ corruptelam profluxisse, unusquisque intelligat, necesse est. Legendus est Quintil. Inst. II, 4. *Grandia verba Catonis morituri* i. e. orationem Catonis verbis sublimibus elaboratam, in qua deliberabat Cato, utrum mortem sibi consciscceret, an servitutem pateretur. Senec. Epist. 24. Ceterum profiteor, vulgatam lectionem *morituro Catoni* mihi magis adridere. Majorem vim h. l. inesse unusquisque sentiet, si puerulum cogitet infantem Catoni suadere, quid ei faciendum sit. In hoc genere orationis suasoriali pueri in scholis tunc valde exercebantur. Juvenal. I, 16.

46. *non sano multum laudanda magistro.* Præstat *non* cum *sano* jungere, ut sit pro: *insano*, quam cum *multum*. Insanus erat magister, qui talia proponeret pueris, judiciique pravitatem adulationemque in laudando ostenderet. Ceterum grammaticos *Magistros* et *Professores* esse adpellatos, docuerunt interpp. Petron. 55.

47. *adductis* ut filiolum verba facientem audirent ejusque doctrinam admirarentur. Quintil. II, 7. X, 5. *sudans ἀγωνιῶν*, de eventu anxius. Uberius rem expressit Statius Silv. V, 3. 215 seqq.

48. *Jure:* convenienter annis puerilibus. Etenim quum ætas puerilis ad summi boni notionem et intelligentiam se erigere non possit, habeatque tamen aliquod propositum pro ingenii facultatibus, quod summum bonum existimet: jure igitur quasi suo videtur agere, quum id constanter sectatur. Ea autem, quæ pueri sequuntur, in quibus excellere gloriosum putant, ludi sunt, quorum genera præcipua recensentur. *dexter senio.* Pertinet ad talorum et tesserarum ludum; illorum superficies quatuor quadratis et duobus, quæ sibi invicem obposita erant, lateribus rotundis, horum sex lateribus quadratis comprehendebantur. Talorum quadratum unum insignitum uno, alterum tribus, tertium quatuor, quartum sex punctis, quod latus, lateri unitate insignito obpositum, *senionem* vocabant. Talis ita jactis, ut singuli diversum punctorum numerum ostenderent (*μηδενὸς ἀστραγάλου πεσόντος ἴσῳ σχήματι* Lucian. Amor. T. II. p. 415. ed. Reiz.) *Veneris* erat jactus, si unum eumdemque numerum omnes, *Canis;* ille felicissimus, hic infelicissimus. Ceterum ludebatur quatuor talis, tribus tesseris. cf. Sueton. August. 71. Ovid. A. A. II, 204 seqq. Trist. II, 471 seqq. ibique interpp. *dexter*, felix, obponitur *damnosæ caniculæ. ferret*, lucri adferret.

50. *Raderet* pro: deraderet, damnum inferret; quantopere rem minueret, rei detraheret. Martial. XIII, 1. 5 seqq. *angustæ collo non fallier orcæ.* Infinitivus pendet ab: *erat in voto.* Potest hoc ad prius ludi genus referri, et *orca* forsan idem est, quod *phimus, fritillus, pyrgus.* Ovid. in Nuc. 87 seqq. ibi interpp. Horat. Sat. II, 7. 17. cf. Ruperti ad Juvenal. XIV, 5. Casaubonus existimat, hoc quoque de alia lusione posse adcipi, quæ apud Græcos *τρίστα* dicebatur, ne ex Pollucis quidem Onom. IX, 7. satis nota.

51. *callidior* (sc. esset) *torquere* i. e. majori cum dexteritate torqueret. *buxum* i. e. turbinem seu trochum e buxo tornatum. Virgil. Æn. VII, 378 seqq. et Tibull. I, 5. 3. ibi v. Heyn.

52—62. Sequitur quasi apodosis ejus sententiæ, quam Noster v. 44 — 51. exprimere orsus est. Pueris quidem hoc concedendum, sed tibi non item, qui jam malorum et bonorum rationem habere possis, qui philosophiæ præceptis inbutus, quid adpetendum sit in omni vita, quidve fugiendum, scire debeas. Num tibi certus finis propositus est? cf. Horat. Epist. I, 18. 96 seqq. et Epict. 50.

52. *Haud tibi inexpertum* pro: scis. *deprendere* dignoscere seu notare. *mores curvos*, qui mores ad regulam non exacti sunt, *curvos* ideoque pro: pravos. Ceterum ingenio exculto atque exercitato non

Quæque docet sapiens braccatis inlita Medis
Porticus, insomnis quibus et detonsa juventus
Invigilat, siliquis et grandi pasta polenta. †
Et tibi quæ Samios diduxit litera ramos,
Surgentem dextro monstravit limite callem.
Stertis adhuc? laxumque caput compage soluta
Oscitat hesternum, dissutis undique malis?
Est aliquid quo tendis, et in quod dirigis arcum?

potest fieri, quin etiam honestatis sensus acuatur.

53. et 54. *Quæque docet* cet. sensus: tu quoque tenes stoicæ disciplinæ præcepta. *Porticus.* Intelligit Noster τὴν ποικίλην στοάν, a Polygnoto picturis, inprimis pugna illa Marathonica depicta, exornatam. Plutarch. in Cimone c. 4. T. III. ed. Hutt. Plin. H. N. XXXV, 9. Cornel. in Miltiade 6. Id quod indicatur per: *braccatis inlita Medis. Braccæ* erant laxa feminalia seu femoralia, quibus Persæ præcipue utebantur. v. loca a Ruperti ad Juvenal. II, 169. laudata, quibus addas Xenoph. Cyropæd. VIII, 3. 13. et Perizon. ad Ælian. V. H. XII, 32. copiose de iis disserentem. *inlita* pro: picta. Ceterum *stoam* et *porticum* pro disciplina stoicorum, ut Academia pro Academicorum, poni notum est. Horat. Sat. II, 2. 43 seqq. inde quoque *sapiens* facile potest explicari. *Insomnis et detonsa juventus.* Significat disciplinæ stoicæ severitatem, quæ omni cultu et victu, qui non proprie pertinebat ad frigus arcendum famemque et sitim sedandam, abstinebat. Juventutem præcipue Stoici exercebant in tolerandis laboribus, inedia, vigiliis, ut contra omnes fortunæ ictus munita esset. Disciplinam philosophorum interdum severiorem fuisse et duriorem, legimus apud Lucianum in Nigrino c. 27. et 28. T. I. p. 67. ed. Reiz. *detonsa.* Stoici barbam alebant, sed caput cute tenus tondebant. Lucian. in vit. auct. c. 20. ibi not. T. I. p. 559. ed Reiz. et in Hermot. c. 18. p. 756.

55. *siliquis.* Siliquas non proprie esse intelligendas, sed legumina quæque, cujus generis lupinos esse, jam docuit Salmasius ad Solin. p. 460. *grandi polenta,* farina hordeacea, ut tenui et vili cibo. Horat. Epist. II, 1. 123. Juvenal. XI, 58 seq.

56. Verborum ordo est: *quæ litera deduxit Samios ramos, ea tibi monstravit callem* cet. Ad h. l. intelligendum valebunt verba Servii ad Virgil. Æn. VI, 136. *Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y literæ, scilicet, quod prima ætas incerta sit, quippe quæ adhuc se nec vitiis nec virtutibus dedit. Bivium autem Y literæ a juventute incipere, quo tempore homines aut vitia, id est, partem sinistram, aut virtutes, id est, partem dextram, sequuntur.* cf. Lactant. VI, 3. Hinc facile explicaveris epithet. *Samios* erat nempe Pythagoras in Samo insula natus. Primas lineas hujus imaginis forsan ducit Hesiod. op. et d. 286 seqq. cujus verbis philosophi sæpe usi sunt, Plat. republ. II. T. VI. p. 220. ed. Bipont. Xenophon, in Mem. Socr. II, 1. 20. Inde fabulam de Hercule commentus est Prodicus, qui multos deinde habuit imitatores, quos ordine recenset Zeunius ad Xenoph. l. c. cf. Sil. Italic. XV, 18 seqq. Anthol. Latin. Burm. T. II. p. 416. Epigr. 140.

57. *surgentem callem,* μακρὸς δὲ καὶ ὄρθιος οἶμος. Hesiod. l. c. Illum callem respexit Juvenal. X, 363.

58. *Stertis adhuc?* Sensus: Et tu, quem deceat philosophiæ præcepta sequi, ad eaque totam vitam componere, voluptatibus et vitiis adhuc inservis? Hoc ebrietatis vitio expressit, iisque maiis, quæ ebriorum et crapula laborantium adsidui comites esse solent. *laxumque caput compage soluta.* Graphica ebrii descriptio, cujus caput mero gravatum quasi laxatis colli vinculis huc illucque nutat.

59. *Oscitat hesternum,* exhalat veterem crapulam. Illud *oscitat* amplificatur addito: *dissutis undique malis* i. e. aperto rictu. Magis ad vivum ebrii imago vinumque edormientis hominis exprimi nequit.

60. *quo tendis,* quo studes pervenire. *et in quod dirigis arcum.* Sensus: habesne

An passim sequeris corvos testaque lutoque,
Securus quo pes ferat, atque ex tempore vivis?
Helleborum frustra, quum jam cutis ægra tumebit,
Poscentes videas. venienti obcurrite morbo.
Et quid opus Cratero magnos promittere montes? 65
Discite io miseri, et caussas cognoscite rerum!
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur? ordo

certum finem propositum, constituistique summum bonum, qualecumque tandem sit, ad quod omnes vitæ actiones dirigas? In eo consenserunt omnes philosophi, hominis esse, id agere, ut se felicem et beatum reddat; qua vero ratione id fieret, scholæ diversæ diversa præceperunt, et inde nata sententiarum in summo bono constituendo diversitas, de qua Cicero in libro de finibus agit. Ad illud τέλος, ut Græci vocant, finem, extremum, summum bonum, Noster spectat, quod unusquisque, qui in omnibus dictis factisque per totam vitam constantiam servare velit, sibi proponere debet. Seneca Epist. 20. *Unam semel, ad quam vivas, regulam prende, et ad hanc omnem vitam tuam exæqua.* conf. Marc. Antonin. II, 7.

61. *An passim sequeris corvos.* Sensus: An nullum habes propositum certum, sed modo huc modo illuc vagaris frustra laborans in adpetendis iis, quæ tibi bona ad tempus videntur, ut pueri in avibus luto testaque petendis.

62. *Securus quo pes ferat,* non sollicitus, quo perventurus sis. *atque ex tempore vivis,* proposita pro temporum ratione mutas; rebus præsentibus te adcommodas.

63—76. In tollendis vitiis mature est adlaborandum, ne, quum in animis nostris inveteraverint, altiusque radices egerint, frustra medicinam quæramus. Quam ad rem adprime utile erit philosophiæ studium, cui igitur omisso omni lucri studio vacandum est.

63. *Helleborum* valere ad hydropicos sanandos habet Plin. H. N. XXV. sect. 22. h. l. pro unaquaque medicina positum, ut hydropsia pro quoque morbo. Ipsa autem allegoria Noster docet, philosophiam esse in tempore adhibendam ad ægrotam animi conditionem levandam.

64. *venienti obcurrite morbo.* cf. Ovid. Rem. A. 91 seq.

65. *Cratero,* pro medico quocumque. *Craterum* medicum fuisse excellentissimum sub Augusto narrat vetus commentator ad Horat. Sat. II, 3. 161. Sensus: Nihil juvat tunc, quum res amplius in integrum restitui nequeat, medicis dona ingentia promittere, ut valetudinem dejectam resuscitent.

66. *Discite io miseri.* Adversus animi morbos maturum philosophiæ studium commendans ipsam philosophiam per gravissima ejus capita exprimit. cf. Horat. Epist. I, 2. 67 seqq.; I, 18. 96 seqq. *miseri* ex mente Stoicorum præter unum sapientem, quem animo tantum et mente comprehensum habebant, omnes erant *miseri* et *stulti.* Non tam exprobationem habet in se hæc exclamatio, quam miserationem, æque ac rudior illa expressio et sermonis prisci ingenio adcommodatior, qua Musæ Hesiodum adlocutæ sunt: κακ' ἐλέγχεα γάστερες οἷον, et qua ipse Perseu: μέγα νήπιε Πέρση. (Deor. gener. 25. Opera et d. 286.) ubi de conviciis non est cogitandum. *et caussas cognoscite rerum.* Causis enim rerum cognitis tolluntur metus inanes, qui hominum animos excruciant; tolluntur cupiditates, quæ inprimis rationi infestæ sunt; tolluntur reliqua mala, quorum fecunda mater hominum ignorantia est.

67 et seqq. sequuntur illa gravissima philosophiæ capita, de cognitione sui ipsius, de consilio, quo homo a Deo sit creatus, de rerum ordine seu fato, de brevitate vitæ humanæ, de contemnenda morte, de cupiditatum moderatione, de recto usu divitiarum, de officiis aliis præstandis, quæ omnia sigillatim a philosophis tractata sunt. 67. *Quid sumus?* A cognitione sui ipsius unusquisque debet procedere, qui discere vult, quid sibi, quid aliis debeat. Hoc inlustrantem Socratem inducit Plato in Alcib. I. T. V. p. 56. et p. 65. ed. Bip. Sen. Epist. 82. *Itaque, quantum possumus, ab illa* (fortuna) *resiliamus, quod sola præstabit sui naturæque cognitio. Sciat, quo iturus sit, unde ortus; quod illi bonum, quod malum sit; quid petat, quid devitet; quæ sit illa ratio, quæ adpetenda*

Quis datus, aut metæ quam mollis flexus, et unde?
Quis modus argento? quid fas optare? quid asper
Utile numus habet? patriæ carisque propinquis
Quantum elargiri deceat? quem te deus esse
Jussit, et humana qua parte locatus es in re?

ac fugienda discernat, qua cupiditatum mansuescit insania, timorum sævitia compescitur. conf. Juvenal. XI, 27 seqq. Notum illud *γνῶθι σεαυτὸν*, quod Chiloni vulgo adtribuitur, verum etiam aliis. — *et quidnam victuri gignimur.* Hoc duplicem interpretationem admittit; primum, *quidnam victuri* potest significare: quam breve tempus victuri. Senec. Epist. 99. *Hoc, quod vivimus, proximum nihilo est, et tamen late disponitur.* Deinde idem potest adcipi pro; *quidnam in vita acturi* i. e. quem in finem geniti simus. Cic. d. Finib. II, 13. *Hi non vident, ut ad cursum equum, ad arandum bovem, ad indagandum canem; sic hominem ad duas res, ut ait Aristoteles, ad intelligendum et ad agendum esse natum, quasi mortalem Deum.* cf. Juvenal. VIII, 83 seq.

68. *ordo Quis datus.* Satis obscure. Sub *ordine* h. l. sempiternum et admirabilem rerum et causarum nexum, quem Stoici fatum vocabant, intelligi debere, interpretes perhibent. Vide seu disce omnia fato contineri, in quo lubens volensque adquiescas necesse est. Marc. Antonin. IV, 45. Et sane nihil erat, quod tam frequenter a Stoicis inculcaretur, quum docerent, soli rationi esse obtemperandum semper et ubique, simulque intelligerent, ejus præcepta bellum indicere sæpe iis rebus, quibus a natura conciliaremur, et interdum nos invidiæ odio mortisque periculo objicere; quum viderent, virtuti non ubique sua præmia esse, sed bonum et honestum virum a fortuna ludibrio haberi, malum contra et turpem prosperrima rerum conditione uti. Qua re compulsi, quum etiam vitam post mortem jacturæque compensationem nullam putarent, ut sibi constarent, ad istam singularem de rerum bonarum et malarum natura opinionem reliquaque confugerunt, quæ, si fontem illorum neglexerimus, pæne absurda nobis videantur necesse est. Forsan etiam hoc sub ordine rerum innuere voluit Noster, ita esse natura comparatum, ut in rebus humanis altera ex altera nexa sit indissolubili vinculo, ut altera alteram necessario præcedat aut sequatur, adeo, ut homini non liceat, hanc, qua sensus jucunde moveantur, eligere et adpetere, illam, quæ minus delectet, rejicere et fugere, sed debeat potius in ea conditione adquiescere, qua bonis admixta sint mala, legemque et ordinem naturæ servare, sub quo illa nobis usum alicujus boni concesserit. Epict. 29; Xenoph. Mem. Socr. II, 1. 18 seqq. *aut metæ quam mollis flexus.* Translata hæc sunt a certamine curruli ad mortem, finem vitæ, quem poeta *metam, νύσσαν*, vocat, quum sibi vitæ spatium tamquam stadium decurrendum fingat. Juvenal. X, 358. vocat mortem: *spatium vitæ extremum;* Græci *θανάτου τέλος, βιότοιο τελευτὴν, τέκμαρ.* conf. Pindar. Nem. VI, 10 seqq. Virg. Æn. X, 471. XII, 546. Ovid. ad Liv. Aug. 357 seqq. *mollis,* lenis, quo currum seu equos absque timore circumagere possis, ne axem frangas, currumve evertas. *Metæ mollis flexus* est ergo mors lenis, nullum timorem adferens, qualis debet esse sapientis ex Stoicorum disciplina. Hinc explicandum quoque videtur *et unde* sc. mollis flexus sit; spectat enim ad præsidia, quibus muniti in morte nihil videmus, quod timorem incutere possit. Senec. Epist. 30. Cic. ad Famil. IV, 5; Marc. Antonin. IV, 48. 50. inprimis Plat. Apolog. Socrat. T. I. p. 93. ed. Bip. cf. Cic. Tusc. Q. I, 41. Verum alii aliter hæc interpretati sunt, et quis, verum se vidisse, in tanta rerum obscuritate adfirmaverit?

69. *Quis modus argento?* i. e. quem modum in opibus parandis servare debeamus. Senec. Epist. 16. *Si ad naturam vives, numquam eris pauper, si ad opinionem, numquam dives.* Juvenal. XIV, 316 seqq. *Quid fas optare?* de hoc agit Sat. II.

70. *quid asper Utile numus habet? asper* h. l. est recens, nondum usu detritus. Senec. Epist. 19. *non voles, quod debeo, nisi in aspero et probo adcipere.* ibi Gruter. *quid utile,* pro: quam utilitatem. Sensus est: quis usus sit divitiarum. *patriæ carisque propinquis* cet. cf. Cic. de Offic. I, 17. Horat. Sat. II, 2. 100 seqq.

71. 72. *quem te deus esse Jussit.* i. e. quas partes tibi Deus adsignavit in vita

Disce: nec invideas, quod multa fidelia putet
In locuplete penu, defensis pinguibus Umbris,
Et piper, et pernæ, Marsi monimenta clientis,
Mænaque quod prima nondum defecerit orca.
Hic aliquis de gente hircosa centurionum
Dicat, Quod satis est, sapio mihi: non ego curo
Esse, quod Arcesilas ærumnosique Solones,
Obstipo capite, et figentes lumine terram,

agendas. Vitam, dixit Epictetus, scenam esse, in qua suæ cuique partes agendæ sint, videndumque, ut unusquisque personam suam bene tueatur. Elegans epigramma Græcum: Σκηνὴ πᾶς ὁ βίος, καὶ παίγνιον, ἢ μάθε παίζειν τὴν σπουδὴν μιταθεὶς, ἢ φέρε τὰς ὀδύνας. cf. Epict. 17. *humana* conjungendum cum *re. humana res* est vita humana; et *pars* idem est, quod apud Epictetum c. 10. σχίσις, conjunctionis ratio, in qua versamur cum aliis hominibus (*beziehung, verhältniss*) unde officiorum diversitas oritur. *locatus*, τεταγμένος, quasi in statione. Cic. in Cat. maj. 20.

73. *Disce: nec invideas* cet. Disce sapere, seu operam inpende philosophiæ, cujus quidem studium tibi opes non augebit, nihilominus tamen disce, nec cura ceteras artes, quas qui exercent, rem facere possunt. Senec. Epist. 17. Speciem opes congerendi hoc loco posuit, qua jurisconsulti causarumque patroni utebantur. *multa fidelia* (ut ap. Virg. Ecl. I, 35. *multa victima*) pro magno numero vasorum fictilium. *putet.* hoc verbo ingens multitudo expressa est, quæ tanta erat, ut salsamenta ceteræque res, quæ iis continebantur, quum consumi non possent, situ et vetustate conrumperentur.

74. *In locuplete penu.* in cellis promptuariis locupletis causidici. *pinguibus*, potest ad corpora bene curata Umbrorum, aut ad eorum divitias spectare; posterius h. l. convenire videtur. Umbria erat pascuis inclyta. Catull. XXVII, 11. Prop. I, 22. 9 seq.

75. *monimenta*, dona pro defensione.

76. *Mæna* piscis marinus (Plin. H. N. IX, 26.) quæ in frusta dissecta a salsamentariis in ollis adservabatur. *orca.* vet. Schol. Cruq. ad Horat. Sat. II, 4. 66, *orcam*, ait, ollam esse Græcam ore angusto in formam καυκαλίου. *prima orca*, potest significare vel: in prima parte orcæ; vel: in ea orca, ex qua prima cœpta sunt salsamenta depromi reliquis orcis adhuc intactis. Ceterum res erant viles, quæ præmii seu mercedis loco causarum patronis a clientibus mittebantur. Horat. Sat. II, 5. 43 seq. Juvenal. VII, 106 seqq. et 119 seqq. Martial. IV, 46. quarum rerum vilitate Noster usus est ad avaritiam sordesque illorum hominum perstringendas, qui, scientia divinarum humanarumque rerum posthabita, vel vilissimis rebus per maximos labores adquisitis, res suas augere non dubitarent.

77—87. Verum, objiciat aliquis, ad vitam communem prudentia satis instructus sum, non laboro philosophus fieri et in nugis illorum occupatus esse, quas populus ridere solet.

77. *Hic aliquis de gente hircosa centurionum.* Pro philosophiæ osoribus posuit Noster *centuriones*, nobiles, ut apud Horat. Sat. I, 6. 73. aut omnino castra sequentes, qui virtutem omnem in despiciendis bonis artibus et in negligendo corporis cultu positam putabant, ut, si non fortes et strenui, tamen feri et horridi viderentur. Juvenal. XIV, 193 seqq. Epitheton *hircosa* corporis immunditiem spectat. Horat. Epod. XII, 5; Dœring. ad Catull. LXI, 10. Interdum *hircosus* pro: vetustus, Gell. XII, 2.

79. *Arcesilas* academiæ mediæ princeps, doctus quidem homo, sed, si fabula vera est, vita non admodum sancta. Diogen. Laert. IV, 40. *ærumnosi*, hoc ad vultus tristitiam referendum, quam curis ac vigiliis philosophi sibi contraxerant; aut potius statuendum est, philosophiæ osorem hoc verbo abuti ad severitatem vultus designandam.

80. *Obstipo capite.* hoc explicat vet. schol. Cruq. ad Horat. Sat. II, 5. 92. *cupite inclinato in alterum humerum;* ad habitum meditantis pertinet, ita ut sequens: *figentes lumine terram*, ut apud

Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Ægroti veteris meditantes somnia, gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil posse reverti.
Hoc est, quod palles? cur quis non prandeat, hoc est? 85
His populus ridet: multumque torosa juventus
Ingeminat tremulos naso crispante cachinnos.
Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus, et ægris

Stat. Silv. V, 1. 140. fortius, quam *lumina terra figere*, aut *oculos solo*, ut est apud alios poetas. Virg. Æn. IV, 469. Ovid. Metam. XIII, 541. Trist. IV, 2. 29. pro: vultu rigido intuentes terram. Lucian. in Tim. T. I. p. 170. ed. Reiz. de incessu philosophi cujusdam ἐκπετάσας γοῦν τὸν πώγωνα καὶ τὰς ὀφρῦς ἀναπτίνας, καὶ βρενθυόμενός τε πρὸς αὑτὸν ἔρχεται, τιτανώδεις βλέπων cet.

81. *Murmura quum secum et rabiosa silentia rodunt. Murmura rodunt*, i. e. tamquam rem gravissimam animo volutantes tacite murmurant motisque maxillis, inde *rodere murmura*, Quintil. X, 3; nihilominus tamen durum est, verum irato centurioni id condonemus. Antholog. Lat. Burm. T. II. Epigr. 139. vers. 21 seqq. *Est et non igitur, quoties lucem esse fatendum est, Sed non esse diem; mille hinc certamina surgunt, Hinc pauci, multi quoque talia commeditantes, Murmure concluso rabiosa silentia rodunt. Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant! — rabiosa silentia.* quandoquidem silentium cum murmure fixusque obtutus rabiei signum esse solet. Juvenal. II, 14. cf. Lucian. de Sect. princ.

82. *Atque exporrecto trutinantur verba labello.* Mira quidem, sed non minus apta huic rei locutio. *trutinantur* i. e. expendunt; quid tandem? *verba.* ergo in verborum contentione occupati sunt, quod sæpe philosophis a Luciano objicitur. v. in Demonacte c. 28. T. II. p. 386. ed. Reiz. Ut oris habitum tandem meditantis rideas, adjectum est: *exporrecto labello*, ita ut labiis porrectis ceu trutinæ verba adpensa videantur.

83. *Ægroti veteris somnia*, i. e. ea, quæ vetus, nescio quis, philosophus, mente morbo turbata, somniavit. Ex opinione militis hoc.

84. cf. Lucret. I, 151. Hoc erat principium omnis physiologiæ veteris. v. Gassendi de Epicur. philos. T. I. p. 161. Lugdun. 1649. Tiedemann. System der Stoischen Philosoph. T. II. p. 25 seq. Axioma hoc vetustissimum esse indicant fere omnes mythi cosmogonici a Chao quodam procedentes.

85. *Hoc est, quod palles?* Cum inrisione pronunciatum, *quod* pro: propter quod; his nugis igitur ita studes, ut pallorem tibi contrahas? Similis orationis color est apud Juvenal. VII, 96 seqq. Senec. Epist. 48. *O pueriles ineptias! in hoc supercilia subduximus? in hoc barbam demisimus? hoc est, quod tristes docemus et pallidi? cur quis non prandeat.* Severi homines et frugi studiisque dediti prandio abstinere solebant. Ideoque vocat Horatius Sat. II, 3. 257. Xenocratem philosophum *inpransum.*

86. *His populus ridet. His* sc. in philophos dictis. *ridet* pro: adridet, plaudit, dicta risu comprobat. Epict. 22. *torosa juventus*, omnes ii, qui a studiis philosophiæ aversi sunt, præsertim milites. Egregie hoc *torosa* obpositum est τῷ *pallere* et *non prandere.*

87. *Ingeminat* fortius quam: tollit. Cum *ingeminat* jungo quoque *multum*, ut h. l. sit: diu, Valer. Flacc. I, 459. Juvenal. I, 164; non cum *torosa*, ut vulgo interpretes, quia in *torosa* jam ea vis latet, quam *multum* addere videtur. *tremulos* naturam cachinni exprimit. *crispante* in rugas tracto.

88—106. Philosophis insultanti omnemque eorum disciplinam deridenti respondet Noster per similitudinem ab ægro, medici consilia salubria cum mortis periculo negligenti, sumptam, et quidem recte, nam argumentis cum hoc hominum genere certare velle, oleum esset et operam perdere. Narrandæ sunt fabulæ et similitudines ut rudibus et infantibus. Qua ratione etiam id consecutus est Noster, ut rem in actionem converteret, eamque quasi oculis subjiceret, ut agi magis quam narrari videretur.

88. *Inspice: nescio quid trepidat mihi pectus.* Signa hæc febris adventantis.

Faucibus exsuperat gravis halitus: inspice sodes,
Qui dicit medico, jussus requiescere, postquam
Tertia compositas vidit nox currere venas,
De majore domo modice sitiente lagena
Lenia loturo sibi Surrentina rogavit.
Heus bone, tu palles. " Nihil est." Videas tamen istud,
Quidquid id est: surgit tacite tibi lutea pellis.
" At tu deterius palles: ne sis mihi tutor:
Jam pridem hunc sepeli: tu restas." Perge, tacebo.
Turgidus hic epulis atque albo ventre lavatur,
Gutture sulfureas lente exhalante mephites.

Cels. III, 6. Ægrotus hic inducitur medicum adpellans.

89. *exsuperat*, ex ventriculo sursum adscendit. *gravis* male olens. Ovid. A. A. III, 277. interpp. ad Petron. 93.

90. *Qui dicit* pro: qui dixerat. *jussus requiescere.* Ab omni motu et exercitatione adpropinquante morbo ut abstineatur, Celsus auctor est (III, 2.) et Quintil. II, 17. cf. Plin. Epist. VI, 1.

91. *compositas venas*, i. e. sanguinis meatum non amplius concitatum esse. *tertia nox.* Etiamsi enim tertio die febris non reverteretur, tamen non poterat securus esse a quartana.

92—93. Ordo verborum: *rogavit sibi loturo Surrentina lenia lagena modice sitiente de majore domo.* Morbo, præsertim febri laborantibus cibi delicatiores et exquisitiores a fautoribus mitti solebant, Martial. II, 40 et 76, sic etiam vina generosiora. *Surrentina* Plin. H. N. XIV. Sect. 3. *Item Surrentina in vineis tantum nascentia convalescentibus maxime probata propter tenuitatem salubritatemque.* Hoc vinum caput non tentare, vires tamen habere, docet idem XXIII. Sect. 20. *lagena* vas erat, in quo vinum semper paratum habebant in triclinio, et ex quo pocula inplebantur. Petron. 22. ibique interpp. In *lagenis* vinum quoque adservabatur. Juvenal. XIV, 270 seq. *lagena modice sitiente. Sitire* dicuntur res, quando humor eas deficit; *lagena m. s.* notat igitur lagenam vino tantum non plenam, vino forsan vetustate jam ex parte decocto, nam Surrentinum incipiebat bibi post XXV demum annum. Casaubonus *modice sitiente* explicat: ἐπιεικῶς μεγάλῃ, μετρίᾳ, quandoquidem parcius mitti solerent vina generosiora. Juvenal. V, 32. Verum hæc interpretatio h. l. non convenit; æger hic, qui in exemplum inducitur, minime modice debet bibere, sed vino se ingurgitare ad venturi morbi vim augendam. *loturo.* Hoc Celsus III, 2. inlustrabit: *Plurimi falluntur, dum se primo die protinus sublaturos languorem aut exercitatione, aut balneo, aut coacta dejectione, aut vomitu, aut sudationibus, aut vino sperant*, etc. Balneo quidem etiam in febri utebantur, sed magna cautione adhibita.

94. *Heus bone, tu palles.* Verba hæc non sunt medici, ut ex responso patere videtur, sed amici cujusdam, ægrotum ad epulas et pocula se convertentem retinentis et monentis.

95. *surgit tacite tibi lutea pellis.* Sensus: pallor sensim sensimque *(tacite)* corpus tuum occupat.

97. *Jam pridem hunc sepeli: tu restas.* Minus commode hæc verba minitantis esse creduntur, sunt potius ludentis, hoc sensu: tutor, qui mihi fuit, jam pridem sepultus est, tu alter tutor scilicet mihi restas. *Perge* sc. ad cœnam et pocula ire, eventus te docebit optimus stultorum magister.

98. *Turgidus hic epulis atque albo ventre*, i. e. cibis probe oneratus et ventre distento. cf. Horat. Sat. II, 2. 21 seq. et 76 seq.; Epist. I, 6. 67 seq. Juvenal. I, 141 seqq. *albo ventre.* Sulpic. Sat. 36. Sidon. Apoll. Carm. V. 339 seq.

99. *mephites*, fœtorem ex ore, quum cibi non concoquuntur, sed in ventriculo quasi putrescunt. *sulfureas*, sulfurei odoris. *lente exhalante.* animam jam enim ægre trahebat. Malum in balneo jam ingravescens vim suam omnem inter pocula exserebat.

Sed tremor inter vina subit, calidumque triental
Excutit e manibus: dentes crepuere retecti:
Uncta cadunt laxis tunc pulmentaria labris.
Hinc tuba, candelæ: tandemque beatulus alto
Compositus lecto, crassisque lutatus amomis,
In portam rigidos calces extendit: at illum
Hesterni capite induto subiere Quirites.
" Tange miser venas, et pone in pectore dextram:

100. *calidum triental*, poculum trientis capax calidi vini plenum. Ceterum cf. Horat. Epist. I, 16. 21 seqq.

101. *retecti*, ut solent labra eorum diducta esse, quos febris vehementer concutit.

102. *uncta pulmentaria*, cibos lautos ac delicatos intelligas. Catull. XXIX, 23. *laxis* v. supra v. 101.

103. *Hinc tuba, candelæ*. *Hinc* non: ex his causis; sed h. l. pro: tunc. Ceterum *tubas* in pompa funebri et *candelas* adhibitas esse, notissimum. Petron. 78. et 129. Prop. II, 10. 19 seq. 13. 17 seq. IV, 11. 9; ad hh. ll. intpp. multa ad pompam funebrem pertinentia notarunt. Videtur autem non in pompa solum harum rerum usus fuisse, quandoquidem in iis, quæ sequuntur, de adparatu funeris sermo est, sed etiam statim post decessum alicujus candelæ adcensæ et tuba vel tibia funus civibus indicasse. *beatulus*. Cic. de Fin. I, 2. *Maximam illam voluptatem habemus, quæ percipitur omni dolore detracto. Nam quoniam, quum privamur dolore, ipsa liberatione et vacuitate omnis molestiæ gaudemus, voluptas est, ut omne id, quo obfendimur, dolor: doloris omnis privatio recte nominata est voluptas.* Hactenus Epicuri patronus. Inde sequi, perhibebant Stoici, mortuum in summa voluptate esse, eumque, quum omni dolori morte exemptus esset, recte beatum prædicari posse. Facete igitur Noster Stoicus mortuum istum, qui vivens omnis generis voluptatibus indulserat, et moribundus porcum Epicureum expresserat, *beatulum* adpellare potest.

104. *Componi* proprie de mortuis dicebatur, quorum membra in mortis dimicatione distorta componebantur; huc pertinebat os claudere, oculos condere cet. Tibull. III, 2. 26; Virg. Æn. I, 249. ibi v. Heyn. *alto lecto* spectat ad magnificentiam funeris. Ovid. Met. X, 463. Fast. II, 353. *amomis* v. Heyn. ad Virg. Ecl. III, 85; fruticis genus Indiæ; de omni aromate sincero dici putat Salmas. ad Solin. p. 401. Ejus pulvere ossa sua spargi jubet Ovid. Trist. III, 3. 89. H. l. unguentum debet intelligi, quo perfundebantur mortui, antequam rogi inponerentur. Ovid. Fast. IV, 853. *crassis*, pinguibus; huic convenit *lutatus*.

105. *In portam rigidos calces extendit.* Mortui lecto compositi in atrio ita conlocabantur, ut pedes in januam essent versi; cujus moris in Homero (Il. σ, 212.) jam mentio fit. Lips. ad Tacit. Ann. III, 5. Kirchm. de fun. Rom. I, 12. *rigidos*, sunt enim cadáveris.

106. *Hesterni Quirites*, qui haud ita pridem civitate erant donati, manu missi, liberti. *capite induto*, pileati in signum libertatis. *subiere*, sic Virg. Æn. VI, 222. *Quirites*. Hoc nomine dignitatis et majestatis pleno scoptice adpellat servulos illos, ad frequentiam pompæ funebris augendam, manumissos, qui jam nescio quid sibi viderentur. Præclare sane et multa cum arte h. l. Noster tractavit; temporis vices bene observatæ et justis coloribus notatæ, morbi prima signa, incrementa ejus et vis, qua miseri corpus tandem frangitur, mortis genus, quæque consequi solent, omnia hæc diligentem artificem demonstrant; ceterum verborum delectus summus est, ut qui scilicet apud poëtam satiricum esse possit.

107—118. Fabulam de se narrari probe quidem intelligit homo iste bardus, sed veram ejus vim non cepit, quapropter brevibus demonstraturum se putat, quam parum in se conveniant hæc dicta, quam inepta igitur tota res sit, quum ipse recta fruatur valetudine, neque sit, quod futurum aliquem morbum suspicetur. Quo in errore eum diu versari non sinit Noster, sed Stoicorum more breviter docet, eum, qui a corpore quidem valeat, animi

Nil calet hic: summosque pedes adtinge manusque:
Non frigent." Visa est si forte pecunia, sive
Candida vicini subrisit molle puella,
Cor tibi rite salit? Positum est algente camino
Durum olus, et populi cribro decussa farina:
Tentemus fauces. tenero latet ulcus in ore
Putre, quod haud deceat plebeia radere beta.
Alges, quum excussit membris tremor albus aristas:
Nunc face subposita fervescit sanguis, et ira
Scintillant oculi: dicisque facisque, quod ipse
Non sani esse hominis non sanus juret Orestes.

tamen morbis laboret, neutiquam sanum esse.

107. *Tange miser venas.* Explorare eum jubet, utrum æquis intervallis venæ moveantur, an cursu concitatiore et interrupto per venas sanguis festinet, quod fit nimio ejus calore et æstu.

108. *summosque pedes.* Inter morbi futuri signa Celsus (II, 4.) quoque recenset, caput, pedes et manus frigidas habere. *Miser*, cum contemptu, fabulam nam ab illo narratam totam concidisse existimat.

109. *Visa est si forte* cet. A corpore quidem vales, sed gravissimis animi morbis, qui te ipsum, quum vim suam in præsentia exserere non possint, fugiunt, simulac autem data iis occasio fuerit, certe prorumpent, obnoxius es, avaritiæ, libidini, luxuriæ, timori et iræ.

110. *candida* ad pulchritudinem spectat. Ovid. d. A. A. II, 6. *molle* pro: molliter.

111. *Cor tibi rite salit?* Stat. Silv. I, 2. 210; Senec. Thyest. 756. Num animus tuus tunc a perturbatione liber est? *algente camino* i. e. nullo cœnæ apparatu, foco pæne exstincto.

112. *populi cribro decussa farina*, periphr. panis atri furfuribus mixti.

113. *ulcus.* De ulcere vero non esse cogitandum quisque videt; significantur fauces tenellæ, quas vulgares cibi duriores et asperiores obfendunt, ut in ulcere quamcumque mollem adtrectationem ægre feras.

114. *radere* de cibis, qui per fauces in stomachum descendunt, et quasi stomachum acriter perstringunt. Horat. Sat. II, 2. 24. habet *tergere*.

115. *excussit aristas*, horroris periphrasis; eriguntur enim pili horrore, et ipsa cutis contracta erigitur. φόβος ὀκρύοεις sæpius apud Homerum obcurrit.

116. Concitat sanguinis æstum ira ut ignis; inde dicimus *iram adcendi.* Hinc quoque explicandum est *face subposita* i. e. data aliqua occasione, quæ iram adcendere possit.

117. *Scintillant oculi.* Homer. Il. α, 104. ϑ, 662. Ovid. A. A. III, 503 seq.

118. Fortius insaniæ adfectus exprimi non poterat. Orestes furiis exagitatus ex Euripide satis notus h. l. pro insania ipsa positus est. Facere igitur aliquid, quod insania ipsa juret, insanientis esse, hoc est, insaniam ipsam insanis factis dictisque vincere.

SATIRA IV.

ARGUMENTUM.

Sub persona Socratis Alcibiadem objurgantis invehitur, secundum veteres et omnes fere recentiores interpretes, in Neronem, omnino autem in unumquemque ad rei publicæ gubernacula sedentem, qui vilis plebeculæ adulationibus, suæque ipsius nobilitate elatus, parem se tanto, cujus vim et magnitudinem ipse ignoret, oneri ferendo existimet, nulla philosophiæ, quæ sola rei publicæ bene et recte administrandæ facultatem subpeditare possit, ratione habita. Socrates inducitur Alcibiadem increpans: Qua, Alcibiades, fiducia ad rem publicam id præsertim ætatis adcessisti? Prudentia scilicet annos tuos prævertit 5; exortam seditionem vel uno verbo comprimere potes, plebemque errantem in rectam viam reducere, quippe qui discrimen inter rectum et pravum probe scias. 13. Quin, tu stultissime rerum, formæ pulchritudine tantopere superbiens, plebis favorem captare desinis! 16, qui, a philosophia nondum instructus, certum finem, quo omnia referenda sint, adhuc ignoras, vel corporis voluptate eum metiris ut vilissimus quisque. 19. — Alcibiades subjicit: Sed generis claritate gaudeo, pulchritudine instructus sum. 20. Socrates: Si hoc vel maxime sit, tamen ne abjectissimæ quidem mulierculæ sapientia præstas. 22. Hæc hominum perversitas, qua se ad difficillima quæque aptos putant, aliorumque iniqui æstimatores sunt, inde existit, quod nemo se ipsum noscere studet, quilibet aliena vitia curat, sua negligit. Hoc exemplo expressum est ab homine vitæ turpitudine infami, mores sordidos avari cujusdam notante, communique hominum more et consuetudine propensum suum ad aliena vitia exagitanda animum excusante, sumpto. 43. Quo facto concludit Socrates: Latent vitia tua, et, quem te homines putant, talis tibi videris esse, quum tamen omnibus cupiditatibus inservias. Descendas in te velim, et adnosces ipse, quantum tibi adhuc ad animi perfectionem desit.

Rem populi tractas? (barbatum hæc crede magistrum
Dicere, sorbitio tollit quem dira cicutæ:)

In Sat. IV.

Summa satiræ hæc est: qui alios vult regere, prius se ipsum regere discat. Hanc sententiam præclare persecutus est Noster, induxitque sub Alcibiadis persona aliquem rudem adhuc ad sapientiæ præcepta adolescentem, gravissimasque reipublicæ partes jam tractantem, ipse Socratem agit. Totum expressum videtur ad Platon. Alcibiad. II.

1—3. Qua fiducia, Alcibiades, rem publicam capessis? *Rem populi tractas?* *πράττειν τὰ πολιτικά*, in rei publicæ administratione versari. Plato in Sympos. 32. ed. Wolf *ἀναγκάζει* (loquitur Alcibiades de Socrate) *γάρ με ὁμολογεῖν, ὅτι πολλοῦ ἐνδεής ὢν αὐτὸς ἔτι, ἐμαυτοῦ μὲν ἀμέλω, τὰ δ' Ἀθηναίων πράττω.* *barbatum crede magistrum Dicere.* *barbatus* vel unum ex antiquis. Juvenal. IV, 103. vel philosophum designat, cujus insigne barba habebatur, Juvenal. XIV, 12; Lucian. pluribus locis; unde lepidum illud Horatii dictum in Stoicum Horat. Sat. II, 3. 16 seqq.

2. *Sorbitio*, *ῥόφημα*. Ælian. V. H. IX, 38. Verbum hoc usurpatum a multis,

Quo fretus? dic hoc magni pupille Pericli.
Scilicet ingenium et rerum prudentia velox
Ante pilos venit: dicenda tacendaque calles.
Ergo ubi commota fervet plebecula bile,
Fert animus calidæ fecisse silentia turbæ
Majestate manus. quid deinde loquere? Quirites,
Hoc, puta, non justum est: illud male: rectius illud.
Scis etenim justum gemina suspendere lance
Ancipitis libræ: rectum discernis, ubi inter
Curva subit, vel quum fallit pede regula varo:

cf. Burm. ad Phædr. I, 26. *cicutæ*, *κώνιον*, *schierling*. Plin. H. N. XXV. Sect. 95. Senec. Epist. 13. *Cicuta magnum Socratem fecit*. Platon. Phæd. p. 264. T. I. ed. Bip. Hoc dirum facinus æternam Atheniensibus notam inussit. Juvenal. VII, 205 seqq.

3. *Quo fretus? ὅτῳ πιστεύων*, Plato. *Pericli* a forma *Pericleus*, est *Periclei* et contractum *Pericli* v. Cort. ad Sallust. hist. frag. lib. I. p. 934. Heusing. ad Cornel. II, 1. 1. *magni* non solum rei publicæ administrandæ scientia magnum eum fecerat, sed etiam bonarum artium et literarum tutela, quibus tunc temporis Athenæ omnium florentissimæ erant. Plutarch. in Pericle c. 12. T. I. ed. Hutt. *pupille* cf. Plutarch. in Alcibiade princ. Platon. Alcib. II. princ. Clineas Alcibiadis pater Periclem, Xantippi filium, tutorem Alcibiadi reliquit.

4—13. His versibus Socratis personam bene sustinet Noster, adversariumque nota illa ironia adgreditur, qua se existimare dicit, eum omnia illa tenere, quæ cognita esse debeant rem publicam administranti.

4. *ingenium*, non proprie sumptum, sed usu et doctrina subactum intelligas. Senec. Epist. 49. *Dociles natura nos edidit, et rationem dedit imperfectam, sed quæ perfici posset.* Ingenium largitur natura, vires autem ingenii exercet, auget et perficit usus et doctrina. *rerum prudentia*, multarum rerum usus et experientia, rerum humanarum cognitio. De eo, qui populi curam gerere vult, jure potest postulari, ut prudentia reliquos cives excellat; quandoquidem autem illa prudentia annos præcurrere interdum, quamquam raro, solet; adulatoribus inde campus spatiosus patuit. Ovid. A. A. I, 183. Stat. Silv. II, 106 seqq.

5. *Ante pilos*, ante barbam, ante pubertatem. *dicenda tacendaque calles*. Horat. Epist. I, 7. 72. Fortasse Noster prudentiam, quæ cernitur in dicendi arte, intelligi vult, totidem fere verbis designatam apud Quintil. II, 20: *Ab illis* (philosophis) *hæc dicuntur; si consonare tibi in faciendis et non faciendis virtutis est, quæ pars ejus prudentia vocatur, eadem in dicendis et non dicendis erit.* Homer. Odyss. *η*, 440 seq. Quæ igitur Noster in viro rem publicam administraturo desiderat, sunt primum vires ingenii, tum prudentia et in gerendis (hoc enim videtur velle per *prudentiam rerum*) et in dicendis rebus.

6. *bile*. ira. Compares Hesiod. Gener. Deor. 80 seqq. Virg. Æn. I, 149 seqq.

7. *calidæ*, æstuantis, concitatæ. *Fert animus*, cupis.

8. 9. *Majestate manus*. i. e. manus significatione, cujus auctoritas tanta sit apud plebem, ut tempestas furentis populi continuo compescatur. Lucan. I, 297 seq. *Quirites, Hoc, puta, non justum est* cet. Seditionem sedantis est sermo, furoresque populi ratione comprimentis; qui igitur, ut Cic. de Orat. I, 12. loquitur, naturas hominum, vimque omnem humanitatis, causasque eas, quibus mentes aut incitantur aut reflectuntur, penitus perspectas habere debet; debet etiam justi injustique rationem probe callere, neque umquam pati, ut in coercendis sceleribus vel timore vel misericordia inpediatur, id est, debet disertus, sapiens et gravis esse. Horat. Od. III, 3.

10—12. *Scis enim justum gemina suspendere lance Ancipitis libræ*. Allegoria sumpta a libripende, vel a ponderibus, quæ lancibus trutinantur. *gemina*. Libra habebat duas lances. Cic. Tuscul.

Et potis es nigrum vitio præfigere Theta.
Quin tu igitur summa nequidquam pelle decorus,
Ante diem blando caudam jactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas.
Quæ tibi summa boni est? uncta vixisse patella
Semper, et adsiduo curata cuticula sole.

Q. V. 17. *ancipitis*, ambiguæ. Exacta libra in neutram partem vergit. Sensus: Tu igitur, quid justum sit nec ne, explorare scis, rebus quasi in utraque lance inpositis. *rectum discernis, ubi inter Curva subit.* simpl. pro: discrimina recti et pravi adcurate tenes, scis quasi certo limite ducto definire recti pravique confinia. Horat. Epist. II, 2. 44. *vel quum fallit pede regula varo. regula* proprie non debet intelligi, pedem enim *regula* non habet, sed *norma*. Sensus: Etiam tum rectum discernis a curvo, quum ipsa norma, ad quam rectum illud exigere vis, prava seu inproba est. Detracto omni tropo Noster dicere vult: Ex rerum usu et experientia multas regulas, ad quas vitam nostram componimus, actionesque alienas judicamus, conligimus; potest autem interdum adcidere, ut hanc vel illam regulam, non satis adcurate concinnatam, aut nobis ipsi præscripserimus, aut auctoritati aliorum adceptam feramus; prudentis itaque est, non solum multis rationibus seu regulis vitæ instructum esse, sed etiam explorare posse, an ipsæ regulæ ad justi rectique naturam comparatæ sint, ne reliquis rebus ad eas revocatis in judicio de iis fallamur. *varo* cf. Horat. Sat. I, 3. 47. et Heyn. Obss. ad Tibull. II, 1. 90.

15. *Et potis es* cet. Casaubonus putat, ex breviculo militum, ubi nomini ejus, qui in prœlio occidisset, hæc litera adscribebatur, hoc ductum esse. Forsan in judiciis capitalibus Græcorum, quorum rationem, quæ in ferendis sententiis obtineret, passim ignoramus, etiam hoc usu erat receptum, ut hac litera uterentur, qui reum mortis supplicio adficiendum censerent. Martial. VII, 37. *Nosti mortiferum quæstoris, Castrice, signum? Est operæ pretium discere theta novum. Exprimeret quoties rorantem frigore nasum, Lethalem juguli jusserat esse notam.* Vetus commentator Persii hæc habet: *Judices literam Theta adponunt ad eorum nomina, quos supplicio adficiunt.* Etiam grammatici hoc signo utebantur. Sidon. Apoll. IX, 339 seqq.

14. Ab hoc versu Noster, se Socratis partes sustinere, obliviscitur, et, relicta ironia, ad ingenium statim redit. *summa nequidquam pelle decorus*, qui nequidquam externa specie decora es, nequidquam honestatem similas, præ te fers, cf. Horat. Sat. II, 1. 64 seq. Epist. I, 16. 45.

15. *caudam jactare*, σαίνειν, speciosis actionibus se venditare apud populum, favorem populi captare. Cum hoc conjungas *ante diem*, idem quod supra *ante pilos. blando*, qui hujusmodi hominibus semper blanditur, eosque, ut in Alcibiadis vita relatum legimus, in cœlum effert. Specie enim magis quam re ducitur multitudo. Horat. Sat. I, 6. 15 seqq.

16. *melior sorbere*, pro: dignior, qui sorbeas. *Anticyras meracas. Anticyra* nomen duarum urbium maritimarum, in Phocide ad sinum Crissæum, et in Phthiotide ad Maliacum sinum. In utriusque agro proventus erat hellebori, quo inter alios morbos etiam insaniam veteres putabant posse sanari. Sæpe *Anticyra* pro helleboro ponitur. Horat. in arte 300. Juvenal. XIII, 96. ibi Ruperti. *Anticyras meracas* i. e. helleborum merum. Horat. Epist. II, 2. 137. Sensus: tu qui potius helleboro mero esses sanandus. Notat hoc insaniæ vim. Ovid. ex Ponto IV, 3. 53 seq.

17. *Quæ tibi summa boni est*, i. e. quodnam tu summum bonum existimas. v. ad III, 60. *uncta vixisse patella*, cibis delicatissimis uti. cf. Martial. V, 46. 7.

18. *et adsiduo curata cuticula sole.* ἡλίωσιν intelligit vel ἡλίκαΐαν, insolationem, quæ quidem ex præscripto medicorum ad siccitatem corpori adquirendam adhibebatur. Plin. Epist. III, 1. Plin. H. N. XXI. c. 14. Hoc loco autem intelligitur lascivorum hominum insolatio, qui nudi ad solem expositi operam dabant dropasticis aut chromatiariis, quorum illi inhonestas corporis partes depilabant, hi

Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus. i nunc;
Dinomaches ego sum, subfla: *sum candidus*. esto:
Dum ne deterius sapiat pannucea Baucis,
Quum bene discincto cantaverit ocima vernæ.
Ut nemo in sese tentat descendere, nemo!

corpus infuscandum curabant. Ceterum animadvertendum est, Nostrum sub persona Socratis quum delicatulum illum interrogasset, quæ illi *summa boni* esset, non habente illo, quid responderet, pro illo respondisse.

19. *Exspecta: haud aliud respondeat hæc anus.* Exspecta, quæramus ex hac anicula, quid summum bonum existimet, et hæc eadem mihi respondebit, quæ tu; quapropter tu ne a vilissima quidem muliercula in hac re differs. *i nunc*, inridendi habet vim. Virg. Æn. VII, 425. Ovid. Epist. IX, 105. Prop. III, 16. 17. Juvenal. X, 310. Jam apage te, intelligis enim, quarum rerum fiducia ad rem publicam administrandam adcesseris; nil tibi reliqui feci præter id, ut dicas: generis mei splendore nitens tantos spiritus alo; et per me alas, dummodo, te non magis quam abjectissimam quamque mulierem sapere, fatearis. Posterius tribus sequentibus versibus est expressum.

20. *Dinomaches ego sum, suffla: sum candidus. esto: suffla* sc. buccas, pro: jactanter dic. *Dinomaches*. Plutarch. in Alcibiade cap. I. πρὸς δὲ μητρὸς Ἀλκμαιονίδης ἦν sc. Alcibiades, ἐκ Δεινομάχης γεγονὼς τῆς Μεγακλέους. Alcmæonidæ apud Athenienses summo erant in honore, ductu enim et auspicio eorum a Pisistratidarum tyrannide erant liberati. Herod. IV, 92 seq. *sum candidus* ad pulchritudinem corporis spectat, qua in sui amorem multos pellexisse Alcibiades dicitur. *esto*. sis vel maxime nobilissimo genere ortus et pulcherrima corporis forma. Similis color orationis est apud Juvenal. VIII, 46 seq.

21. *pannucea* pannis obsita, sordidissima.

22. *Quum bene discincto cantaverit ocima vernæ.* Interpretatio hujus versus difficultate laborat, qua forsan numquam liberabitur. Ad liquidum perduci nequit, qualis herba *ocimum* fuerit, multo minus, quid sibi velit, *ccima cantare*. Ex Plinio (H. N. XIX. sect. 36.) ubi dicuntur ocima cum maledictis et probris seri, conligit Casaubonus, *ocima cantare vernæ*, idem esse, quod: opprobria ingerere servulo; provocat quoque ad naturam muliebris sexus ad convicia pronam, qualis ab Aristoph. Plut. 426. repræsentatur. Verum inde, quod ocima cum maledictis et probris seruntur, minime sequitur, *ocima cantare* esse *opprobria ingerere*. Quin etiam maledicta et opprobria ab h. l. aliena esse videntur, quum *pannucea Baucis* vernam ita tractare debeat, ut Alcibiades popellum, nisi mavis statuere, comparationem esse mancam, aut versum hunc temere adjectum. Plinius (H. N. XX. sect. 48.), ubi agit de viribus medicis hujus *ocimi*, addit: *Venerem stimulat. Ideo etiam equis asinisque admissuræ tempore ingeritur. Ocima cantare* positum igitur esse potest pro: ea cantare, quæ venerem seu libidinem stimulant, seu simpl. pro: libidinem excitare. Huic interpretationi, seu, si mavis, hariolationi, (nam hariolandum sane h. l. est) aptum quoque videtur *bene discincto vernæ*, i. e. dissoluto et libidinoso servo, nam vernæ tunc temporis servorum petulantissimi habebantur. Martial. I, 42. 2. De *discincto* cf. Ruperti ad Sil. Italic. II, 56. VII, 153. Sensum totius loci sic constituo: Dum ne deterius, i. e. dummodo æque bene sapiat *pannucea Baucis*, quando vernæ dissoluto, ubi ejus libidinem excitarit, blanditur, ac tu, quando popello in adulationem prono et pulchritudine tui corporis moto orationis lenocinio velificaris. De *ocimo* v. quæ notata sunt ad Varr. R. R. I, 31. 4. ed. Gesn.

23—41. Hic plane novus rerum nascitur ordo. Si nihilo minus tamen ea, quæ nunc sequuntur, cum præced. copulare vis, nexus erit ita constituendus: Hæc hominum adrogantia, qua se sibi aliquos putant, falsaque virium suarum fiducia negotia stulte suscipiunt gerenda, quæ sustinere non possunt, proficiscitur ab ignorantia sui ipsius. Nemo secum habitat, nemo se ipsum explorat, quia circa aliena nimis occupatus est. Alienos mores severe judicamus in nostris dissoluti et molles. Posterius Noster dramatice extulit adeo, ut nostris oculis obversetur iste

Sed præcedenti spectatur mantica tergo.
Quæsieris, Nostin' Vectidi prædia? "cujus?" 25
Dives arat Curibus quantum non milvus oberret.
"Hunc ais? hunc dis iratis genioque sinistro?
Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit,

ardelio; videmus et audimus, ut leviora aliorum vitia carpens sua ipsius vel ignorat vel dissimilat. cf. Juvenal. II, 56 seq.

23. *in se descendere*, se ipsum cognoscere s. explorare.

24. *spectatur mantica*. Adludit Noster ad notam illam fabulam Phædri IV, 9. cf. Petron. 57. *Tu autem tam laboriosus es, ut post te non respicias? in alio peduclum vides, in te ricium non vides?* Horat. Sat. I, 3. 25 seq. Senec. Agam. 270 seqq. *præcedenti* pro: præcedentis.

25—32. Ubi forte sermo injicitur de aliquo locuplete nimis fortasse parco, statim mores ejus deterrimis coloribus depingis, gaudesque occasione oblata de aliis male loquendi.

25. *Quæsieris*, pro: Si quærat forte aliquis. *Vectidius* locuples quidam nobis ignotus. *cujus?* Interrogat, quasi nesciat, de quo sermo sit. Sic solent homines partim ut, dum adcuratiorem alicujus designationem requirant, non curasse illum videantur, eoque studium suum maledicendi dissimilent, partim ut audiant prius, quid alter, dum adcuratius aliquem designet, de illo prædicet, quo, si aures ejus criminationibus patere sentiant, eo tutius et liberius illum sugillent.

26. *Dives arat*, pro: divitis illius, qui arat. *Curibus* pro: in agro Curensi seu Sabino, in quo erat *Cures* oppidum. *quantum*, pro: tantum agrorum spatium, quantum. *non milvus oberret*. Hac locutione proverbiali agrorum magnitudo declaratur. Petron. 37: *Ipse Trimalchio fundos habet, quam milvi volent*. Juvenal. IX, 54 seq. De hujusmodi latifundiis loquitur Seneca Epist. 83: *Quousque fines possessionum propagabitis? ager uni domino, qui populum cepit, angustus est. Quousque arationis vestras porrigetis, ne provinciarum quidem satione contenti circumscribere prædiorum modum? Inlustrium fluminum per privatum decursus et amnes magni, magnarumque gentium termini, usque ad ostium a fonte, vestri sunt* cet.

27. *Hunc ais?* Nunc tandem sentit, quem alter narret, pergitque ipse statim uberius describere hominem, ad se quidem, ut similare vult, nihil pertinentem, tamen sibi cognitum; atque quasi ut hoc solum ostendat, se novisse hominem, turpissimis coloribus eum adumbrat. *Hunc dis iratis genioque sinistro?* sc. natum. Is dicitur *dis iratis genioque sinistro* natus, qui vitam miseram vivit, aut cui fortuna adversa est. Horat. Sat. II, 3. 8. et 123. Phædr. IV, 19. 15. Juvenal. X, 129. h. l. sic vocatur sordide avarus, qui omnibus vitæ deliciis abstinet, quique semper habendi cura cruciatur.

28. *Qui quandoque jugum pertusa ad compita figit*. *Compitum* proprie est quadrivium, et quadrivia laribus compitalibus sacra erant. Ovid. Fast. V, 140. Sueton. Aug. 31. Quorum in honorem aræ ibi constructæ et sacella per omnes quatuor partes patentia. Gronov. ad Gell. I, 22. Ibi quotannis sacra fiebant per aliquot dies, Dionys. IV, 14. *compitalia* adpellata, Gell. X, 24. Illis diebus omne servitium erat sublatum Dionys. l. c. Tibull. II, 7. Macrob. Sat. I, 14. Poterat fieri, ut juga boum ad istas aras sive compita in significationem adempti et pecori et hominibus per illos dies servitii suspenderentur seu figerentur. Est id quidem ab nullo veterum scriptorum, quod equidem sciam, memoriæ proditum, verum quam multa in omni antiquitate creduntur, quæ vel unius verbi testimonio, interdum grammatici nescio cujus, nitantur, præsertim earum rerum, quæ ad vitam privatam, ad ritus et instituta agricolarum, minus a scriptoribus celebrata, pertineant. Apud veterem commentatorem hæc leguntur: *In his* (ædiculis in compitis consecratis) *juga fracta ab agricolis ponuntur, emeriti et elaborati operis indicium*. Sed h. l. non de eo, quod interdum, si fracta erant juga, verum quod statis temporibus fieri solebat, sermo esse videtur. Non est sane, quod nos verbum *figit*, quo Noster usus est, torqueat. Nam non adfirmaverim, illud semper τοῦ ἀνατίθεναι, nusquam τοῦ ἀναρτᾶσθαι vim habere. Huc adcedit, quod omnino poetæ,

Seriolæ veterem metuens deradere limum,
Ingemit, *Hoc bene sit!* tunicatum cum sale mordens
Cæpe: et farrata pueris plaudentibus olla,
Pannosam fæcem morientis sorbet aceti."
At si unctus cesses, et figas in cute solem,
Est prope te ignotus, cubito qui tangat, et acre
Despuat in mores: penemque arcanaque lumbi
Runcantem, populo marcentes pandere vulvas.

inprimis Persius, propriam verborum vim non religiose sequuntur. *pertusa*, sæpius pro: vetusta, Juvenal. VIII, 144. V, 131. h. l. pro: pervia. Calpurn. Eclog. IV, 126.

29. *Seriolæ*. In qua seriola diu vinum erat adservatum, quo uti sordidus ille non ausus erat. An *limus* h. l. pix sit, dubito; potest enim intelligi seria seu dolium humi demersum in cella vinaria, quod, antequam relineretur, a sordibus erat purgandum. Columell. XII, 18. 4 seqq. Huc spectat forsan Martial. VIII, 45. 3. Potest quoque *limus* esse vini fæx adhuc reliqua ac diu servata, quæ nunc quidem de seria deraditur. Horat. Sat. II, 4. 80. Hoc magis placet, cum quia ad depingendum sordide avarum aptius est, tum quia v. 32. *pannosæ fæcis* mentio fit.

30. *Ingemit*. Hoc declaratur, quam lubenti animo his rebus vilissimis utatur, idemque repugnat præclare sequenti: *Hoc bene sit! Hoc* est casus sextus. Sensus: Istis delectemur! laute vivamus! v. Intp. Petron. 35. et 65. Horat. Sat. II, 6. 4. Ovid. Fast. IV, 299. *tunicatum*, quod multis involucris constat.

31. *et farrata pueris plaudentibus olla*. *Farrata olla*, pro: pulte ex farre crasso in olla cocta. Sensus: Dumque servuli magna invicem cum gratulatione, quia tanta scil. lautitia raro illis contingere solebat, pulte in olla obposita fruebantur.

32. *Pannosam fæcem morientis sorbet aceti*. *Pannosam*, i. e. situ et vetustate membranis jam obductam. Observanda ars est poetæ in verborum delectu, quo utentem inducit istum obtrectatorem et in minutissimis ad invidiam depingendis artificem. Sordidus ille non bibit, sed *sorbet*, tamquam rem lautissimam, ut sapore hoc jucundissimo quam diutissime fruatur, nihilominus tamen parsimoniam in bibendo adhibeat; non vinum, sed *acetum*, et ne hoc quidem, sed *fæcem aceti morientis*, i. e. vapidi.

33—41. Jam interpellat Noster istum in vita aliena depingenda tam disertum et adcuratum, in sordibus, a quibus ipse quidem intactum servaverat animum, perstringendis ingeniosum et callidum, docetque, quantopere in contrarium peccet mollitie et luxuria diffluens, et quam turpem sibi infamiæ notam ob banc rem contraxerit.

33. *cesses*, otieris. *et figas in cute solem*, i. e. cutem, corpus nudum solis radiis obponis. Juvenal. XI, 203 seq. v. ad v. 18. Hoc fiebat a delicatulis, ut colorem cutis infuscarent. Martial. I, 78.

34. *cubito qui tangat*, non mollem istum, sed alium quemcumque, quem adtendere vult ad istam turpitudinem. Horat. II, 5. 42. *acre*, acriter.

35. *Despuat in mores*, mores detestetur. *Despuere* est abominantis. Theocrit. VI, 39. XX, 11. Tibull. I, 2. 96. Lucian. Icaromenip. T. II. p. 786. ed. Reiz. περιέρχονται ἐπιπλάστῳ σχήματι κατάπτυστα ἤδη περιστίλλοντες. *arcanaque lumbi*. Libidinosi homines solebant pilos, quibus natura pudenda aliasque corporis partes obduxit, evellere, hoc fiebat forcipe, pumice, fascia pice obducta. Aristoph. Nub. 1005. et 1079. Ecclesiaz. 129. Juvenal. VIII, 16. IX, 14. Pertinebat hoc ad exquisitioris voluptatis studium, quo conruptissimi tunc temporis Romani flagrabant. Martial. II, 62. VI, 56. *arcana lumbi*, posteriora seu anum, quem levem reddebant et glabrum cinædis. Juvenal. II, 12 seqq.

36. *Runcantem*. *Runcare* proprie est segetes aut herbas e segetibus evellere. Columell. II, 11. H. l. positum pro: depilare. *Runcantem-pandere*, Græca constructio notissima. *pandere*, publice exponere pilis, qui tegumento erant, evulsis. *vulvas*, id, quod supra *arcana lumbi*,

Tu quum maxillis balanatum gausape pectas,
Inguinibus quare detonsus gurgulio exstat?
Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant,

cum respectu ad cinædos sic adpellatum. *marcentes*, forsan, laxatas. v. Intp. Petron. 128.

37. *Tu quum maxillis balanatum gausape pectas.* *Maxillis* Casaubonus explicat: pectine, quod et maxillis et pectini dentes sint; et *balanatum gausape* idem: capillos oleo balanino unctos. *Balanus* glans unguentaria nucis avellanæ magnitudine in Arabia, Æthiopia et Ægypto nascens, e cujus cortice suavissimi odoris oleum exprimebatur. Jani ad Horat. Od. III, 29. 4. *gausape* proprie militare stragulum villosum, aut mappa villosa ad detergendas mensas. Horat. Sat. II, 8. 11. Martial. XIV, 138.

38. *gurgulio*, h. l. ea pars, qua mares sumus. Si interpretatio prioris versus, quam Casaubonus proposuit, vera est, nec quisquam, quod sciam, dedit probabiliorem, sententia, quæ illo priori et hoc versu continetur, si eam adtentius perpendas, frigidissima est, et indignatione, qua Persius, quem dicunt verecundiæ virginalis fuisse, h. l. abripitur, plane indigna. Meo quidem sensu nihil jejunius cogitari potest, quam illa interrogatio: Quum alas capite comam, cur depilas penem? Liceat mihi aliam interpretandi rationem inire, si non veriorem, tamen huic loco, ut arbitror, aptiorem. Potest *gausape* de capillamento adcipi, seu de pilis adscititiis, quos solebant adhibere ii, quibus capilli ante diem defluxerant, (Suet. Oth. 11.) vel quibus raros tantum et colore ingrato natura tribuerat. Sed sic quoque restat difficultas in *maxillis;* nam frigidam esse translationem, si illud pro pectine adcipitur, nemo facile negabit, et, tropo remoto, *pectine pectere*, quis ferre tandem pleonasmum illum potest? Forsan etiam ii, qui barba destituti erant, aut tenera lanugine tantum instructi (Martial. X, 42.) parabant sibi adscititiam. Notum quidem est, illo tempore Romanos barbam non aluisse (v. Lips. excurs. B. ad Tacit. Ann. XIV.) sed tondendam curasse, verum æque constat, juvenes eam aliquamdiu ad vigesimum secundum ætatis annum et sæpe ultra nutrivisse (vid. Octav. Ferrar. Elect. II, 12.). Videmus etiam nunc in ipsa Persii imagine (quæ tamen, an nostri poetæ sit, vehementer dubito) barbæ partem haud exiguam in genis ejus relictam, atque, ut adparere videtur, vel calamistro comptam. Etiamsi erant, qui evellenda et exstirpanda barba feminis se similes reddere studerent, tamen barba omnino destitutum esse vulgo turpe habebatur, Fortunæque barbatæ supplices fiebant juvenes, ut facies sua barba vestiretur. Augustin. de Civ. D. IV, 1. In qua et comenda et tondenda et radenda et vellenda summam adhibebant elegantiam delicatuli. Ovid. A. A. I, 518 seq. Martial. II, 36, 3 seq. Quod si igitur statuamus, barbæ partem, quam relinquere forsan in genis (*maxillis*. Martial. VIII, 47.) moris erat, adscititiam fuisse, ut nostris temporibus simile aliquid vidimus, eamque, quasi genuinam, depexam seu comptam ab illo bello et oleo exquisitissimo delibutam, sensus oritur non omnino inficetus: Tu qui faciem pilis adscititiis ornas, ubi natura pilos tibi negavit, cur depilas eas partes, quas natura pilis vestitas esse voluit?

39—41. Natura te voluit virum esse, tu glabrum et mollem te reddere studes, sed operam perdis. 39. *Quinque palæstritæ licet hæc plantaria vellant.* De dropacistis, δροπαστικαῖς, h. l. sermonem esse, unusquisque videt. Hos *palæstritas* esse vocatos, quia robustissimi vulsores essent intelligendi et suæ professionis apices, Casaubonus monet, quem secutus quoque est Burm. ad Petron. 21; ubi *palæstricæ*, quas ait esse ministras, ancillas, quæ oleo perfunderent certantes, in *palæstritæ*, quos esse eos perhibet, qui se in palæstra exercerent, mutari vetat, quamquam in nonnullis codd. mss. *palæstritæ* legitur. Salmasius ad Tertull. de Pallio p. 273. eos quoque, qui xysticos in gymnasiis depilarent ac levigarent, *palæstritas* esse vocatos, disputat, verum nullum locum adfert, ubi vulsor aut unctor *palæstrita* vocatur. Forsan servi apud Romanos, qui palæstris privatis præerant, *palæstritæ*, vocabantur (Martial. III, 58. 25.), iique non solum juvenes heriles arte palæstrica erudiebant, verum etiam dominis in curanda cute et pilis evellendis operam navabant. Hoc quidem mihi certum videtur esse, Nostrum, quum pro dropacistis *palæstritas* scriberet, non tam athle-

Elixasque nates labefactent forcipe adunca,
Non tamen ista filix ullo mansuescit aratro.
Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis.
Vivitur hoc pacto: sic novimus. ilia subter
Cæcum vulnus habes: sed lato balteus auro
Prætegit. ut mavis, da verba, et decipe nervos,
Si potes. "Egregium quum me vicinia dicat,
Non credam?" Viso si palles, inprobe, numo;
Si facis, in penem quidquid tibi venit amarum;
Si puteal multa cautus vibice flagellas:

ticum robur respexisse quam dexteritatem. *plantaria*, i. e. pilos.

40. Cf. Horat. Epod. VIII, 5 seq. *Nates* vocat *elixas*, quæ balneo calido erant emollitæ, ut pili facilius evellerentur. Sic balneator ipse apud Martialem (III, 7. 3.) vocatur *elixus* ab aqua calida, quam tractat. *labefactent*. sc. vellicando. Exprimit hoc difficultatem, cum qua pili evellerentur.

41. *filix*, de quacunque herba sterili, quæ culturæ agrorum obficit, proprie *farrenkraut*, v. Voss. ad Virg. Georg. II, 264. Juvenal. IX, 15. *mansuescit*. Virg. l. c. 239. Sensus: numquam tamen pili radicitus exstirpabantur; naturam vincere non poteris.

42—52. Versus 42 et sequens usque ad *novimus* cum anteced. cohærent. Ita quasi more receptum est, inquit, carpimus et carpimur vicissim. Verum, quæ sequuntur, ad priorem satiræ partem rursus pertinere videntur. Pergit Noster hortari juvenem illum, ne populo, externam speciem in judicando sequenti, fidem habeat, ut potius se ipsum exploret, ac sua vitia cognoscat.

42. *Cædimus, inque vicem præbemus crura sagittis*. cf. Horat. Epist. II, 2. 97. Sumptum hoc a militibus, quorum corpus scuto tectum, crura sagittis et telis exposita erant. v. Heynium in Excurs. VIII. ad Æn. VII. p. 153. ed. altera.

43. *novimus*, ita vivere didicimus.

44. *cæcum*. quod adversarius non animadvertit. Sumptum nempe hoc a gladiatore vulnerato et vulnus dissimilante, ne inde a dversarii animus augeatur.

45. *et decipe nervos*, i. e. decipe vires tuas, simila, vires tibi adhuc integras esse, quæ vulnere debilitatæ sunt.

46. *Egregium cum me* cet. Senec. Epist. 59: *Illud præcipue impedit* (quominus tantum, quantum satis sit adversus vitia discere, discamus) *quod cito nobis placemus; si invenimus, qui nos bonos viros dicat, qui prudentes, qui sanctos, adnoscimus. Nec sumus modica laudatione contenti; quidquid in nos adulatio sine pudore congessit, tamquam debitum prendimus; optimos nos esse, sapientissimos adfirmantibus adsentimur, cum sciamus illos sæpe mentiri.* Aliorum laudationem sibi fraudi fuisse profitetur Alcibiades apud Platonem in Symp. XXXII. ed. Wolf.

47. *Viso si palles* cet. Similis orationis color est apud Juvenal. VIII, 9 seqq. 135 seqq. cf. supra III, 109 seqq.

48. *penem amarum*; i. e. mentem libidinosam.

49. *Si puteal cautus multa vibice flagellas*. Duo *putealia* Romæ fuerunt, quæ nobis quidem nota sunt, a pluribus, etiam a Sigonio de ant. jur. Rom. T. II. p. 504 seq. confusa, a Salmasio primum ad Solinum p. 802 seq. distincta, unum Nævii in comitio, de quo loquitur Cic. de Divin. I, 17; conf. Liv. I, 36; alterum Libonis in porticu Julia ad arcum Fabianum. v. Festum de verb. signif. XVII. p. 487. ed. Dacier. Neque præter hæc alia Romæ fuisse putealia quis adfirmaverit? Vetus Persii interpres intelligit h. l. puteal Scribonii Libonis, cujus formam, aræ instar, in numis antiquis descriptam adhuc habemus. Jam vero Casaubonus existimat, *puteal* h. l. pro foro esse positum, et *flagellare forum* pro: frequenter adire forum, aut in turba forensi quotidie versari. Ad majorem inprobitatis declarationem idem putat ad

Nequidquam populo bibulas donaveris aures. 50
Respue, quod non es: tollat sua munera cerdo.
Tecum habita, et noris, quam sit tibi curta supellex.

jectum esse *multa vibice*, nam ubi turba sit hominum aliorum in alios incurrentium, ibi rixas esse, ibi verbera et vibices (forsan Juvenal. III, 244 seqq. respexit). τὸ *cautus* artis verbum esse, proprium enim fori peritis et pragmaticis cavere. Ut autem hic versus ad Neronem pertinere possit, alteram proponit explicationem, nocturnasque Neronis grassationes spectari putat, quibus pererrare forum obviosque cædere soleret. Sueton. Ner. 26. Tac. Ann. XIII, 25. Plin. H. N. XIII. Sect. 43. Et quia in his grassationibus milites semper præsto essent, qui Neroni auxilium ferrent, etiam τὸ *cautus* satis bene hac ratione potest inlustrari. Prima interpretatio Casaubono, prope dixerim, indigna est; altera sane probabilior, modo hæc ad Neronem trahi possent, ad quem, ut ille vir eruditissimus ipse fatetur, versus 47 saltem pertinere non potest, itaque non magis hic, qui interpretes usque adhuc torsit et semper torquebit. Aliam viam Salmasius l. c. ingressus est, negatque *puteal* hoc loco pro foro aut dicasterio adcipi posse, sed de feneratoribus potius esse cogitandum, qui ad puteal Libonis consistere solerent. Cic. pro Sext. 7. Torrent. ad Horat. Sat. II, 3. 18. cf. Horat. Sat. II, 6. 35. Ad hunc tamen locum monuit vet. commentat. Cruq. *Puteal locus erat in foro, ad quem conveniebant mercatores et feneratores ad tradendum et recipiendum. Alii dicunt fuisse pro rostris, ubi tribunal erat prætoris.* Idem (ad Horat. Epist. I, 19.) ait, *puteal Libonis* tribunal fuisse. Cum hoc consentit Porphyr. ad eundem locum. Vides jam inter grammaticos litem esse, quæ a nobis componi nequit, quum difficile sit judicatu, cui horum plurimum tribuas, Casaubonianamque de foro et tribunali rationem non utique esse a Salmasio refutatam, nam inde, quod adparet vel ex Ovidio (Remed. A. 561.) ad puteal negotia sua tractasse feneratores, minime sequitur, puteal pro foro et tribunali non debere adcipi, nisi nefas existimes, auctoritatem scholiastæ Persii, qui de feneratoribus h. l. agi opinatur, negligere. Pergit Salmasius, de more fieri, ut qui frequenter ad locum aliquem conveniant, ibique diu desideant, per otium sæpe dum aliud agant et loquantur, vel stilo parietem conscribillent, vel unguibus deradant, vel aliquid nugarum faciant. Hinc lepide dictum esse et ἐμφατικῶς de feneratore, qui totum diem ad puteal consisteret, exspectans qui pecuniam adcipere vellet, multa vibice puteal eum flagellare. Verum enim vero non erat Satirici, ne dicam Persii, a rebus levissimis ac fortuitis colores mutuari ad id describendum, quod indignatione sua et satirico flagello dignum existimasset, præsertim quum illæ ad hoc minime pertinerent. Simplicissimam omnium interpretum, qui mihi quidem innotuerunt, rationem jam ante illos duumviros iniit Badius Ascensius, qui *putcal* feneratores et usurarios h. l. esse putat, et *multa vibice flagellare* pro: gravi damno adficere, positum esse arbitratur. Britannicus vero *puteal* debitores esse, et *multa vibice flagellare* pro: molestum esse debitoribus in usuris exigendis, existimat. Hoc satis sit de loco, cujus sententiam et vim fortasse nemo extricabit.

50. *bibulas*, laudis cupidas. *bibere* de aure habet quoque Horat. Od. II, 13. 32. et Prop. III, 4. 8. ibi Burm. Sensus: frustra, quum turpiter vivas, multitudinis laudibus delectaberis, quandoquidem ex eo, quod quis laudatur, non sequitur, eum laudes mereri.

51. *Respue, quod non es.* Noli admittere laudes, quas non mereris. *cerdo*, artifex sordidus pro hominibus, qui ex quavis re abjecta et turpi lucrum quærunt. *munera*, laudes, quas in te conferre vult. *tollat sua munera*, abeat cum suis laudibus.

52. *Tecum habita.* Te explora. Horat. Sat. I, 3. 34 seqq. *curta supellex*, veræ laudis penuria. Cognosces, quam parum sit in te, quod laudem mereatur.

SATIRA V.

AD MAGISTRUM SUUM

ANNÆUM CORNUTUM.

ARGUMENTUM.

Ut gratissimum erga Cornutum, præceptorem suum, animum declaret poeta, utitur lepida sententiarum conformatione. Scilicet ad rei magnitudinem, quæ verbis æquari non possit, declarandam, poetæ sibi optare solent centum ora et linguas, Homerum secuti; quorum more et instituto Persius quoque hoc loco utitur, subindeque se a Cornuto interpellatum fingit: Quorsum hæc? quippe neque carmen aliquod sublime condas, neque in argumento aliquo tragico verseris, neque omnino pravum hujus sæculi morem, quo tenues et jejunæ res ingenti strepitu verborum ac tumultu, ut gravissimæ, efferuntur, in animum induxeris sequi, sed vitæ humanæ consuetudinem, in dies magis magisque in deterius delabentem, acerrimo sale defricare tibi propositum sit; quin huc igitur verba et sententias dirigis? 18. Enimvero, Persius subjicit, huic rerum vanitati equidem nullus studeo; animi mei recessus tibi ut aperirem, ostenderemque, quanto amore te complecterer, vota poetarum, vel in minutis rebus a nonnullis inepte adhibita, in maxima re et meo sensu gravissima, mea feci. 29. Recensum jam instituit omnium beneficiorum, quibus a Cornuto puer adfectus sit, declaratque, quantum ejus institutioni et præceptis debeat. 40. Familiaritatis deinde mentionem facit, quæ sibi cum illo semper intercesserit, intimæ 44, studiorumque communium morumque similitudinis. 62. Hinc deflectit ad stoicum aliquod dogma de libertate, quo sapiens solus liber perhibetur, transitione admodum felici. Animo enim gratissimo reputans, quantum ipse stoicorum disciplinæ debeat, ex illorumque ratione ad vitam cum animi tranquillitate et constantia transigendam profecerit, suo ipsius exemplo monet juvenes, ut eadem opportunitate utantur, neque occasionem discendi differant. 72. Ad bene autem et beate vivendum libertate opus esse, non ista, quæ in Damæ, agasonis cujusdam, persona ridetur, civili. 82. Docet porro, quid sit ex Stoicorum sententia, ita vivere, ut velis, id est, veræ libertatis vim et naturam, quæ a prætore, philosophiæ ignaro, non possit cuiquam impertiri. 95. Ad omnia, quæcumque velis, facienda requiri adcuratam omnium rerum cognitionem, 104, libertatemque sine cognitione veri, rerumque vel expetendarum vel fugiendarum ratione, et animo ab omnibus cupiditatibus motibusque vehementioribus vacuo ac soluto ne cogitari quidem posse. 118. Non posse fieri, ut aliquis sapiens idemque stultus sit, sed vel omnino sapiens vel omnino stultus. 123. Ut domini in servos, sic cupiditatum in ipsos dominos esse imperium æque severum. 131. Quod ut amplius confirmet, exemplo utitur, a mercatoris avaritia petito, ad omnia facinora illum impellente. 139; contra pugnantem inducit luxuriam, mercatoris animum in diversa trahentem. 153, qui miser, alterutro vitio declinato, in alterum præcipitem se necessario daturus sit. 160. Jam ad aliam similitudinem transit, ab amante aliquo sumptam, qui valedicere amicæ quum apud animum statuerit, illico ad eam pristina caritate retrahatur. 169. Quibus rebus monstrat Noster, ne illum quidem liberum esse, qui imperium in vitia ad tempus exercere possit 175, multo minus eos libertatem nactos censendos esse, quos ambitione religionibusque per vices excitatos turbatosque semper conspiciamus.

Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora, et linguas optare in carmina centum,
Fabula seu mæsto ponatur hianda tragœdo,
Vulnera seu Parthi ducentis ab inguine ferrum.

In Sat. V.

1—4. Poetæ solent, incipit Noster, in rebus tragicis epicisve enunciandis, quum rerum copia vel vera vel similata premantur, centum ora et linguas sibi optare.

1. *Vatibus hic mos est.* Respicit loca hujusmodi in poetis satis obvia Homer. Il. β, 484 seqq. Virg. Æn. VI, 625 seqq. VII, 37 seqq. Ovid. Metam. VIII, 532 seqq. Trist. I, 453 seqq. Fast. II, 119 seqq. cf. Claud. paneg. in Prob. 55 seq.

3. *ponatur. poni* dicitur de thesibus a pueris tractandis et a magistro in schola præscriptis, sic apud Quintil. (Inst. II, 3.) sæpius; h. l. positum *ponatur* pro: elaboratur pro tragœdo, nam *ponere* etiam de artifice dicitur, v. not. ad Sat. I, 70. *hianda* cum delectu, verba grandia enim pro animi adfectu, quem indicant, majori, vehementiori etiam vocis contentione enuncianda sunt, sic Propert. II, 23. 5 seq. *hiare carmen* pro: canere. Quemadmodum autem literarum ratio illorum temporum ea erat, ut in levibus rebus describendis sententiisque jejunis plerumque exprimendis sublimia verba dictionumque ampullæ adhiberentur: sic etiam tragœdi in fabulis agendis in eo peccabant, ut in repræsentando per vocis et gestus moderationem adfectu nec finem nec modum noscerent. Lucian. in Nigrin. T. I. p. 50. ed. Reiz. οὐδ' αὖ ἐκείνῳ περιθεὶς τοὺς λόγους, μὴ καὶ κατ' ἄλλο τε γένωμαι τοῖς ὑποκριταῖς ἐκείνοις, οἱ πολλάκις ἢ Ἀγαμέμνονες, ἢ Κρέοντος, ἢ καὶ Ἡρακλέους αὐτοῦ πρόσωπον ἀνειληφότες, χρυσίδας ἠμφισμένοι, καὶ δεινὸν βλέποντες, καὶ μέγα κεχηνότες, μικρὸν φθέγγονται καὶ ἰσχνὸν καὶ γυναικῶδες, καὶ τῆς Ἐκάβης ἢ Πολυξένης πολὺ ταπεινότερον. cf. Horat. in arte 96 seq. Juvenal. VI, 634 seqq. *mæsto* naturam tragicæ personæ spectat. cf. Lucian. de Saltat. T. II. p. 284. ed. Reiz.

4. *Vulnera seu Parthi. Vulnera* hoc loco passive, Horat. Sat. II, 1. 13 seqq. Interdum etiam active, ut apud Virgil. Æn. II, 436. Parthi Romanorum hostes adsidui, numquam satis debellati, quamquam sæpius bello tentati, ex Tacito, Suetonio, Dione Cassio cet. satis noti. Triumphi ficti materiam æque ac Germani Romanis Imperatoribus sæpenumero præbuerunt, ad quorum Imperatorum gratiam sibi conciliandam seu demerendam poetæ in celebrandis de hac gente victoriis communi studio et concertatione inter se adnitebantur. Ovid. Fast. V, 581 seqq. cf. loca a Burm. ad Prop. III, 7. 53. laudata. *ducentis ab inguine ferrum.* His verbis proprium aliquod Parthorum innui omnes fere interpretes fatentur. Qui ea ad imaginem hostis vulnerati hastaque seu sagitta trajecti, quam evellere conetur, trahunt, errare videntur, quippe quia boni scriptores τῷ *ducere ab* in tali re vix utantur. Sed de eo, quid tandem significent hæc verba, in diversas partes omnes abeunt. Casaubonus de modo jaculandi tela sumsit, laudatque locum Eustathii ad Homerum, ubi tres modi referuntur: παρὰ μαζὸν, παρὰ τὸ δεξιὸν ὠτίον, παρ' ὦμων, quibus tribus modis quartum *ab inguine* addit, adductus loco Propertii IV, 8. 43. qui tamen, quia magna est in eo codicum varietas, nihil probare potest. Et quis tandem jaculandi modum ab inguine concoquat! Heinsius de ense hoc intelligit ad Ovid. Met. II, 311. hunc secutus est Burmann. ad Valer. Flacc. I, 122; verum hoc modo Parthum nemo designavit. Parthi sagittis in prœlio maxime valebant, eæque tela eorum propria. Pharetræ vero, in quibus sagittas gestabant, ab humeris pendentes superiori sua parte cubitum adtingebant, ut commode inde sagittæ depromi possent. Pindar. Olymp. II, 149 seqq. Πολλά μοι ὑπ' ἀγκῶνος ὠκέα βέλη Ἔνδον ἐντὶ φαρέτρας cet. Ibi Schol. laudat Theocrit. XVII, 30. ubi legitur ὑπωλένιον φαρέτραν. Jam vero *ensem ducere* pro: destringere, educere e vagina, notum est. Heins. ad Valer. Flacc. I, 122. Quidni etiam dici possit, *sagittam ducere*, pro: depromere sagittam e pharetra? Illud *ab inguine* sic facile a situ pharetræ potest explicari.

Quorsum hæc? aut quantas robusti carminis offas
Ingeris, ut par sit centeno gutture niti?
Grande locuturi nebulas Helicone legunto,
Si quibus aut Procnes, aut si quibus olla Thyestæ
Fervebit, sæpe insulso cœnanda Glyconi.
Tu neque anhelanti, coquitur dum massa camino,
Folle premis ventos; nec clauso murmure raucus
Nescio quid tecum grave cornicaris inepte;

5—18. Poeta fingit se a Cornuto, cujus nomini hanc satiram inscripsit, interpellatum: Quid hoc sibi vult? aut quantæ molis carmen paras? Tragicas res tractaturis hanc verborum pompam relinque. Tu ab omni stulta ostentatione, quum te ad scribendum adcingis, liber es, versusque componis vacuos ab omni tumore inani, sed elegantes; scis mores pravos perstringere. Huic rei verba et sententias adcommoda omissis tragicis ampullis.

5. 6. Similitudo sumpta est a ferculo, quod aliquis adponit. *quantas offas robusti carminis ingeris? offa* est globulus seu portio cibi, h. l. significat partem carminis. *robusti* longe deducti. *ingeris*, adponis, objicis, h. l. pro: meditaris. Sensus: Quam longe diductum carmen paras? *ut par sit centeno gutture niti. Nititur* aliqua res eo, quo sustinetur, et id, quod sustinet, subficere debet oneri inposito; carmen *nititur gutture*, quando vox in recitando non deficit. Sensus itaque est: ut centum linguæ, homines (*centenum guttur*) ad illud grande opus recitandum desiderentur, aut carmini recitando vix subficiant. Quia, similitudine retenta, hoc ferculum pluribus erat cœnandum, adposite dixit: *quantas offas robusti carminis*; sed in similitudinis delectu judicium poetæ requiras, neque troporum durities probari potest. Ceterum Persii tempore non tam ingeniosi erant poetæ, ut rerum copia premerentur, sed quum infinita rerum vi obrutos se his flosculis, ex Homero aliisque decerptis, profiterentur, fieri potuit, ut in summa rerum inopia tunc maxime solliciti essent, quid dicerent. Hanc ingenii paupertatem magnis quoque voluminibus studebant dissimilare, materia undique congesta et argumento ad tædium usque dilatato. Juvenal. I, 5 seqq.

7. *Grande locuturi*, in ejusmodi argumentis versaturi, quæ v. 3. et 4. designata sunt. *nebulas*, tales dictiones et flosculos, quibus poetæ antiqui usi sunt, qui flosculi, quum rei veritate destituantur, nihil nisi inanem speciem præbent, ut nebulæ. *Helicone*, in antiquorum poetarum scriptis.

8. 9. Procne Philomelæ filium Ityn Tereo, et Atreus Thyestæ filios ipsi patri cœnandos adposuit. Ovid. Met. VI, 424 seqq. Senec. Thyest. 1035 seqq. Serv. ad Virgil. Æn. I, 572. An Neronem, qui Thyestem tragœdiam egit, (Juvenal. VIII, 228. et VI, 642. ubi v. Ruperti) notet Noster, dubitari saltem posse existimo. *olla* spectat ad argumentum fabulæ, ut apud Claudian. I, 171: *Thyesteæ mensæ*, et apud Horat. in arte 91: *cœna Thyestæ*. V. 9. *Fervebit* adposite ad ollam. *si quibus fervebit* pro: a quibus stylo tractabitur. *cœnanda*. manet Noster in allegoria. De mimo notum est: *saltare fabulam* Ovid. Trist. II, 519. et Juvenal. VI, 63. *saltare cyclopa* Horat. Sat. I, 5. 63; sic Græci quoque ὀρχεῖσθαι τὸν Ἑκτορα, τὸν Καπανέα, Lucian. de Saltat. posuit autem *cœnanda* pro saltanda seu agenda, quia utraque fabula circa carnes liberorum coctas patribusque adpositas versatur. *insulso Glyconi*. Tragœdum *Glyconem* fuisse, qui populo mire placuerit, et propterea a Nerone manumissus sit, narrat Scholiastes ad hunc locum. *insulso*, inepto.

10—13. Pergit Cornutus: Tu ab incepto aliorum poetarum tumore abhorres. Pro hoc posuit id, quod facere illi, dum meditarentur, et quo grande aliquid se elaboraturos profiteri solebant. Hujus ostentationis triplex genus posuit, unum eorum, qui in meditando animi quasi ardore æstuarent; alterum eorum, qui se totos in meditando defixos similarent ad ostentandam materiæ gravitatem et difficultatem; tertium eorum, qui sibi, dum scriberent, vehementer placerent, superbosque induerent vultus.

10. 12. *Tu neque anhelanti folle premis*

Nec stloppo tumidas intendis rumpere buccas.
Verba togæ sequeris, junctura callidus acri,
Ore teres modico, pallentes radere mores
Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.

ventos. Premit is ventos folle, qui facit, ut follis ventum seu auram adceptam rursus emittat. *Anhelanti folle,* metaph. pro pulmonibus, totumque simpl. pro: tu non anhelas, non æstuanti te similem facis, *dum coquitur massa camino,* i. e. dum argumenti tractatione occupatus es. Sumptum hoc a metallis, quæ igne liquefacta in varias formas funduntur. Nonnulli *folle premere ventos* adcipiunt pro: folle retinere ventos, inflare se; quam tamen rationem epitheton *anhelanti* non admittit, qua etiam tota similitudo turbatur. Cornutus enim negat, Persium æstuanti, similem anhelare, dum in opere perficiendo occupatus sit, ut follis soleat adcipere et reddere auram, dum metalla liquefiant. Ceterum Horatius Perpræivit, Sat. I, 4. 19 seqq. conferas Juvenalem VII, 111 seq. *nec clauso murmure raucus Nescio — inepte.* Altera hæc ostentationis species. *clauso,* obpresso. *raucus,* naturæ murmuris convenienter. *cornicaris.* Priscian. VIII, 828. hoc interpretatur: inportunum garrire; κορώζειν, Aristoph. Plut. 369. ibi Schol. conf. Heyn. ad Virg. Ge. I, 389. Casaubonus ita adcipit: solus ambulas cornicis instar; non satis recte, ut videtur. Sensus: Tu non rauco murmure, cornicis instar, tecum loqueris, nescio quas res grandes (*grave*) animo tuo volutans. *inepte,* inepto more. cf. Horat. in arte 457 seq.

13. Sequitur tertia ostentationis species. *Nec intendis.* nec id agis. *tumidas,* inflatas. *stloppo* vox ficta ad exprimendum illum sonum, quem, buccæ inflatæ quum vi subito comprimantur, ventus per labia emissus edit. Sensus: non tu buccas nimium inflas, non ita, ut ventus ore vehementer compressus per labia erumpat.

14. 15. 16. Sequuntur jam Persii laudes. Cornutus ait, Persium verba eligere in communi usu posita, ea apte componere, et oratione uti copiosa, non tamen tumida. In his Persius sibi ipse nimium tribuit.

14. *Verba togæ* i. e. verba in sermonis vulgaris consuetudine versantia. *Sequeris,* h. l. deligis. *Verba togæ* obponuntur verbis sesquipedalibus, quibus tragici inepti tunc utebantur. *junctura callidus acri.* De junctura seu compositione verborum multa præceperunt veteres rhetores, quæ nos passim adcurate intelligere non possumus, non quia aurium nostrarum judicium obtusius est, ut quidam volunt, sed quia vel facilitas vel difficultas, qua veteres singulas literas exprimerent, totaque fere pronunciatio earum nobis incognita est, a qua tamen omnis de junctura disputatio pendet.

15. *Ore teres modico. Os* sæpe ponitur pro iis, quæ dicuntur, ideoque pro dicendi genere, sermone, carmine. Gron. Obss. III, 12. Burm. ad Valer. Flacc. II, 242. *teres,* ductum a membris humanis suci plenis, non tamen tumidis, sæpe transfertur ad orationem copiosam, non tamen luxuriantem. *Ore teres modico* pro: ore modice tereti, i. e. oratione, quæ modicis et verborum et sententiarum et ornamentorum copiis instructa est. conf. Horat. in arte 323. *pallentes mores,* vel mores, qui reddunt homines pallidos, vel mores hominum acrem censuram metuentium, (Horat. Sat. I, 4. 33. Juvenal. I, 165 seqq.) eamque ob causam pallentium. *radere,* perstringere.

16. *Doctus.* Casaubonus existimat, Cornutum poetam satiricum fuisse, quia Fulgentius Planciades de prisco sermone versum aliquem ex M. Cornuti satira proferat, Persiumque in satiris scribendis ab illo fuisse institutum, conligit idem ex hoc Persii loco. Huic adcedere Wernsdorf videtur in poet. Lat. min. T. III. p. XVII. Verum versus ille, qui a Fulgentio citatur, dubitari potest, ex quo satirarum genere fuerit, quum reliqui scriptores omnes, qui Cornuti mentionem faciunt, ne poetam quidem eum fuisse disertis saltem verbis narrant. Dio Cass. LXII. extr. memoriæ quidem prodidit, eum a Nerone in consilium adhibitum fuisse super carmine de rebus gestis Romanis instituto. Hoc potuit omnino fieri, siquidem doctus et nobilis grammaticus fuerit, qui etiam commentaria in Virgilium composuerit, (Gell. II, 6; IX, 9. Macrob. Sat. V, 19. Charis. grammat.

Hinc trahe, quæ dicas, mensamque relinque Mycenis
Cum capite et pedibus, plebeiaque prandia noris.
Non equidem hoc studeo, bullatis ut mihi nugis
Pagina turgescat, dare pondus idonea fumo.
Secreti loquimur. tibi nunc, hortante Camena,
Excutienda damus præcordia: quantaque nostræ
Pars tua sit, Cornute, animæ, tibi, dulcis amice,

instit. lib. I. p. 100. et 102. Putsch.) etiamsi versus numquam fecisset. Quin Persius, qui tantum Cornuto tribuit, ut omnia pæne animi bona adcepta ei referat, si etiam satiras scribendi artem ab eo didicisset, multo sane disertius id non modo indicasset, verum etiam magistri artem laude debita celebrasset, quum reliquas ejus virtutes tam copiose exornet. *Doctus* igitur h. l. nihil mihi videtur esse, quam peritus, callidus. *defigere*, pro: notare. De verbo *figere* agens copiose Heinsius ad Ovid. Heroid. VI, 91. illud *defigere* explicat: tamquam aculeo tangere satiricis reprehensionibus. Sed *defigere* est proprie: humi figere. *Defigere aliquem* de poeta satirico dici potest, quando aliquem adeo adcurate depictum ante oculos hominum ponit, ut omnes illum vivum adspicere putent. *Defigere* itaque est: prostituere aliquem populo, et exponere eum vel risui vel invidiæ. Horat. Sat. II, 1. 45 seq. *culpam*, homines inprobos. *ingenuo ludo*, carmine liberali et ingenuo, non obscœno aut maledico.

17. 18. *Hinc*, h. e. ex morum censura et inprobitatis castigatione. cf. Horat. in arte 318. *trahe, quæ dicas*, pete argumentum et dictionis colorem. *mensam cum capite et pedibus*. Atreus nempe Thyestæ fratri liberos ejus ad aras inmolatos partim assos partim elixos adposuerat epulandos, et sub finem cœnæ capita illi pedes et manus filiorum ostenderat, ut cognosceret frater, quibus nefandis epulis esset delectatus. Hanc mensam, inquit Cornutus, aut omnino omne tragicum argumentum omitte. *plebeiaque prandia* obponuntur cœnis illis nefandis, pro omni argumento ex vita communi petito.

19—29. Se sibi quidem, Persius Cornuto respondet, optare centum voces non ad nugas carmine celebrandas verborumque inani tumore fucandas, sed ad animum suum, quo sit erga præceptorem, prolixe declarandum. Honesta sane oratio, ex qua liberalis Persii indoles et egregia in Cornutum pietas luculenter adparet.

19. *hoc*, hujusmodi flosculis v. 1. et 2. *bullatis nugis* iidem flosculi intelligendi sunt, in quibus nihil solidi inest, sed qui ut bullæ præter inanem tumorem nihil habent. Tumorem Martial. IV, 49. 7. *vesicam* vocat.

20. *Pagina* seu pro eo sæpe ponitur, quod in illa scriptum est, seu pro toto opere. Propert. II, 17. 1. Ovid. Trist. V, 9. 3. Martial. IX, 78. Ovidius l. c. habet *crescit*, Persius, adcommodate ad *bullatas nugas*, scripsit *turgescat*. *dare pondus idonea fumo*, Horat. Epist. I, 19. 42. i. e. quæ pagina nugis *(fumo)* possit dare aliquam dignitatem. Sensus: Non equidem id ago, ut hujusmodi nugis dilatentur mea scripta ita comparata, ut illis inde nugis, quæ per se nihili sint, aliqua dignitas adcrescat.

21. *Secreti loquimur*. Hoc præmittit ad omnem adulandi suspicionem amovendam. *hortante Camena*, i. e. impetu pectoris mei id exigente.

22. *Excutienda*. *Excutere* portitorum solenne verbum, qui sarcinas peregrinantium apertas explorabant, num forte ibi inessent merces inscriptæ, quas, quum invenissent, publicabant. Seneca Epist. 72. *Explicandus est animus, et, quæcumque apud illum deposita sunt, subinde excuti debent. præcordia, φρένες*. Theocrit. XXIX, 3. Κήγὼ μὲν τὰ φρενῶν ἐρίω κίαθ' ἰν μυχῷ.

23. *quantaque nostræ Pars tua sit, Cornute, animæ*. Suavissima est imago perfectæ amicitiæ duorum animorum voluntatis et morum similitudine in unum quasi coalescentium, ut alter alterius pars habeatur; hac usus est non semel Horatius Od. I, 3. 8. II, 17. 5 seqq. Ovid. ex Ponto III, 4. 69. Stat. Silv. III, 2. 7 seq. Egregie Lucianus in Toxar. T. II. p. 558. ed. Reiz. amicum alterum leniter reprehendentem, qui sibi bene de ipso merito gratias ageret, induxit:

Ostendisse juvat. pulsa, dignoscere cautus,
Quid solidum crepet, et pictæ tectoria linguæ.
His ego centenas ausim deposcere voces,
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,
Voce traham pura, totumque hoc verba resignent,
Quod latet arcana non enarrabile fibra.
Quum primum pavido custos mihi purpura cessit,
Bullaque subcinctis laribus donata pependit;

γελοῖα τοίνυν καὶ ἡμεῖς ἂν ποιοῖμεν, εἰ πάλαι ἀναμιχθέντες, καὶ, ὡς οἷόν τε ἦν, εἰς ἕνα συνελθόντες, ἔτι μίγα νομίζοιμεν εἶναι, εἰ τὸ μέρος ἡμῶν ἔπραξέ τι χρηστὸν ὑπὲρ ὅλου τοῦ σώματος· ὑπὲρ ἑαυτοῦ γὰρ ἔπραττε, μέρος ὂν τοῦ ὅλου εὖ πάσχοντος.

24. *pulsa.* v. ad III, 21. conf. Auson. idyll. XVI, 12 seqq.

25. *et pictæ tectoria linguæ.* Ab altera metaphora transit ad alteram. Vi obpositi sensus est in aprico; dicere vult Noster, Cornutum posse dignoscere verum amicum a falso et similato. *tectorium*, κονίαμα, incrustatio parietum ex arena et calce, inde pro fuco. Juvenal. VI, 467. *pictæ tectoria linguæ* pro: tectoriis, quibus lingua obducta est. *Pictæ* non placuit I. G. Grævio, legitque *fictæ*. v. Syllogen epistol. a viris ill. scr. cur. Burmann. T. IV. p. 298. h. l. *pictæ tectoria linguæ* sunt verba similata, animi benevolentiam mentientia.

27. *sinuoso in pectore*, i. e. in pectore multos recessus habente, ubi aliquid conditum possit latere. Similitudo de amplo vestimento sumpta.

28. *traham* sc. ex sinuoso pectore. *pura*, candida. *Resignari* proprie de literis dicitur, quibus signum detrahitur; itaque *resignent* pro: aperiant, declarent.

29. *enarrabile.* spectat ad adfectus magnitudinem, quæ verbis exprimi nequit. *arcana fibra*, quod supra, *sinuoso pectore.* Lucan. II, 285 seq. Sil. I, 140.

30—51. Ego me tibi, O Cornute, pergit Persius, puerili ætate exacta in disciplinam dedi, tu me fovisti animumque meum ad virtutem formasti; seria nos una tractavimus rursusque una animos relaxavimus; hanc studiorum et voluntatis communionem naturæ certe et fato debemus. 30. Tempus, quo ætas juvenilis incipit, egregie per ea declaratum est, quæ tunc adcidere solent. *Quum primum pavido custos mihi purpura cessit.* Purpuram seu prætextam ideo gestamen puerorum fuisse, ut hæc ætas ab omni injuria tuta esset, nonnulli tradiderunt. Macrob. Sat. I, 6. Quintil. Declam. 340. Puto tamen illud potius recentiorum hujus moris et instituti interpretamentum fuisse, quam veram causam. Hoc constat, frequentem fuisse amorem in prætextatos, in primis sub Imperatoribus, eamque ætatem omnis generis libidini maxime fuisse expositam. Cic. in Catil. II, 2 et 10. Philipp. II, 18. Juvenal. X, 304 seqq. et Martial. sæpius. Quumque nefandis amoribus vel unice prætextati inservirent, atque hoc vitium Persii tempore tam late pateret: parum commode *purpura* h. l. pudicitiæ custos videtur vocari; quamobrem sic legendum esse existimo: *Quum primum pavido custos, quum purpura cessit.* Etenim pueros semper pædagogi in ludum literarium sequebantur, qui illorum curam agerent, pudoremque servarent; hoc satis notum est ex Horat. Sat. I, 6. 81 seqq. in arte 161. Juvenal. X, 114 seqq. Martial. XI, 40. Erat enim, quod patres pueris timerent. Propert. II, 3. 10 seq. Petron. 85. Valer. Max. 3. 1; 4. 1. Plin. Epist. III, 3. *pavido* cum respectu ad pudorem primæ ætatis proprium. conf. Catull. LXVIII, 15 seq. Ovid. Trist. IV, 10. 27 seqq. Propert. III, 13. 3 seqq.

31. *Bullaque.* Bullæ ad propellendas incantationes et fascina ingenuis pueris et altiore loco natis aureæ, pauperioribus e corio factæ, e collo suspensæ, quum togam pueri prætextam posuissent, laribus donabantur. Juvenal. V, 164 seq. interpp. ad Petron. 60. *subcinctis.* lares erant habitu peregrinantium. Vetus interpres ad h. l. *Quia gabino habitu cinctuque dii penates formabantur, obvoluti toga super humerum sinistrum dextro nu-*

Quum blandi comites, totaque inpune Suburra
Permisit sparsisse oculos jam candidus umbo;
Quumque iter ambiguum est, et vitæ nescius error
Diducit trepidas ramosa in compita mentes:
Me tibi subposui. teneros tu suscipis annos
Socratico, Cornute, sinu. tunc fallere sollers
Adposita intortos ostendit regula mores,
Et premitur ratione animus vincique laborat,
Artificemque tuo ducit sub pollice vultum.

do. Plura de laribus apud Burm. ad Ovid. Fast. V, 129 seq. et apud Broukh. et Vulp. ad Prop. IV, 1. 131.

32. *blandi comites,* adsentatores, qui latus meum tegebant, in custodis severi locum subcedentes. Subple: erant mihi, vel permiserunt mihi. *Suburra* vicus Romæ celeberrimus in secunda regione, a scortis in primis et lupanaribus frequentatus. Martial. VI, 56. Burm. in Anthol. Lat. T. II. Ep. 41. p. 514.

33. *umbo.* sic vocabatur centrum plicarum in toga lautiorum et elegantiorum. conf. Tertullian. de Pallio p. 373 seqq. Lugd. Bat. 1654. *candidus umbo* obponitur prætextæ, et *candidus umbo* seu toga pura indicat ætatem juvenilem, qua quis suo more incipit vivere a nullo tutore amplius custoditus. Propert. III, 13. 2 seq. IV, 1. 131. Ovid. Fast. III, 777. *sparsisse,* circumtulisse.

34. *Quumque iter ambiguum est,* v. not. ad III, 56. Ex quo juvenis incipit esse suæ tutelæ, duplex potest inire vitæ genus, vel virtutem colere, vel inservire vitiis; tunc amico opus est fideli, seu admonitore sapienti, qui eum in rectam viam deducat. *et vitæ nescius error,* i. e. ignoratio eorum, quæ ad vitam sapienter degendam necessaria sunt. Ceterum similitudinem itineris a peregrinantibus absolvendi, seu spatii a concertantibus decurrendi ad vitam sæpe transferri, nota res est.

35. *trepidas mentes,* dubitantes juvenes et adhuc incertos. *ramosa ad compita.* Innumerabiles enim sunt vivendi rationes, ex quibus optimam eligere et sequi hoc opus est, hic labor. Quam diserte, quam ornate, quam graviter simplex res expressa sit, vel interprete tacente, unusquisque sentiet. Illis quinque versibus continetur: Simulac excessi ex ephebis.

36. *Me tibi subposui. Subponi* proprie de vitulis lactentibus dicitur. Varro R. R. V, 2. 5. 17. Ut sapientiæ præceptis a te nutrirer, me tibi quasi subposui. Aut subposuit se Persius disciplinæ Cornuti, ut jumenta jugo colla. Ovid. Am. III, 10. 13.

37. *Socratico sinu,* i. e. ita ut Socrates solebat discipulos suscipere. Seneca Med. 384. *Vade, hos paterno, ut genitor, excipiam sinu.* apud Petron. 129. est *Socratica fide.* cf. Quintil. I, 9; II, 2. præcipientem, quales esse debeant præceptores. *tunc fallere sollers regula.* Intelligitur præcipiendi ratio, quæ animo se insinuat, sensimque eum inficit et colorat, ita ut ejus vis vix percipiatur. Eodem sensu *fefellit* utitur Horat. Epist. I, 17. 10.

38. *intortos mores,* i. e. pravos, qui, ut lignum aliquod regula adposita, sic præceptis sapientiæ diriguntur et emendantur.

39. *Et premitur ratione animus.* Translatum hoc ab equis domandis. v. Heyn. ad Virgil. Æn. VIII, 81. cf. Propert. II, 1. 10. Sensus: coercetur animus (θύμος, omnes cupiditates et adfectus: Scholiast. ad Arist. Ran. 868.) sapientiæ et morum præceptis *(ratione)* et emendatur. *vincique laborat,* reluctans, ægre vincitur.

40. *ducit vultum* sc. animus, i. e. formam adcipit, in formam aliquam fingitur. *artificem.* Interdum *artifex* pro eo ponitur, quod in suo genere consummatum ac perfectum est. Ovid. A. A. III, 555 seq. Valer. Flacc. VI, 465. Causaubonus putat, Persium scripsisse *artificis* seu *artifici,* sed emendatione nihil est opus. v. Burm. ad Prop. I, 2. 8. Broukh. ad eumdem II, 23. 8. *tuo sub pollice.* translatum hoc est a re plastica: (Martial. VIII, 6. 9 seq.) ut scilicet artifex imaginem ex cera aliave materia fingit,

Tecum etenim longos memini consumere soles,
Et tecum primas epulis decerpere noctes.
Unum opus et requiem pariter disponimus ambo,
Atque verecunda laxamus seria mensa.
Non equidem hoc dubites, amborum fœdere certo
Consentire dies, et ab uno sidere duci.
Nostra vel æquali suspendit tempora Libra
Parca tenax veri, seu nata fidelibus hora
Dividit in Geminos concordia fata duorum,

sic sapientiæ magister animo, quam vult, formam quasi inprimit. Juvenal. VII, 237 seq. Ovid. Metam. I, 402. Stat. Achill. I, 334. Silv. IV, 6. 27; Plin. Epist. VII, 9. 11; Senec. Epist. 50. *Robora in rectum, quamvis flexa, revocabis; curvatas trabes calor explicat, et aliter natæ in id finguntur, quod usus noster exigit; quanto facilius animus adcipit formam, flexibilis et omni humore obsequentior.*

41. Hactenus declaravit Noster, quid Cornuti disciplinæ deberet; jam a v. 41—51. communionem studiorum et voluntatis, quæ sibi cum eodem intercesserit, exprimit. *longos soles* i. e. dies longos. Virgil. Æn. III, 203. Nemes. eclog. II, 25. Sic Græci quoque Ælian. V. H. XIII, 1. *longos* puto adjectum esse ad designandum totius diei spatium ab orto sole ad ejus occasum.

42. *primas noctes*, i. e. primas quasque noctis partes. h. l. cum delectu *decerpere* positum, ut priori versu *consumere*.

43. *disponimus*, i. e. dispertimus in singulas diei partes, *unum opus*, studia nostra communia. Casaubonus mavult *una*, quod tamen h. l. non convenit; non enim dicere vult Noster, se eodem tempore studiis vacasse, quo Cornutus, sed easdem res cum illo et eodem tempore tractasse. cf. Virgil. Georg. IV, 184.

44. *seria*; proprie dicendum fuisset: animum seriis rebus intentum. *verecunda mensa*, cœna frugali, aut cibo modico.

45. His, qui usque ad v. 51. sequuntur, versibus hoc voluit Noster indicare: Quum tanta sit studiorum et voluntatis inter nos similitudo, non potest fieri, quin ea certo alicui fato debeatur. *Equidem*, adfirmandi particula. *fœdere certo*, certa et constituta lege. Virgil. Æn. I, 62. Sil. XV, 75.

46. *dies*, vitam nostram. *et ab uno sidere duci*, i. e. natales nostros in eamdem constellationem cadere. A stellarum enim compositione et inclinatione ea, qua quis lucem adspexisset, indolem ejus et naturam, studia, commoda et incommoda vitæ futuræ pendere, antiquitatis superstitio sibi persuasit. Opinio hæc rudibus ingeniis familiarissima, ideoque et vetustissima, ex eo fonte profluxit, unde plurimi et maximi errores, quibus mortales ducuntur et exagitantur, originem traxerunt. Proclivis est enim omnis ætas vel remotissima, a literarum studio nondum philosophiæ luce conlustrata, ad indagandas earum rerum, quæ vel magnitudine sua in admirationem sui rapiunt, vel utilitate aliqua ad hominum vitam insignes sunt, vel omnino ad genus mortalium aliqua ratione pertinent, rationes et causas. Quo in studio labsi sunt homines eo gravius, quo minore rerum cognitione instructi illud adgrederentur, quum rerum simul existentium, quæ nulla societate inter se conjunctæ essent, in alterutra alterutrius causam et rationem sitam esse existimarent. Id quod non solum omnibus astrologiæ deliramentis locum fecit, sed et mater fuit omnium errorum, quos quidem futuri præsciendi amor foverat, innumeraque mala in vitam hominum induxit. Quantum prava hæc studia Ptolemæorum ætate viguerint, de hoc v. Heyn. Opusc. T. I. p. 109. Ceperunt autem nova semper incrementa omni memoria, qua homines debilitatis et fractis per luxum et mollitiam corporis et animi viribus rerum futurarum metu cruciarentur. Juvenal. VII, 194 seq. Ceterum id dicitur *duci a sidere*, in quod sidus vim suam exserit, aut cujus ratio a sidere pendet.

47—49. Sub eodem sidere nati sumus, vel sub Libra vel sub Geminis; hoc cum ornatu enunciatum est. Prius sic: *Vel*

Saturnumque gravem nostro Jove frangimus una.
Nescio quod certe est, quod me tibi temperat, astrum.
Mille hominum species, et rerum discolor usus.
Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno.
Mercibus hic Italis mutat sub sole recenti
Rugosum piper et pallentis grana cumini:
Hic satur inriguo mavult turgescere somno:

Parca tenax veri suspendit tempora nostra libra æquali: (Parca tenax veri est fatum Stoicorum inmutabile ac certum; *suspendit libra æquali tempora nostra* i. e. exæquavit vitam utriusque nostrum Libra illa justa) posterius sic: *seu hora nata fidelibus*, i. e. seu tempus, sub quo amici fideles nascuntur; *dividit fata concordia duorum in Geminos*, i. e. curam fatorum nostrorum concordium dispertivit Geminis.

50. *Saturnumque gravem* pro: vim noxiam Saturni; est enim maleficum sidus. Juvenal. VI, 568. *frangimus*, vincimus, mollimus. v. Barth. ad Claud. bell. Gild. 249; in Eutrop. I, 145. *Jove nostro*, Jove nobis propitio. cf. Propert. IV, 105 seq. Horat. Od. II, 17. 17 seqq. An *frangere* et *temperare* propria Astrologorum verba fuerint, dubito; hoc certum videtur, ea h. l. adprime convenire. Sensus: Eodem fato uterque nostrum utitur, non sane ab omni parte felici, sed quo bona mixta sint malis, adeo tamen, ut mala a bonis superentur. Ceterum cur a genethliacis Saturni stella malefica, Jovis salutaris habeatur, (Macrob. Sat. I, 19.) ignorabant vulgo: una ratio adfertur ex Ptolemæo Fabric. bibl. Græc. T. IV. c. 14. p. 449. Multi jam ex veteribus huic superstitioni anili bellum indixerunt. Favorin. apud Gell. XIV, 1. Cic. de Div. II; et Sext. Empir. V. Mansit tamen persuasio vulgaris, ut, sub quo quis signorum Zodiaci esset natus, ab illius signi natura et indole colorem animi traheret, ut a Libra æquitatem, a Geminis propensum ad intimam familiaritatem animum, (in hoc autem videntur sibi veteres non semper constitisse. v. intpp. ad Petron. 39.) malignitasque unius stellæ bonitate et salubritate alterius quodammodo coercereturr et temperaretur. v. Jani Excurs. ad Horat. l. c.

51. Verborum ordo: *Certe est astrum nescio quod, quod me tibi temperat*, i. e. quod facit ut in eadem voluntate et studio versem.

52—61. Pergit Noster: Studia hominum diversa sunt, alii quæstu, alii desidia, alii ludo, alii amore ducuntur, et ad extremum præteritos dies nequidquam omnes dolent.

52. *Mille hominum species*, i. e. ingens est diversitas in hominum figuris; *et rerum discolor usus*, et res multiplici ratione utiles esse possunt.

53. *Velle suum cuique est, nec voto vivitur uno*, i. e. sua quisque voluntate, suis studiis ducitur. Sensus hujus et prioris versus hic est: Ut homines et res specie et usu vehementer inter se differunt; sic etiam voluntates hominum et studia circa eas res earumque usum. Varietatis hominum in figuris et moribus sæpe mentio est. Ovid. A. A. I, 759 seq. cf. Horat. Od. I, 1. Sat. I, 4. 25 seq.

54. *Mercibus Italis.* Quibus rebus ex Italia exportatis merces externas permutarent Romani, non satis constat. v. Heyn. Opusc. T. III. p. 21. *sole recenti*, i. e. in regionibus orientem versus. Horat. l. c. forsan Alexandria est intelligenda, ubi emporium erat rerum Indicarum.

55. *Rugosum piper.* Plin. H. N. XII. sect. 14. *Hæ* (piperis siliquæ) *priusquam dehiscant, decerptæ, tostæque sole, faciunt quod vocatur piper longum; paullatim vero dehiscentes maturitate, ostendunt candidum piper; quod deinde tostum solibus, colore rugisque mutatur.—pallentis cumini* Plin. XIX. sect. 47. in Ægypto optimum nascitur, amicissimum inter omnia condimenta; in stomachi remediis præcipuum, pallorem tamen bibentibus gignens. Plin. XX. sect. 57. Horat. Epist. I, 19. 18. Nihil erat gulæ Romanorum exoptatius, quam quo fastidium pellere, aut famem excitare, ventriculoque nimio ciborum usu adtrito novas vires addere possent. cf. Horat. Sat. II, 8. 6 seqq.

56. *Hic satur* e. Pertinet ad homines, qui inter somnum et epulas omne vi-

Hic campo indulget: hunc alea decoquit: ille
In Venerem est putris. sed quum lapidosa cheragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi:
Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem,
Et sibi jam seri vitam ingemuere relictam.
At te nocturnis juvat inpallescere chartis.
Cultor enim juvenum purgatas inseris aures

tæ tempus transigunt; cibis enim præter modum obpletis somnus solet obrepere. *inriguo*, i. e. qui inrigat. Tibull. II, 1. 44. In primis somnus cibo et potu probe oneratis sudorem excutere solet. / Ceterum de somno quasi solenne est *inrigat*. v. Heyn. ad Virg. Æn. I, 691. *turgescere*, saginat enim quies; inde *somnus obesus* apud Sulpic. Sat. 56.

57. *campo* sc. Martio (Horat. Od. I, 8. 4.) i. e. ludis et exercitationibus corporis, quibus in campo Martio Romani utebantur. Suet. Aug. 83. *hunc alea decoquit*. Ut gravius sententiam exprimeret poeta, verbum petivit ex eo, quod vehemens hujus rei studium subsequi solet; nam aleæ nimis deditus rem familiarem absumit et ex divite fit pauper. Juvenal. I, 88. Voluit dicere: hunc alea delectat; pro hoc dixit: hunc alea decoquit, pauperem reddit.

58. *In Venerem est putris*. Idem expressit, quod habet Claudian. X, 65. *Vivunt in Venerem frondes*, sed alia ratione. *Putris* possis hoc loco *lascivus* exponere. v. Jani ad Horat. Od. I, 37. 17. verum præstat sumere, Persium ut in superiori versu verbum inde petiisse, quod nimium Veneris usum sequi soleat, quo sanguis et humores inquinantur, viresque corporis debilitantur. Interpretor itaque *putris*: resolutus, corruptus. cf. Virgil. Georg. IV, 198. Olim pro *est putris* legi *prurit*. v. Martial. III, 58. 111. — *lapidosa* a lapidibus, qui in articulis concrescunt. Horat. Epist. I, 1. 31.

59. *fregerit*, debilitaverit et distorserit. Horat. Sat. II, 7. 16. *veteris ramalia fagi*, sic vocat membra hominis nimio Veneris et vini usu marcescentis, morboque articulari torti, quia fagi vetustate jam aridæ rami citissime humore putrescunt et conrumpuntur. Pallad. Novemb. XV, 2. Plin. H. N. XVII. sect. 79.

60. *Tunc crassos transisse dies, lucemque palustrem. crassos dies*, i. e. dies in aere crasso transactos. Cic. pro Sext. e. 9.: *Quis enim clavum tanti imperii tenere et gubernacula reipublicæ tractare in maximo cursu ac fluctibus posse arbitraretur hominem emersum subito ex diuturnis tenebris lustrorum et stuprorum*. Si hæc ad balnea spectant, ut Casaubonus putat, nihil aliud possunt significare, nisi vitam omni voluptatum genere transactam. Verum poeta tunc in partium delectu peccasset; quid enim hominibus, qui balneis frequenter utuntur, cum chiragra? Dies in ganeis et lupanaribus consumptos intelligas. Juvenal. VI, 130 seq. cf. Burm. ad Anthol. Lat. T. II. v. 14. Aut si balnea intelligenda sunt, ea spectavit Noster, quæ in balneis fierent, quum viri et feminæ promiscue lavarentur. Martial. III, 51. VII, 34. XI, 48. quem morem Romanos a Græcis adcepisse testatur Plutarch. Cat. maj. c. 22. ed. Hutt.

61. *seri*, Græce pro: sero. *ingemuere* pro: intellexere, sensere cum gemitu. Corpus scilicet morbis debilitatum et fractum tandem eos admonet, voluptatum decursum jam esse factum, finemque vitæ instare.

62—72. His miseris et perditis hominibus obponitur jam Cornuti vivendi ratio. Hunc dicit Noster literis et juvenum institutioni vacare. Monet deinde homines, ut ab eo petant vivendi rationem, neque id differant, numquam enim eum incipere, qui semper rem procrastinet.

62. *inpallescere* studii acerrimi et adsidui vim involvit, quæ augetur adjecto *nocturnis*; tempora vel somno subrepta studiis inpendit Cornutus.

63. *Cultor juvenum*, qui operam locas in erudiendis juvenibus. *purgatas* translatum ab agro colendo, qui primo purgatur ab herbis sterilibus et noxiis, deinde inseritur. Opiniones pravæ et vitia præcludunt quasi aures ad virtutis præcepta; illis eradicandis aures quasi purgantur et virtutum præceptis patent.

Fruge Cleanthea. Petite hinc juvenesque senesque
Finem animo certum, miserisque viatica canis.
" Cras hoc fiet." Idem cras fiet. " Quid, quasi magnum ?
Nempe diem donas." Sed quum lux altera venit,
Jam cras hesternum consumpsimus. ecce aliud cras
Egerit hos annos, et semper paullum erit ultra.
Nam quamvis prope te, quamvis temone sub uno
Vertentem sese, frustra sectabere canthum,
Quum rota posterior curras et in axe secundo.

64. *Fruge Cleanthea.* Claudian. XVII, 87 seq. i. e. præceptis e Stoicorum ratione petitis. *Cleanthes* Zenonis discipulus præceptorque Chrysippi. v. Menag. ad Diog. Laert. VII. sect. 174. A Cicerone Acad. Quæst. IV, 41. vocatur *majorum gentium Stoicus.*

65. *Finem animo certum.* Aristot. Eudem. II. δεῖ ἅπαντα τὸν δυνάμενον ζῆν κατὰ τὴν αὑτοῦ προαίρεσιν θέσθαι τινὰ σκοπὸν τοῦ καλῶς ζῆν, πρὸς ὃν ἀποβλέπων ποιήσεται πάσας τὰς πράξεις, ὡς τό γε μὴ συντετάχθαι τὸν βίον πρός τι τέλος ἀφροσύνης πολλῆς σημεῖον ἐστι. Senec. Epist. 71. *Vita sine scopo vaga — scire debet, quid petat ille, qui sagittam vult mittere, et tunc dirigere et moderari telum ; errant consilia nostra, quia non habent, quo dirigantur.* Ad eumdem finem omnes actiones hominis revocandæ sunt, eoque continetur, quod Epictetus vocat τὴν ἐπιστήμην τοῦ βιοῦν. *animo* casus tertius, *petite animo. viatica.* Ut in itinere viatico, sic in vita præceptis opus est. *canis* sc. capillis i. e. senectuti. *miseris.* Multa incommoda ex corporis imbecillitate senectutem comitantur, morsque ipsa in conspectu semper est ; contra hæc omnia senectuti præsidia sunt comparanda, ut mala quæcumque fortiter ferant decrepiti, mortemque neque adcelerent neque reformident. Ista præsidia bene *viatica,* ἐφόδια, adpellantur, quippe quæ sustentent hominem in vitæ peregrinatione. Bene Horatius Epist. I, 1. 24 seqq. de philosophiæ utilitate ad vitam communem loquitur.

66. In sermone vulgari sic pergendum fuisset : Sentiunt quidem homines, sine sapientiæ studio beatam vitam nullam esse, ideoque ei esse vacandum ; sed præsentium voluptatum inlecebris inretiti consilium suum in aliud tempus semper differunt ; quumque hæc temporis, quamvis brevissimi, dilatio semper et sine fine amplietur : fit, ut mors prius vitæ, quam recta ratio huic in diversum fluctuanti consilio, finem inponat. cf. Martial. I, 16. 11 seq. V, 60. Noster statim hujusmodi dilatorem inducit, dicentem : *Cras hoc fiet. hoc* sc. ut philosophiæ operam dem. Noster respondet : *Idem cras fiet. Idem* sc. quod hodie fit, ut tu dicas iterum : *cras fiet.* Ignavus quasi mirabundus ad hæc : *Quid,* inquit, sc. dubitas ; *quasi magnum* sc. illud sit negotium diei unius concessio : ita

67. *Nempe diem donas,* usum unius diei concedis. Potest autem *Nempe* h. l. significare *scilicet* hoc sensu : tu diem donas (ita dubitanter) quasi magnum scilicet. *Sed quum lux altera venit. Sed* spectat id, quod, omissum quidem, per se tamen intelligitur : Concessio unius diei non magna quidem per se est, sed etc.

68. *Jam cras hesternum consumpsimus.* Romani ab ortu solis dies numerabant ; orto igitur sole præcedens dies erat finitus.

69. *ecce aliud cras Egerit hos annos. egerit* pro : consumserit, Valer. Flacc. VIII, 453 seq. Ecce aliud cras, in quod tu semper studium philosophiæ differs, consumserit *hos annos,* in quibus procrastinatorem egisti ; seu brevius : procrastinando præsens tempus semper perdis. *et semper paullum erit ultra* sc. illud cras. Procrastinando numquam adtinges illud cras, quamquam parvo spatio a te semper remotum. Casaubonus illud ita interpretatus est : Paullatim semper tibi erit ætas grandior, et propius ad metam adcedes. Verum meam rationem veram esse, probat sequens similitudo, qua Noster illa verba paullulum obscuriora explicat et inlustrat.

70. 71. 72. Verborum ordo : *Nam frustra sectabere canthum, quamvis vertentem sese prope te, quamvis temone sub*

Libertate opus est, non hac, quam ut quisque Velina
Publius emeruit, scabiosum tesserula far
Possidet. heu steriles veri, quibus una Quiritem 75

uno. canthum verbum Hispanicum. Quintil. Inst. I, 3. ibi Burm. hoc loco pro: rota, ut ἄντυξ (Homer. Il. ε, 728.) proprie lamina ferrea, quæ rotam ambit. *temone sub uno*, sub eodem curru; quo illud *prope te* non solum explicatur, verum etiam vis ejus augetur. *Quum* (tu quasi) *rota posterior curras.* Apta est imago et sensus apertus: Ut rota posterior numquam anteriorem, quamquam sub eodem curru, minimaque distantia se vertentem, adsequetur; sic illud temporis momentum, quod, quamvis exiguis spatiis, semper tamen differs, numquam tibi continget, quo te ad rectiora studia et bonam mentem sis conlaturus. *et in axe secundo*, et in curru, celeriter moto. Virgil. Æn. I, 156. ibi v. Heyn. Aliter eamdem rem expressit Horat. Epist. I, 2. 41 seq. et temporis fugacitatem egregie descripsit Ovid. Met. XV, 179 seq.

73—90. Jam reliquum erat, ut doceret poeta, cur hæc dilatio sapientiæ studii apud istos ignavos sempiterna sit et esse debeat; quod ut faceret, paucissimis verbis potuisset defungi, adjectis his: sunt enim non sui juris, sed voluptatum et cupiditatum mancipia, quarum imperium in dies magis magisque confirmatur. Horat. Od. II, 2. 9 seq. Enimvero id erat illud ipsum argumentum, quod fusius tractandum in hac satira sibi proposuerat, ad quod sibi per ea, quæ in antecedd. dicta sunt, viam quasi munivit, quum prius, ut in epistola, cujus formam satiræ huic induit, mos et consuetudo fert, caritati suæ et gratissimo in Cornutum præceptorem animo paullo prolixius satis fecisset, docuissetque brevibus, quantum ad beatam hominum vitam referret, libertate uti, cujus vera indoles ex Stoicorum mente in seqq. describitur. Non eum esse liberum, Noster disputat, qui libertate civili utatur. Primum ridet vulgarem opinionem, qua servus nequam liber existimetur et bonestus, quando manumissus sit; deinde negat, illud: *vivere ut velis* recte a vulgo intelligi; tandem de hac re quasi scholam se explicaturum profitetur. Ceterum notum est inter Stoicorum disciplinæ effata: ὅτι πᾶς ἄφρων δοῦλος, καὶ ὅτι μόνος σοφὸς ἐλεύθερος. cf. Cic. parad. 5. Cui quasi fundamento reliqua, quæ dicuntur, superstructa sunt.

73. *non hac, quam ut quisque* pro: non hac, qua, ut quisque eam. *Velina* una erat e tribubus rusticis.

74. *Publius Velina*, Publius e tribu Velina. *quisque Publius*, pro: unusquisque civis Romanus factus. Plena libertate donati et civitatem et nomen manumissoris adcipiebant et in aliquam tribum referebantur. *emeruit.* Adludit fortasse Noster ad nefanda illa ministeria, quibus a dominis manumissionem inpetrare servi studebant: nam simpl. pro: nactus est, illud positum esse ut credam, a me inpetrare non possum. Libertatem vero plenam nanciscebantur ex lege Norbana ab a. U. c. 771. ii solum, qui vel per vindictam, vel per censum, vel per testamentum libertate donati erant. Hi soli quoque omnium commodorum, quibus cives Romani fruebantur, participes erant. Et quæ erant ista commoda? non digna sane Romano nomine. Quotannis et sæpe singulis mensibus frumentum civibus tenuioribus ab Imperatorum liberalitate viritim distribuebatur, ut plebis animum, cujus vota pane et circensibus absolvebantur, a novarum rerum studio avocarent, sibique devincirent. Parva quidem res erat, si id, quod singuli adciperent, spectas, si summam, haud contemnenda. Sueton. Cæs. 41. *tesserula*, per tesseruJam seu tesseram, quam adcepit. *Tessera* signum, quod dabatur iis, quibus frumentum erat promissum, et quo prolato frumenti, quantum in tessera erat scriptum, copia fiebat; largitiones enim semper fere ad certum civium numerum pertinebant. Casaub. ad Suet. Aug. 42. Dio Cass. LX, 10. Juvenal. VII, 174. ubi v. Ruperti. cf. Onuphr. Panvinium de ludis circens. II, 3. ibi not. Argoli. in Thesaur. antiq. Rom. T. IX. p. 402. et Buleng. de venatione circi c. 24. l. c. p. 794. Nomina civium, ut sciretur, quibus tesseræ essent datæ, tabulis ceratis inscribebantur, aut æneis incidebantur. Senec. de Benef. IV, 28. *scabiosum* munusculi vilitatem indicat; frumentum scil., ut in granariis publicis sæpe adcidit, a gurgulionibus exesum seu omnino situ corruptum.

75. *Heu steriles veri*, ita bene illi vocantur, quorum cogitationes a rei veritate semper abhorrent, et qui parum veræ libertatis vim et naturam noverunt.

Vertigo facit ! hic Dama est non tressis agaso,
Vappa et lippus, et in tenui farragine mendax :
Verterit hunc dominus, momento turbinis exit
Marcus Dama. papæ ! Marco spondente recusas
Credere tu numos? Marco sub judice palles? 80
Marcus dixit: ita est. adsigna, Marce, tabellas.
Hæc mera libertas : hoc nobis pilea donant.
" An quisquam est alius liber, nisi ducere vitam

76. *Vertigo.* Manumittendus a domino dextra coram prætore prehensus circumagebatur his verbis: *Hunc hominem liberum esse volo.* Quo facto prætor, lictore jussu ejus vindictam capiti servi inponente: *Aio te,* dicebat, *liberum more Quiritium.* Senec. Epist. 8. *Philosophiæ servias oportet, ut tibi contingat vera libertas. Non differtur in diem, qui se illi subjecit et tradidit, statimque circumagitur. Hoc enim ipsum philosophiæ servire libertas est.* cf. Plin. Epist. VII, 16. 4. *Hic Dama est* cet. Ridet populi opinionem, quandoquidem ad illam libertatem civilem vel abjectissimo cuique via pateat. *tressis* nullius pretii; verbum a *tribus assibus* contractum; spectat ad mores pessimos, ut *agaso* ad conditionem vilissimam.

77. *lippus.* Ergo etiam corporis vitiis turpis. *in tenui farragine,* in rebus minutissimis ejus administrationi commissis.

78. *Verterit hunc dominus,* pro: si dominus hunc jusserit liberum esse, seu si eum manumiserit. v. ad v. 75. *momento turbinis,* simulac a domino circumactus est. *exit* sæpe de rebus in alias formas mutatis, ut in re figlina de vasis, usurpatur. Horat. art. 21.

79. *Marcus Dama.* Nomen et pronomen mutuabantur libertini a patronis; agnomen erat servile prius. Sensus: Statim fit liber et civis Romanus. *papæ !* admirantis est cum risu mordaci. *Marco spondente recusas* etc. Neque manumissi hæc neque parasiti alicujus, recenter manumissum adulantis, verba videntur esse, sed ipsius poetæ ridentis, quibus hoc significare vult, neminem sanum servo nequam, simulac libertatem nactus sit, in iis actionibus, quarum jus et potestas illi quidem cum libertate et civitate donata sit facta, quæque fide bona contineantur, protinus confidere, adeoque nomen servi illum quidem, sed nequaquam naturam exuisse.

80. *Marco sub judice palles?* Ergo etiam libertinis aditus ad judicum ordinem ea tempestate patebat. *palles?* quidni palleret seu timeret! quæ enim religio quæ fides ejusmodi hominis? Horat. Serm. II, 1. 49 seqq. Juvenal. VII, 115. Ceterum *pallere sub judice* nihil aliud interdum significat, quam causam dicere. Claud. XXIV, 100.

81. *Marcus dixit* sc. testimonium; *ita est,* quis audeat dubitare: nam quandoquidem Marcus rem testatur, ita se quoque res habet. *adsigna Marce tabellas.* Quum in rebus contrahendis vel testamentis condendis Marcus testis adhibitus est, quis tandem nomini et sigillo ejus inpresso fidem non habeat scilicet. Juvenal. VIII, 142 seqq. Martial. IX, 89. 2 seqq. Possis etiam sic versum interpretari. Interrogat quidam alterum: *Marcus dixit?* Respondet ille: *Ita est !* Statim is, qui interrogaverat, ad Marcum se convertit: *Adsigna Marce tabellas !* subscribe igitur, ut res per nomen tuum majorem auctoritatem adquirat. Potest enim totum pertinere ad testimonia per tabulas edita. Sigon. de ant. jure Rom. II, 15. de judic.

82. *Hæc mera libertas.* Horat. Epist. I, 18. 8. Pergit in ironia. Harum rerum jus et potestatem libertas facit; quis igitur Marco non confidat? *pileus* seu *pileum* libertatis indicium. Pileum manumissi in templo Feroniæ capite raso induebant. vide Taubm. ad Plauti Amph. I, 1. 306.

83. Inducit Noster aliquem finitione pugnantem, ut errori, qui ab illa male intellecta proficisci possit, obcurrat. Liber est is, cui licet vivere ut vult; jam vero mihi licet vivere ut volo; ergo sum liber. Stoici dicebant: ἐλεύθερός ἐστιν ὁ ζῶν ὡς βούλεται, ὃν οὔτ' ἀναγκάσαι ἐστίν, οὔτε κωλύειν, οὔτε βιάσασθαι. Iisdem igitur verbis utebantur illi quidem, verum alia potestate et vi subjecta. Cic. Paradox. V.

Cui licet ut voluit ? licet ut volo vivere : non sim
Liberior Bruto ?" Mendose conligis, inquit
Stoicus hic, aurem mordaci lotus aceto.
Hoc reliquum adcipio : *licet* illud et *ut volo* tolle.
" Vindicta postquam meus a prætore recessi,
Cur mihi non liceat, jussit quodcumque voluntas,
Excepto, si quid Masuri rubrica vetavit ?"
Disce ! sed ira cadat naso rugosaque sanna,
Dum veteres avias tibi de pulmone revello.
Non prætoris erat, stultis dare tenuia rerum

85. *Liberior Bruto.* Vel M. Junium Brutum, primum consulem, libertatisque Romanæ, ut vulgo perhibent, restauratorem et vindicem, vel Cæsaris interfectorem intelligas. *Mendose conligis* sc. ex verbis perperam intellectis.

86. *aurem mordaci totus aceto.* De eo proprie dici potest, qui acute audit ; h. l. translatum est ad judicii subtilitatem. Ceterum ad auditus gravis curationem acetum in primis adhibitum esse docet Celsus VI, 7.

87. *Hoc reliquum adcipio* spectat ad finitionem libertatis, quæ Nostro probatur; *adcipio*, probo. Negat autem, ei licere vivere, ut velit.

88. Miratur ille cum indignatione dicentem ; sibi non licere vivere, ut velit, quum tamen manumissus sit. *Vindicta virga est, qua manumittendi a prætore in capite pulsantur.* sic vetus interpr. ad h. l. *vindicta* sæpe pro vindicatione in libertatem ipsa ponitur. Ovid. A. A. III, 615 seq. *meus*, mei juris, liber. Terent. Phorm. IV, 1. 21.

90. *Masurius* Sabinus erat nobilis jurisconsultus sub Tiberio, et reliquit inter alia libros tres de jure civili. Bach. Hist. Jur. p. 404. ed. 1765. Lips. *rubrica*, capita et tituli librorum juris et legum rubrica notati. Interpp. ad Petron. 46. Juvenal. XIV, 192 seq. Quintil. Inst. XII, 3. *Masuri rubrica* igitur pro : leges civiles.

91—112. Jam scholam Noster de libertate explicat. Negat prætoris esse, stulto vivendi rationem permittere, quum sensus ipse communis doceat, ab eo esse abstinendum, quod tractare nescias ; ut medicinam facere non debeat medendi, nec navem regere gubernandi artis ignarus. Tum ad ea venit, quæ in vere libero ideoque sapienti desiderari debent, ad rectam vitæ rationem, veri cognitionem, expetendorum fugiendorumve scientiam, animi tranquillitatem et constantiam, humanitatem, rerum denique externarum contemptionem. Hæc non, ut in scholis, certo aliquo ordine exposita sunt, sed ut species et partes primariæ, quæ sapientiam, sine qua libertas nulla est, absolvunt, leviter adumbratæ.

91. *sed ira cadat naso rugosaque sanna.* Inflatus nasus iram, in rugas contractus sannam seu contemptum indicat. Erroribus, quos a pueris inbiberunt, solent favere homines adeo, ut ægre sibi eos eripi patiantur monitoribusque irascantur ; iisdem etiam erroribus adeo plerumque confidunt, ut eos rideant, qui rectiora docere profitentur ; bene igitur Noster hoc loco iram cum sanna conjunxit.

92. *aviæ veteres*, h. l. opiniones temere a vulgo adceptæ, quæ, ut plerumque fit, pro dictatis habentur sensus communis. Quod scilicet ab aviis nutricibus aniculisque teneris animis inculcatum est, manere solet fixum, raroque a philosophiæ ratione adultis *evelli* potest. *pulmo* interdum pro intestinis in universum ponitur. Ovid. Met. IX, 201 seqq. Hoc verbo usus est Noster, quia iste ineptus libertatis adceptæ persuasione superbire et inflatus esse videbatur, omnisque adrogantia pulmones inflat, atque in pulmonibus sedem quasi habet. Sensus : dum opiniones falsas, quæ in pectore altas radices egerunt, tibi evello.

93. Quum liber esse ex Stoicorum mente nemo nisi sapiens possit, sapientia vero nemini a prætore tribuatur : sequitur, neminem a prætore in libertatem vindicari posse. Hæc est illa argumentatio, quam in seqq. poeta persequitur. *tenuia rerum*

Officia, atque usum rapidæ permittere vitæ.
Sambucam citius caloni aptaveris alto.
Stat contra ratio, et secretam gannit in aurem :
Ne liceat facere id, quod quis vitiabit agendo.
Publica lex hominum naturaque continet hoc fas,
Ut teneat vetitos inscitia debilis actus.
Diluis helleborum, certo compescere puncto

officia, i. e. officia tenuium rerum; rationem agendi præceptaque vitæ in rebus minutis, quæ nullis legibus caveri possunt, quæ tamen a bono et sapiente nullo modo negligi debent. Cic. paradox. 3. ὅτι ἴσα τὰ ἁμαρτήματα. *Id* (quod non licet) *si nec majus nec minus umquam fieri potest, quoniam in eo est peccatum, si non licuit, quod semper unum et idem est; quæ ex eo peccata nascuntur, æqualia sint oportet.* Qui enim vel in minimis rebus peccat, rationem non sequitur, naturæ igitur non convenienter vivit, ergo nec sapiens est nec liber. *stultis*, manumissis et ad sapientiam rudibus. *usum permittere vitæ*, permittere ut vivas uti velis.

95. *Sambuca* erat instrumentum musicum. Macrob. Sat. II, 10. ubi a Gronovio laudatur Polyb. V, 37. Sensus: citius feceris, ut sambuca apta sit caloni; ut sambucam tractare sciat. Ceterum comparatio vitæ cum instrumento musico bene instituta est; in vita enim actionum, in instrumento musico sonorum concentus requiritur. Horat. Epist. I, 18. 59. et II, 2. 143 seq. *caloni alto*, homini omnium rerum ignaro et stupido, cui proceritas corporis non ornamento est, sed dedecori. v. infra 190. Calones servorum genus erant, quorum usus erat in gestationibus. Senec. Epist. 110. *Cohors culta servorum, lectica formosis inposita calonibus.*

96. *Stat contra ratio.* Non est *ratio* h. l. philosophia Stoica, sed sensus communis, cui illud prius, ut commonstrat Noster, repugnat. *gannit*, sumptum a canibus, qui *ganniunt*, ringuntur, quando iis aliquid displicet. Catull. LXXXIII, 4. Eugraphius ad Terent. IV, 2. 17. illud per: obmurmurat, interpretatur. *secretam in aurem.* nam sensus communis cum eo tantum loquitur, cui inest; hoc loco igitur tamquam amicus cogitatur auribus insusurrans: inde *secretam* est explicandum.

97. *quod quis vitiabit agendo* simpl. pro: quod quis facere nescit. Commentarii loco potest esse Plato in Lysid. p. 225. T. V. ed. Bip. ut totus dialogus amplam hac de re meditandi materiam adtente legentibus subpeditabit.

98. *Publica lex hominum naturaque* nihil aliud potest esse nisi lex, quam natura omnium hominum animis insculpsit. *continet hoc fas*, simpl. pro: præcipit.

99. *inscitia debilis.* Inscitia reddit homines quasi debiles seu ineptos ad rem aliquam tractandam. *teneat vetitos actus*, abstineat a vetitis, ab iis, quæ tractare nescit; sic Horat. in arte *risum teneatis.* Etiam apud prosaicos sæpe obcurrit *tenere* pro: abstinere et continere. His duobus versibus idem plane, dictione tantum variata, expressum est. Vereor, ne v. 97. et 98. sint insititii.

100. Rem inlustrat Noster exemplis a medico et gubernatore petitis. cf. Horat. Epist. II, 1. 114 seqq. Helleborum, ut plurima venena, certo aliquo temperamento adhibito, contra morbos quosdam valere potest; quo neglecto nocet; intelligentis igitur est medici eo recte uti. De usu hellebori vario v. Intpp. Petron. 88. Gell. XVII, 15. Valer. Max. VIII, 6. *diluis*, misces. *certo compescere puncto.* Vetus interpres: *non ad trutinam*, inquit, *sed ad stateram retulit, quæ punctis et unciis signatur.* apud nostrates est *statera, schnellwage.* Petron. 35. et 67. Sueton. in Vespas. 25. Plin. H. N. XXXIII, 11. Hanc adcuratius rerum pondera indicasse quam trutinam, docent verba Cic. de Orat. II, 38. *quæ non aurificis statera, sed quadam populari trutina examinantur;* ideoque usus ejus in rebus adcurate et subtiliter ponderandis frequens. Ceterum *certo puncto compescitur examen* seu lingula additione seu detractione ejus rei, cujus justum pondus datum est; pondere enim certo justo stateræ puncto adpenso, lingula indicat, utrum res justum pondus habeat nec ne, utrum rei aliquid addendum an detrahendum sit, ut dato

Nescius examen? vetat hoc natura medendi.
Navem si poscat sibi peronatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse
Frontem de rebus. tibi recto vivere talo
Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro?
Quæque sequenda forent, et quæ vitanda vicissim,
Illa prius creta, mox hæc carbone notasti?
Es modicus voti? presso lare? dulcis amicis?

ponderi exæquetur. Sensus: Medicinam facis medicamentorum usus et naturæ ignarus?

101. *natura medendi. natura* h. l. neque *ars* neque *scientia* est, ut fere omnibus placet, sed vis et potestas. Noster dicere vult, illud repugnare potestati medendi, *es widersprecke dem begriff des heilens.*

102. *poscat* cum delectu: fiduciam enim involvit. *peronatus*, peronibus indutus. *pero* rusticum calceamenti genus, ut dicit Servius ad Virg. Æn. VII, 690. ubi v. Cerdam. cf. Juvenal. XIV, 186. Balduin. de calceam. c. 17.

103. *Luciferi rudis*, inperitus earum dicrum, quibus navigatio sit instituenda; sic locum intelligi jubet Heins. ad Ovid. Fast. III, 772. cujus ratio probari videtur Nemes. eclog. II, 29. *Lucifer* enim sæpe pro die ponitur. Propert. II, 15. 28. Verum longe simplicior ratio est, ut rusticum intelligas, qui vel luciferum, notissimam stellam, non novit, nedum alias stellas, a quarum ortu et occasu, ut veteres sibi persuadebant, tempestates pendent. Virgil. Æn. III, 512 seqq. Ovid. Trist. I, 10. 15. *Melicerta* Athamantis filius. Apollod. I, 8. 2. Fabulam ejus narrat Ovidius Met. IV, 511 seqq. Unus erat e diis marinis, cui nautas e tempestate servatos vota solvisse constat. Virgil. Georg. I, 407.

104. *perisse Frontem de rebus. Frontem* esse pudoris sedem, notum est ex Juvenal. XIV, 241 seq. Martial. XI, 28. 7; h. l. *frontem* pudorem ipsum seu verecundiam significare, jam vetus interpres monuit. Sensus: Tunc Melicerta exclamet, omnem verecundiam e rebus humanis esse sublatam. Horat. Epist. II, 1. 80 seq. Quid enim tali gubernatore inverecundius, Melicertæ vota facienti, ut se in navigatione servet, qui artis ignorantia, vel Diis invitis, pereat necesse sit. *tibi recto vivere talo* cet. Ut intelligat stultus iste, se liberum non esse, idemtidem Noster eum de rebus interrogat, quibus vis et natura libertatis continetur. *recto talo* positum est pro: rectis pedibus, (Juvenal. VII, 16.) qui obponuntur obtortis. *ὀρθῷ βῆναι ποδί*, Eurip. Helen. 1465. Illud h. l. ad animum translatum est, et *recto vivere talo* est, vitam agere ratione temperatam.

105. *Ars dedit?* philosophia te docuit? *veri speciem* i. e. falsam imaginem veri. Juvenal. XIV, 109 seqq.

106. *Ne qua subærato mendosum tinniat auro. aurum subæratum* est æs auro obductum; *mendosum*, pro: mendose. Dicere voluit Noster: ne qua falsa species te decipiat. Pro: te decipiat, posuit: *mendosum tinniat*, ea nempe species, quam veram tu duxisti, *subærato auro*, quum æs sit auro obductum. Petron. 56: *qui per argentum æs videt.* Sumptum hoc ab illo hominum genere, quorum erat probare numos, quique spectatores numorum vel docimastæ vocabantur, ne homines versuram facientes aut aliquid cum altero contrahentes, rudes ad rem numariam, fraude circumvenirentur.

107. 108. Ordo verborum: *Num ea, quæ sequenda forent et quæ vitanda vicissim, notasti, illa prius creta, hæc mox carbone?* Hominum mores turpes et vitia in foribus carbone ab inimicis notari et sic evulgari solebant; inde *carbone notare* significat: vituperare. Dœring. ad Catull. XXXVII, 10. cf. Horat. Sat. II, 5. 246. Huc pertinere quoque videtur Martial. XII, 62. Ceterum sensus est perspicuus: Num tu et virtutes et vitia notasti et quidem eo consilio, ut illa vitares, has sequereris?

109. *Es modicus voti.* Num votis tuis modum ponis? *presso lare. Premere*

Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes? 110
Inque luto fixum possis transscendere numum,
Nec glutto sorbere salivam Mercurialem?
Hæc mea sunt, teneo, quum vere dixeris, esto
Liberque ac sapiens, prætoribus ac Jove dextro.
Sin tu, quum fueris nostræ paullo ante farinæ, 115
Pelliculam veterem retines, et fronte politus

sæpe pro: coercere, finibus arctioribus continere, poni, notum est; inde *pressus lar* obponitur dissoluto, luxurioso, et *presso lare esse* significat, frugaliter vivere.

110. *Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes.* *nunc* pertinet ad justum tempus. Sensus: Num tu, ut tempora postulant, modo magis modo minus aperis granaria; seu, etiam in liberalitate, quæ nimia aut intempestiva te et alios, quibus fueris gratificatus, perdet, modum possis servare? Cicer. de Offic. I, 14.

111. *Inque luto fixum* cet. sensus: neque avaritiæ sordibus inquinatus sis. Sordide avarum describit Petron. 43: *Ab asse crevit, et paratus fuit, quadrantem de stercore mordicus tollere.* Obpositos illis mores Horatius depingit Od. II, 2. 23 seq. *transscendere*, numum scilicet negligens. Horat. Epist. I, 16. 63 seq.

112. *Nec glutto sorbere salivam Mercurialem.* *Saliva* proprie movetur cibis exquisitioribus ante oculos ejus positis, qui iis frui gestit; inde *salivam movere alicui* significat: aliquem cupidum reddere, et *saliva* pro cupiditate ponitur. *Mercurialis* igitur *saliva*, quum Mercurius sit lucri Deus, est lucri cupiditas. *sorbere salivam Mercurialem* exprimit itaque, lucri cupiditate flagrare. *glutto* est ficta vox, quæ editur, quum saliva, cupiditate cibi lautioris mota, per stomachum transmittitur, quæque copiam salivæ atque cupiditatis vehementiam declarat.

113—131. Pergit Noster ita: Si illa, quorum modo mentionem feci, in te sunt, liber es; sin animus non est mutatus, servus. Etenim vel minimæ actiones sapientiæ præceptis sunt regendæ, quorum stulti sont ignari: quo fit, ut vel in minimis semper peccent. Tunc liber, qui cupiditatibus, internis dominis, servias? non hercle magis liber, quam ille, qui servitutem servit gravissimam. cf. Horat. Sat. II, 7. 78 seqq.

113. *Hæc mea sunt, teneo.* Has virtutes, quas modo enumerasti, mihi possum vindicare.

114. *prætoribus ac Jove dextro*, propitio, (Propert. III, 1. 47.) qui te in libertatem naturalem vindicavit. Nullis hominum imperiis sapiens coercetur, neque usquam quidquam est in rerum natura, quod sapienti et vere libero jugum possit inponere. Senec. Epist. 51. *Quæ sit libertas, quæris? nulli rei servire, nulli necessitati, nullis casibus; fortunam in æquum deducere.* et Epist. 75. *non hominem timere non deos; nec turpia velle nec nimia; in se ipsum habere maximam potestatem.* Hoc est, quod Noster exprimere voluit; tunc omnes prætores et Jupiter ipse in libertatem te vindicaverunt. Operæ pretium est contulisse Claud. VIII, 257 seqq.

115. *nostræ farinæ*, a panibus sumptum hoc ad notandam similitudinem et in proverbium abiit. Suet. Aug. 4. *nostræ.* Tantum enim nec Persius nec alius quisquam e Stoicorum schola sibi sumere ausus est, quantum iste homo vanus, ut gloriaretur, se vivere, ut vellet, id est, se liberum et sapientem esse; hujus enim dignitatis fastigium in tam edito arduoque loco a Stoicis erat positum, ut fragilis et caduca mortalitas an ad id eniti posset, merito vel ab ipsis hujus scholæ alumnis dubitaretur.

116. *Pelliculam veterem retines.* Vel ductum hoc a serpentibus, qui, positis exuviis, nova quasi juventute fruuntur, (Ovid. Met. IX, 266. VII, 237. Virgil. Georg. III, 425 seq. Æn. II, 471 seq.) ideoque in melius mutantur; vel spectare potest ad fabulam de vulpe leonina pelle induta: (Horat. Serm. II, 1. 62 seq. 3. 186. Epist. I, 16. 44 seq.) ut sensus sit, vel nihil in melius mutatus es, vel adhuc similatorem agis. posterius cum sequentibus melius videtur consentire. *fronte politus* exteriore corporis parte comptus, i. e. probum similas externo corporis habitu. sic *domus polita* Phæd. IV, 4. 26.

Astutam vapido servas sub pectore vulpem:
Quæ dederam supra, repeto, funemque reduco.
Nil tibi concessit ratio: digitum exsere, peccas.
Et quid tam parvum est? sed nullo thure litabis,
Hæreat in stultis brevis ut semuncia recti.
Hæc miscere nefas: nec, quum sis cætera fossor,
Tres tantum ad numeros satyri moveare Bathylli.

117. *Astutam vapido servas sub pectore vulpem.* Vulpis esse is dicitur, qui simi-landi artem callet (Claud. XVIII, 145.) indeque inperitos fallit. Hinc ratio petenda esse videtur, cur fallaces a Rhadamantho vulpibus addantur. Claud. V, 484. cf. Pind. Olymp. XI, 20 seqq. Theocrit. α. 48. ε. 112 seq. Sic ἀλωπηκίζειν Aristoph. Vesp. 1233. Pac. 1090. *Astutam vulpem sub pectore servare* est igitur calliditatem et malitiam retinere. *vapidus* epith. vini, cujus vis evanuit; apud Nostrum idem significat, quod conruptus, malus.

118. *Quæ dederam supra, repeto, funemque reduco.* Adluditur fortasse h. l. ad quoddam lusionis genus per adtractionem funiculorum et intentionem, ἀνάτασιν σπαρτίων. Pollux. IX, 8. cf. Antichita di Ercolano T. I. tab. 171. ubi tres pueri alati hoc lusionis genere uti videntur, cujus ratio tamen nobis plane ignota est. In fragmentis Petronianis legitur: *Non duco contentionis funem.* p. 673. ed. Burm. Heinsius ad Ovid. Fast. III, 462. legit: *reduco:* quam lectionem a Pithœo ex optimis membranis restitutam esse, ait, modumque hunc loquendi ab Ariadnes filo natum esse disputat, quum *reducere* idem sit, quod *relegere.* Aliter locum exponit Erasmus in adagiis. Male huc nonnulli traxerunt Horat. Sat. II, 7. 20. et Epist. I, 10. 48. Sensus: Te liberum modo dixi esse, nunc nego.

119. *Nil tibi concessit ratio.* Nihil permisit ratio arbitrio tuo, sed vel minimæ humanarum actionum ad sapientiæ præcepta revocandæ sunt, quibus quum sis destitutus, etiam in minimis semper pecces necesse est. *digitum exsere, peccas.* Totidem fere verbis Epictetus: ἡ φιλοσοφία φησὶν, ὅτι οὐδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτίνειν εἰκῆ προσήκει. Cic. Parad. 3. *Auri navem evertat gubernator an paleæ, in re aliquantuluni, in gubernatoris inscitia nihil interest. Labsa est libido in mulierc ignota, dolor ad pauciores pertinet, quam si petulans fuisset in aliqua generosa ac nobili virgine; peccavit vero nihilominus, siquidem est peccare tamquam transsilire lineas; quam longe progrediare, quum semel transsilieris, ad augendam culpam nihil adtinet.* conf. Senec. Epist. 66. Rationem peripateticam contra hanc verborum magnificentiam defendit Cicero de Fin. III, 27. idem eamdem ridet in or. p. L. Murena. cap. 30. cf. Horat. Sat. I, 3. 96 seqq.; et Epist. I, 16. 55 seq.

120. *Et quid* spectat ad: *digitum exserere. Sed nullo thure litabis,* i. e. nullis sacrificiis a diis inpetrabis, nulla ratione efficies, fieri omnino non potest, ut *hæreat,* sit, *semuncia brevis recti,* exigua pars recti. Ex Stoicorum placito hoc. quo nullum discrimen inter stultos admittitur, et quo omnia *recte facta,* κατορθώματα, in sapientem solum cadunt.

122. *Hæc,* stultitiam scilicet cum recte factis. *fossor* omnino pro homine rudi et stupido positus est, in primis pro eo, qui membrorum agilitate et actionis decore destitutus est.

123. *Tres tantum ad numeros. numerus* id quod apud nostrates *tact.* Virgil. Eclog. VI. 27. Propert. II, 18. 16. cf. Martial. XI, 85. 3 seq. Sic Ovid. Amor. II, 4. 29. *numerosa brachia* vocat, quæ numerose movebantur. H. l. de saltatione pantomimica sermo est, de qua procul dubio Plutarch. in Symp. IX, 15. loquitur, quum saltationem cum poesi comparans ait, tres esse saltationis partes, τὴν φορὰν, τὸ σχῆμα, τὴν δεῖξιν, *latione* motus animi et adfectus exprimi, *schemate* formas et species imitatione declarari, *ostentatione* res, terram, cœlum, cet. ostendi. Hi exquisiti corporis motus cum ad aliquam rem pingendam, tum ad oculorum oblectationem comparati, quorum apta compositione saltationis species continebatur, *numeri* h. l. vocari videntur, quia εὐρύθμως fiebant. *Bathylli,* nobilis pantomi-

" Liber ego." Unde datum hoc sumis, tot subdite rebus?
An dominum ignoras, nisi quem vindicta relaxat?
I puer, et strigiles Crispini ad balnea defer:
Si increpuit, cessas nugator? servitium acre
Te nihil inpellit: nec quidquam extrinsecus intrat,
Quod nervos agitet. sed si intus et in jecore ægro
Nascantur domini: qui tu inpunitior exis,
Atque hic, quem ad strigiles scutica et metus egit herilis?
Mane piger stertis: Surge, inquit avaritia: eia

mi sub Augusto. Suet. Aug. 45. Macrob. Sat. II, 7. is cum Pylade pantomimicæ saltationis inventor habetur. Hoc saltandi genus descripsit Cassiodorus IV. *His sunt additæ orchestrarum loquacissimæ manus, linguosi digiti, silentium clamosum, expositio tacita.* Quantum possent pantomimi in rebus motu membrorum apto exprimendis, notum est ex Lucian. de saltat. cap. 63. 64. conf. Antholog. Latin. Burm. T. I. p. 622. *satyri.* Minime hoc mutandum in *satyrum;* Bathyllus vocatur satyrus, propter exquisitam saltandi artem, qua inclaruit: (Virgil. Eclog. V, 73.) aut quia argumenta, quæ plerumque saltabat, lascivi erant generis. Juvenal. VI, 63 seq. *moveare. Movere* sc. membra, pro: saltare, Horat. Sat. I, 9. 24. in arte 232. Ovid. A. A. III, 550. sic *motus Ionicos* pro: saltationem Ionicam Horat. Od. III, 6. 21. et *satyrum* seu *Cyclopa movere* pro: saltare satyrum seu Cyclopa. Horat. Epist. II, 2. 125. *Nec tres tantum ad numeros moveare Bathylli* est itaque: nec poteris te movere ad tres tantum numeros, nec poteris imitatione exprimere tres tantum numeros Bathylli, ne in tribus quidem corporis motibus Bathyllus eris.

124. *Liber ego.* Non ineptus iste loquitur, sed Noster cum indignatione repetit verba istius inepti. *Unde datum hoc sumis?* quis tibi hoc dedit, concessit? Horat. Sat. II, 7. 75 seqq. *Unde datum sentis* habet Horat. Sat. II, 2. 31. ubi vide Bentl. *tot subdite rebus,* quum tot res imperium in te exerceant.

125. *nisi quem vindicta relaxat* pro: a quo te manumissio relaxat, liberat.

126. Nullus quidem dominus externus imperium in te exercet; hoc expressum per aliquam mandati servo ab hero dati speciem. *Strigilis* instrumentum balneare et unctorium. v. Intpp. Petron. 91. inpr. commentar. Gonsalii de Salas. conf. quæ Ruperti laudat ad Juvenal. III, 263. Ceterum strigiles, saponem, lintea secum in balnea adtulisse loturos, discimus ex Lucian. Lexiph. T. II. p. 320. edit. Reiz. *Crispini.* Fortasse ille famosus erat Crispinus e servo magister equitum factus sub Nerone. Juvenal. I, 26 seq. et IV. princ.

127. *cessas nugator?* familiaris locutio eorum, qui servos properare volebant. Terent. Eunuch. IV, 6. 16.

128. *servitium acre Te nihil inpellit.* Sensus: Tale quidem imperium nemo in te exercet. *nec quidquam extrinsecus intrat,* necessitas aliqua extrinsecus oblata nulla te inpellit; nulla vox domini instantis virgamque tenentis Juv. XIV, 63.

129. *Quod nervos agitet.* Bene Casaubonus observavit, servum h. l. eleganter comparari cum sigillaribus sive neurospastis, quæ per se ἀκίνητα verticillis quibusdam ac nervis moveantur. Horat. Sat. II, 7. 81 seq. Verbo νευροσπαστηθῆναι Antoninus sæpe utitur ut II. § 3. et VII. § 3. obcurrunt σιγιλλάρια νευροσπαστούμενα, ad quæ loca Gatakerus multa de illis sigillaribus disputat. Apulei. de mundo: *Qui in ligneolis hominum figuris gestus movet, quando filum membri, quod agitari solet, traxerit, torquebitur cervix, nutabit caput, oculi vibrabunt, manus ad ministerium præsto erunt, nec invenuste totus videbitur vivere. in jecore ægro,* ut sede omnium cupiditatum, quia ibi est quasi sanguinis officina ex veterum opinione. Jani ad Horat. Od. I, 13. 4. cf. Platon. in Timæo T. IX. p. 389. ed. Bipont.

130. *inpunitior* h. l. minus pœnæ obnoxius i. e. minus servus. Horat. Sat. II, 7. 105.

132—155. Uberius Noster sententiam

Surge. negas. instat, Surge, inquit. " Non queo." Surge.
" Et quid agam?" Rogitas? saperdas advehe Ponto,
Castoreum, stuppas, ebenum, thus, lubrica Coa.
Tolle recens primus piper e sitiente camelo.
Verte aliquid, jura. " Sed Jupiter audiet." Eheu
Baro, regustatum digito terebrare salinum
Contentus perages, si vivere cum Jove tendis.
Jam pueris pellem subcinctus et œnophorum aptas:
Ocius ad navem. nihil obstat, quin trabe vasta
Ægæum rapias, nisi sollers luxuria ante

explicat, eum non minorem servitutem servire, qui cupiditatibus deditus sit, quam qui domini alicujus nutum observare debeat, eoque miseriorem, quandoquidem, quum innumeræ sint et inter se contrariæ, cui obtemperet, nesciat, variisque itaque et inter se diversis imperiis agitetur. Inducitur avaritia aliquem incitans, ut quavis ratione rem familiarem augeat 132—142. Contra pugnat luxuria, eumdemque laborum et incommodorum, quæ sustenturus sit, mentionem faciendo a proposito deterret, et, ut vitæ bonis fruatur in otio, suadet. 142—153. Expositio hæc dramatica, qua usus est Noster, commotionum et cupiditatum inter se discordantium animumque in diversa agentium tumultus egregie pingit.

132—135. Avaritia primum desidiam expugnare tentat, et contra luctantem ægre vincit.

134. *Saperda* Pontici piscis genus, quod in Mæotide optime capiebatur.

135. *lubrica Coa*, vina Græca. *lubrica* Casaubonus ad vasa refert in Horatii imitatione Persiana. Sed potest explicari, *mollia*, quæ alvum purgandi vim habent. Plin. H. N. XXVII. sect. 27. conf. Ælian. V. H. XII, 31. Horat. Sat. II, 4. 27 seqq.

136. *Tolle recens piper.* Piper ceteraque aromata Alexandriam camelis advehebantur, et inde navibus Romam. Avaritia igitur excitat hominem, ut Alexandriam properet et præsto sit ad camelorum adventum, ut primus de mercibus cum mercatoribus ibi contrahere possit. *sitiente* spectat ad iter per vastos arenarum campos emetiendum, antequam Alexandriam perveniretur. *sitiens camelus*, qui sitim diu toleravit, longum iter per deserta arenosa fecit.

137. *Verte aliquid.* commuta merces; adjecta doli mali notione intelligendum hoc videtur, sequitur enim: *jura*, atque id esse pro: *pejera* positum, intelligitur ex sequente: *Sed Jupiter audiet.* jam religionis metus avaritiæ bellum indicit non sane frequens illis temporibus. Juvenal. XIII, 75 seqq.

138. *Baro.* stultum et inertem hoc verbum designat. *regustatum digito terebrare salinum*, sæpius digito delibare portiunculam salis, ut digiti vestigia sali inpressa maneant. *regustatum* servit notioni τοῦ *sæpe.*

139. *Contentus perages*, eris semper contentus minima salis portione i. e. ultima paupertate, cui sal pulmentarii loco est. *cum Jove*, ita, ut propitius tibi Jupiter esse possit. *tendis*, tibi proponis.

140. *pellem*, manticam, aut ejusmodi aliquid, quo res ad iter faciendum necessariæ erant involutæ. Casaubonus *segestre* intelligit, de quo ipse ad Suet. Aug. 83. *subcinctus*, ipse expeditus ad iter faciendum. *œnophorum* vas, in quo vinum ferebatur. *aptas*, tradis.

141. *Ocius ad navem* sc. increpas servis tuis. *trabe vasta*, ampla navi oneraria.

142. *Ægæum rapias.* Locutio durior. Sæpius apud poetas obcurrit, *rapere viam*, *fugam* etc. pro: celeriter procedere, fugere. v. Burm. ad Ovid. Fast. III, 867. Ruperti ad Sil. Ital. I, 569 seq. Inde illud natum est, *rapere Ægæum* pro: rapere iter per Ægæum, aut celeriter Ægæum mare navi transmittere. cf. Heyn. ad Virg. Æn. VI, 3. Heins. ad Ovid. Heroid. XI[illegible] 74. Etiam Græci habent ἁρπάζειν τὴν [illegible]. v. Borvil. ad Charit. p. 268. ed. Lips. Catull. XXXV, 7. *vium vorare.* *Luxuria* est *sollers*, blanda et ingeniosa contra avaritiæ persuasiones;

Seductum moneat: Quo deinde insane ruis? quo?
Quid tibi vis? calido sub pectore mascula bilis
Intumuit, quam non exstinxerit urna cicutæ?
Tun' mare transsilias? tibi torta cannabe fulto,
Cœna sit in transtro? Veientanumque rubellum
Exhalet vapida læsum pice fissilis obba?
Quid petis? ut numi, quos hic quincunce modeste
Nutrieras, pergant avidos sudare deunces?
Indulge genio, carpamus dulcia: nostrum est,
Quod vivis: cinis et manes et fabula fies.

potest quoque *sollers* dici, quia homines sollertes et ingeniosos reddit. Lucian. Amor. T. II. p. 421. οὕτως ἡ μιαρὰ καὶ πανοῦργος καὶ κακοῦ διδάσκαλος τρυφὴ ἄλλην ἀπ' ἄλλης ἡδονῆς ἀναισχύντως ἐπινοοῦσα. Claud. XXII, 151 seqq.

143. *Seductum.* Tamquam amico timens, seducto prius salubre consilium in aurem insusurrat, monetque, ut periculum instans caveat. Juvenal. XII, 57 seq. *deinde.* v. Heyn. in V. L. ad Virgil. Æn. V, 741. Gronov. et Drak. ad Liv. IV, 49.

144. 145. *mascula bilis,* quæ te fortem reddit ad obeunda quævis pericula. Potest autem *bilis* intumescens de quacumque cupiditate, vehementes animi motus excitante, intelligi; qui rursus in bilem agunt, eamque in ventriculum effundunt, ut h. l. de lucri cupiditate cum timore, ne mora damnum ferat, conjuncta. *calido* sc. præ cupiditate. *urna cicutæ.* ad sanandam insaniam *cicutam* esse adhibitam, v. ad Sat. I, 51. cf. Plin. H. N. XXV. sect. 94. *Cicutam* a Latinis vocari quamlibet cannam, intus cavam et inanem, et hoc loco non κώνειον esse intelligendum, sed Lathyridem, bilem et pituitam purgantem, docet Salmas. ad Solin. p. 742. Schol. ad h. l. *Cicuta calorem in nobis frigoris sui vi exstinguit. Unde sacerdotes Cereris Eleusiniæ liquore ejus ungebantur, ut a concubitu abstineret.*

146. *tibi torta cannabe fulto.* Ex cannabe funes nautici fiebant. ejus tractationem commemorat Plin. H. N. XIX. sect. 8. *fulto* i. e. tibi sedenti in torta cannabe.

147. *Veientanumque rubellum.* Vinum vilioris pretii saporisque ingrati circa Veios in Hetruria nascens. Horat. Sat. II, 3. 143. Martial. I, 104. 9.

148. *obba* vas vinarium aut poculi genus. *fissilis* pro: fissa, rimosa; *exhalet Veientanum læsum* i. e. conruptum, ingrati saporis, *pice vapida*, quæ reddit vinum vapidum. Si sumis, epitheta hoc loco esse permutata, ut intelligendum sit: *fissilis obba exhalet Veientanum vapidum læsa pice;* interpretandi ratio longe facilior est. *Fissilis obba* tum non poculi genus, sed vas vinarium et quidem ligneum; hoc exhalat vinum, quod vapidum erat factum, quia pix, qua obturatum erat vas, læsa fuerat.

149. *quincunce modesto:* modica usura; quum *hic* i. e. Romæ pro centenis quinos asses singulis annis adcipias.

150. *nutrieras,* cum delectu, nam quod nutritur, incrementum capit, ergo pro: auxeras. *pergant sudare,* simpliciter pro: sudent i. e. efficiant tibi multo labore. *avidos* quod navigatori proprie conveniret, translatum est ad quæstum. *deunces* i. e. singulis annis undenos asses pro centenis.

151. A v. 146 ad 150 incommoda itineris recensendo luxuria hominem a proposito deterruit; jam incipit eum hortari, ut potius genio suo indulgeat. *Indulge genio.* Die natali genio sacris factis lautioribus epulis se quisque excipiebat, vinumque meracius bibebat; inde locutiones: *genio indulgere, genium defraudare* pro: laute vivere, parce vivere. v. Intp. Terent. Phorm. I, 1. 10. *carpamus,* proprie de floribus, deinde de ceteris vitæ deliciis, quibus fruimur.

152. *nostrum est Quod vivis,* i. e. ea demum vita vocari jure potest, quam mihi inpendis; haustum hoc ex Cyrenaicorum atque Epicureorum disciplinis, quæ summum bonum in voluptate, summum malum in dolore ponebant. conf. Sil. Ital. XV, 64 seqq. *fabula* de eo, qui interiit,

Vive memor leti. fugit hora: hoc, quod loquor, inde est.
En quid agis? duplici in diversum scinderis hamo:
Hunccine, an hunc sequeris? subeas alternus oportet
Ancipiti obsequio dominos; alternus oberres.
ec tu, quum obstiteris semel, instantique negaris
Parere imperio, Rupi jam vincula, dicas.
Nam et luctata canis nodum abripit: attamen illi,
Quum fugit, a collo trahitur pars longa catenæ.
Dave, cito, hoc credas jubeo, finire dolores
Præteritos meditor. (crudum Chærestratus unguem
Abrodens ait hæc.) an siccis dedecus obstem
Cognatis? an rem patriam rumore sinistro

atque in sermone tantum vivit; proprie, quod vulgus sermone frequentat. Propert. III, 13. 45.

153. *hoc, quod loquor, inde est.* Horat. Od. I, 11. 7 seq. Temporis punctum, quo loquor, vitæ pars est, et una cum oratione mea jam elabsum est. Sensus: quodcumque temporis spatium effluxerit, vitæ tuæ detractum est et revocari nequit. Eamdem sententiam sæpe expressam legimus. Anacr. carm. IV. Euripid. Alcest. 785 seqq. Bion. Idyll. V, 9 seqq. Horat. Od. IV, 7. 14 seqq. Petron. 72. Senec. Herc. fur. 177 seqq. Juvenal. IX, 126 seqq.

154—156. Interrogat Noster illum, qui se liberum prædicaverat, utri cupiditati pariturus sit? et tamen necesse esse, dicit, vel alterutri parere, vel omnino incertum esse, quid faciendum sit.

154. *duplici in diversum scinderis hamo.* Eadem metaph. utitur Propert. IV, 1. 141 seq. pro: diversis distraheris cupiditatibus.

155. *alternus*, per vices.

156. *ancipiti obsequio*, quod contrariis inter se cupiditatibus præstandum est. *oberres*, plane dubitabis, incertusque hærebis, cui cupiditati indulgendum sit; nam *oberrare* de iis dicitur, qui viæ ignari sunt, aut loci, quem petant, nullam rationem habent.

157—160. Monet Noster, ne opinetur, palmam jam se esse nactum de cupiditate, cui semel tantum restiterit. Poterat enim iste objicere: Equidem, O bone, vitiis et cupiditatibus non servio; possum enim in præsentia libidinem meam compescere.

158. *Rupi jam vincula*, jam me in libertatem vindicavi.

160. *a collo trahitur pars longa catenæ*, sc. quæ cursum moratur, vel qua retrahi et rursus adligari potest. Remota similitudine sensus est: non plane liber eris, est semper, quod te retrahat, et in cupiditatum ditionem redigat. Horat. Sat. II, 7. 19 seq. Ovid. Rem. Am. 213 seq. Juvenal. VII, 15 seqq.

161—175. Hanc sententiam uberius explicat exemplo ab amatore sumpto, qui quum obfensus, ut existimabat ille quidem, a puella statuisset, numquam ad eam reverti, tamen mutato statim consilio, quasi misericordia motus, ad eam revertitur. Hunc locum ex Menandri Eunucho Nostrum traxisse, in quo Davum servum Chærestratus adolescens adlequatur, tamquam amore Chrysidis meretricis derelictus, idemque tamen, ab ea revocatus, ad illam redeat, scholiastes ad h. l. observavit. Terentius in Eun. pr. personis mutatis Menandrum est secutus. cf. Horat. Sat. II, 3. 259 seqq.

161. *jubeo*, fortius quam: velim; Nostrates quoque in vulgari sermone: *das sollst du glauben. dolores* incommoda multa, quæ, dum puellam sectaretur, pertulerat.

162. 163: *crudum unguem Abrodens.* stomachantis et indignantis hoc est minimeque sibi placentis. Propert. II, 3. 1. et III, 23. 24. *crudum*, usque ad vivum, intelligo. *dedecus obstem* fortius quam: dedecori sim. *siccis*, sobriis, parcis, frugalibus: obponuntur enim *madidis.*

164. *rem patriam*, rem familiarem. *ru-*

Limen ad obscœnum frangam, dum Chrysidis udas
Ebrius ante fores exstincta cum face canto?
" Euge, puer, sapias: dis depellentibus agnam
Percute." Sed censen' plorabit, Dave, relicta?
" Nugaris: solea puer objurgabere rubra.
Ne trepidare velis, atque arctos rodere casses.
Nunc ferus et violens: at, si vocet, haud mora, dicas,
Quidnam igitur faciam? ne nunc, quum adcersor, et ultro
Supplicat, adcedam? si totus et integer illinc

more sinistro, Horat. Sat. I, 2. 61 seqq.; per infamiam, turpiter, cum existimationis meæ dispendio.

165. *Limen ad obscœnum frangam. frangam* fortiter et apte; limen meretricium quasi scopulus est, ad quem patrimoniorum naufragia faciunt adolescentes. *obscœnam* ab indignatione adolescentis profectum ad puellam proprie pertinet vulgatæ pudicitiæ.

166. *dum Chrysidis udas Ebrius ante fores exstincta cum face canto.* Nota sunt amatorum instituta et mores. Noctu veniebant ebrii ad puellarum fores comessatum cum facibus, canebant elegidia, cupiebant admitti, et exclusi vices suas misere querentes dolorem suum omni ratione profitebantur. Hac de re multa congeserunt Intpp. Propert. I, 16. 5 seqq. III, 2. 47 seqq. et Horat. Od. I, 25. III, 7. 30 seq. III, 10. Sat. II, 7. 89 seqq. *udas* alii de amantium lacrumis interpretantur, id quod alienum, ab h. l. quidem, videtur; alii dicunt *udas* esse *fores*, quod ab ebriis et libidinosis frequententur, quod vero propius adcedit; equidem existimo, *udas* significare h. l. *unctas*, Lucret. IV, 1171 seqq. et sic quoque locum conrectum vult Heinsius ad Ovid. Fast. V, 339 seq., verum emendatione non est opus. *exstincta face.* faces enim exstinguebantur et abjiciebantur ante fores. Propert. l. c.

167. *Euge, puer, sapias.* Verba Davi sunt, heri consilium laudantis et confirmantis. *puer:* nihil est, quod nos offendat, quum frequenter usurpetur hæc adpellatio ab admonentibus. Horat. Od. I, 9. 16. Sil. Ital. XV, 33. *sapias*, si sapias; de hoc v. Heins. et Burm. ad Ovid. Amor. I, 4. 29. *dis depellentibus*, averruncis, ἀλιξικάκοις καὶ ἀποτροπαίοις, qui prodigia et portenta averruncabant. Sensus: Diis averruncis sacra facere debes, si sapias, a tanto malo liberatus.

168. *Percute*, verbum solenne de Popa, qui feriebat hostiam, (Ovid. Fast. I, 347. Trist. IV, 2. 5. Met. XV, 126.) pro: sacrifica. *Sed censen' plorabit, Dave, relicta.* Omissa jam indignatione et ira vetus amor in puellam pristinas recuperat vires, juvenisque, ne animi inconstantiam levitatemque ostendat, misericordia motum se similat.

169. *Nugaris.* Davi verba. Ineptis, quum dicis aut putas, puellam a te relictam esse ploraturam; immo, sponte quum redieris, redibus enim, indignis modis ab illa et transfuga adcipieris. *solea rubra objurgabere*, i. e. vapulabis solea rubra; pœna illa erat solennis, qua amantes a puellis iratis adficiebantur. Juvenal. VI, 612; Burm. Anthol. Lat. T. I. p. 618.

170. *Trepidare* sæpe pro: laborare ponitur, adjuncta studii et festinationis notione. Sic Virgil. Æn. IX, 114. XI, 453. conf. Burm. ad Propert. II, 2. 13 seqq. ubi *trepidare* dicuntur juvenes, qui jugo amoris ferendo inadsueti et inexperti sunt. *atque arctos rodere casses* sumptum a fera retibus inretita et capta, quæ perrumpere conatur. Sensus: Nihil est, quod te ferum et violentum geras, jugumque amoris excutere gestias; nam sponte illud rursum subibis.

171. *si vocet*, revocet, ultro adcersat. *haud mora*, statim veniam. Sensus: Levissimam quamque occasionem adripies, ut cum illa in gratiam redeas, a qua fortiter et sponte verbo, re vera autem ægre et similanter avelleris.

172. *ne nunc, quum adcersor, et ultro.* c. Sic jussit jam Bentl. ad Horat. Sat. II, 3. 262. legi.

173. *Supplicat*, cum delectu; supplex enim misericordiam movet, quanto magis

Exieras, ne nunc." Hic, hic, quem quærimus, hic est:
Non in festuca, lictor quam jactat ineptus.
Jus habet ille sui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? vigila, et cicer ingere large
Rixanti populo, nostra ut Floralia possint
Aprici meminisse senes. quid pulchrius? At quum
Herodis venere dies, unctaque fenestra

puella supplex? *totus et integer*, liber et tui juris; nam qui vere cupiditatum imperio se subtraxerit, jugumque vitiorum fregerit, numquam ex Stoicorum sententia in eorum servitutem retrahi potest.

174. *Hic, hic, quem quærimus, hic est.* Verba sunt poetæ, naturam vere liberi hoc exemplo se expressisse existimantis. *Hic, hic* sc. qui ad semel relictas voluptates, quum rursus illum pelliciunt inlecebris suis, non revertitur, vere liber est, quem quærimus.

175. *Festuca* pro: vindicta. v. Taubmann. ad Plaut. Mil. glor. IV, 1. 15. Manumissione nemo fieri potest liber. v. not. ad v. 75. *ineptus*, cujus igitur non est aliquem liberum et sapientem reddere.

176—188. Qui potest esse is liber, qui ambitione laborat, sic Noster pergit; et etiamsi miser sibi non videatur, certe miserrimus est, quando superstitione torquetur. cf. Horat. Epist. II, 2. 206 seqq.

176. *Jus habet ille sui palpo. palpo*, adulator, qui populo velificatur; numquid liber est ambitiosus? *hiantem*, vehementer cupientem et adpetentem.

177. *Cretata ambitio.* magistratus ambientes toga lota et a fullonibus dealbata fuisse conspicuos, nota res est. *vigila* cet. Secum ipse loquens inducitur ambitiosus. Plerique interpretum illud *vigila* ad salutationes trahunt, quæ primo mane fiebant ad potentium limina, Martial. IV, 78; Senec. de brev. vitæ. 24. Verum etiamsi salutantium studia magis etiam fervebant sub Imperatoribus quam libera re publica, atque in illorum turba vel prætores versari non erubescebant; tamen de salutationibus non cogitandum esse h. l. videtur. *vigila* est: adtende animum ad omnia, quibus effici possit, ut in ore hominum sis; hoc enim solum, ut ex seqq. adparet, in votis erat. Interim non possum non fateri, mihi hoc verbum tam nude positum displicere; forsan non absurdum est, ita legere: *quem ducit hiantem Cretata ambitio et vigilans? cicer ingere large* cet. *cicer*, missilia intelligas omnis generis, quorum apud Sueton. frequens mentio, quorumque vilissimum Noster posuit; nam cicer frictum plebeius erat cibus. Horat. in arte 249. Sat. I, 6. 115. Hujusmodi missilia, et quidem lautiora etiam, spargebantur quoque a privatis. Martial. VIII, 79. 7 seqq. Splendida erant missilia, quæ describit Stat. Silv. I, 6. 9 seqq. ubi v. Barth. cf. Buleng. de Circo Rom. c. 54. in Thes. Antiq. Rom. T. IX, p. 719.

178. *Rixanti populo*, ut fit in muneribus, quæ in publicum sparsa sunt, diripiendis et conligendis. *Floralia* sacra erant in honorem Floræ cum summa lascivia celebrata. Scholiastes vetus ad Horat. Sat. II, 3. 182. commemorat, antiquos ædiles cicer, fabas aliasque hujusmodi res populo Floralibus sparsisse; eamdem rem narrat Scholiastes Persii, sed omittit, a quibus missilia spargerentur. Id factum esse, addit, *ut tellus velut muneribus suis placaretur*. Eamdem consuetudinem sub Imperatoribus retentam esse, probabile est. De Floralibus lege Ovid. Fast. V, 279 seqq. et quæ Ruperti laudat ad Juvenal. VI, 249. *nostra*, quorum celebratio nostræ curæ demandata est.

179. *Aprici meminisse senes.* Sensus: ut diu Floralium nostrorum memoria propter donorum amplitudinem scilicet (cicer etenim erat sparsum) servetur. *aprici* spectat ad apricationem senilis ætatis. Cic. de Senect. 16. *quid pulchrius?* sc. quam populo placuisse et in admiratione gratiaque esse?

180. *At quum Herodis venere dies* cet. Nihilominus tamen miser es, atque deterrima servitute premeris, superstitione. Bella diuturna, provinciarum vastationes et direptiones, urbium amplissimarum eversiones et excidia ingentes divitias Romam congesserant; inde luxus et mollities orta, qua corporis et animi vires frangebantur, et inter reliqua mala, quibus civi-

Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ,
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
Labra moves tacitus, recutitaque sabbata palles.
Tunc nigri lemures, ovoque pericula rupto:
Hinc grandes Galli, et cum sistro lusca sacerdos,

tas Romana labefactata tandem conruit, etiam omnis generis superstitioni, in tam incerto vitæ et rerum omnium statu, in tot tantisque periculis, quæ vel aderant, vel minitabantur, via muuita est, cujus h. l. vulgatissima genera, quæ e Palæstina et Ægypto Romam migrarunt, duo commemorantur, Herodis et Isidis sacra. *Herodis dies.* Scholiastæ verba adponam: *Herodes apud Judæos regnavit temporibus Augusti, in partibus Syriæ. Herodiani ergo diem natalem Herodis observant, ut etiam sabbata; quo die lucernas adcensas et violis coronatas in fenestris ponunt.* Aliunde parum nota est res. *unctaque fenestra,* vapore, intelligo, quem exhalabant lucernæ.

182. *Portantes violas.* Lucernæ erant corollis florum cinctæ. Ceterum luminibus adcensis floribusque, quibus aræ, statuæ Deorum, templa, domus cet. coronabantur, epulis et vino festorum dierum celebrationes esse factas, notum est. *rubrum catinum,* i. e. fictile catinum.

183. *Cauda natat thynni.* Plin. H. N. IX. sect. 17. et 20. *Præcipua magnitudine thynni invenimus talenta quindecim pependisse. Ejusdem caudæ latitudinem quinque cubita et palmum. amplexa* ad magnitudinem piscis spectat, cujus cauda totum catinum amplexa adponebatur. *tumet,* plena est. Virgil. Georg. III, 124.

184. *Labra moves tacitus,* Horat. Epist. I, 16. 60. vota concipis tacite. Vota, quæ nuncupabantur, aut preces semper adcurate pronuncianda fuisse videntur, sic, ut etiam ea, quæ intelligi a nemine vellent precantes, seu pressa voce seu motis tantum labris essent exprimenda. *recutitaque,* circumcisa, *sabbata,* i. e. quæ a circumcisis celebrabantur. Martial. VII, 29. 5. *palles,* studiose colis. Sabbatorum religio apud Romanos erat frequentissima. Ovid. Remed. Amor. 219. Juvenal. XIV, 96 seqq. Perizon. ad Æl. V. H. XII, 35. Jam sub Augusto Judæi in propagandis suis cæremoniis et ritibus ambitiosi erant. Horat. Sat. I, 4. 142 seq.

185. *Tunc.* Illo die festo, quem superstitio celebrandum tibi injungit, aliæ quoque res, ab eadem superstitione oblatæ, animum tuum exagitant, nec consistere sinunt, ut lemures, mala omina, cet. *nigri lemures.* Umbræ defunctorum, quæ viventibus adparere et molestæ esse putabantur, quibus abigendis *lemuria* erant constituta apud Romanos. Ovid. Fast. V, 419 seqq. *ovoque pericula rupto.* Scholiastes ad h. l. narrat: *Sacerdotes, qui explorandis periculis sacra faciebant, observare solebant ovum igni inpositum, utrum in capite an in latere desudaret. Si autem ruptum efluxerat, periculum ei portendebat, pro quo factum fuerat, vel rei familiari ejus.* Ovorum usus in lustrationibus et incantationibus satis notus est. Ovid. A. A. II, 329 seq.; Horat. Epod. V, 19 seq. Verum de portentis ex ovo rupto præter scholiasten nihil me legere memini. Plurima sunt ejusdem generis, quæ ætatem non tulerunt, quorum tamen jacturam æquo animo ferimus. Ceterum tum ad *lemures,* tum ad *pericula* pertinet sequens verbum *incussere.*

186. *Grandes Galli* sacerdotes Cybeles ob præstigias suas ineptaque sacra ex Apuleio satis noti. Unde nomen habeant, ne veteribus quidem scriptoribus erat notum; sed conf. Ovid. Fast. IV, 361 seq. *grandes* spectat ad corporis staturam, qualis esse solet exsectorum seu spadonum. *et cum sistro luscu sacerdos.* Isidis sacra Romæ celeberrima. Lucan. VIII, 831 seq. *lusca,* non absurde Scholiastes addit: *ideo, quod nubiles deformes, quum maritos non invenerint, ad ministeria deorum se conferant. Sistri* formam describit Apuleius Met. II. *Nam dextra quidem ferebat* (Isis) *aureum crepitaculum, cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam trajectæ mediæ paucæ virgulæ crispante brachio tergeminos jactus reddebant argutum sonum.* cf. Plutarch. de Iside et Osiride cap. 63.

Incussere deos inflantes corpora, si non
Prædictum ter mane caput gustaveris alli.
Dixeris hæc inter varicosos centuriones:
Continuo crassum ridet Vulfenius ingens,
Et centum Græcos curto centusse licetur.

SATIRA VI.

AD CÆSIUM BASSUM.

ARGUMENTUM.

Satira hæc ad Cæsium Bassum scripta de legitimo divitiarum usu agit. In principio amicum Noster certiorem facit, se in præsentia Lunæ, Liguriæ oppido, summo otio frui procul a curis et omni invidia. 17. Alios aliter sentire, sæpeque eorum, qui eodem temporis puncto nati sint, studia esse diversissima. 19. Se, quamvis alii diversum vitæ genus sequantur, suo more vivere, parcumque et sobrium sine sordibus esse velle. 24. Annuos reditus licere consumi. 26. Si quid inopinati adcidisset, non dubitandum, de patrimonio ipso aliquid detrahere. 32. In conligendis opibus heredis, ne funus minus splendidum cu-

T. IX. p. 189. ed. Hutt. Sistri imaginem expressam vide apud Gruter. Inscript. pag. 82. n. 3. et 4. Eodem sistro Ægyptii sacerdotes in sacris Isidis utebantur; putabant quoque, illud habere vim tempestatis sedandæ. Interpp. ad Petron. 114; Virg. Æn. VIII, 696; Propert. III, 9. 43.

187. *Incussere deos* pro: incussere metum deorum. *inflantes corpora;* pertinet hoc ad ulcera et tumores, quibus Syri homines obnoxii erant, quorumque causam deæ Syriæ adsignabant; Plutarch. de Superstit. cap. 9. T. VIII. p. 76. ed. Hutt. τὴν δὲ Συρίαν θεὸν οἱ δεισιδαίμονες νομίζουσιν, ἂν μαινίδα τις ἢ ἀφύας φάγῃ, τὰ ἀντικνήμια διεσθίειν, ἕλκεσι τὸ σῶμα πιμπλάναι, συντήκειν τὸ ἦταρ. Juvenal. XIII, 93. Martial. IV, 43. 2.

188. Pertinet hoc ad superstitiosas opiniones parum notas.

189. *Dixeris hæc.* Noster dicere vult: Se quidem non ignorare, philosophiam philosophiæque cultores ab inperitis literasque exosis, pro quibus centuriones posuit, contemni ac derideri. *Varicosus* proprie is, qui varices, i. e. venas intumescentes, in cruribus habet, (v. Ruperti ad Juvenal. VI, 397. Salmas. ad Solin. p. 363.) h. l. ad speciem corporis militarem spectat; præcipue enim in omni cultu neglecto et in quadam rusticitate virtutem positam tunc temporis milites existimabant.

190. *Crassum ridet* pro: crasse ridet, in risum effunditur rusticus ille et stupidus. *ingens.* Corporis proceritate et amplitudine ingenii exiguitatem Noster exprimit. Theocrit. XV, 17. ἀνὴρ τρισκαιδεκάπηχυς pro: homo stolidus. conf. Catull. LXVII, 47. LXXXVI, 4.

191. *centusse*, decem assibus. *Græcos*, philosophos, præsertim Stoicos. Summum contemptum indicat hoc, quandoquidem vilissimæ tantum res acervatim emuntur. Ceterum quantopere omnia a Græcis profecta plerisque Romanis contemptui fuerint, præclare docuit Burm. ad Petron. 46.

ret, rationem habere, stultum esse. 41. Si vel legitimus hereditatem, sumptibus factis inminutam, se aditurum esse negasset, heredem sibi omnino non defuturum. 56. Nihil interesse, quonam loco ille natus sit, omnes enim homines cognatione quadam inter se jungi. 60. Rem familiarem viventis esse, nihilque habere heredem, quod jure suo postulare possit; quodcumque esset relictum, æqui bonique ipsi consulendum, lucrique insperati loco habendum esse. 71. Stulti esse, vitæ commoditatibus ipsum carere propter avaritiæ sordes, ut heredes posteri vitam dissolutam et omni voluptatum genere plenam agant. 74. Sic enim semper existimandum, hujusmodi hominum cupiditati opes maximas, omni modo congestas, numquam esse satis facturas, ut ne vel sic quidem sit, quod speres, fore, ut gratiam illorum ac ratione mercaris.

Admovit jam bruma foco te, Basse, Sabino?
Jamne lyra et tetrico vivunt tibi pectine chordæ?
Mire opifex numeris veterum primordia rerum,
Atque marem strepitum fidis intendisse Latinæ:

In Sat. VI.

1—11. Quærit Noster ex Basso, num se jam in agrum Sabinum, ut Musis ibi viveret, receperit; simulque eum certiorem facit, se in Liguriæ finibus versari. Cæsius *Bassus* in lyrico poeseos genere præcipue clarus, cui secundas in hac laude tribuit Quintil. Inst. X, I., vixit sub Nerone et Vespasiano. Eum in prædiis suis, ardente Vesuvio monte, cum villa sua ustum esse, commemorat scholiastes ad h. l. cf. Wernsdorf. poet. Lat. min. T. III. p. XXXIII. seqq. Plures fuisse Bassos Musis deditos notat Broukh. ad Prop. I, 4. 1. cf. Voss. de hist. Lat. I, 22. *admovit*, cumpulit te, ut secederes. Multi Romanorum, præsertim ii, qui bonarum literarum studiosi erant, sæpenumero in prædiis suis, non tantum otii et valetudinis causa, sed ut studiis suis ab urbano strepitu remoti viverent, commorabantur. Hor. Ep. II, 2. 65 seqq. 77 seq. Plin. Ep. I, 9. Pro prædio posuit apte *foco*, quia *brumæ*, hiemis, mentio facta est.

2. *lyra et chordæ*, pro: chordæ lyræ. De lyra vide Jani ad Horat. Od. I, 10. 6. III, 2. 3. Ejus imaginem expressam vides in *Niebuhr's Reisebeschr.* T. I. tab. 26. d. p. *vivunt*, sonos edunt; animantur enim quasi *pectine* seu plectro. *Tetrico*, severo. Ovid. A. A. I, 721. Senec. Herc. fur. 579 seq. spectat et ad carminis argumentum et ad modos graves; agitur enim de carminibus lyricis.

3. 4. *Mire opifex*, pro: mirus, admirabilis artifex; *intendisse*, Græca constr. nota. *intendisse numeris*, pro: *numeris condere*, ut est apud Ovid. Fast. VI, 24. aut *numeris coercere* ex Ponto IV, 8. 75. Ratio loquendi paullo insolentior. *numeris* adcipio pro casu tertio. Deinde nervi proprie intenduntur, cum iis quoque soni, pro quibus *numeri* docte poni possunt. Virg. Æn. IX, 776. Dicendum igitur proprie fuisset: intendisse numeros (nervos numerose canentes) *promordiis veterum rerum*, seu ad primordia veterum rerum canenda; sed inversione Noster usus est. cf. Horat. Epist. I, 3. 12 seq. Sic quoque vs. seq. proprie dicendum fuisset: *intendisse fidem Latinam ad marem strepitum* sc. edendum, seu ut marem strepitum ederet; nam ea ratio, qua *intendisse marem strepitum* adcipiunt pro *auxisse marem strepitum*, severioribus numeris res grandiores esse complexum, mihi hoc saltem loco non probatur. Existimo quoque his duobus versibus Nostrum nihil aliud exprimere voluisse, quam Bassum poetam esse lyricum altioris spiritus; nam *primordia veterum rerum*, ut

Mox juvenes agitare jocos et pollice honesto
Egregius lusisse senes. Mihi nunc Ligus ora
Intepet, hibernatque meum mare, qua latus ingens
Dant scopuli, et multa litus se valle receptat.
† *Lunai portum est operæ cognoscere, cives.*
Cor jubet hoc Enni, postquam destertuit esse
Mæonides Quintus pavone ex Pythagoreo. †

quoque Wernsdorf. l. c. judicat, ad laudes Deorum et heroum potest pertinere, in quibus *primordia veterum rerum* præcipue celebrantur. *marem* pro masculum.

5. *juvenes*, juveniles. Ovid. Trist. V, 1. 7. *jocos*, carmina erotica et remissioris spiritus, ut apud Ovid. Trist. II, 494. et III, 2. 4 seq., ubi carmen de arte amandi intelligitur; et *agitare jocos* pro: jocari, (Ovid. Met. III, 319.) quod eodem sensu, quo *ludere*, sæpe obcurrit apud poetas. Wernsdorf l. c. satiras intelligit. *pollice honesto* eadem ratione positum est, qua *tetrico pectine* supra. Lyræ cantus temperabatur modo digito seu pollice, modo pectine seu plectro. Virgil. Æn. VI, 647.

6. *Egregius lusisse senes.* Casaubonus legit: *egregios*, et quum *lusisse* eo sensu adcipiat, quo sæpe obvium est (Virgil. Eclog. I, 10; Horat. Od. IV, 9. 9.), verba illa de laudibus vitæ senilis otio et quieti redditæ interpretatur. Verum possis aliam rationem inire, quæ melius huic loco, mea quidem de opinione, convenire videtur. *Ludere senes* est: agere senes seu similare senes, (sic Cic. ad Divers. VIII, 9. *bonum civem ludere*) atque *agere* seu *similare senes* est senum partes sustinere, quæ sunt in hortando et monendo positæ. Intelligenda itaque sunt carmina paullo severioris generis, in quibus senum personam induit Bassus, ad juventutem virtutum præceptis inbuendam; quod carminum genus egregie indicatur per *pollice honesto*, atque obponitur illis *juvenilibus jocis.* — *Ligus ora* pro: ora Ligustica.

7. *Intepet*, tepidior redditur aut est. Passerat. ad Prop. IV, 1. 124. pro: ego fruor tepore oræ Ligusticæ. *hibernatque mare*, Horat. Sat. II, 2. 17. *hiemat mare*, ut *vernat* ap. Senec. Epist. 114. Hoc priori *intepet* non repugnare, disci potest ex Cic. de Nat. Deor. II. c. 10. Plut. Quæst. natur. ή. T. XIII. ed. Hutt. Loca maritima hieme iis calidiora esse, quæ a mari longius absunt, in vulgus notum est.

8. *qua latus ingens Dant scopuli. dant* pro: efficiunt. Lunæ portus describitur; ingentes scopuli portum circumdantes pro lateribus ejus sunt. Sed ingenio nostri poetæ adcommodatius videtur illud *dant latus* interpretari: exponunt latus mari, ut eo fluctuum vis et impetus frangatur. Virg. Æn. I, 105. cf. Valer. Flacc. I, 619. Strabon. V. περικλείεται δ' ὁ λιμὴν ὄρεσιν ὑψηλοῖς, ἀφ' ὧν τὰ πελάγη κατοπτεύεται. cf. Ruperti ad Sil. Italic. VIII, 480. Hujusmodi portus Virgilii oculis obversabatur Æn. III, 533 seqq. *et multa valle se receptat litus*, hoc amplitudinem portus indicat et litus interius planum; aut *vallis* est h. l. aquæ superficies sinu reducto litoris cincta. Claud. XLIX, 37.

9. Est versus Ennii. v. Merulam ad Ennii fragmenta p. 3. *operæ est* sc. pretium. Hujus versus auctoritate loci amœnitatem probare studet.

10. *Cor.* Sæpe usus est hoc verbo priscus sermo Latinus pro animo, ψυχῇ, prudentia: unde adjectiva *cordatus*, *excors* cet. apud recentiores manserunt. Cic. Tusc. Q. I, 9. de Fin. II, 28. *Hoc est non modo cor non habere, sed ne palatum quidem. Cor Enni* pro: Ennius; sic *virtus Scipiadæ* pro: Scipio. Horat. Sat. II, 1. 72. Significare videtur hoc loco Noster ex iis, quæ adjiciuntur, sanam Ennii conditionem, quum desisset desipere. *postquam destertuit esse*, i. e. postquam desivit esse, postquam intellexit se non esse; sed prius fortius, indicat enim insanam ebrii hominis conditionem somno levatam; Nostrates: *verschnarchen.* Lucian. in Pseudom. T. II. p. 232. ed. Reiz. ὥσπερ καὶ ἐκ μέθης βαθείας ἀναφέροντες.

11. *Mæonides* Homerus ex patre Mæone, ut aiunt. *Quintus* prænomen est Ennii. Ennius tantum tribuit Homero, ut non solum vigilans de eo sæpissime

Heic ego securus vulgi, et quid præparet Auster
Infelix pecori, securus et, angulus ille
Vicini nostro quia pinguior. etsi adeo omnes
Ditescant orti pejoribus, usque recusem
Curvus ob id minui senio, aut cœnare sine uncto,
Et signum in vapida naso tetigisse lagena.
Discrepet his alius. geminos horoscope varo

cogitaret et loqueretur, ut Cicero in Somnio Scip. 1. narrat, sed et somniarit, speciem Homeri ex Acheronte venientem sibi narrasse, ut anima sua se insinuasset prius pavoni, ac deinde ex pavone transisset in Ennii corpus, ut legitur apud Lucret. I, 125. Sic Lud. Küsterus narrat in Homeri hist. crit. cf. Merulam ad Ennii fragm. p. 7. *pavone ex Pythagoreo*, spectat hoc ad Pythagoreorum somnia, qui narrabant, Pythagoræ animam in migratione sua per varia corpora prius in pavonem migrasse, deinde in Homerum transiisse; sed varius est apud varios auctores hic migrationis ordo. Ovid. Metam. XV, 160 seqq. Lactant. III, 18. 15 seq. cf. si tanti est, loca laudata a van Staveren ad Hygini fab. 112. Sic adfectabat fortasse gloriam Homeri Ennius, ut sequenti tempore Propertius Callimachi, (v. Propert. IV, 1. 64.) cujus nomine Propertium ab Horatio (Epist. II, 2. 92.) designari Vulpius in sua διατριβῇ de vita Propertii existimat.

12—17. Ibi ego curis omnibus solutus vivo, neque invidia neque avaritiæ sordibus tangor.

12. *securus vulgi*, oblitus vulgi, nihil curans vulgus. Virgil. Æn. I, 350. et X, 325. cf. Horat. Od. II, 16. in fine. *et quid præparet Auster.* Auster in personam mutatus est. *præparet*, moliatur, moveat; Virgil. Georg. I, 462: *quid cogitet humidus Auster.* Propert. III, 3. 52; *quid flamine captet Auster.*

13. *Infelix pecori.* Auster in Italiæ regionibus non solum pecori verum etiam hominibus noxius, (Horat. Od. II, 14. 15 seq. Sat. II, 6. 18 seq.) præsertim auctumno, quum per mare Mediterraneum delatus et gravidus humidis particulis morbos et febres excitet. Plin. H. N. II. sect. 48. *securus* h. l. pro: nulla invidia tactus. cf. Horat. Sat. I, 1. 110 seq. *angulus*, terræ portiuncula, quam vicinus possidet.

15. *pejores* sunt, qui in tenuiore et humiliore loco nati sunt, χείρονες; ad animi vitium hoc loco non potest trahi. *ditescant*, intelligi potest: sordidis et malis artibus, cujus rei exempla apud Juvenalem plurima exstant. *usque recusem*, semper ego nolim.

16. *Curvus ob id minui senio.* Curæ enim et sollicitudines animi ex invidia ortæ frangunt et debilitant hominis corpus atque macerant, ita ut sensim paullatimque velut tabe confectum evanescat. Hoc egregie observarunt poetæ, quum invidiam sub hominis imagine et forma inducerent. Ovid. Met. II, 760 seq. *curvus senio* pro: vexatus curis et angoribus; nam *curvus* pingit habitum corporis, quod curæ degravant, et *senium* pro eo sæpe ponitur, quod *senium* adfert. Horat. Epist. I, 18. 47. Senec. Hipp. 1127 seqq. Hesiod. op. et d. 93. αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι. Idem versus exstat apud Hom. Odyss. τ, 360. *aut cœnare sine uncto. sine uncto* i. e. sine ferculo lautiore. v. supra IV, 17.

17. *Et signum in vapida naso tetigisse lagena.* cf. Horat. Epist. II, 2. 134. *naso tangere aliquid* pro: adcurate aliquid inspicere, quum oculis rem propius admoveas. *signum*, quo scil. obsignaverat lagenam, non vino sed vappa plenam, oculis admovet, ut videat, an inlæsum sit. Sordidam parsimoniam hic probe depinxit; ostendit enim primum nimiam diligentiam in rebus vilissimis servandis, deinde magnam hominis anxietatem, ne quid inde sibi detractum sit. De hoc obsignandi res varias more v. loca laudata a Ruperti ad Juvenal. XIV, 126 seqq.

18—24. Vivat alius alio more; nam mores hominum dissimiles sunt; alii genium defraudant, alii omnia dilapidant. Ego meis rebus utar, ita tamen, ut luxuriam vitem. Hac propositione generali commodissime sibi stravit viam ad avaritiæ et sordium reprehensionem, remotis et derisis iis causis et rationibus, quas homines, hoc vitio laborantes, in suam rem proferre soleant.

18. *Discrepet* sc. a me, a meo vivendi

Producis genio. solis natalibus est qui
Tingat olus siccum muria vafer in calice empta,
Ipse sacrum inrorans patinæ piper. hic bona dente
Grandia magnanimus peragit puer. utar ego, utar,
Nec rhombos ideo libertis ponere lautus,
Nec tenuem sollers turdarum nosse salivam.

more. *Horoscopus*, hora natalis, unde fata hominum pendere somniabant astrologi, personæ vicem sustinet; ad quam quum se vertat poeta, sententia per se vulgaris novam vim adcepisse videtur. De hoc ornatus genere plura Quintil. Instit. VIII, 5.

19. *Producis*, in lucem edis. Sil. Ital. I, 112. *Geminos varo ingenio.* Ergo homines sub una eademque constellatione nati ingenii et morum similitudine minime gaudent. Poetæ ornatum quisque facile sentiet, conlata cum ejus verbis nuda sententia: hominum studia diversa sunt. Multa, quæ ad astrologiæ nugas pertinent, invenies in notis Vulp. et Burm. ad Prop. IV, 1. 89.

19. *natalibus*. Dies natalis præcipue epulis celebrabatur. v. ad V, 151.

20. *olus*, i. e. cibum vilissimum, quo tamen veteres Romani utebantur, (Horat. Sat. II, 1. 74.) quorum sobrietatem cum sui temporis luxuria comparat Juvenal. X, 78 seq. *siccum*, non unctum. *vafer*, sollers, ingeniosus, ut sunt sordidi in custodienda re. *Muria* erat vel aqua salsa, in qua aliquid fucrat maceratum aut servatum, vel genus liquaminis ex thunnorum sanie, ut *garum* e scombrorum. Horat. Sat. II, 8. 46. et 55; cf. Salmas. ad Solin. p. 244 seq. Ad consummandam sordidæ parsimoniæ imaginem, adjecit: *empta in calice* i. e. exiguo vasculo empta, ut tantummodo ad hunc diem subficeret, aliis enim diebus minus laute epulabatur. Huc pertinet etiam *tingat*. cf. Horat. Sat. II, 2. 60 seqq.

21. *Ipse*. Nam servo tanta res scil. non committebatur. *inrorans*, parcissime instillans. *sacrum piper*, i. e. piper tamquam rem sacram et minime tangendam. Horat. Sat. II, 3. 110. et I, 1. 72. Oleris genus, ut beta, vino et pipere condiebatur. Martial. XIII, 13.

22. *magnanimus* per ironiam; quasi ostendat magnum animum in contemnendis divitiis, quarum nullam rationem habet in sumptibus faciendis. *puer*, adolescentulus; puerilis enim aut juvenilis ætas in primis inclinatum ad magnas profusiones habet animum. Horat. Sat. I, 2. 16 seq. *dente peragit*, gula absumit. Juvenal. XI, 58 seq. *bona grandia*, ingentem rem familiarem. Hujusmodi dilapidatoris exemplum proposuit. Horat. Sat. II, 3. 206 seqq. cf. Epist. I, 15. 37 seqq. *utar ego, utar*, sc. facultatibus meis, verum non abutar. Posterius dupliciter expressit: neque ego aliis ad ostentationem lautissimas dapes adponam: neque rarissimis et exquisitissimis ipse fruar. cf. Horat. Epist. II, 2. 190 seq.

23. *lautus*, magnificus, propter magnas inpensas, quæ in adparatu cœnæ hujusmodi faciendæ erant. Simili ratione prætor lautus dicitur apud Juvenal. XIV, 257. *lautus ponere* Græca constr. *rhombos*. in deliciis mensæ *rhombus* piscis habebatur. Horat. Sat. II, 2. 48 seq. Epod. II, 49 seq. cf. Juvenal. IV, 39 seq. et XI, 120 seq. *libertis*. Eos Romani inter clientes et sectatores mensarum honore dignabantur, Juven. V, 28 seq. Ex quo loco etiam disces, magnum discrimen sæpe fuisse inter dapes, quæ domino et quæ convivis humilioris loci adponerentur. Liberti infimum locum in conviviis obtinebant. Petron. 58. ibi v. Heins. ad verba: *qui libertini loco jacet.*

24. *sollers nosse*, sollerter dignoscens. Horat. Sat. II, 4. 35 seqq. *Salivam*, saporem. *tenuem*, qui non nisi a peritissimis poterat dignosci. Ceterum *turdi* mensarum deliciæ apud Romanos. Horat. Sat. II, 5. 10; Martial. XIII, 51. Scholiastes animadvertit, Persium *turdarum* abusive dixisse, quum debuisset *turdorum* dicere, ut Horat. Sat. I, 5. 72. Addit præterea: *Solent enim quidam gulæ dediti tantæ subtilitatis habere palatum, ut dignoscant turdos, an cellarius an terrarius sit, an masculus an femina.*

Messe tenus propria vive, et granaria, fas est,
Emole. quid metuas? occa, et seges altera in herba est.
Ast vocat officium: trabe rupta Bruttia saxa
Prendit amicus inops, remque omnem surdaque vota
Condidit Ionio: jacet ipse in litore, et una
Ingentes de puppe dei, jamque obvia mergis
Costa ratis laceræ. nunc et de cespite vivo

25. 26. Dixit Noster in anteced. *utar ego, utar;* subjunxit statim: non tamen ut prodigi; desideratur igitur, quem tandem modum adhibendum esse censeat in re fruenda. Hunc modum exprimit jam sub forma regulæ, quam aliis det et præscribat. *Messe tenus propria vive.* Ab agricolis ductum, qui sumptus annuis agrorum proventibus metiuntur. Sensus est: Omnes tuos reditus possis quotannis sine cura absumere, atque hac ratione et liberalis et frugi hominis laudem retinere. Cave autem adcipias: omnes reditus absumere debes, nisi sordidus et avarus et esse et haberi velis. *Granaria emole,* frumentum annuum sepositum consume, hoc enim fit molendo. *quid metuas* sc. hoc faciens. Adjungit rationem, cur omnis metus et dubitatio in hoc locum habere non debeat. *occa,* species posita pro genere; *occare* pro omnibus iis, quibus ager ad adcipiendum semen præparatur. Ovid. Fast. IV, 645. *et seges altera in herba est,* ecce, altera messis jam tibi in agris resurgit, qua granaria tua iterum possis replere. Alio sensu eadem usus est dictione Ovid. Heroid. XVII, 263. ibi v. Heins.

27—33. Venit jam ad causas, quibus sordes plerumque excusari solebant, quarum prima est, eaque specie quidem satis honesta: Parcendum est opibus et semper aliquid reservandum et seponendum, si quid nec opinati adciderit, ne aliquando cogaris liberalitatis officia inopia deserere, ut semper habeas, quo inopiæ amici cujusdam possis subvenire. Verum, inquit Noster, si hoc adciderit, fundi aliqua portiuncula calamitati est subveniendum.

27. *Ast vocat officium.* Id quod præcepisti sequi non possum, nam amicus naufragium fecit, hic est mihi sublevandus. *Bruttia saxa.* Fretum illud inter Italiam et Siciliam navigantibus periculosum intelligit.

28. 29. *Prendit amicus inops,* exquisitius, quam: ejectus est ad litus. Videmus illum naufragum fluctibus luctantem vix tandem se ad scopulum servare, ceteris rebus omnibus amissis. Homer. Odyss. ε, 426 seqq. Virgil. Æn. VI, 338 seqq. *Condidit Ionio,* naufragio in Ionio mari amisit, *remque omnem,* et cum re etiam ea, quæ speraverat per illam rem consequi, quæque sibi voverat seu optaverat; sed vota *surda* (a Diis non exaudita) fuerunt. Potuit igitur Noster dicere, etiam vota illum mari condidisse seu naufragio amisisse, quandoquidem vota ad illam rem pertinuerant, et, re amissa, ipsa quoque sublata erant. Sensus: Omnia amisit, nihil servavit, in liberalitate et misericordia amicorum perfugium quærere debet.

30. *Ingentes de puppe dei. Dei* sunt simulacra Deorum puppi inposita, quorum sub tutela navem voluerant esse nautæ. Inde illas statuas nuncupat Petron. 105. *tutelam navis,* quæ cum Græco παρασήμῳ non est confundenda, quamquam interdum signum in prora, παράσημος, unde nomen navi sæpe hæsit, cum tutela in puppi unum idemque fuit. v. de hac re Heins. ad Ovid. Trist. I, 10. 1. et Virgil. Æn. VIII, 93; V, 60. Huic Deo vel Deæ vota pro reditu fiebant. Ovid. l. c. 43 seq. Illos Deos, qui nunc ejecti in litore jacent, nec navem nec se ipsos a tempestatis injuria defendere poterant, vocat Noster *ingentes* i. e. summa potentia præditos, (Ovid. Fast. V, 553.) eoque in risum eos vertit. Quod quum pictati, quam Noster ubique ostendit, repugnare videatur, possis etiam *ingentes* ad simulacrorum staturam trahere. Fortasse scripsit Noster *squalentes,* limo scilicet et spuma maris. *obvia mergis,* exposita mergis. Horat. Epod. X, 21 seq.

31. *Costa,* latus navis laceratum. *nunc et de cespite vivo. cespes,* proprie herba una cum terra evulsa, obponitur hoc loco reditibus. *vivo,* virenti. Ovid. Met. IV, 300 seq.

Frange aliquid, largire inopi, ne pictus oberret
Cærulea in tabula. " Sed cœnam funeris heres
Negliget iratus, quod rem curtaveris: urnæ
Ossa inodora dabit, seu spirent cinnama surdum,
Seu ceraso peccent casiæ, nescire paratus.

32. *Frange aliquid.* adcommodate ad cespitem. Sensus: Consumptis annuis reditibus portiuncula fuudi tui subleva inopem, ut sedem ibi conlocet suam, neque cogatur mendicare. Posterius sic expressum est: *ne pictus oberret.* v. ad I, 89. Naufragi amissis rebus omnibus tabulam, in qua maris tempestas, quæ eos perdiderat, coloribus expressa erat, humero portantes ubique misericordiam hominum inplorabant. v. Intpp. Juvenal. XIV, 301. et Horat. in arte 20 seq.

33. *Cærulea,* ex natura ejusmodi picturæ epitheton hoc adjectum.

33—37. Sequitur alia sordium causa. Multi Romanorum eo processerant stultitiæ et amentiæ, ut, quo quam splendidissime ab herede mortui efferrentur, genium vivi defraudarent (Horat. Epist. I, 5. 13 seq.); quum contra alii, id quod minus mireris, futuri heredis cogitatione ad lautiorem vitam incitarentur. Horat. Od. II, 14. 25 seqq.

33. *Cœna funeris* seu funebris erat duplicis generis, una diis manibus in rogo parabatur, proprieque vocabatur *silicernium;* altera proximis et amicis, eamque vocabant *epulum funebre.* v. Kirchm. de fun. Rom. VI, 5 seq. Lips. ad Tac. Ann. VI, 5. Dœring. ad Catull. LIX, 3. Lucian. Contempl. c. 22. T. I. p. 519. ed. Reiz. ibi Hemsterh.

34. *quod rem curtaveris,* rem familiarem minueris. Spectat hoc ad superiora: *de cespite vivo frange aliquid,* non ad consumptionem annui reditus; nam, cujus sumptus annuos reditus non superant, is rem familiarem minuere dici non potest.

35. 36. *urnæ Ossa inodora dabit.* Corpore cremato et peracto ossilegio reliquiæ vino et lacte conspersæ adjectis odoribus urna condebantur. Tibull. III, 2. 17. et I, 3. 7 seqq. ubi v. Heyn. Propert. II, 10. 20 seqq. *inodora,* sine odoribus. Intp. Calpurn. eclog. IV, 19. cf. Ovid. Trist. III, 3. 89. *nescire paratus,* fortius quam: negligens, dissimilans. *seu spirent cinnama surdum. Cinnama* Plin. H. N. XII. sect. 42. *Cinnamum* erat frutex corticis odoratissimi duorum cubitorum altitudine amplissimus. Inde fiebat unguentum cinnamominum pretio prodigioso. Plin. l. c. XIII. sect. 2. Martial. IV, 13: *cinnama rara. surdum* pro: surde. *Surdus* a Plinio majore sæpe de iis rebus usurpatur, quæ nec oculos nec nares movent, h. l. de re, quæ hebeti odore est. Odores itaque intelliguntur situ conrupti ideoque viles. *Seu ceraso peccent casiæ. Casia* fortasse *der wilde oder mutterzimt.* Voss ad Virg. Georg. II, 466. Plin. H. N. XII. sect. 43. cf. Salmas. ad Solin. p. 919 seqq. fusius de *cinnamo* et *casia* disputantem. *peccet* i. e. vel nullum odorem emittat, vel alienum a natura sua. *ceraso* interpretes passim adceperunt pro gummi e ceraso, verum quam auctoritatem in hoc secuti sint, equidem adhuc reperire non potui, neque video sane, quomodo casia, siquidem nostro *zimt* haud plane absimilis et cortex sit, aliquo gummi genere possit adulterari. Sive enim casiam hoc loco Noster pro unguento ex casia facto posuerit, sive ipsum librum casiæ fruticis intellexerit; unguentum resinæ aut gummi additione non conrumpitur, nisi saporem aliquem aut odorem ei adferat, et utroque gummi e ceraso caret, nec in cortice ulla gummi admixtio locum habere potest. Adulterari casiam, narrat Plinius H. N. l. c. *styrace,* et, propter similitudinem corticum, *lauri tenuissimis surculis.* Cur itaque *casia* non potest permisceri libro cerasi, qui eamdem fere speciem habet, et sic adulterari et conrumpi? Quin puto Nostrum de industria genus fraudis posuisse, quod facillime detegi posset, nisi heres nimis *paratus* esset *nescire.* cf. Jo. Bodæum a Stapel ad Theophrast. H. Pl. IX. cap. 5. p. 986. Ceterum in crematis mortuis usum casiæ præcipuum fuisse, scimus ex Martial. X, 97. Corpus in rogo jam conlocatum unguentis suaveolentibus perfundebatur. Stat. Silv. II, 1. 160 seq. An hanc ad rem unguento quoque ex casia usi sint veteres, mihi quidem non liquet; sed casiam ipsam seu casiæ librum super rogum fuisse sparsum ac

Tune bona incolumis minuas?" Et Bestius urget
Doctores Graios: " Ita fit, postquam sapere urbi
Cum pipere et palmis venit vestrum hoc maris expers:
Fœnisecæ crasso vitiarunt unguine pultes."
Hæc cinere ulterior metuas? at tu, meus heres

concrematum ad fœtorem usti corporis odoris suavitate mitigandum, adparet ex Martial. XI, 55. ubi casiæ et cinnami separatim ab unguentis fit mentio. Ipsos quoque casiæ surculos adustos suavissimi odoris fuisse, patet ex *Phœnicis* nido, ex omnibus rebus bene olentibus, quum cremarentur, constructo; v. elegiam de Phœnice ad calcem Claudiani adjectam v. 79 seqq. ibique Burm. Ovid. Met. XV, 397 seqq. Quibus rebus fit, ut mihi non plane absurdum videatur statuere, casiam cerasi libro potuisse adulterari, etiamsi hujus fraudis apud veteres nulla mentio reperiatur.

37. *Tune bona incolumis minuas?* Verba sunt heredis, quem loquentem inducit Noster consilio suo adcommodate, ut mores nempe hujusmodi hominum, alterius rei familiaris, quam ut suam spe jam devorant, jacturam vehementer indignantium, quasi sub oculos lectoris vocet. *incolumis*, h. l. inpune. Ceterum genus loquendi iratorum est, ulciscendi se occasionem aut nactorum aut adhuc exspectantium. *Bestius* homo frugi et avarus atque nebulonum castigator vehemens, ex Horat. Epist. I, 15. 36 seq. notus. *urget*, adcusat, culpam luxuriæ transfert in

38. *Doctores Graios.* Sensus: Atque idem heres, ut alter Bestius, frugalitatis et parsimoniæ causam agens, reos agit doctores Graios, i. e. adfirmat, morum mollitiam et perversam vitæ disciplinam e Græcia cum literis Romæ inlatam esse. Communis querela erat omnium Romanorum, apud quos antiqua simplicitas adhuc in pretio erat, jam ab iis temporibus, quæ Ciceronis ætatem præcesserant, disciplinam Romanam Græcarum doctrinarum subtilitate morumque pravitate esse conruptam. Juvenal. VI, 16. et 291 seqq. Ex hoc quasi fonte manavit etiam odium in istam gentem, quæ devicta jam victoris superbiæ despectui erat. Quo odio nonnulli ita inflammati erant, ut literas quoque et sapientiæ studium, quippe a Græcis ortum, respuerent et contemnerent, Juvenal. III, 60 seqq. XV, 110 seqq.; ex quibus locis quoque adparebit, quantopere omnia Romæ ad Græcorum instituta composita fuerint. *Ita fit*, ut nostrates: *so geht es. postquam sapere urbi*

39. *Cum pipere et palmis venit vestrum hoc maris expers. vestrum hoc sapere, maris expers.* Omnes editiones, quas ego quidem inspexi, habent *nostrum hoc maris expers*, et inde nata est difficultas, ad quam tollendam plerique interpretes nequidquam sudarunt. Haud scio, an Reizius hanc lectionem ingenio suo debeat; at unusquisque intelliget, hac lectione recepta, faciliorem esse interpretationem. *vestrum hoc sapere* i. e. vestra sapientia. Bene Noster usus est hoc *sapere*, quum anceps ejus vis et potestas h. l. vehementer apta sit. *maris expers*, (supra v. 4. est *marem strepitum*) expers omnis roboris masculi. Sensus: postquam vestra sapientia effeminata Romam venit, *cum pipere et palmis*, cum mercibus externis, commercio nempe cum populis orientis.

40. *Fœnisecæ*, proprie homines infimæ conditionis; h. l. veteres Romani designantur agriculturæ studiosi et omnis eruditionis expertes. *vitiarunt* verbum indignantis pro: tinxerunt. *crasso unguine*, unguento exquisito. Horat. in arte 375. Sensus: homines infimæ sortis laute vivere didicerunt. Hanc interpretationem, quam Casaubonus dedit, facillimam saltem omnium esse, quæ mihi quidem innotuerunt, non possum negare. Illud *maris expers* alio forsan sensu obcurrit apud Horat. Sat. II, 8. 15. atque hæc res nonnullos interpretes, qui in singulis Persii verbis, quibus Horatius quoque usus est, imitationem servilem iniquissima ratione odorantur, in fraudem induxit, fecitque, ut ipse Casaubonus alteram interpretandi rationem proponeret, quam vereor ut cuiquam sit probaturus.

41. *Hæc cinere ulterior metuas?* Verba sunt poetæ. *cinere ulterior* i. e. post combustionem tuam, post mortem. *hæc*, minas illas heredis et convicia. *At tu, quisquis eris meus heres* cet. Hæc cum anteced. ita cohærent: Tu sine ulla ratione reformidas sepulturæ minus splendidæ ignominiam, et heredis avaritiæ indulges? Jam tibi ostendam, quemadmodum ego cum meo herede acturus sim,

Quisquis eris, paullum a turba seductior audi.
† O bone, num ignoras? missa est a Cæsare laurus
Insignem ob cladem Germanæ pubis, et aris
Frigidus excutitur cinis: ac jam postibus arma, 45

quando tempus ita tulerit, aut omnino mihi in mentem venerit, ut minus parce, immo lautius, vivendum esse existimem. Quibus autem ambagibus Noster non utitur; fingit heredem suum præsentem, statimque eum adgreditur. cf. Horat. Epist. II, 2. 190 seqq.

42. *a turba seductior.* v. ad II, 4. Seducit heredem, ut consilium cum eo communicet, quod ad eum pertineat.

43. *a Cæsare.* Sed a quonam? a Caio Caligula, quoniam Cæsoniæ mentio fit. De vera victoria non est cogitandum. Tacit. Germ. 37. *Drusus ac Nero et Germanicus in suis eos* (Germanos) *sedibus perculerunt. Post ingentes C. Cæsaris minæ in ludibrium versæ. Inde otium, donec occasione discordiæ nostræ et civilium armorum, expugnatis legionum hibernis, etiam Gallias adfectavere, ac rursus pulsi inde, proximis temporibus triumphati magis quam victi sunt. missa est laurus.* Pro festo die quocumque posuit Noster eum diem, quo victoria a Cæsare senatui per literas lauro inplicatas, ut tum mos ferebat, erat nunciata. v. Schwarz ad Plin. paneg. 8; Plin. H. N. XXXV. cap. ult. Hac ratione obliquo quasi ictu tangit stultam Imperatorum vanitatem, qui sæpius victorias de Germanis, ut ferocissima et Romanorum nomini infestissima gente, nusquam vero reportatas, senatui nunciarent, et quasi re bene gesta, ut grates Diis inmortalibus agerentur, festa indicarent publice celebranda. conf. Sueton. Calig. 47.

45. *Frigidus cinis.* Versatur Noster in describendo diei adparatu, qui, quo amplior et speciosior est, eo magis ridenda res videri debet, quum reputas, de victoria agi similata. *frigidus.* Removetur cinis veterum sacrificiorum, ob longam sacrorum intermissionem frigidus.

45—47. Cæsonia, Caii Caligulæ Imperatoris uxor, parat omnia, quæ ad agendum triumphum necessaria erant. Locum hunc aliter explicare conatus sum, ac vulgo interpretes. *Locare* adeeperunt fere omnes pro: disponere, et hoc, meo quidem sensu, fraudem fecit reliquæ interpretationi, locoque ipsi omnem pæne vim et salem abstulit. *Locare* translatum est a censoribus ædilibusque curulibus, qui opera publica vel exstruenda vel resarcienda redemptorum minimum poscenti publice addicebant. Cognovi postea ex epistola I. Fr. Gron. ad N. Heins. missa, N. Heinsium jam illam interpretationem dedisse. v. Syllog. epistol. a viris ill. scr. cur. Burm. T. III. p. 52. Omnia deerant nempe Cæsoniæ, quibus triumphum de Germano populo posset ornare, quandoquidem illa gens re vera devicta non erat. Arma deerant, vestes, captivi, nam Germani non erant spoliati, exuti, capti; hæc omnia igitur paranda erant, et quasi redemptoribus locanda, ut et prompta essent in similationem veri triumphi rerumque hostibus detractarum, et minimo sumptu, ut Imperator ipse jusserat, constarent. *arma postibus* sc. figenda. *postibus*, arcubus triumphalibus et templorum postibus. Claudian. XXIV, 67 seqq. Broukh. ad Propert. III, 7. 26. Non solum publica templorum limina et postes, sed etiam privatarum ædium spoliis hostibus detractis esse exornatos, copiose et docte adserit Burm. Anthol. Lat. T. I. p. 206 seq. ad fragm. epigr. de Publ. Scip. vers. 46. *chlamydes regum*, vestes militares regum sc. parandas locavit. Germanorum reges in triumphum ducti amplam semper materiam adulandi dabant. Omnino, quando de triumphis apud poetas sermo est, semper regum captivorum fit mentio. Horat. Od. II, 12. 11 seqq. Propert. II, 1. 33 seqq. *Lutea Gausapa.* Non vestes intelligendæ sunt, quamquam Casaubonus, quum id adfirmat, Varronis auctoritate nititur; ubi enim umquam relatum legimus, luteas vestes Germanorum insigne fuisse? sed *gausapa* eadem ratione, qua Sat. IV, 37. pro capillamento posita. In editione Persii Venet. 1516. vetus interpres, qui sub Cornuti nomine venditur, hæc habet: *Gausape genus pilei, quorum* (lege: *quo*) *captivorum capita induebantur.* Ut scilicet mercede conducti aut aliunde capti et in triumphum producendi Germanorum speciem præ se ferrent, debebant esse procera statura, et capillis luteis seu flavis

Jam chlamydes regum, jam lutea gausapa captis,
Essedaque, ingentesque locat Cæsonia Rhenos.
Dis igitur genioque ducis centum paria, ob res
Egregie gestas, induco. quis vetat? aude.
Væ, nisi connives! oleum artocreasque popello
Largior. an prohibes? dic clare. Non adeo, inquis.

aut rutilis: (Juvenal. XIII, 164 seqq.) opus igitur erat tegumentis capitis e luteis pilis confectis, quæ quoque conficienda debebant locari. Juvenal. VI, 120. Martial. XIV, 24. Hujusmodi capitis tegumenta Romæ in usu fuisse in vulgus notum est. Invenerant quoque artem rutilandi capillos lixivio seu sapone Gallico. Plin. H. N. XXVIII. cap. 12; Martial. VIII, 33. 20. — V. 47. *Essedaque*, vehicula, quibus Galli et Belgæ in primis utebantur. v. Heyn. ad Virgil. Ge. III, 204. Burm. ad Prop. II, 1. 85. *ingentesque Rhenos*. Casaubonus existimat, *Rhenos* Nostrum pro: *Rhenanos homines* posuisse; sed hoc esset utique novum et sine exemplo. Si Rheni adcolæ intelligendi sunt, legendum mihi videtur *Rhenas*, seu *Remos*. v. Oudendorp. ad Lucan. I, 424. Verum, si quid mutandum est, equidem malim: *ingentemque Rhenum* i. e. ingentem imaginem Rheni fluminis. Simulacra enim urbium et fluminum, ut neminem præterit, in triumphum producebantur. Propert. II, 1. 31 seqq. Ovid. ex Ponto III, 4. 107 seqq. Lucan. III, 75 seqq. Claudian. XXIV, 22 seqq. Anthol. Lat. T. I. p. 230. ibi Burm. Ceterum victoriam de Germanis sæpius poetæ ita expresserunt, tamquam Rheni numen armis Romanis se submiserit. Ovid. Fast. I, 286. Martial. II, 2. 3. IX, 2. 3. Stat. Silv. I, 4. 89. Forsan *ingentesque Rhenos* ad plures Rheni imagines spectat, quibus diversa ejus ostia erant expressa. Cæsonia igitur ad mariti de Germanis victoriam triumpho celebrandam locat imagines Rheni ingentes faciendas. Etenim flumen ipsum seu ejus imaginem, non Germanos aut Gallos ejus adcolas, h. l. innui, indicare videtur verbum: *locat*, quod, quamcumque vim ei tribuas, ad captivos ductum vix commodum sensum præbet. Ad horum versuum explicationem faciunt ea, quæ Sueton. Calig. 46, 47. Dio Cass. LIX. p. 659. E. narrant. Similem stultitiam Tacitus in vita Agric. 39. de Domitiano commemorat: *Inerat conscientia, derisui fuisse nuper falsum e Germania triumphum, emptis per commercia, quorum habitus et crines in captivorum speciem formarentur.*

48. Hanc victoriam et ego pro virili celebraturus sum. *Genioque ducis*. intelligo deum tutelarem ducis ideoque etiam omnis imperii, cui sacra publice fiebant. Ovid. Fast. V, 145 seqq. Per genium ducis Romani jurabant, Caligulæque superbia et vecordia tanta erat, ut eum, qui numquam per genium suum dejerasset, morte plecteret. Sueton. Calig. 27. cf. Schwarz ad Plin. paneg. LII. *centum paria* sc. gladiatorum. Horat. Sat. II, 3. 85 seqq. Suet. Claud. 34. Privati quoque sub Imperatoribus spectacula edebant populo et munera. Juvenal. III, 34 seqq. Martial. III, 16. Sub Tiberio iis tantum id licuit, quibus saltem quadringentorum millium res esset. Tacit. Ann. IV, 63. Interdum hoc jus honoris causa alicui dabatur. Sueton. Claud. 28. *ob res* cet. ironia acerbissima.

49. *quis vetat?* sc. tantum me insumere in celebrationem hujusmodi diei, quantum mihi lubet. Prævertit hac interrogatione heredem vultu significantem, sibi illam liberalitatem minime placere. *aude*. ostendit hoc, quam audacter cum herede suo acturus esset.

50. *Væ, nisi connives!* Minas jam adjicit, se majore largitione usurum, nisi id heres æquo animo tulisset. *oleum*. Sæpe oleum distributum esse ab Imperatoribus populo, quin equiti et senatui in gymnasii usum gratis præbitum, notum est ex Sueton. Cæs. 38. Ner. 12. Tacit. Ann. XIV, 47. Eadem liberalitate licebat privatis uti sub Imperatoribus in ipsorum honorem. *artocreas*, ferculi genus ex pane et carne confectum, omnino pro: epulas. Sic Laruntius Stella, poeta Patavinus, Domitiani triumphum ludis exquisitissimis donisque et muneribus populo datis celebravit. Martial. VIII, 79.

51. *an prohibes?* rursus instat heredi. *dic clare*, constans et firmus testatoris

Exossatus ager juxta est. age, si mihi nulla
Jam reliqua ex amitis, patruelis nulla, proneptis
Nulla manet patrui, sterilis matertera vixit,
Deque avia nihilum superest: adcedo Bovillas
Clivumque ad Virbi: præsto est mihi Manius heres.
" Progenies terræ!" Quære ex me, quis mihi quartus
Sit pater: haud prompte, dicam tamen. adde etiam unum,

animus heredem perculerat; nescit ille, quid respondeat, et mussare tantum audet. *Non adeo* sc. hereditatem tuam. Hoc subplere suadent sequentia.

52. Exossatus ager juxta est. Exossatus est h. l. a lapidibus purgatus; lapides enim quasi ossa terræ sunt. Ovid. Met. I, 390. Intelligendus igitur est ager diligenter cultus et suburbanus, quod posterius indicatur per *juxta*. Sensus: Sub hac conditione, ut omnes tuas profusiones æquo animo feram, hereditatem tuam adire nolo; adest enim ager probe cultus ad vitæ necessitates mihi subficiens. Moriaris sine herede, qui judicio tuo generis dignitate respondeat.

52—56. Si nemo consanguinitate et adfinitate mecum conjunctus jam superest, subjungit Noster, qui heres meus fieri possit, tamen de herede non est quod laborem; statim aliquem invenero, qui bonis a me relictis, quantulacumque sint, contentus sit futurus. Notum est, deficientibus *heredibus suis* et consanguineis hereditatem ab intestato ex Romanorum more et instituto pervenisse ad proximos *agnatos* i. e. ad virilis sexus personas cognatione conjunctos, et, si hi nulli essent, ad gentiles. Sed forsan gentilitiæ subcessiones Persii ætate jam in desuetudinem abierunt, cognatique i. e. per feminas cognatione conjuncti, deficientibus agnatis, in subcessionem vocabantur. Dicere igitur vult Noster: si nulli agnati mihi supersunt; pro hoc posuit remotiores agnationis gradus. primum ait: *Si nulla ex amitis* (patris sororibus) *reliqua* i. e. nemo ex tertio gradu agnatorum in linea transversa; porro, *patruelis* (filius seu filia sororis patris) *nulla* i. e. nemo ex quarto gradu agnatorum in linea transversa; tandem, *proneptis patrui* (filia neptis patrui) *nulla* i. e. nemo ex sexto gradu agnatorum in linea transversa. Pergit jam: Si nemo cognatorum mihi superest; pro hoc posuit remotiores cognationis gradus: *nulla proles materteræ, nulla proles aviæ.* conf. Heinecc. antiq. Rom. lib. III. tit. 2. 5. 6.

55. Bovillæ sunt vicus ad undecimum lapidem Appiæ viæ; quia aliquando in Albano monte ab ara fugiens taurus, jam consecratus, ibi comprehensus est. Inde Bovillæ dictæ. vet. Schol. conf. Broukh. ad Prop. IV, 1. 33. Cluver. Ital. antiq. p. 917.

56. Clivumque ad Virbi. Quatuor millibus ab Urbe est Virbii clivus, qua iter est ad Ariciam et ad nemus Dianæ, ubi Virbius colitur, i. e. Hippolytus, quod bis in vitam prolatus sit. Nota autem apud Virgilium (Æn. VII, 765—777.) fabula est. vet. Schol. v. Heyn. Exc. VIII. ad Virg. Æ. VII, 761. Hic locus a mendicis præcipue frequentabatur. Martial. II, 19. XII, 32. 11. Juvenal. VII, 117 seq. ubi v. Ruperti. *Manium dicit deformem et ignotum hominum, eo quod Maniæ dicuntur indecori vultu personæ, quibus pueri terrentur.* vet. Schol. His verbis consentire videtur proverbium: *Multi Manii Ariciæ.* v. Erasm. in adag. Sensus: Heres hercle, etiamsi legitimum non invenero, mihi non deerit; in mendicorum cœtu semper probus aliquis mihi præsto erit hereditatem meam adire non recusaturus.

57. Progenies terræ! Verba legitimi heredis sunt, hominis obscuritatem contemnentis. Heres tibi præsto erit quidem, sed qualis? obscurus nempe. Terræ filii dicti sunt populi, de quorum origine non liqueret, quosque in una eademque regione semper habitasse constaret. Sic Athenienses αὐτόχθονες, indigenæ, vocabantur. Inde translatum hoc ad hominem obscuro et ignobili loco natum. Apud Petron. 43. est: *terræ filio. Quære ex me.* orationem Noster excipit, ut doceat illum stultum, omnes homines quodammodo esse cognatos.

58. quartus pater, abavus nempe.

Unum etiam: terræ est jam filius. et mihi ritu
Manius hic generis prope major avunculus exit.
Qui prior es, cur me in decursu lampada poscis?
Sum tibi Mercurius: venio deus huc ego, ut ille
Pingitur. an renuis? vin' tu gaudere relictis?
" Deest aliquid summæ." Minui mihi: sed tibi totum est,
Quidquid id est. ubi sit, fuge quærere, quod mihi quondam
Legarat Tadius. nec dicta repone paterna:
Feneris adcedat merces: hinc exime sumptus.

haud prompte. refricanda enim quasi prius est antiquæ rei memoria.

59. *terræ est jam filius.* i. e. hujus majores qui sint, nullus tibi dicere possum; est igitur jam obscurum nomen.

60. *major avunculus.* Propria vi hujus verbi non usus esse videtur Noster. Sic conligit Persius: Manius progenies terræ est; atqui atavus meus ab eadem terra editus: ergo Manius, frater atavi, quandoquidem uterque terram matrem salutat, est major avunculus meus. Hac ratione optime rideri potest eorum stultitia, qui alto majorum stemmate tument, nihilque ipsi faciunt tanta nobilitate dignum. Juvenal. VIII, 272 seqq.

61. Omisso Manio convertit se Noster ad priorem. *prior,* Tu qui legitimus mihi heres es et illi Manio præferendus. *cur me in decursu lampada poscis?* proverbialis locutio nata ex Græco aliquo ludo, Varro R. R. III, 16. 9. *Nunc cursu lampada tibi trado.* Plato de legg. γενναῖους καὶ ἐκτρέφοντας παῖδας καθάπερ λαμπάδα τὸν βίον παραδίδοντας ἄλλοις ἐξ ἄλλων. Lucret. II, 78. *Apud Athenas quum juvenes ludos cursu celebrabant, qui victor esset, primus facem tollebat, deinde sequenti se tradebat, et secundus tertio: similiter omnes, donec currentium numerus inpleretur;* vet. Schol. Hi ἀγῶνες λαμπαδοῦχοι non solum in Hephæsteis sed etiam in Panatheneis, Prometheis aliisque Athenis celebrabantur, proverbiumque inde natum spectat proprie rerum vicissitudines mutationesque, quibus aliud ab alio excipitur. Hoc loco sub *lampade* opes, quibus heres legitimus vivo adhuc possessore inhiat, intelligi debent. *in decursu.* me adhuc currente; me vivo.

62. *Sum tibi Mercurius.* Mercurius omnis lucri inopinati auctor; inde Græcum ἕρμαιον. Horat. Sat. II, 3. 68. Sensus: Bona, quæ ex hereditate tibi veniunt, non exspectare debes ut rem debitam, sed ut lucrum, quod tibi nec opinanti contingit, et quod, quantulumcunque tandem sit, æqui bonique consulere debes. *ille,* Mercurius.

63. *Pingitur.* pingebatur Mercurius κερδῷος crumenam dextra tenens. *renuis?* recusas adcipere oblatum? *vin' tu gaudere relictis?* verba sunt interminantis. *gaudere,* contentum esse.

64. *Deest aliquid summæ.* Verba heredis summæ deminutionem ægre ferentis, nec tamen plane audentis oblatum recusare. *Minui mihi.* Me vivente illud, quod habeo, meum est; si quid inde detractum fuerit post mortem meam, quum cœperit esse res tua, tunc erit, quod doleas. *tibi totum.* Tuum enim est, quod hereditate tibi relictum est; quod antea inde decesserit, non erat tuum; tibi igitur sumptibus meis nihil detrahitur.

65. *ubi sit* cet. Dicere vult Noster: rationem mearum rerum noli a me exigere. *fuge,* noli.

66. *Legarat Tadius.* Illud legatum Tadii positum est pro quibuscumque adcessionibus, quibus res familiaris Persii aucta fingitur. *nec dicta repone paterna.* nec repete mihi veterem illam cantilenam, qua filiis a patribus parsimonia commendatur.

67. *Feneris adcedat merces.* Hoc scilicet est, quod suadebant patres filiis. *Feneris merces* est lucrum ex pecunia fenere occupata. Horat. Sat. I, 2. 14. 3. 88. *Hoc, quod vobis lucri de fenere adcessit, ad usum vitæ vobis proficiat* vet. Schol. *hinc,* ex fenere, non ex sorte, quæ semper integra servanda est. *sumptus* scil. qui faciendi sunt ad vitæ necessitates comparandas.

" Quid reliquum est?" Reliquum? nunc nunc inpensius unge,
Unge puer caules. mihi festa luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure?
Ut tuus iste nepos olim satur anseris extis,
Quum morosa vago singultiet inguine vena,
Patriciæ inmeiat vulvæ? mihi trama figuræ
Sit reliqua: ast illi tremat omento popa venter?

68. *Quid reliquum est? Reliquum?* Heres interrogat, et poeta graviter commotus heredis inpudentia et inprobitate iterat interrogationem, pergitque cum incremento indignationis: Tune recusas contentus esse relictis? recusas? Jam curabo, ut tibi quam minimum post mortem relinquatur, ut tuo cum dispendio discas, bona esse viventis non heredis vivo adhuc testatore. *nunc nunc inpensius unge.* Horat. Sat. II, 3. 125. et 2. 61. Sensus: Lautius jam mihi parate cibos.

69. *festa luce.* ut supra: solis natalibus.

70. *Urtica* pro: cibus vilissimus, cujus tamen usus festo tantum die ab herede conceditur. *et fissa fumosum sinciput aure. Sinciput* sc. porcinum. Caminis, quibus nos utimur, carebant veteres, sed fumus per fores et fenestras exibat, solebantque igitur res fumo condiendas tigillis suspendere, aut in summa ædium parte locare, ut de vino notum est. Burm. ad Petron. 135. Inter cibos vulgares et rusticos erant etiam capita porcina, sale et fumo durata, ut in longum tempus possent reservari. cf. Horat. Sat. II, 2. 117 seq. Juvenal. XI, 82 seq. *fissa aure,* vel paxillo, quo erat caput suspensum, perforata, vel canibus venaticis lacerata.

71. *nepos,* filius forsan, nepotino more vivens. *anseris extis,* jecinore anseris. Jecinora anserum deliciæ erant helluonum veterum, itaque anseres alebantur, ut jecinora in magnam amplitudinem crescerent. Plin. H. N. VIII. sect. 77. X. sect. 27. Horat. Sat. II, 8. 88. Martial. XIII, 58. cf. Heins. et Gonsal. ad Petron. 137. Juvenal. V, 114. *satur anseris extis* pro: repletus cibis delicatissimis.

72. *morosa vena.* Venæ libidine inflantur. Horat. Sat. I, 2. 33. hinc *vena* pro libidine ponitur et pro sede libidinis, ut h. l. pro ea parte, qua viri sumus. cf. Priapeia *Naiades antiqui Dryadesque habuere Priapi, Et quo tenta Dei vena subirct erat.* Martial. VI, 49. 2. *morosa,* fastidiosa. *singultiet,* fortius quam fastidiet; ex fastidio aut ventre cibis nimis obpleto singultus oritur. *inguine* sæpe pro parte naturali utriusque sexus. Juvenal. I, 41. h. l. pars intelligitur, qua feminæ sunt. *vago.* hoc epitheton adjicitur puellis, quæ pudicitiam in propatulo habent. Propert. I, 5. 7.

73. *Patriciæ inmeiat vulvæ.* rem veneream cum nobili matrona exerceat. Horat. Sat. II, 7. 52. Sensus: ut mulieres vulgares pudicitiæ vulgatæ fastidiat, et libido ejus, magnis et amplis opibus adjuta, in feminas nobiles cadat. *tramæ* proprie filum, quod intra stamen currit: sic Serv. ad Virgil. Æn. III, 483. ubi Noster laudatur. Senec. Epist. 90. *deinde quemadmodum tela suspensis pondcribus rectum stamen extendat, quemadmodum subtemen insertum est, quod duritiam utrimque comprimentis tramæ remolliat, spata coire cogantur et jungi* cet. H. l. saltem *trama* ab subtemine diversa est. *Trama* erat filo magis torto ac duro, subtemen molli magis ac soluto, quo panni mollescebant; villis et subtemine absumpto restabat *trama.* Sensus: Egone ita me macerem, ut ossa tantum et nervi ex toto meo corpore supersint?

74. *Ast illi* cet. At ille corpus bene curatum et saginatum habeat. Ventrem vocat *popam,* victimarium, victimis saginatum. *tremat* verbum aptum pinguedini. *omento.* hoc enim in hominibus obesis incrementa sumere solet et ventrem extendere. Simpliciter hoc loco pro: adipe.

75—80. His versibus Noster docere vult, avaritiam nec finem nec modum noscere. Stulte facere eos, qui, ut gratiam apud heredes suos ineant, ad opes undique conligendas pericula omnia adeant, labores omnes exhauriant, dum studeant, inexplebili heredum cupiditati satis facere.

Vende animam lucro: mercare, atque excute sollers
Omne latus mundi, ne sit præstantior alter
Cappadocas rigida pingues plausisse catasta.
Rem duplica. Feci: jam triplex, jam mihi quarto,
Jam decies redit in rugam. depunge, ubi sistam.
Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi.

75. Vende animam lucro. Sumptum ab iis, qui vitam suam lanistis vendunt. Lips. Saturn. II, 3. Juvenal. VIII, 192. ibi Ruperti. dictum pro: pericula vitæ adi lucri causa. *excute,* pervagando scrutare. Juvenal. XIV, 275 seqq. Lucian. Toxar. T. II. p. 511, ed. Reiz. de mercatoribus ἅπασαν γὰρ οὗτοι ἐκτὴν καὶ πάντα αἰγιαλὸν, ὡς εἰπεῖν, διερευνησάμενοι καθ' ἕκαστον ἔτος, ὀψὲ τοῦ μετοπώρου εἰς τὴν αὐτῶν ἐπανίασιν.

76. omne latus mundi. remotissimas mundi plagas. *ne sit præstantior alter* cet. Sensus: nullum quæstus genus tibi sordeat, vel mangonium exerce.

77. Cappadocas. Servorum genus posuit proceritate corporum et habitu insigne, audax et perfidum, ad turpia ministeria præstanda idoneum. Lucian. in Asino T. II. p. 604. ed. Reiz. Ad lecticas ferendas adhibebantur. Martial. VI, 77. 4. Suidas in proverb. τρία κάππα κάκιστα, Κρῆτες, Καππάδοκες, Κίλικες. vet. Schol. dicit, Cappadoces habere naturale studium ad falsa testimonia proferenda, additque: *qui nutriti in tormentis a pueritia, equuleum sibi facere dicuntur, ut in eo se invicem torqueant, et quum in pœna perdurarent, ad falsa testimonia se bene venumdarent.* Fallaciis suis sæpe libertatem nacti et ad dignitatem equestrem evecti sunt. Juvenal. VII, 15. ibi Ruperti. Martial. X, 76. 3. Ceterum ex Cappadocia, Galatia regionibusque, quæ circa erant, multos servorum greges quotannis Romam esse deductos, constat ex multis locis. v. interpp. ad Petron. 29. et 63. *Catasta* erat pegma ligneum, in quo venales servi a mangonibus, quum illos vendebant aut vendere parabant, conlocabantur, et quidem nudi, ne emptoribus diligentibus fraus fieri posset. Claud. XVIII, 35 seq. Sueton. ill. gramm. 13. *plausisse.* Sensus: Ne sit quis te callidior *(præstantior)* in commendandis emptori servis venalibus, quod fiebat plaudendo eos, ad indicandum bonum corporis habitum.

78. Rem duplica. Si nempe avaritiæ heredis velis satis facere, auge rem familiarem, ut quibuscumque artibus dupla fiat. Horat. Od. III, 24. 59 seqq.

79. redit in rugam pro: jam decupla facta est res familiaris. Eleganter translatum hoc a vestibus. Ovid. A. A. III, 454. Quo ditior et elegantior aliquis erat, eo latiores et fusiores erant vestes. *redire in rugam* itaque pro multiplicari. De hac insatiabili avaritiæ natura lege Juvenal. XIV, 139 seqq. et 323 seqq. Claudian. III, 183 seqq. 196 seqq. *Depunge, ubi sistam,* constitue finem et modum, quousque divitias adcumulem.

80. Inventus, Chrysippe, tui finitor acervi. Acervus est ratio argumentandi a Chrysippo inventa ab exemplo *acervi.* Acervumne faciunt grana tria? non; an quatuor? non etc. et locum habet in omnibus, quæ non certum modum significant, sed relatione tantum multum aut parum. v. Gesn. ad Horat. Epist. II, 1. 47. cf. Menag. ad Diog. Laert. II, 108. Proprie sic dicendum fuisset: Tu non magis terminum, ubi in adcumulandis divitiis consistam, poteris constituere, quam terminus ullus in Chrysippi sorite seu acervo ultimus potest vocari. Sensus: Quæ fieri non possunt, ut fiant, non poteris efficere. Noster per hoc exclamationem expressit, quasi jam factum esset, quod fieri omnino nequit. cf. Aristoph. Plut. 134 seqq.

INDEX RERUM

ET

DICTIONUM MEMORABILIUM.

A

Abacus i, 131.
Accius, *poeta ineptus* i, 4. 50. 76.
Acerra tacita ii, 5.
Acervus, *syllogismus acervalis* vi, 80.
Aceti morientis fæcem sorbet iv, 32. aceto mordaci lotus v, 86.
Acre despuat in mores iv, 34. 35.
Acre servitium v, 127.
Adsigna tabellas v, 81.
Ædilis Areti Italo honore supinus fregerit heminas iniquas i, 130.
Ægeum mare v, 142.
Ægroti veteris somnia v, 129.
Agaso v, 76.
Ager exossatus vi, 52.
Alea hunc decoquit v, 57.
Alli caput gustaveris v, 188.
Ambitio cretata v, 177.
Amomum iii, 104.
Animæ pars v, 23. venditæ lucro vi, 75. inanes cœlestium ii, 61.
Animus premitur ratione v, 39.
Anseris extis satur vi, 76.
Antiopa tragœdia i, 78.
Anticyræ meracæ iv, 16.
Apennino costam subduximus i, 95.
Aperto voto vivere ii, 6.
Appula canis i, 60.
Aprici senes v, 179.
Aqualiculus i, 57.
Arator peronatus v, 102.
Arcana lumbi iv, 35.
Argento quis modus iii, 69.
Arcadiæ pecuaria iii, 9.
Arcesilas iii, 79.
Aretum, *hodie Arezzo* i, 130.
Argenti quis modus iii, 69. seria ii, 11.
Arma virum i, 96.
Artis magister venter P. 10.
Artocreas vi, 50.
Asini auriculas i, 121.
Attin i, 93. 105.
Aurem in secretam gannit v, 96. vaporatam i, 126. aures radere mordaci vero i, 107. bibulas iv, 50. purgatas v, 63.
Auriculas emere ii, 30. teneras radere i, 107. 108. auriculis conligis escas i, 22.
Aurum ovatum ii, 55.
Auster infelix pecori vi, 12.
Avia ii, 31. avias veteres de pulmone revellere v, 92.
Avis rara i, 46.
Axis secundus v, 72.

B

Baccam conchæ ii, 66.
Balanatum gausape iv, 37.
Balba de nare locutus i, 33.
Balteus prætegit auro v, 145.
Barba aurea ii, 53. barbam Cynico vellat i, 133. stolidam præbere ii, 28.
Barbatum magistrum iv, 1.
Baro v, 138.
Bassaris i, 101.
Bassus, Cæsius, *poeta lyricus* vi, 1.
Bathylli satyri v, 123.
Baucis pannucea iv, 21.
Beatulus iii, 103.
Belle i, 49.
Berecynthius i, 93.
Bestius vi, 37.
Beta, *herba* iii, 114.
Bibulas aures iv, 50.
Biceps Parnasus P. 2.
Bidental evitandum ii, 27.
Bilis vitrea iii, 8. bile tumet ii, 14.
Blando popello iv, 15.
Bombis i, 99.
Bovillæ vi, 55.
Braccatis Medis iii, 53.
Briseïs i, 76.
Bruttia saxa vi, 27.
Bruto liberior v, 85.
Bulla donata laribus v, 31.
Bullatis nugis v, 19.

Bullit in unda summa iii, 34.
Buxum, *turbinem* iii, 51.

C

Caballino fonte P. 1.
Cadat ira naso v, 91.
Cachinno petulanti splene i, 12.
Cædimus inque vicem præbemus crura sagittis iv, 42.
Cælestium animæ inanes ii, 61.
Cæpe tunicatum iv, 80.
Cæsar, *Caius Caligula* vi, 43.
Cæsonia, *uxor Caligulæ* vi, 47.
Calabrum vellus ii, 65.
Calces rigidos extendit iii, 105.
Calirrhoe, *scortum* i, 134.
Calles dicenda tacendaque iv, 5.
Calve i, 156.
Camena v, 21.
Canicula, *sidus* damnosum iii, 5. 49. jactus in talorum lusu iii, 49.
Canis Appula i, 60. nodum abripit v, 159. viatica v, 65.
Canthum v, 71.
Cappadocas pingues vi, 77.
Capnificus i, 25.
Caput indutum iii, 106.
Carbone notare v, 108.
Carmina intrant lumbum i, 20.
Casiæ vi, 36. Casiam dissolvit ii, 64.
Castigare examen i, 6. 7.
Castoreum v, 135.
Catasta rigida vi, 77.
Catinum rubrum v, 182.
Catonis grandia verba iii, 45.
Caudam jactare popello iv, 15.
Causas rerum cognoscite iii, 66.
Cedro digna locutus i, 42.
Censorem salutas iii, 29.
Centeno gutture niti v, 6.
Centuriones varicosos v, 189.
Centurionum gens hircosa iii, 77.
Centusse curto v, 191.
Ceraso peccet casia vi, 56.
Cerdo tollat sua munera iv, 51.
Chærestratus v, 162.
Χαῖρε P. 8.
Chartis nocturnis inpallescere v, 62.
Cheragra nodosa lapidosa v, 58.
Chlamydes regum vi, 46.
Chrysis, *meretrix* v, 165.
Chrysippus vi, 80.
Cicer ingere populo v, 177.
Ciconia, *sannæ genus* i, 58.
Cicuta iv, 2; v, 145.
Cinere ulterior vi, 41.
Cinnamum vi, 35.
Cippus levior inprimit ossa i, 37.
Cirratorum dictata i, 29.
Citreis lectis i, 52. 53.
Clarum mane iii, 1,
Cleanthea fruge v, 64.
Clivum ad Virbi vi, 56.
Coa lubrica v, 135.
Cœlestium inanes animæ ii, 61.
Cœnam funeris negliget heres vi, 33.
Cœnare, *pro: agere fabulam* v, 9.
Compita pertusa iv, 28. ramosa v, 35.
Compositas venas iii, 91. compositum jus fasque animo ii, 73.
Conchæ bacca ii, 66.
Cor salit rite iii, 111.
Cornea fibra i, 47.
Cornutus, *philosophus* v, 23.
Corpus fidele senectæ ii, 41.
Corvos poetas P. 13. passim sequi iii, 61.
Corymbis i, 101.
Cras hoc fiet v, 66. aliud egerit hos annos v, 69.
Crassos dies v, 60.
Crassus, pro locuplete quovis ii, 36.
Crateras argenti ii, 52.
Craterus, *medicus* iii, 65.
Cratinus, *comœdiæ antiquæ scriptor* i, 123.
Crepidas Graiorum i, 127.
Creta notare v, 108.
Cretata ambitio v, 177.
Cribro populi decussa farina iii, 112.
Crispinus v, 126.
Culpam defigere v, 16.
Cumini pallentis v, 55.
Curæ hominum i, 1.
Curata cuticula sole iv, 18.
Cures, *oppidum Sabinorum* iv, 26.
Curras rota posterior v, 72.
Custos purpura v, 30.
Cuticula sole curata iv, 18.
Cynico barbam vellat i, 133.

D

Dama v, 76. 77.
Damnosa canicula iii, 49.
Davus v, 161. 168.
Debilis inscitia v, 99.
Decipe nervos iv, 45.
Decoctius i, 125.
Decoquit hunc alea v, 57.
Dedecus obstem cognatis siccis v, 136.
Defigere culpam v, 16.
Dei de puppe vi, 90.
Delumbe i, 104.
Demorsos ungues sapit i, 106.
Dentalia sulco terens i, 73.
Dente peragit grandia bona vi, 21.

Depellentibus dis v, 167.
Deprendere mores curvos iii, 52.
Descendere in se iv, 23.
Despuat acre in mores iv, 35.
Despumare Falernum iii, 3.
Dexter senio iii, 48.
Dia poemata i, 31.
Dicenda tacendaque calles iv, 5.
Dicta paterna vi, 66.
Dictator, *L. Quint. Cincinnatus* i, 74.
Diducit error mentes in compita v, 35.
Digito infami ii, 33. monstrari i, 28. digitum exsere v, 119.
Dinomaches iv, 20.
Discincto vernæ iv, 22.
Discite O miseri iii, 66.
Dissutis malis iii, 59.
Dolosi spes nummi P. 12.
Donatæ puppæ Veneri ii, 70.
Duplici hamo scinderis v, 154.

E

Ebria veratro Ilias i, 51.
Ebullit patruus ii, 10.
Echo reparabilis i, 102.
Effluis amens iii, 20.
Egerit hos annos aliud cras v, 69.
Elegidia i, 51.
Elixasque nates iv, 40.
Eliquat i, 35.
Emaci prece ii, 3.
Emeris auriculas ii, 30.
Ennius, Quintus vi, 10.
Ensis pendens laquearibus iii, 40.
Epithetis in rasis librat crimen i, 85.
Ergenna ii, 26.
Error diducit mentes in compita v, 35.
Escas auriculis conligis i, 22.
Esseda vi, 47.
Euge, Belle i, 49.
Euion, *cogn. Bacchi* i, 102.
Evitandum bidental ii, 27.
Eupolis, *comœdiæ veteris scriptor* i, 124.
Excutienda præcordia v, 22.
Exossatus ager vi, 52.
Expungam pupillum ii, 13.
Exserere digitum v, 119.
Exsultat Trossulus i, 82.
Extra te ne quæsiveris i, 7.

F

Fabula hianda tragœdo v, 3.
Fagi veteris ramalia v, 59.
Falernum, *vinum* iii, 3.
Fallit pede regula varo iv, 12.
Far modicum iii, 25.
Farina nostra v, 115. cribro populi decussa iii, 112.
Fas animi ii, 73.
Favilla fortunata i, 39.
Fœneris merces vi, 67.
Ferveat lector mihi i, 126.
Festuca v, 175.
Fibra arcana v, 29. cornea i, 47.
Figas in cute solem iv, 33.
Fidelia iii, 22. 73. v, 183.
Filix, *herba* iv, 41.
Finem animo certum petite v, 64.
Flaccus, *Q. Horatius* i, 116.
Floralia v, 178.
Flumine noctem purgare ii, 16.
Fœdere certo v, 45.
Fœnisecæ vi, 40.
Forcipe labefactent iv, 40.
Fores udas v, 165.
Fortunare da Penates ii, 45.
Fortunata favilla i, 39.
Fossor v, 122.
Fratres inter aenos ii, 56.
Frigescant tibi limina i, 109.
Frons, *pro pudore* v, 103.
Fugit hora v, 153.
Fumo pondus dare v, 20.
Fundo in imo suspiret numus ii, 51.
Funem reduco v, 118.
Funus præclarum ii, 10. funeris cœnam negliget heres vi, 33.

G

Galli, *sacerdotes Cybeles* v, 186.
Gannit in aurem v, 96.
Gausape balanatum iv, 37. Gausapa lutea vi, 46.
Gemini, *sidus* v, 49. *eodem tempore et una matre geniti* vi, 18.
Generoso honesto incoctum pectus ii, 74.
Genius ducis vi, 48. varus iv, 18. Genio merum fundere ii, 3. indulgere v, 151. sinistro iv, 27.
Genuinum, *dentem* i, 115.
Germana pubes vi, 44.
Gigni de nihilo nihil iii, 83.
Gignimur, quidnam victuri iii, 67.
Glutto sorbere salivam v, 112.
Glycon, actor tragicus v, 9.
Græcos centum curto centone licetur v, 191.
Graii doctores vi, 38.
Grandia verba Catonis iii, 45.
Gurgulio iv, 38.
Gustaveris caput alli v, 188.
Gutture centeno niti v, 6.

H

Habita tecum iv, 52.
Hamo duplici scinderis v, 154.
Hederæ sequaces P. 6.
Helicone nebulas legunto v, 7.
Heliconidas P. 4.
Heminas Areti iniquas ædilis fregerit i, 130.
Hercule dextro ii, 12.
Herodis dies v, 180.
Hesterni Quirites iii, 106.
Hibernat mare vi, 7.
Hianda fabula tragœdo v, 3.
Hircosa gens centurionum iii, 77.
Honesto generoso incoctum pectus ii, 74.
Hora fugit v, 153. *horoscopus* v, 48.
Horoscope vi, 18.
Humiles susurros tollere de templis ii, 6.
Hyacinthina læna i, 32.
Hypsipylas i, 34.

I et J

Jactare caudam popello iv, 15.
Janus biceps i, 58.
Jecore rupto i, 25.
Ilias Acci ebria veratro i, 50.
In mores in luxum in prandia regum i, 67.
Inane quantum est in rebus i, 1.
Incurvasse querela i, 91.
Incusa dona ii, 52.
Incussere deos v, 187.
Infami digito ii, 33.
Ingenium ante pilos venit iv, 4. 5.
Inmeiat vi, 73.
Inodora ossa vi, 25.
Inpallescere chartis v, 62.
Inpello ii, 13.
Inriguo somno v, 56.
Inscitia debilis v, 99.
Insomnis juventus iii, 54.
Intendis rumpere v, 13.
Intepet mare vi, 7.
Intortos mores v, 38.
Ionio condidit surda vota vi, 29.
Ira cadat naso v, 91.
Italæ merces v, 54.
Italus honos i, 129.
Junctura i, 65. acri v, 14.
Junicum omenta ii, 47.
Jupiter ii, 18. 21. 22. 23. 29. 40. 43. v, 157. *stella* v, 50. cum Jove vivere v, 139.
Jus compositum animo ii, 75.
Justum suspendere lance iv, 10.
Juvenci Siculi æra iii, 39.

L

Labefactent forcipe iv, 40.
Labella uda ii, 32.
Labeonem i, 4.
Laborat vinci animus v, 39.
Lacerna trita i, 54.
Lactibus unctis ii, 30.
Læna hyacinthina i, 32.
Lallare, *nænia* iii, 18.
Lambunt, *pro cingunt* P. 5.
Lampada poscis vi, 61.
Lance suspendere justum iv, 10.
Lapidosa cheragra v, 58.
Lapillo meliori numera diem ii, 1.
Laquearibus auratis pendens ensis iii, 40.
Laribus subcinctis donata bulla pependit v, 31.
Largire inopi vi, 32.
Laurus, *epistola laureata* vi, 43.
Lecti citrei i, 52. 53.
Lemures v, 185.
Lethi memor vive v, 153.
Libertate opus est v, 73.
Libra, *sidus* v, 47. libræ ancipitis iv, 11.
Licinus ii, 36.
Lictor ineptus v, 175.
Ligus ora vi, 6.
Limen obscœnum v, 165. limina tibi frigescant i, 109.
Limum deradere iv, 29.
Linea tangitur umbra iii, 4.
Linguæ, quantum sitiat canis Appula, tantæ i, 60. linguas optare centum v, 2.
Lippa propago ii, 72.
Lippus v, 77.
Litera canina sonat de uare i, 109.
Litabis nullo thure v, 120. farre ii, 75.
Litus se receptat multa valle vi, 8.
Locat Cæsonia ingentes Rhenos vi, 47.
Lubrica Coa v, 155.
Lucernæ pingues vomuere nebulas v, 181.
Luciferi rudis v, 103.
Lucilius secuit urbem i, 114.
Lucro vende animam vi, 75.
Luctificabile i, 78.
Lumbum intrant carmina i, 20. lumbi arcana iv, 35.
Lunai portus vi, 9.
Lupus, *nom. propr.* i, 115.
Lustralibus salivis ii, 33.
Lutum es udum et molle iii, 28.
Luxuria sollers v, 142.

M

Macram spem ii, 35.

Macrinus ii, 1.
Mæna, *piscis* iii, 76.
Mænas, *baccha* i, 101.
Mæonides *Homerus* vi, 11.
Magister barbatus, *Socrates* iv, 2. Magister artis venter P. 10.
Magnanimus puer vi, 22.
Majestate manus iv, 8.
Maligne respondet fidelia iii, 21.
Mando vota ii, 39.
Mane clarum iii, 1.
Manes et fabula fies v, 152.
Manius vi, 56. 60.
Mantica spectatur præcedenti tergo iv, 25.
Marcentes vulvas pandere iv, 36.
Marcus Dama v, 79.
Mare hibernat vi, 7. intepet vi, 7.
Marem strepitum intendisse fidis vi, 4.
Marsi clientis iii, 75.
Masurius, *jurisconsultus* v, 90.
Matertera metuens divum ii, 31.
Maxillis gausape pectas iv, 37.
Medi braccati iii, 53.
Meiite extra i, 114.
Membrana bicolor iii, 10.
Melicerta v, 103.
Mendosum tinniat v, 106.
Mendose conligis v, 85.
Mensa verecunda seria laxare v, 44.
Mephitis iii, 99.
Meracæ Anticyræ iv, 16.
Mercurius ii, 44. vi, 62.
Mercurialis saliva v, 112.
Meruisse os populi i, 42.
Messalæ propago ii, 72.
Messe tenus propria vive vi, 25.
Midas i, 121.
Milvus iv, 26.
Mimalloneis bombis i, 99.
Minui senio vi, 16.
Mire opifex vi, 3.
Modicus voti v, 109.
Momento turbinis v, 78.
Monimenta Marsi clientis iii, 75.
Monstrari digito i, 28.
Montes magnos promittere iii, 65.
Morbo venienti obcurrere iii, 64.
Mordaci vero aures radere i, 107. m. aceto totus v, 86.
Morosa vena vi, 72.
Mores curvos deprendere iii, 52. intortos extendit regula v, 38. pallentes v, 15.
Munera sua tollat cerdo iv, 51.
Murmur tollere de templis ii, 6.
Murmura rabiosa rodunt iii, 81.
Musa i, 68.
Mutius i, 115.
Mycenæ v, 17.

N

Nare de balba locutus i, 33. naribus uncis indulgens i, 40.
Naso suspendere i, 118.
Natalitia sardonyche i, 16.
Natura continet hoc fas v, 98. 99.
Nebulas Helicone legunto v, 7.
Nectar Pegaseium P. 14.
Nemo in sese tentat descendere iv, 23.
Nereus i, 94.
Nerio jam tertia ducitur uxor ii, 14.
Nervis opem poscere ii, 41. nervos decipere iv, 45.
Nigrum theta iv, 13.
Nihil gigni de nihilo iii, 84.
Noctem flumine purgas ii, 16.
Nocturnis chartis inpallescere v, 62.
Nodosa arundo iii, 11. chiragra v, 58.
Nodum canis abripit v, 159.
Nonaria, *prostibulum* i, 133.
Nucibus relictis i, 10.
Nugis bullatis v, 19.
Numæ vasa ii, 59.
Numera diem meliore lapillo ii, 1.
Numeros tres Bathylli v, 123.
Numus suspiret in imo fundo ii, 51. utile quid habet iii, 70. Numi dolosi spes P. 12. Numos credere v, 80.
Nutrici non mando vota ii, 39.

O

O curas hominum i, 1.
Obba fissilis v, 148.
Obcurrite sannæ posticæ i, 62.
Obscœnum limen v, 165.
Obstipum caput vi, 52.
Ocello patranti i, 18.
Ocimum, *herba* iv, 22.
Oculi scintillant ira iii, 117. oculos urentes inhibere ii, 34. tangere olivo iii, 44.
Œnophorum v, 140.
Offas v, 5.
Officia rerum tenuia v, 93.
Ohe i, 23.
Oletum i, 112.
Olivo tangere oculos iii, 44.
Omenta junicum ii, 47.
Omento tremat venter vi, 74.
Opimum pingue iii, 53.
Optare centum linguas v, 2.
Orcæ angustæ collo non fallier iii, 76.
Ordo quis datus iii, 67.
Orestes iii, 118.
Ossa inodora urnæ dabit heres vi, 34.
Ovo rupto pericula v, 185.

P

Pacuvius, *poeta tragicus* i, 77.
Pagina nugis turgescat v, 20.
Palæstritæ iv, 39.
Palato tenero subplantat verba i, 55.
Palilia i, 72.
Pallentes mores v, 15.
Pallida Pirene P. 4.
Palpo v, 176.
Pannucea Baucis iv, 21.
Papæ v, 79.
Pappare minutum iii, 17.
Parca tenax veri v, 48.
Paria centum inducere vi, 48.
Parnasus biceps P. 2.
Pars animæ v, 23.
Parthi vulnera v, 4.
Passim sequi corvos iii, 61.
Patella secura iii, 26.
Pater divum iii, 35.
Paterna dicta vi, 66.
Paterno rure iii, 24.
Patranti ocello i, 18.
Patriam rem frangere v, 164.
Patriciæ vulvæ iv, 73.
Patruos sapimus i, 11.
Patruus ebullit ii, 10.
Pavo Pythagoreus vi, 11.
Pectine tetrico vi, 2.
Pectus incoctum generoso honesto ii, 74.
Pecori infelix auster vi, 53.
Pede varo regula fallit iv, 12.
Pedius i, 85.
Pegaseium nectar P. 14.
Pelliculam veterem retines v, 116.
Penates da fortunare ii, 45.
Pendens laquearibus ensis iii, 40.
Penem amarum IV, 48.
Peragit grandia bona dente vi, 21. 22.
Perditus cute i, 23.
Pericli pupille iv, 3.
Pericula capite cano pellere i, 83. Pericula ovo rupto v, 185.
Peronatus arator v, 102.
Petulanti splene cachinno i, 12.
Pertusa compita iv, 28.
Phaleræ iii, 30.
Phyllidas i, 34.
Picas poetrias P. 14.
Pilea libertatem dant v, 82.
Pinge duos angues i, 113. Pictæ tectoria linguæ v, 25.
Pingue opimum iii, 33.
Pirenen pallidam P. 4.
Pituita purgatissima somnia ii, 57.
Plantaria, *pilos* iv, 39.
Plasma liquidum i, 17.
Plausisse Cappadocas vi, 77.
Plebeia prandia v, 18.
Plorabile i, 34.
Pluteum non cædit i, 106.
Poemata dia i, 31.
Poetrias picas P. 14.
Polenta iii, 55.
Pollice (sub) ducere vultum v, 40.
Pondus dare fumo v, 20.
Pontifices ii, 69.
Pontus v, 134.
Popa venter vi, 74.
Popello blando jactare caudam iv, 15.
Populo donaveris bibulas aures iv, 50.
Porticus, *disciplina stoica* iii, 54.
Poscis prece emaci ii, 3.
Posterior rota v, 72.
Posticæ obcurrite sannæ i, 62.
Pote i, 56.
Præcedenti tergo spectatur mantica iv, 25.
Præclarum funus ii, 10.
Præcordia excutienda v, 22.
Præfigere nigrum theta vitio iv, 13.
Prætegit auro balteus v, 145.
Prætoris non erat dare v, 93.
Prandia plebeia v, 18.
Prece emaci poscis ii, 3.
Premitur ratione animus v, 39.
Primordia rerum vi, 3.
Procne v, 8.
Producis vi, 19.
Progenies terræ vi, 57.
Prolui labra P. 1.
Propago lippa ii, 72.
Properandus rota iii, 23.
Propria messe vi, 25.
Prudentia velox rerum ante pilos venit iv, 4.
Psittaco P. 8.
Pulchrum est digito monstrari i, 28.
Pulydamas i, 4.
Pulmentaria uncta iii, 102.
Pulmo prælargus animæ i, 14.
Pulmonem rumpere ventis iii, 27.
Pulpa scelerata ii, 63.
Pupillum expungam ii, 13. magni Pericli iv, 3.
Puppæ Veneri donatæ ii, 70.
Puppe dei vi, 90.
Purgatas aures v, 63.
Purgatissima somnia ii, 57.
Purpura custos v, 30.
Puteal multa vibice flagellas iv, 49.
Putris in Venerem v, 58.
Pythagoreus pavo vi, 11.

Q

Quæsiveris te non extra i, 7.

Quantum est in rebus inane i, 1.
Quatit manibus ii, 35.
Quintius dictator i, 74.
Quinta umbra iii, 4.
Quincunce modesto v, 149.
Quiritem quibus una vertigo facit v, 75.
Quirites hesterni iii, 106.

R

Rabiosa silentia iii, 81.
Radere auriculas vero i, 107.
Ramale vetus i, 97.
Ramalia fagi v, 59.
Ramosa compita v, 35.
Ramum ducis stemmate Tusco iii, 56.
Rancidulum quiddam balba de nare locutus i, 33.
Rapiant puellæ ii, 38.
Rapidæ vitæ usum permittere v, 94.
Rara avis i, 46.
Rasis in epithetis librat crimen i, 85.
Ratione premitur animus v, 39.
Receptat se litus multa valle vi, 8.
Recessus sanctos mentis ii, 73.
Rectum discernis iv, 11.
Recutita sabbata v, 184.
Recto talo vivere v, 104.
Redit in rugam vi, 79.
Relictis nucibus i, 10.
Refulserit numi spes P. 12.
Regula fallit pede varo iv, 12. fallere sollers adposita intortos extendit mores v, 38.
Regustatum salinum v, 138.
Remus i, 73.
Reparabilis Echo i, 102.
Respondet maligne fidelia iii, 22.
Respue quod non es iv, 51.
Revello avias veteres de pulmone v, 92.
Rhenos ingentes vi, 47.
Rhombos ponere vi, 23.
Ridenti amico i, 116.
Rigida catasta vi, 77.
Rimas angustas extendit lumine iii, 2.
Rixanti populo cicer ingere v, 178.
Roma turbida i, 5. 8.
Romule i, 87.
Romulidæ saturi i, 31.
Rosa fiat, quidquid calcaverit ii, 32.
Rota acri fingendus v, 24. posterior curras v, 72. properandus iii, 23.
Rubellum Veientanum v, 147.
Rubrica Masuri v, 90.
Rubricam dirigere oculo uno i, 66.
Rubrum catinum v, 182.
Rugam (in) redit vi, 79.
Rugosa sanna v, 91.
Rumore sinistro v, 164.
Runcantem iv, 36.
Rupto jecore i, 25.
Rure paterno tibi est far modicum iii, 24.

S

Sabbata recutita palles v, 184.
Sabino foco vi, 1.
Sacer est locus i, 113.
Sacerdos lusca v, 186.
Sagittis præbemus crura iv, 42.
Salinum regustatum terebrare v, 138.
Salit cor rite iii, 111.
Salivam Mercurialem glutto sorbere v, 112. lustralem ii, 33. tenuem turdorum noscere vi, 24.
Sambucam aptaveris caloni v, 95.
Samios ramos diduxit litera iii, 56.
Sanna rugosa v, 91. sannæ posticæ obcurrite i, 62.
Saperdas advehe Ponto v, 134.
Sapio quod satis est mihi iii, 78.
Sapit ungues demorsos i, 106.
Sapimus patruos i, 11.
Sardonyche natalitia i, 16.
Sartago loquendi i, 80.
Satur anseris extis vi, 71.
Saturnia æra ii, 59.
Saturnus gravis v, 50.
Satyri Bathylli v, 123.
Saxa Bruttia vi, 27.
Scinderis duplici hamo v, 154.
Scintillant ira oculi iii, 117.
Scire tuum nihil est i, 27.
Scomber, *piscis* i, 43.
Scrobs i, 119.
Secretam in aurem gannit v, 96.
Sectabere canthum v, 71.
Secuit Lucilius urbem i, 114.
Secundo axe v, 72.
Securus quo pes ferat iii, 62.
Secura patella iii, 26.
Seductum moneat luxuria v, 143.
Seges altera in herba est vi, 26.
Semipaganus P. 6.
Semuncia brevis v, 121.
Sene prægrandi i, 124. Senes aprici v, 179.
Senio dexter iii, 48.
Sepia iii, 13.
Sequaces hederæ P. 6.
Seria argenti ii, 11.
Seriola iv, 29.
Sermo quis populi i, 63.
Servitium acre v, 127.
Sesquipede i, 57.
Severos ungues i, 64.
Siculi æra juvenci iii, 39.
Silentia rabiosa iii, 81.

Siliquis iii, 55.
Sinciput vi, 70.
Sinistro genio iv, 27.
Sinuoso pectore v, 27.
Sistrum v, 186.
Socratico sinu v, 37.
Sole recenti v, 54. Solem figis in cute iv, 33.
Solea rubra objurgabere v, 169.
Solidum quid crepet v, 25.
Solones ærumnosi iii, 79.
Somnia ægroti veteris v, 129. pituita purgatissima ii, 57.
Somno inriguo v, 56.
Sonat de nare canina litera i, 109.
Sorbere iv, 16. v, 112.
Sorbitio iv, 2.
Sparsisse oculos v, 33.
Speciem veri dignoscere v, 105.
Spes numi refulserit P. 12.
Splene petulanti i, 12.
Staius ii, 19.
Stemmate Tusco iii, 28.
Steriles veri v, 75.
Stertimus iii, 3.
Stloppo v, 13.
Stolidam barbam præbere ii, 28.
Strigiles v, 126.
Stringere venas crudo de pulvere ii, 66.
Stupet hic vitio iii, 32.
Stuppas v, 135.
Subærato v, 106.
Subcinctis laribus v, 31.
Subdite rebus v, 124.
Subduximus costam Apennino i, 95.
Subere prægrandi i, 97.
Subplantat verba palato i, 35.
Subsellia i, 82.
Suburra v, 32.
Succiuis ambages iii, 20.
Sulco terens dentalia i, 73.
Sulfure sacro ii, 25.
Sulfureas mephites iii, 99.
Supellex quam curta sit iv, 52.
Surda vota condidit Ionio vi, 28.
Surgentem callem iii, 57.
Surrentina iii, 93.
Suspendere naso i, 118.
Suspiret numus in imo fundo ii, 51.
Susurros humiles tollere de templis ii, 6.

T

Tabellas adsigna v, 81.
Tabula in cærulea oberret pictus vi, 32.
Tadius vi, 66.
Talo recto vivere v, 104.
Tange miser venas iii, 107.
Tectoria linguæ v, 25.
Tecum habita iv, 52.
Temperat me tibi v, 51.
Templis murmur tollere ii, 6.
Tenax veri Parca v, 48.
Tendis cum Jove vivere v, 139.
Teneras auriculas radere i, 107.
Tentemus fauces iii, 113.
Tenuem salivam turdorum noscere vi, 24.
Tenuia rerum officia v, 93.
Tepidum Decenter i, 84.
Terebrare salinum v, 138.
Terens dentalia sulco i, 73.
Terræ filius vi, 59. progenies vi, 57.
Testiculi paterni i, 103.
Tetrico pectine vi, 2.
Theta nigrum vitio præfigere iv, 13.
Thure nullo litabis v, 120.
Thyestes v, 8.
Thynnus v, 183.
Tiberino gurgite ii, 15.
Titos ingentes i, 20.
Togæ verba v, 14.
Tollat sua munera cerdo iv, 51.
Torosa juventus iii, 86.
Trabe rupta vi, 27.
Trabeatus iii, 29.
Tragœdo hianda fabula v, 3.
Traham voce pura v, 28.
Trama figuræ vi, 73.
Tremulo versu i, 21.
Tressis agaso v, 76.
Triental iii, 100.
Troiades, i, 4.
Trossulus levis i, 82.
Trutinantur verba labello iii, 82.
Tucetaque crassa ii, 42.
Tumuli mortuorum floribus ornati i, 40.
Tunicatum cæpe iv, 80.
Turbida Roma i, 5.
Turbinis momento v, 78.
Turdarum salivam nosse vi, 24.
Turgescat pagina nugis v, 20.
Tuscum fictile ii, 60. Tusco stemmate ducis ramum iii, 28.
Tutor ne sis mihi iii, 96.
Tyrannos sævos punire iii, 35.

U et V

Væ vi, 50.
Vago inguine vi, 72.
Vaporata aure i, 126.
Vappa v, 77.
Varicosos centuriones v, 189.
Vasa Numæ ii, 59.
Vates centum sibi voces ora et linguas in carmina poscunt i, 2.
Vatum plorabile i, 34.
Uda labella ii, 32.

Udas fores v, 165.
Vectidius iv, 25.
Veientanum Rubellum v, 147.
Velina, sc. *tribus* v, 73.
Vellant plantaria iv, 39.
Velle suum cuique est v, 53.
Velox prudentia iv, 4.
Venæ compositæ iii, 91. morosæ vi, 72. venas tange miser iii, 107. stringere crudo de pulvere ii, 66.
Vende animam lucro vi, 75.
Veneri puppæ donatæ ii, 70. in Venerem putris v, 58.
Venienti obcurrite morbo iii, 64.
Venosus liber i, 76.
Venter magister artis P. 11.
Veratro ebria Ilias i, 51,
Verba togæ sequeris v, 14.
Verecunda mensa seria laxare v, 44.
Veri tenax Parca v, 48. speciem dignoscere v, 105. steriles v, 75.
Vernæ discincto iv, 22.
Vero mordaci radere auriculas i, 107.
Verrucosa Antiopa i, 77.
Versu tremulo i, 21.
Vertigo quibus una facit Quiritem v, 76.
Vestales urnæ ii, 60.
Veteres avias de pulmone revellere v, 92.
Vetule i, 22.
Viatica canis v, 65.
Vibice multa puteal flagellas iv, 49.
Vicinia me egregium dicat iv, 46.
Vindicta meus v, 88.
Violæ nascentur e tumulo i, 40. violas portantes lucernæ v, 182.
Virbi ad clivum vi, 56.
Virtutem videant intabescantque relicta iii, 38.
Vitæ nescius error v, 34. rapidæ usum permittere v, 94.
Vitrea bilis iii, 8.
Vive memor leti v, 153. vivere talo recto v, 104. ex tempore iii, 62. cum Jove v, 139.
Ulterior cinere hoc metuas vi, 41.
Umbo candidus v, 33.
Umbra quinta iii, 4.
Umbri pingues iii, 74.
Uncis naribus indulges i, 40.
Unctus cesses iv, 33.
Unguem crudum abrodere v, 162. ungues demorsos sapit i, 106. severos i, 64.
Unguen crassum vi, 40.
Vomuere lucernæ pingues nebulas v, 181.
Vota nutrici non mando ii, 39. surda condidit Ionio vi, 28. voti modicus v, 108. voto vivere aperto ii, 7.
Voce pura trahar v, 28.
Urentes oculos inhibere ii, 34.
Urnæ ossa inodora dabit heres vi, 34.
Urtica vi, 70.
Usum vitæ rapidæ permittere v, 94.
Vulfenius v, 190.
Vulgi securus vi, 12.
Vulnus cœcum habes iv, 44. vulnera Parthi v, 4.
Vulpem astutam servas sub pectore v, 117.
Vulvas marcentes pandere iv 36. patricias iv, 73.
Uxor proxima iii, 43.

PA
6446
A2
1825
v.2

Juvenalis, Decimus Junius
Satirae XVI.

PLEASE DO NOT REMOVE
CARDS OR SLIPS FROM THIS POCKET

UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

UTL AT DOWNSVIEW
D RANGE BAY SHLF POS ITEM C
39 11 16 05 13 014 5